carnem, inquit Dominus, *& bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo*. Quid est in me manet, & ego in eo, nisi tam arcta mecum nectitur vnione, vt plane vnum idemque sit mecum?

Quinimo ob hoc ipsum communionis nomine insignitur, quod per illud fideles inter se vniantur, cõmunicantes ad inuicem sibi animos, sicut in vno communicant Christi corpore. Cum igitur hoc Sacramẽtum amor sit, verissima certe appellatione charitas appellatus est Salomon noster, quatenus per illud in medio Ecclesiæ non spiritualiter tantum, sed & corporaliter residet: *Media charitate constrauit.*

In Eucharistiæ Sacramento quomodo residere dicatur Christus præcipue in Eccles. Romana.

Sed adhuc vna supereſt difficultas; nam cum istiusmodi Sacramentum non in Ecclesia Romana duntaxat; sed & in qualibet fidelium collectione, & fere in quolibet templo conspiciatur, non videtur forsitan bene, vereque dictum, Christum per illud residere in medio Ecclesiæ Romanæ, & in Sede Apostolica. Facile tamen est, veritatis huius dicti assignare rationem; nam, etsi in vnaquaque Ecclesia sit Sacramentũ istud, & potestas illud conficiendi; dicitur tamen Christus per illud residere præcipue in Romana Ecclesia: quia exinde vt à capite primario deriuatur potestas ipsa conferendi hoc Sacramentum; & Christus Rex pacificus per hoc Sacramentum reliquas Ecclesias Romanæ nectit Eccles. Hinc congruentissima, & antiquissima receptum est consuetudine: vt cum sedes Apostolica extra Vrbem transfertur, simul quoque, & Sanctissimum Sacramentum ab Vrbe deferatur: nec Summus Pontifex iter arripiat, quin simul & Christus in Sacramento cum illo comitetur. Et Antiquissimi moris erat in Ecclesia Romana, vt cum Episcopus quispiam Romam adiret, & ad Sedem Apostolicam, mitteretur ei obuiam à Pontifice Romano hoc Sacramẽtum in signum pacis, & charitatis; vt intelligerent vniuersi, Episcopum illum Romæ habitum vt connexum cum Sede Apostolica, provt manifeste colligitur ex Epistola Irenæi Martyris ad Victorem Papam, quam referunt & Eusebius Cæsariensis lib. 5. histor. Eccl. cap. 24. & Nicephor. Callistus lib. 4. cap. 39. Quod ergo hic dicitur, tale est.

Irenæus.

Nicephor.

Paraphrasis.

Christus Rex Salomon in isto ferculo, quod sibi fecit, in Ecclesia Romana non modo residet spiritaliter in aureo reclinatorio, & in Cathedra Petri, sed & corpore ipso suo medium locum in ea tenere conspicitur in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, vt charitas, & amor: ita vt & ab huiusmodi lectulo deferatur extra Vrbem, & lectulum ipsum, in quo defertur, mirum in modum exornet, atque communiat Sacramentali præsentia ista sua. Hoc vero pacto media dicti ferculi semetipso constrauit, vt est charitas, in tanto Sacramento propter filias Ierusalem: quo teneras quasque deuotasve animas filias Ierusalem cælestis hac charitate ad charitatem promoueret magis ac magis; hoc igne inflammaret; hoc denique & nexu secum, & cum Romana Ecclesia vnitas deuinciret.

Et hæc quidem satis iuxta primam ferculi acceptionem pro Ecclesia Romana, quatenus etiam extra Vrbem est: si charitatis nomine Regem Salomonem, & Christum Dominum significatum sumamus, quem Hebraicus textus incensum, seu combustum charitate appellat.

29 *Alius sensus.*

At vero, si charitatis nomen metonymice vsurpatum accipiamus pro rebus charis, pro gemmis, ac margaritis, quibus permaxime delectantur puellæ, Dicendum, per hæc verba de eo ipso commendari Ecclesiam Romanam, de quo in Psalmo 44. vniuersalem Ecclesiam commendatam legimus exinde, quia *a* circundata sit varietate, & circumamicta varietatibus, id est vestibus varijs intertextionibus, variarumque gemmarum intertexturis plumario opere elaboratis: Quod enim significauit Propheta Dauid per istiusmodi vestes, quibus operitur, & circundatur Ecclesia, vt est Regina, adstans à dextris Regis Salomonis, hoc in verbis hisce significatur per, *Media*: cortinas nimirum illas, quæ intermediæ essent inter reclinatorium, atque ascensum, quibus Ecclesia Romana, vt est lectulus gestatorius Christi, à patribus operitur, quibus & circundatur instar vestis: atque adeo recte istiusmodi media dicuntur charitate, ac gemmis constrata ab ipsomet Christo.

Roman. Eccles. à Christo ornata multiplici ordine Sanctorum, ac virtutum.

a Psal. 44. 10. & 15.

Porro sicut per varietatem vestium illarum varietas designatur donorum Spiritus Sancti, quam ob oculos ponit Apostolus in Epistola prima ad Corinthios: ita per opificium istud cortinarum ex variis lapidibus pretiosis elaboratum, multiplex designatur Sãctorum ordo, quibus Romana in primis Ecclesia circundatur, ac exornatur, quocunque tetenderit, Prælatorum, Sacerdotum, Doctorum, Monachorum, &c. quorum singuli, iuxta dictum Apostoli, *b tanquam lapides viui* superædificantur.

b 1. Pet. 2. 15.

Ac bene propter filias Ierusalem huiusmodi intermedia gemmis constrata dicuntur: vt animæ illæ, quę cælestem Ierusalem mentis oculis assuetæ sunt cõtẽplari, ad ipsam Ecclesiam Romanã magis afficiantur, quam lapidibus pretiosis exornatam conspiciunt, instar cælestis illius Ierusalem, quam ex *c lapidibus* quoque *pretiosis* constratam refert Ioannes in Apocalypsi.

c Apoc. 21. 21.

Iuxta secundam ferculi acceptionem pro curru triumphali: Cum in præcedentibus ostensum sit, currum triumphalem præcipuum quem sibi construxit Christus, vt in illo triumphantem toti sese exhiberet orbi, extitisse Paulum Apostolum, tum & singulos sanctos Euangelij Prædicatores: Primum, quæ hic dicuntur explicanda sunt, vt competunt Paulo, tum vt alijs quoque Prædicatoribus congruant, exponendum est.

Secundus sensus principalis.

Et quidem, quod Christus Dominus in Paulo triũphauerit, per charitatem illi insidens, neminem arbitror ignorare: quandoquidem nil frequentius legitur in eius scriptis, quam hoc quod Christo ipsius coniunctus esset charitate, à qua impelleretur: per quam ab illo inhabitaretur, & ob quam ab illo seiungi nequiret. Sic enim ait aliquando: *d Charitas Christi vrget nos*: aliquando vero: *e Quis nos separabit à Charitate Christi? Tribulatio?* &c. Et: *Certus sum quia neque mors, neque vita*, &c. *neque alia creatura poterit nos separare à Charitate Dei, quæ est in Christo Iesu.*

In Paulo triumph. à Christus per charitatem.

d 2. Cor. 5. 14.

e Rom. 8. 35.

Verum, cum non charitate simpliciter dicatur constratus, sed, *charitate propter filias Ierusalem*, id explicandum supereſt; quo pacto id verum sit, vt propter Iudæos potissimum, qui sub nomine filiarum Ierusalem signantur, ille Christum vt charitatem gestarit: quave ratione Pauli cor charitate constratum extiterit erga Iudæos, Christum iis duntaxat exhibere desiderans. Hoc autem per eiusmet verba commodius explicabitur: is siquidem istiusmodi charitatem, istiusmodi & desiderium Romanis testatum faciens, ait: *f Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ*, &c. Ac si diceret.

Pauli cor quomodo constratũ charitate erga Iudæos potissimum.

f Rom. 9. 3.

Adeo flagranti Christus me inflammauit charitate erga fratres meos, dum me vas sibi fecit, & ferculum, quo ipsemet deferretur triumphans; vt, si opus esset, & si arbitrarer, satis esse, me interfici propter Christum pro illis, quo videlicet ij Christum in me triumphantem susciperent, id mihi maxime esset in optatis, vt ante eorum oculos mortem obirem à Christo, id est propter Christum, iuxta phrasim illam, quæ & superius annotata est in prima expositione, quave præpositio, A, in sacris litteris vsurpatur pro, Propter. Ita si cum Hieronymo anathematis nomen sumatur pro morte corporis. Quamquam eorumdem verborum alterum afferre possimus sensum, quo magis confirmatur id, quod intendimus, quive, etsi nouus sit, à littera tamen non est alienus.

Epistol. ad Hedibiam qu. 10.

Pro quo supponendum nomen, Anathema, quod separatum, & seiunctum proprie significat, transferri ad ea peculiariter significanda, quæ Deo consecrata erant, vt separata in aliquod ministerium diuinorum. Hoc supposito, quod intendit Paulus, id est, vt ad

oſtendendum, quanta cor ſuum conſtratum eſſe charitate erga Iudæos, dicat; ſe optaſſe, vt Chriſtus, qui ipſum elegerat, feceratque eum ſibi ferculum, in quo deferretur coram Gentibus, & Regibus, & filijs Iſrael, ad hoc ipſum ſibi ſeiunxiſſet, & conſecraſſet ad miniſterum iſtud, vt fratribus ſuis filijs Iſrael, & filiabus Ieruſalem nomen eius portaret, vt huic vni operi ſeparatus fuiſſet à Chriſto, vt Iudæorum ſaluti indulgeret: quamquam enim noſſet præſtantiſſimum id eſſe munus, ad quod deſtinatus fuerat, vt eſſet Apoſtolus Gentium, vtve innumeras peragraret Orbis terrarum Regiones, id tamen quam maxime optabat, pro ea nimirum charitate, qua ipſius media à Salomone conſtrata fuerant propter filias Ieruſalem; vt ſenſus ſit: Tanto ſalutis populi mei deſiderio æſtuabam tantaque illum proſequebar charitate, vt optarem, me factum fuiſſe anathema, ſeiunctum, & conſecratum à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei, &c. ita vt illos ad eum mea prædicatione conuerterem.

30 *Prædicatores qua charitate prædicti eſſe debeant.*

Quod ſi per ferculum, & currum triumphalem Chriſti intelligamus vnumquemque Euangelij Prædicatorem, tria per hæc modica verba ſignificantur; quæ, præter illa quæ indicata ſunt in ſuperioribus, in eo requiruntur, vt recte, ac digne ſuum obeat munus glorificandi, ac portandi nomen Chriſti coram auditoribus.

Primum eſt, vt ante omnia Chriſtum ipſum in medio cordis ſui reclinantem geſtet ſub illa in primis formalitate, vt combuſtus eſt charitate, non modo in quaſcunque filias Ieruſalem, in omnes, & ſingulos fideles; ſed & in vnum ex filiabus Ieruſalem, iuxta Hebræorum expoſitionem allatam in expoſitione litteræ: Sic enim ſi hoc pacto cõſtratus ſit charitate, haud ab inani gloria impelli ſe ſinet ad prædicandum, ſed ſolum à charitate, nec vlli parcet labori, vbi vel vnius animæ profectum agnouerit, vtpote à Chriſto ipſo impulſus, quem geſtat erga vnamquamque animam ita ardentem charitate, vt propterea Paulus ex perſona ſingulorum particularium dixerit: *a Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.*

a Gal. 2. 20.

Prædicatores charitatẽ in primis prædicare debent.

Secundum eſt, vt ita ipſe ſit charitate conſtratus, vt hanc vnam in primis in audientium animos imprimere nitatur charitatem erga Chriſtum, qui tanto amore ipſos eſt proſecutus; vt exinde charitatis nomen adeptus ſit, quod vni competit Deo.

Prædicatores infirmiorum præcipuam rationem habere debent.

Tertium denique eſt, vt ob eamdem Chriſti charitatem ita ſeſe in ſuis gerat concionibus; vt rationem in primis habeat puſillorum, & infirmiorum: hoc nãque ſignificat, conſtratum eſſe charitate, non quidem ſimpliciter, ſed *propter filias Ieruſalem*, propter illos nimirum fidelium, qui imbecilliores ſunt, nec virili robore, virilique præditi ſunt ſcientia.

Prædicatores & charitate, & virtutum omnium exemplo animas ad Chriſtum trahunt.

Quod vero non tam verbis charitate accenſis, quam præclara virtutum omnium forma, quibus quaſi pretioſis lapidibus conſtratum, ornatumque exhibere ſe debet, ad Chriſti dilectionem ſingulos quoſque fidelium pellicere queat, & verſione Septu. innuitur, quæ habet. *Intus ipſius lapidibus conſtratum, charitatem à filiabus Ieruſalem*, ſcilicet elicit: & lectione quoque noſtra confirmatur, dum charitatis nomen metonymice ſumitur, vt dictum eſt in prima expoſitione. Neque vero abs re factum eſt, vt, cum innuitur, ad Chriſti dilectionem fideles per illuſtria virtutum exempla à Prædicatore allici, dicatur: *Media*, vel expreſſius in verſione Septuagin. *Intus*, ſeu *Interiora ipſius lapidibus conſtrata*: cum dicendum potius videretur: Exteriora ipſius, quæ intuentium oculis apparent, eo pacto cõſtrata. Sed per hanc loquendi formam deſignatur id, quod præſertim in Prædicatore requiritur, vt intrinſecus primo animam habeat virtutum habitibus quaſi tot gemmis charitate inter ſe connexis, conſtratam: Exinde enim fit neceſſario, vt & in actibus, & operibus ipſius extrinſecus quoque internorum habituum effulgeat ſplendor: tantus eſt quippe earum gemmarum fulgor, vt extrinſecus etiam ſuos emittat radios,

Ex Verſ. X. cap. III. *Media charitate conſtrauit propter filias Ieruſalem.*

Expositio III.

De ſecunda Sponſa, quæ eſt Anima Iuſti.

31 *Charitatis nomine quã congrue exprimatur Deus vt eſt in humanitate aſſumpta.*

QVi magnificentiam enarrare aggreditur eorum, quæ in ædibus vidit regijs, deſcribit quidem cubiculorum pulchritudinem, artificioſas picturas, aulæa pretioſiſſima, vaſa argentea, atque aurea, gemmarum copiam, & ſublimem, ac ditiſſimum thronum: Explicaturus autem ipſius, qui in throno reſidet, Regis maieſtatem & intelligens, dignis ſe hauc quaquam verbis exprimere eam poſſe, breuiter ſeſe expedit, vnica duntaxat voce id exprimens omne, quod in tantæ maieſtatis deſcriptione vel ab eloquentiſſimo Oratore dici poſſet, inquiens, ibi conſpexiſſe illum, vt Regem. Ita ſe geſſit Ioannes Euangeliſta, quippe qui, poſtquam magnificentiſſimi illius palatij deſcriptionem fecit, in quo Rex Salomon Chriſtus habitare dignatus eſt, humanitatis, inquam, illius, quam is ſibi conſtruxiſſet, dicens: *b Et verbũ caro factũ eſt, & habitauit in nobis*, maieſtatem inhabitantis Regis hiſce expreſſit verbis: *Et vidimus gloriam eius, gloriã quaſi vnigeniti à Patre*, id eſt qualem decet filium Dei.

b Ioan. 1. 14.

In eumdem modum, & cœleſtes pariter ſpiritus ij, qui ſanctam hic alloquuntur animam, poſt exactiſsimam eiuſdem humanitatis Chriſti deſcriptionem, quam ſub ferculi, ac lecti geſtatorij metaphora in præcedentibus proſecuti ſunt, Maieſtatem eius, qui in tam magnifico ferculo recli nauit, exprimere contendentes, quicquid de ea dici poſſet, modicis hiſce explicant verbis: *Media charitate conſtrauit, propter filias Ieruſalem*: charitatis nomine diuinitatem deſignantes, qua nihil poteſt eſſe præſtantius.

Porro nomen iſtud charitatis adeo excellenter inhabitantem in humanitate explicat diuinitatem, vt haud aliud inuenire liceat nomen, quo efficacius eius exprimatur magnificentia. Ecquid enim magnificentius in Deo excogitari poteſt, quam communicatio ſui ipſius? hoc vero per charitatem factum nouimus. Præclare autem ad charitatis nomen hoc loco additum eſt: *Propter filias Ieruſalem*; vt intelligeremus, in eo in primis Deum hominibus manifeſtaſſe magnificentiam ſuam, quod propter illos charitatem ſeſe exhibuit, humanitati communicans diuinitatem, atque etiam, vt agnoſceremus, illos ad eius dilectionem ex hoc ipſo promoueri, quod ipſe ſe eis exhibuit charitatem. Et quidem, quod per hanc communicationem Deus hominibus maximum præſtiterit charitatis ſpecimen, quodve ob iſtam ipſam adeo præſtantem Charitatis exhibitionem charitatis nomen apud homines ſit ſortitus, teſtis eſt Ioannes dilectus Chriſti diſcipulus: is enim in ſua prima canonica, *a In hoc*, inquit, *apparuit charitas Dei in nobis; quoniam filium ſuum vnigenitum miſit Deus in mundum, vt viuamus per eum*: Tum in eodem cap. quarto, ex hoc, quod tam eximia Dei charitas ab hominibus agnoſcitur, infert, Deum eſſe charitatem ob id in primis, quod hominibus ſeſe communicat, dicens: *b Et nos cognouimus, & credidimus charitati, quam habet Deus in nobis. Deus charitas eſt.* Quod autem idcirco idemmet Deus hoc pacto ſe charitatem exhibuerit, vt homines id agnoſcentes ad eius allicerentur dilectionem, teſtatur idem Ioannes per ea, quibus ait: *c Qui non diligit, non nouit Deum: quoniam Deus charitas eſt*: ſubiiciens, quæ ſupra retuli: *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam*, &c. ſenſus igitur iſtorum verborum, *Media charitate conſtrauit*, &c. hic eſt, ſecundum primam hanc ferculi acceptionem.

Charitatis nomen apud homines vnde ſortitus ſit Deus.

a 1. Ioan. 4. 9.

b 1. Ioan. 4. 16.

c 1. Ioan. 4. 16.

Media tam magnifici ferculi humanitatis ſua ipſius

Paraphraſis.

sius ornauit, cooperuit, atque impleuit charitate: in eius medio vt in proprio throno ipsemet resedit vt Deus, charitatem sese exhibens propter homines, in eo ipso, quod diuinitatem suam hominibus communicauit, iungens illam cum humana natura: vt saltem per hoc ad sui dilectionem filias alliceret Ierusalem, & animas illas, quæ talem agnoscerent charitatem, quæve eius speculatores factæ essent, quatenus in medio huius ferculi resideret vt charitas.

In igne charitatis Christus gloriam suam ostendit in ferculo humanitatis.

Quo autem magis filiæ Ierusalem ad istiusmodi speculationem promouerentur, in ignis specie, in medio ipsius humanitatis sese exhibuit: *d* sicut & Moysi sub eadem specie in medio rubi sese ostendit. Idcirco bene iuxta Hebraicam lectionem dicitur: *Medium eius combustum*, seu, *ardens charitate à filiabus Ierusalem*. Qua in re notandum, appositè declaratum esse, quo igne combustus is esset: quo igne arderet, dum in medio resideret ferculi humanitatis, amoris nimirum, & charitatis: Antiquitus enim cum in ignis specie sese exhibuit spectandum, ad terrorem ignem adhibuit, gloriamque suam in terribilitate sitam significauit, & in vindicta, qua instar ignis rebelles omnes consumeret: atque adeo de medio ignis locutus dicitur, quando legem dedit, aperteque Moyses ait: *e Dominus Deus tuus ignis consumens est, Deus æmulator*: At vero cum deferri voluit in ferculo humanitatis suæ: vt & gloriam item suam mundo clarius manifestaret, & nouam conderet legem, haudquaquam se exhibuit in igne consumente, sed in igne charitatis, indicans, nihil sibi esse charitate glorioſius gloriamve suam omnem apud homines sitam voluisse in charitate, quæ ignis ardentissimus sit, non consumens: cum tamen nō ardeat modo, sed & comburat combustione perfectiua: sic namque dicitur: *Medium eius combustum charitate*.

d Exod. 3. 2.

e Deut. 4. 24

Charitate nihil glorioſius habet Christus apud homines.

Quod si quis quærat curioſius, quodnam sit medium istud in ferculo humanitatis constitutum, quod tam profecto combustum sit isto igne charitatis erga homines: Vt dicam, quod sentio. Crediderim, dici posse non incongrue esse ipsam personam, & suppositum Verbi, quod medium dicatur in humanitate assumpta, quatenus in eo, quasi medio quodam duæ distinctissimæ inter se naturæ vnitæ sunt: Combustum autem dici istiusmodi medium charitate erga homines; quasi etsi tota Trinitas vt vnus Deus, sit Charitas, atque adeo ob id Pater dictus sit Charitas, quia misit filium suum, vt probatum est ex Epistola Ioannis; attamen Verbum istud ob id, quod ex Patris decreto carnem susceperit terminando humanitatem ad saluandos homines, & charitas est, charitate combustum, combustione hac aliquid insuper habens, terminationem nimirum illam: vt sensus sit.

Verbum diuinum quomodo mediū combustum in ferculo humanitatis.

Paraphrasis.

Rex pacificus filius Dei in constructione huius ferculi, & lectuli gestatorij humanitatis suæ, medium inter humanam, atque diuinam naturam suum exhibuit suppositum igne combustum charitatis erga filias Ierusalem, erga eos, qui adoptandi essent in filios Dei: propter hanc enim filiorum adoptionem combustum exhibuit suppositum suum, vt medium quidem in quo duæ illæ naturæ vnirentur; & vt terminum ad quem ipsa duarum naturarum vnio terminaretur. Natura quippe existens filius Dei, vt quoad fieri posset, filios adoptionis sibi faceret similes, ardentissima erga eos charitate combustum assumpsit carnem. Hæc, si charitatis nomen proprie sumatur pro amore.

32 *Alius sensus.*

Si autem idem nomen charitatis metonymice hic vsurpatum asseramus, pro rebus charis filiabus Ierusalem, pro gemmis, aliisve istiusmodi, quibus puellæ maxime delectantur, maximeque pelliciuntur, provt in prima expositione est explicatum; Dicendum, per hæc verba indicari, quibusnam rebus filias Ierusalem, siue Iudæos, siue quaslibet per has filias intelligas animas ad Ecclesiam pertinentes, ad suam humanitatem admirandam, atque ad se amandum pertraxerit Christus, postquam habitauit in nobis.

Conuersationem suam extrinsecam Christus ornauit præclaris verbis, & gestis.

Porro, cum mediorum appellatione cortinas illas iuxta hunc sensum significatas dixerim, quæ intermediæ sunt inter lectuli ascensum, ac reclinatorium, & quibus extrinsecus lectulus ipse circundatur; recte per media humanitatis Christi, ipsius externam intelligimus conuersationem, qua circundata quodammodo ea fuit humanitas, quamdiu Christus in mundo extitit. Hanc igitur conuersationem suam ornasse hic dicitur Salomon noster gemmis rebusve pretiosissimis, verbis nimirum, atque operibus adeo eximijs, vt nec pretio, nec fulgore, nec etiam virtute quibuslibet cederent gemmis, aut margaritis, ita vt per ea Iudæos quosque & quoslibet adstantes, ad humanitatem ipsam admirandam, & ad se pariter diligendum attraxerit, vnde apud Lucam dicitur: *a Et omnes testimonium illi dabant: & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius*. Et apud Matthæum post patratum miraculum quoddam reperimus dictum: *b Et miratæ sunt turbæ, dicentes: Numquam apparuit sic in Israel*: & propter ipsa eius opera secutam illum esse multitudinem copiosam legimus: *c* ita vt *omnis turba quæreret eum tangere, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes*: adeoque illius amore pelliciebantur filiæ illę Ierusalem, vt *d* in desertum quoque ipsum secutæ nullam suæ sustentationis rationem habuerint, totæ videlicet in eius charitatem absorptæ, quod illa eius verba testantur: *e Ecce, iam triduo sustinent me, nec habent, quod manducent*. Neque vero nouum est, vt & verba, & opera, quæ præclare, vel gesta, vel dicta sunt, instar margaritarum, ac lapidum pretiosissimorum habeantur: experimento enim comprobamus, nos sæpius pluris facere vnum amici verbum, vnumve eiusdem opus, quam si gemmæ quantumlibet pretiosæ nobis conferrentur: ex quo fit, vt pro audiendis huiuscemodi verbis, seu pro hisce spectandis actionibus, quodcunque missum faciamus negotium, etsi grauissimum id sit: id vero agimus idcirco, quia charissima ea nobis sunt; quia per ea ad loquentis, & operantis amorem allicimur. in libro Prouerbiorum de verbis viri sapientis dicitur: *f Est aurum, & multitudo gemmarum, vas autem pretiosum labia scientiæ*: id est verba Sapientis, quæ à labiis scientiæ proferuntur, inter omnem pretiosam supellectilem pretiosius vas, pretiosior supellex debent censeri: pretiosior, inquam, & auro, & multitudine gemmarum. Ac de verbis Salomonis nostri procedentis tamquam Sponsi, & instar solis de thalamo, & tabernaculo suo dicitur in Psalm. quod *desiderabilia* sint *super aurum & lapidem pretiosum multum*: de manibus quoque eiusdem, quibus tot insignia operatus est gesta, in hoc Cantico dictum reperiemus: *g Manus eius tornatiles, plenæ hyacinthis*, lapidibus videlicet pretiosis.

Conuersationem suam extrinsecam Christus ornauit præclaris verbis, & gestis.

a Luc. 4. 22

b Mat. 9. 33

c Luc. 6. 17.

d Marc. 8. 1.

e Marc. 8. 2.

Christi verba, ac gesta pretiosiora quibuslibet gemmis.

f Pro. 20. 15

Ps. 18. 11.

g Cant. 5. 14

33

Congruit autem perpulchre, quod hic appositum est, verbum *Constrauit*, ad explicandum singulare artificium, quo Dominus noster lapidibus hisce suam exornauit conuersationem: per hoc quippe innuitur, nil in eius conuersatione relictum vacuum, quod non aut verbis, aut operibus iis exornatum fuerit, quibus homines ad Dei charitatem allicerentur, ita vt tota ipsa eius conuersatio, quasi pauimentum quoddam constratum ad perpendiculum videretur, ex variis quidem gemmis, sed arctissime sibi inuicem connexis: ex verbis, & factis, quæ varias multiplicesve præ se ferunt virtutes, vniuersis tamen arctissimo charitatis glutine simul colligatis: quidquid enim is dicebat, quidquid operabatur, siue sanando ab infirmitatibus corporis, siue ieiunando, siue peregrinando; siue patiendo opprobria, & cruciatus; siue obediendo; siue prædicando; siue increpando; siue etiam orando, charitatis id omne erat; charitas, inquam, non erga Patrem duntaxat, sed & erga filias Ierusalem, erga homines, quibuscum versabatur. Idcirco apte quoque ad ornamentum istud significandum,

charitatis nomen appoſitum dixerim, quamquam metonymice non tam charitatem illud ſignificet, quam ea, quæ ad charitatem pertraherent, vt dictum eſt.

Secundus ſenſus princip.

Iuxta ſecundam ferculi acceptionem pro curru triumphali, atque pro cruce, in qua tanquam in proprio, ac magnificentiſſimo curru Regem Salomonem ac Chriſtum Dominum triumphaſſe oſtenſum eſt ſupra in ſecundo ſenſu tertiæ expoſitionis; dicendum, per hæc exigua verba: *Media charitate conſtrauit propter filias Ieruſalem:* immenſam deſignari Regis noſtri charitatem erga homines, in qua maxime ſuam palam fecit magnificentiam, cum triumphum in dicto ageret ferculo.

In cruce Chriſtus exhibuit maximum charitatis ſpecimen.

Per hoc quippe, quod charitas in medio Crucis reſediſſe dicitur, innuitur, in tanta vehementia charitatem in ipſa Cruce præſtitam, vt ſufficiens fuerit, Regem Salomonem Ieſum Chriſtum Filium Dei in ſuam quodammodo naturam conuertere: Hinc eſt, quod Apoſtolus Paulus hanc charitatem non magnam duntaxat ſeu etiam maximam appellat: ſed nimiam, vtpote quæ ordinarias omnes exceſſerit vires charitatis: Sic enim ait in Epiſtola ad Epheſios: *g Deus qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatẽ ſuam, qua dilexit nos, & cum eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Chriſto.*

g Epheſ. 2. 4.

Quo vero pacto iſta Domini conuerſio, ſeu transformatio à charitate hac nimia facta fuerit, & in charitatem illam præcipue, quæ eſt erga filias Ieruſalem, erga omnes homines, ſed in primis erga Iudæos, per lectionem Hebraici textus, quæ ſic habet: *Medium eius incenſum, ſeu combuſtum charitate à filiabus Ieruſalem:* ad viuum exprimitur iudicio meo.

Enimuero dum ardentis, ac combuſti vocabulo ille appellatur, vt eſt in ipſa Cruce, indicatur, id ei contigiſſe, quod vel ligno, vel alteri cuipiam materiæ contingere ſolet, cum igni approximata ardent & incenduntur.

Simile.

Porro in iis manifeſtam animaduertimus transformationem in ignem, quo incenſa ſint: Similem igitur in Salomone noſtro fateri debemus transformationem in charitatem, cum audimus, illum charitatis igne ardentem, atque combuſtum; ac ſicut lignum ardens, recte ignem appellamus, & vere: Ita & ipſum charitate inflammatum, charitatem recte nuncupabimus.

In cruce quare in ignem charitatis conuerſus dicatur Chriſt.

Ex hoc item ipſo, quod dicitur reſediſſe in medio ferculi iſtius combuſtus charitate propter filias Ieruſalem: colligere licet, & vnde factum ſit, vt iſtiuſmodi igne charitatis combuſtus fuerit; & quare in iſtum ignem fuerit trãsformatus: quia nimirum ſuper Crucem ſeſe Patri obtulit in holocauſtum, quod totum comburebatur.

Et quia non in oblationem ſimplicem ſeſe obtulit, ſed in oblationem pro peccato, & in holocauſtũ pro aduerſariis: inde factum eſt, vt haud dictus tantummodo ſit combuſtus charitate ſimplici, ſed charitate à filiabus Ieruſalem, ab animabus videlicet Ieroſolymitanis, & omnino à Iudæis, à quibus in Ciuitate Ieruſalem morti traditus eſt: ſeu etiam à quibuſcunque peccatoribus, & propter molliores quoſcunque, & effeminatos. In hoc ſiquidem magis, quam in vllo alio opere nimiam ſuam oſtendit charitatem: in hoc & illa combuſtum ſeſe exhibuit: vnde Ioannes, *a In hoc*, inquit, *eſt charitas*, id eſt, ſi vultis ſcire, quanã in re Chriſtus vt Deus, atque etiam vt homo charitas extiterit propter homines, ſcitote: in hoc ipſo eſſe charitatem, *non quaſi nos dilexerimus Deum: ſed quoniam ipſe prior dilexit nos, & miſit filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris.* Quod ergo hic dicitur, tale eſt.

a 1. Ioan. 4. 10.

Paraphraſis.

Media ipſius Crucis ſemetipſo *conſtrauit*, in medio illius, vt in magnificentiſſimo reclinatorio ſuum reclinans corpus, combuſtum illud quidem charitate erga Iudeos, & infirmos, & peccatores quoſque, combuſtus & ipſe eadem charitate: atque adeo ſub huiuſcemodi charitatis ſpecie charitatem ſeſe exhibuit *pro-*

pter filias Ieruſalem, pro illis mortem tolerãs: vt vel hoc pacto illas quoque eodem charitatis igne calefaceret, vel etiam incenderet, ſi ad ipſum appropinquaret, vel ſi ipſum ad ſe appropinquare permiſerint.

34

Alius ſenſus.

Si ſubtilius Hebraicam lectionem perpendere velimus, colligemus fortaſſe particularius, vnde hic ignis charitatis eruperit, quo totum Chriſti corpus cõbuſtum eſt: & vnde etiam à nobis ſit idem ignis eruẽdus, atque ſuſcipiendus; quo & ipſi eodem comburamur, Chriſtum admittentes amore triumphantem in nobis illive per amorem pariter ſimiles effecti. Cum enim Hebraica vox רַעוּף ratſuph, & pro genere maſculino accipi queat, & pro genere neutro: ſi pro maſculino ſumatur, ad Regem Salomonem refertur, vt ſupra explicatum eſt: at vero ſi accipiatur pro neutro, ad medium ipſum referendum eſt, ad quod & ab Hebræorum Doctoribus communi cõſenſu refertur. Porro, ſi inquiramus medium ferculi deferentis Chriſtum in ſe reclinantem, & triumphantem, haud aliud ſane id eſſe reperiemus, quam cor ipſiuſmet Chriſti: ſicut enim cor fons eſt caloris omnis vitalis in homine quolibet: Ita haud dubitandum in eodem corde eſſe fontem æſtuum amoris omnis: atqui quemadmodum quando cor alicuius viuentis ſit nimis ardens ob nimium vitalis caloris æſtum, neceſſe eſt, & cor ipſum comburi, & viuentem illum æſtibus pariter cõcrematum animam emittere: Ita cum charitas nimia (ſic enim appellat illam Apoſtolus) circa Chriſti præcordia arſerit, neceſſario & ipſum eius cor fuit combuſtum huiuſcemodi igne charitatis; & propter eiuſdem charitatis ignem ardentem in medio cordis ſui Chriſtus ipſa charitate combuſtus totus mortem obiuit. Quod autem cor eius combuſtum fuerit, indicat manifeſte ſanguis ille cum aqua mixtus; ſic namque ait Ioannes: *b Vnus militum latus eius lancea perforauit, & continuo exiuit ſanguis, & aqua*: dicens quippe; continuo exiuit ſanguis, & aqua; innuit, iam fuiſſe præparatam antea dictam materiam ſanguinis, & aquæ ex præcedenti ipſius cordis combuſtione tam vehementi, vt per eam humidum omne ex illo expulſum ſit. Bene ergo dicitur: *Medium eius combuſtum, & ardens charitate à filiabus Ieruſalem*, & propter filias Ieruſalem: vt ſcilicet animæ illæ, quæ filiæ eſſent cæleſtis Ieruſalem, quæ ad cæleſtem Ieruſalem deſtinatæ eſſent, ex tam ardenti corde calorem eiuſdem hauirent charitatis. Vnde optima ratione, ſummaque Dei prouidentia factum eſt, vt medium iſtud tam magnifici ferculi Salomonis noſtri aperiretur per extremum vulnus lateris: vt ignis ille, qui Regem noſtrum totum combuſſerat, ad nos prorumperet ex corde illius, fieretque fornax in loco medio, ad quem omnibus poſſet eſſe aditus facilis. Sicut autem in fornace ardenti ea, quæ mollia ſunt, obdureſcunt, vt videre eſt in vaſis fictilibus, & vitreis; & è veſtigio ea quæ duriora ſunt, emolleſcunt, vt contingit in ferro, in metallis, atque in lapidibus. Ita & hæc, quæ in medio crucifixi aperta eſt fornax, per ignem charitatis conſolidat in bono eos, qui molles, infirmi, ac puſillanimes extiterint; & per eamdem charitatis flammam illos deprimit, qui ſuperbo fuerint corde: eoſve flexibiles facit ad bona, qui iam obduruerint in peccatis. Quomodocunque igitur res noſtræ ſe habeant, ad hanc accurramus mente, in ipſa excoquamur, quoadusque charitatis ignem in nos immiſſum ſentiamus: & inſtar calcis, quæ calorem, & ignem in ſe ſuſceptum intra fornacem, conſeruat etiam extra fornacem; intra hanc ſacratiſſimam fornacem ſacri vulneris mente introeuntes & cogitatione, ſancto accendamur igne charitatis: ſeruemuſque eumdem ignem ſemper in corde noſtro latentem: atque cum in nos irruerint aquæ tribulationum, inſtar feruentis item calcis, proximis quoque noſtris eius, quam intus habemus, ſigna exhibere nitamur, charitatis ſpiritu feruentes, in tribulatione patientes, ac Domino ſeruientes: ſic experimento comprobabimus, quam vere dictum id ſit: *Medium*

Simile.

Cor Chriſti quod fuerit combuſtum igne charitatis, vnde colligatur.

b Ioan. 19. 34.

Cor Chriſti fornax ardentiſſima.

Simile.

eius,

eius, ſcilicet Crucis, *combuſtum*, ſeu, *ardens*, ſcilicet fecit, *charitate propter filias Ieruſalem.*

Si charitatis nomen metonymice ſumatur pro rebus charis filiabus Ieruſalem, & quæ ad ferculum Crucis contemplandum, Chriſtumque Regem Salomonem, qui in eo triumphat, diligendum, ardentius pias alliciunt animas, quæ filiæ Ieruſalem dicuntur, quia cæleſtem Ieruſalem, internamque, & externam præ omnibus proſequuntur pacem: eo
35 modo, quo & filij huius ſęculi, & filij Belial, ſeu iniquitatis ij dicuntur in ſacris litteris, qui vel hoc ſæculum, vel iniquitatem diligunt: Per huiuſcemodi ornamenta, ac per iſtas res charas filiabus hiſce intelligenda mihi videntur ſanctiſſima illa cicatricum ſtigmata, quæ in crucifixi Domini noſtri corpore apparent; eaque in primis, quæ in mediis manibus, pedibuſve illius conſpiciuntur; necnon & illud, quod in medio eſt corde: atque adeo congruenter à noſtro Interprete pluraliter verſum credidit: *Media charitate conſtrauit*; Mediorum nomine cuiuſque partis, ac lateris ſanctæ Crucis medium ſignificans, quorum videlicet ſingula charitate conſtrata ſint, ſuaque gemma exornata: quanquam iſtud ipſum ſignificetur etiam, ſi in ſingulari, *Medium eius*, legatur, vt eſt in Hebræo: ſi medij appellatione Chriſti corpus ſignatum ſumpſerimus, quod in medio Crucis confixum videtur, & in eiuſdem Crucis reclinatorio extenſum. Æque eſt igitur, ac ſi dicatur.

Alius ſenſus.

Crux Chriſti exornata ſacris vulneribus Chriſti tanquam gemmis pretioſiſſimis.

Idemmet Rex Salomon, reclinans in hoc adeo magnifico crucis ſuæ curru, pulcherrimis vulnerum ſuorum cicatricibus illum exornauit, in medio cuiuſlibet partis illius proprium conſtituens ſtigma, in mediis manibus ſuis, in pedibus, ac demum in corde item ſuo: conſtrauit autem omnia iſta crucis media vulneribus hiſce, quæ noſſet animabus pijs chariſſima futura multoque glorioſiora, quam gemmæ quælibet; ita vt per illa ad Crucis contemplationem eæ alliciendę forent, necnon & ad ardentiſſimam triumphantis in Cruce dilectionem.

Paraphraſis.

Quod ſacratiſsima Chriſti vulnera gemmis omnibus ſplendidiora ſint: quodve iiſdem quam maxime Crux exornetur, & Chriſti corpus, colligi hinc facile poteſt, quod Saluator noſter etiam poſt reſurrectionem ſuam ad eximium glorioſi corporis ornatum retinere ea voluit, reſeruabitque in perpetuum eorum cicatrices: atque adeo tamquam præfulgidos, ac pretioſiſsimos carbunculos diſcipulis ſuis eas ab ipſo oſtenſas legimus in Euangelio *a*. Certe Hieronymus, inſtar pulcherrimarum cælaturarum huiuſmodi vulnera à Deo cælata inquit, in Chriſti corpore, confirmatque id ex iis verbis apud Zachariam: *b ſuper lapidem vnum ſeptem oculi ſunt. Ecce ego cælabo ſculpturam eius.*

Vulnera Chriſti quibuſlibet gemmis pulchriora, & glorioſiora.

a Ioan. 20. 20. Hier. in Zachariam.

b Zac 3. 9.

Quod autem eadem ſacratiſsima vulnera piis animabus præ omnibus aliis rebus grata ſint, atque chara, ita vt propterea charitatis nomen eis congruat, minime dubitandum, cum ex illis diuites ſe factas agnouerint, opulentiſsimum ſanguinis Ieſu Chriſti theſaurum per illa adeptæ, iuxta illud Apoſtoli: *c In Chriſto habemus redemptionem per ſanguinem eius, remiſsionem peccatorum ſecundum diuitias gratiæ eius, quæ ſuperabundauit in nobis*: Ex illis tantos diuinarum conſolationum latices hauriant iuxta illud Iſaiæ: *d Hauritis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris*: vt in eorum contemplatione nunquam laſſeſcant, exſaturentur nunquam: Ex illis denique contra vitiorum omnium morbos medicamenta ſuſcipiunt, quemadmodum *e* contra vnam incredulitatis ægritudinem aptiſſimum ex iiſdem medicamen ſumpſiſſe recolunt Thomam Apoſtolum. Quamquam & ob id quoque eadem Crucis media Salomon noſter ſuis exornauit vulneribus: quia à filiabus Ieruſalem diligeretur: vt videlicet piæ illæ animæ, quæ eius amore flagrarent, in media ipſa crucis oculos conicientes, per

Vulnera Chriſti animabus piis præ omnib. rebus chara, ita vt propter ea dicatur charitas.

c Eph. 1. 7.

d Iſa. 12. 3.

e Ioan. 20. 28.

A vulnera illa ſacratiſſima, quæ in eis tamquam fulgentiſſimas gemmas conſpicerent, ad Regem, ſponſumque ſuum amandum incenderentur magis ac magis.

Iuxta tertiam ferculi acceptionem pro geſtamine pompatico, quod ante triumphantem Imperatorem deferri ſolitum erat, vt declaratum eſt in prima expoſitione verſ. 9. ſenſu tertio; Dicendum, totam hanc iſtiuſmodi ferculi deſcriptionem à ſanctis iis ſpiritibus, quos hic loqui diximus, factam; vt piæ animæ ſignificarent, Chriſtum Dominum ad deuotos quoſque venire triumphantem: quave ratione ille huiuſcemodi agat triumphum, præmittens nimirum ante ſe magnificentiſsimum iſtud geſtamen pompaticum, in quo pro pompa deferatur ſimulacrum charitatis erga filias Ieruſalem, erga homines quoſque, ſed eos præcipue qui ad Eccleſiaſticam, vel cæleſtem Ieruſalem ſpectent. Vel propter filias Ieruſalem, vt ſcilicet ſimulacrum illud, pompamque admirarentur, & complecterentur.

36 Tertius ſenſus princip.

Pro iſtius ſenſus intelligentia, notandum primo, ferculum iſtud, ac geſtamen pompaticum haud aliud eſſe, quam ipſam Chriſti crucem, prout ſupra tactum eſt in fine tertiæ expoſitionis præcedentium verborum. Neque vero operæ pretium eſt, vt ſingulas eius partes, quæ deſcriptæ ſunt in littera, columnas argēteas, reclinatorium aureum, aſcenſumve purpureum iterum explicemus; congruunt enim & huic ſenſui iſti, quæ ſuperius allatæ ſunt ſingulorum explicationes. Vide expoſitionem tertiam iam citatam in declaratione ſenſus ſecundi. Quæ hic deſcribitur pompa, qua in dicto ferculo deferri voluit Salomon, exponenda tantummodo ſupereſt: Hæc autem eſt charitas propter filias Ieruſalem.

Crux geſtamen pompaticum Chriſti.

Notandum eſt igitur ſecundo; Charitatem pro pompa ſua ante ſe præmittere Chriſtum Dominum, charitatem, inquam, ſuam erga homines, quia charitatem in hominibus ſuſcitare contendit per cognitionem eiuſdem charitatis ſuæ, per quam ipſe vna cum Patre in eorum animas triumphans ingreditur, iuxta illud: *f Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum; & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.*

Charitatem pro pompa ſua ante ſe præmittit Chriſtus cum in animam triumphans ingreditur.

f Ioann. 4. 23.

Porro cum charitas iſta Chriſti tam immenſa ſit, vt omnem noſtram ſuperet cognitionem, ita vt propterea Apoſtolus, *g* ὑπερβάλλουσαν τῆς γνώσεως, id eſt, maiorem, quam quæ virtute humana cognoſci poſſit, eam pronuntiet in Epiſtola ad Epheſios, quo Salomon noſter aliquid eius notitiæ nobis ingereret, per viſibile quodpiam illius ſimulacrum in excelſo Crucis ferculo eam in omnibus facit conſpicuam.

g Eph. 3. 19.

Notandum tertio, id quod pro iſtiuſmodi charitatis ſimulacro erectum eſt, eſſe corpus illud exangue, in quo habitabat plenitudo diuinitatis corporaliter, quod in medio Crucis reclinans apparet: Seu ardentiſſima fornax, quæ in eiuſdem corporis latere flagrans aperta eſt; & combuſtum cor exanimis Salomonis, propter quod deſignandum Hebraicum textum ver. i poſſe dixi: *Medium eius ardens*, ſcilicet, fornax, ſeu, *combuſtum*, ſcilicet cor. Neque vero abs re factum eſt, vt corpus illud exanime, ſeu ignem illum cordi ſuo inditum propoſuerit pro ſimulacro charitatis ſuæ: Nam ignem quidem illum flagrantiſſimum adhibuit, cum noſſet, ignem communi omnium conſenſu pro amoris ſimulacro vſurpari ſolitum: corpore autem ipſo ad hoc item vſus eſt, corpore, inquam, ſuo & exanimi; quia in ipſo maxime emineret exceſsiua eius charitatis vis: vtpote quod pro charitate morti ſubiectum fuit. Congruenter etiam pro eiuſdem charitatis ſimulacro corpus mortuum, & reclinās in medio Crucis ab eodem propoſitum eſt, vt perſuaſos nos faceret, quidnam per charitatem in nobis fieri vellet, nimirum: vt per id in nobis operaretur mortem carnis, & paſsionum, & veteris hominis: vtve nos faceret reclinantes ſuper cruce ſua; ita vt iam non viuamus

Corpus Chriſti exanime pendens in cruce eſt ſimulacrum charitatis.

Idem eſt ac cor eiuſdem combuſtum.

in nobismetipsis, nec in nobis confidentes simus, sed in ipso, qui per Crucem saluos nos fecit. A

Charitatem Christus in cruce detulit pro pompa instar opimorum spoliorum

Notandum quarto, charitatem pro pompa in ferculo Crucis à Christo euectam, idque in corpore suo instar opimorum spoliorum, quæ de victoria reportauit, cum primum triumphum ageret. Enimuero in crucem suspensus propter charitatem, amorem omnẽ creatarum rerum ad se rapuit, provt pollicitus est, cum dixit: *a Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum*: hominum enim corda, quæ creaturis addicta erant, easdemque amabant pro creatore, exaltato charitatis simulacro, corpore illo suo ad se traxit in funiculis Adam, & in vinculis charitatis.

a Io.12.32.

Charitas in ferculo crucis euecta in gloriosissimũ titulum Christi. Suetonius in vita Cæsaris

Notandum quinto, In titulum quoque gloriosissimum charitatem in corpore item suo ab eodem Salomone nostro supra ferculum Crucis subiectam, titulum sane multo gloriosiorem eo, quem Suetonius, Cæsarem triumphantem erexisse, & ante se detulisse, refert: Veni, vidi, vici: In sacratissimo etenim corpore illo, qui descriptionem vulnerum legere nouerit, titulum istiusmodi leget. Veni, occubui, vici. Veni, & in mundum, & in Crucem: occubui mortis somno prægrauatus: ac per mortem vici mortem ipsam, & Principem huius mundi: Eaque omnia haud aliis armis, haud aliis obtinui exercitibus, quam armis, & exercitibus charitatis: Veni propter charitatem: occubui, charitate me interficiente: vici per charitatem. B C

37

Charitas in ferculo crucis delata tanquam præstantissimum Dei simulacrum.

Charitas quodammodo Deus Dei.

Notandum sexto, eandem charitatem à Christo delatam in pompam, quasi ea extiterit Dei sui simulacrum, quod sibi venerandum esset, quodve & spectantibus omnibus venerandum proponeret. Enimuero, si dici de Deo liceret, quod aliquem haberet Deum, quem veneraretur, charitatem illum esse, dicere necesse esset; charitatem, inquam, non modo illam, qua Deus diligit semetipsum; verum etiam illam, qua nos prosequitur opus manuum suarum; Deus etenim Dei haud alius esse potest, quam ipsemet Deus, & charitas, qua Deus se diligit, in qua beatus est, & quam ita veneratur, vt propter eam iugiter seipsum communicet, haud aliud est, quam diuina eius essentia. D

Charitas Dei in homines à Deo adæquatur essentiæ suæ.

Porro, cum ipsum non pigeat, & charitatem erga homines eidem suæ ipsius essentiæ comparare, & adæquare: cumque charitatis in homines tantam quodammodo habeat rationem, quantam habet & essentię suæ, inferri non inepte potest, & ipsam charitatem erga homines ita dici posse Deum quodammodo Dei, provt & de eius dicere licet essentia.

b Exod.3.13.

Quod autem, qui immensus, & infinitus est Deus, essentiæ suæ aliquando adæquarit charitatem etiam illam, qua homines prosequitur, ex libro Exodi colligere fas est, vbi interrogatus à Moyse, quodnam esset nomen ipsius, Respondit *b Ego sum, qui sum: sic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos*: designans essentiam suam, per quam est ipsum esse: & à qua nomen potissimum sumit. Post istud vero nomen, quod à sua habet essentia, subiicit illico alterum, quod à charitate in homines accipit, dicens: *Hæc dices filiis Israel: Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob misit me ad vos: hoc nomen mihi est in æternum: & hoc memoriale meum in generatione, & generationem*: Quibus profectò vltimis verbis, cum æternitatem tribuat huic nomini, quam certe æternitatem habet solummodo eius essentia, quis non videat, ipsi essentiæ hanc adæquatam ab eo charitatem? Quod etiam in 4. lib. Regum ad Regem Ezechiam ait: *c Protegam vrbem istam propter me, & propter Dauid seruum meum*: idipsum confirmat; quippe qui charitatem erga Dauid sibimetipsi adæquat: ita vt dicere videatur: Sicut protegere satago vrbem istam ob venerationem, quam mihimet defero: ita & propter rationem, quam habeo charitatis meæ erga Dauid seruum meum, protegam illam temporibus istis tuis. E

c 4.Reg.20.6. F

Neque vero magnum quid aut paradoxum videri id debet, vt Deus tanti faciat suam erga homines charitatem, quanti essentiam suam ipsam: cum certum apud Theologos sit, vnum eundemque actum in illo esse, & quo diligit se ipsum, & quo diligit homines: & vnam eandemque esse charitatem in se, & charitatem in homines, atque essentiam eius: Si enim homines diligit, haud propter ipsos eos diligit, sed propter semetipsum, ita vt charitas quoque ea, qua homines prosequitur, ad ipsiusmet spectet charitatem. Vnde cum puerum Salomonem hac charitate se prosequi, vniuerso Orbi notum esse vellet, legauit Nathan Prophetam ad Dauid eius patrem, qui hoc ei nomen imponeret, *d Dilectus Domini*: seu, *Amabilis Domino*: statimque amorem istum ad sui ipsius retulit charitatem: Sic enim dicitur in textu Hebræo, & in versione Sept. *Misitque in manu Nathan Prophetæ, & vocauit eum Iedidia*, id est Dilectum Domini, *propter Dominum*, id est propter charitatem, qua seipsum diligit Dominus: nempe, non solum, quia Deus dilexisset eu, sed quia diligeret semetipsum, in cuius gloriam redũdabat, quod puer ille tam amabilis sibi esset. Hinc est, quod & Dominum Iesum, quando aliquid magni paturus erat, in quo ingentem suam erga homines ostenderet charitatem, ad cœlum, atque ad Patrem oculos subleuare solitum legimus, eidemque gratias agere, vt in *e* sanatione surdi, & muti *inter medios fines Decapoleos*: *f* in multiplicatione quinque panum indeserto: *g* in resuscitatione Lazari: ac demum *h* in summo omnium istius charitatis indicio, in institutione Sanctissimi Sacramenti corporis, & sanguinis sui: quo videlicet per istiusmodi signum externũ certiores nos faceret de eo, quod intrinsecus faciebat, referens illam ipsam charitatem, propter quam ea nobis conferebat, ad charitatem Patris. Quinimo & passionem, ac mortem ob eandem rationem propter Patrem pertulisse se ait in Psalm. dicens: *i Quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam*: cum tamen certissime constet, ob nimiam charitatem, qua dilexit nos, ea omnia subiisse. Ex his omnibus patet, quam congrue ad hoc etiam charitatem erga homines in suo triumpho detulerit pro pompa; vt notum fieret, etiam à Deo reuerentiam exhiberi huic charitati, ac si illa quodammodo esset Deus ipsius.

Charitas in ferculo crucis delata tanquam præstantissimum Dei simulacrum.

Charitas Dei in creaturas nititur charitati Dei erga seipsum.

d 2.Reg.12.25.

Christus cui oculos ad patrem leuaret in præcipuis operibus.

e Luc.e 7.34
f Ioan. 6.11
g Io.11.41.
h Mat.26.26.

Neque dedecet id, quod à Rege nostro assumptum est simulacrum pro huiuscemodi Deo (vt ita dicam) Dei, corpus exanime pendens è cruce: nam re vera eo sensu, quo dictum est, Deus & huic dictæ charitatis simulacro, huic sacratissimo corpori tantam (si ita dicere fas est) exhibet reuerentiam, vt nil sit, quod per illius intuitum non sit facturus; ita vt propterea fortassis de Christo in Cruce pendente *k exauditum eum à Patre pro sua reuerentia* dicat Apostolus, id est, ob eam reuerentiam, & venerationem, qua ipse dignus erat, vt recte exponit Chrysostomus super dictum locum. Quod si simulacrum istud charitatis dignum est, quod & Deus veneretur, quanto magis ab hominibus ipsis venerandum id est? quamve congruenter in pompam à Rege nostro Salomone super pompatico gestamine Crucis ante se præmitti dicitur, quo & corpus illud, & charitatem, cuius id est simulacrum, & denique in hisce ambobus ipsummet Regem nostrum veneremur vt redemptorem, adoremus vt Deum. Dum ergo dicitur: *Media charitate constrauit propter filias Ierusalem*: Æque est ac si dicatur.

38

Corpus Christi pendens è cruce tale est charitatis simulacrum, vt eo Deus quoque illud quodammodo venerari dicatur.

i Psa.68.8.

k Heb.5.7. Ioa.Chryso. Hom 8.in epi.ad Heb.

In medio Crucis, quam sibi pro ferculo construxit, & pro suo pompatico gestamine Christus, haud aliud pro pompa sibi triumphanti voluit deferri, quã charitatem propter filias Ierusalem, & propter homines: corpus namque suum in dicto medio erexit exanime, & reclinans, quod aptissimum esset simulacrum eius charitatis; hanc autem sibi præmisit pompam; tum quia ea charitas sibi esset instar opulentissimorum spoliorum: tum quia eiusdem charitatis simulacrum gloriosissimum sibi præseferret titulum: tum denique quia charitatem istam sibi venerandam elegisset, eo modo, quo ipsum eam venerari fas esset.

Paraphrasis.

Si

Alius sensus.

Si Hebraicam lectionem vertamus: *Medium eius ardens, charitatem à filiabus Ierusalē*: provt verti posse ostensum est supra: Sensus erit: pro pompa in crucis medio, in medio præcordiorum suorum Christum Dominum præferre ardentem ignem, charitatis simulacrum, exposcens charitatem ab animabus pijs: charitatem à filiabus Ierusalem amplexandam proponens: vt videlicet per huiusce modi pompam, quam ipse gestaret triumphans, piæ quæque animæ intelligerent, charitatem ab ipsis etiam complectendam, per quam de vitiis omnibus victoriam reuehere possent. Sicut & per illam Rex ipse suus victoriam de vniuersis retulit hostibus: quamve ideo pro pompa maxime omniū præstanti ille in suum detulit triumphū. Porro, quod charitate omnia à nobis facile superanda sint vitia, & ipsum eius indicat simulacrum: ignis, inquam, cui vix quidquam reperitur, quod resistere valeat super terram; & per Apostoli dictum confirmari potest. Paulus enim in Epistola prima ad Corinthios laudes enumerans ipsius charitatis, inquit: *a Charitas patiens est, benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet*: Catalogum sane facit vitiorum, quæ per charitatem superantur, & victoriarum, quas per illam consequi cuique liceat: Qua enim ratione patiens dicitur, benigna, non æmulans, & quæ sequuntur, nisi quia ipsa est, per quam impatientia omnis abigitur, omnis inhumanitas, omnis æmulatio, malitia omnis, omnisque superbia, ambitio, & quæcunque sunt istiusmodi?

Per charitatis pompam, quam Christus proponit in Cruce, charitatem à nobis amplexandam indicat.

Charitate omnia vitia superantur.

a 1. Cor. 13. 4.

Ex Vers. X. cap. III. *Media charitate constrauit propter filias Ierusalem.*

Expositio IV.

De tertia Sponsa, quæ est Beata Virgo Maria.

39

QVi descriptum Salomonis ferculū glorioſam Dei genitricem Mariam asseuerant, media illius dici inquiunt charitate constrata, vel quia Virgo benedicta charitate quam maxima cor suum exornatum habuerit, ita vt propterea præclaro illo encomio ab Angelo appellata sit: b *Gratia plena*; Vel quia de Spiritu sancto concepit in vtero: c Et Spiritus sanctus, qui charitas, & amor est, superuenit in illam, iuxta eiusdem Angeli promissionem: & hi, quod dicitur: *Propter filias Ierusalem*: ad totam ferculi descriptionem referentes, Virginem ipsam tam glorioſam in tam magnificum ferculum à Deo conditam, tantisque gratiarum prærogatiuis exornatam affirmant propter pias illas animas, quæ ad cœlestem spectant Ierusalem.

Mariæ cor constratum charitate, ideo ipsa gratia plena dicta est.

b Luc. 1. 28

c Luc. 1. 35.

Mariæ media constrata charitate, quia de Spiritu sancto concepit in vtero suo.

Sunt qui per media ferculi eamdem existiment significatam Virginem, quæ cum mediatrix sit inter Christum, & Ecclesiam, charitate propter filias Ierusalem constrata dicatur, quatenus fidelium commodis semper incumbit: sicut & Christus ipse mediator Dei, & hominum.

Maria mediatrix inter Christum & Ecclesiā constrata charitate.

Mihi illorum expositio magis arridet, qui media dictæ Virginis charitate constrata dici affirmant, quatenus Christus Rex Salomon in medio vteri illius carne indutus resedit, qui charitatis nomine appellatus sit ob diuinitatem, quam vna cum humana natura intra illud medium in vno iunxit suppositō: Deus enim charitas est, & diuinitas charitas est. Quod expressius significatur per illam Hebraici textus versionem, quæ sic habet: *Medium eius combustum charitate ex filiabus Ierusalem*: Secundum quam appellatione combusti, & incensi charitate designatur tota vnio hypostatica humanitatis cum Verbo, & certe similitudine, qua nulla congruentior reperiri potest: hac ipsa namque sancti Patres, & Theologi omnes, vt quæ magis apta sit ad tantum mysterium explicandum, vtuntur, cum inquiunt, ita diuinitati esse vnitam humanitatem, vt carboni ignis vnitus est, cum carbo est ignitus, & incensus, & vt ferrum igni est vnitum, cum candens est: vbi ferrum, & carbo distinguuntur quidem ab igne, ita vt ignis natura non mutetur in ferrum, nec ferri natura in ignem: sic tamen vniuntur, vt nulla pars ferri, aut carbonis sit, quæ non sit ignita. Iuxta hunc igitur sensum, quod hic dicitur, tale est.

Simile.

Hoc sibi constructo ferculo, hac sibi condita Virgine glorioſissima, Christus Rex pacificus in medio vteri ipsius naturam assumpsit humanam, constrauitque, & exornauit eam admirabili illa sua vnione hypostatica, ventrem illum implens semetipso, igne charitatis, atque diuinitatis incenso: idque, vt ad sui dilectionem filias Ierusalē, & animas quasque per istiusmodi charitatem alliceret, incenderetque per ignem, quo ipse combustus esset.

Paraphrasis.

Ex Maria incarnatum est Verbum, quia eam vnam dilexit ex omnibus.

Vel iuxta Hebræorum expositionem illam, qua id, quod vltimo dicitur: *Ex filiabus Ierusalem*; accipitur pro, in vnam ex filiabus Hierusalem: ingens Christi amor per hęc significatur, quo benedictam Virginem prosecutus est, ob quem in eius vtero concipi voluit: vt sensus sit.

Medium eius ferculi tenuit ipsemet Salomon incensus charitate in Virginem istam vnam ex filiabus Ierusalem; ob cuius vnius amorem carnem sumpsit ex ipsa, & in ipsa.

Paraphrasis.

Sed quamuis non incongrue hæc dicantur: quia tamen superius ostensum est, acceptionem istam ferculi Salomonis pro B. Virgine haud esse consonam consequentiæ litteræ, secundum quam ad Virginem ipsam dictum ostenditur ferculum, ad illudve eadem inuitatur: Prosequētes expositionem cœptam in præcedentibus, qua pro ferculo, & lectulo gestatorio, quod sibi construxisse dicitur Christus, pacem assequens mundo, sacrosanctum sumpsimus Præsepe illud, in quo is nasci dignatus est, & in quod reclinatum eum legimus, statim ac natus est: Dicendum per hæc verba: *Media charitate constrauit*, istud ipsum significari, quod in medio illius reclinatus est, quodve media eiusdem, reclinatorium videlicet, suo constrauerit corpusculo; exornaueritque ferculum illud totum semetipso, qui charitas, & amor alias esset, verum se exhibens simulacrum charitatis, vt vel hoc pacto filias Ierusalem, Iudæos, seu etiam pias quasque animas ad sui pelliceret dilectionem.

40

In præsepis medio reclinatus Christus, id exornauit suo corpusculo simulacro charitatis

Circa hunc autem sensum, id nobis probandum est: Qua ratione Christus Dominus, qui quatenus Deus ab æterno extitit charitas substantialis, carne indutus, & in Præsepio reclinatus ita factus sit charitatis simulacrum; vt propterea nomen ipsum sortitus sit charitatis: Id autem facile probari potest ex similitudine, quam ille habet cum eo amoris simulacro, quod ab antiquis Philosophis picturæ, aut sculpturæ traditum est: quamquam id falso ab ignorantibus pro Deo amoris coleretur. Erat quippe illud istiusmodi: effigiem habens pueruli: cœcum, non quia oculos nō haberet, sed vitta illos opertos habens: alatum, pharetramque gestans, atque sagittas. Porro si amor puerulus est, ob id, quod instar pueruli blandiatur. En Christum in Præsepio infantem exhibitum, iuxta antiquissimum illud Isaiæ vaticinium: a *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis*: Nobis, qui filiæ Ierusalem sumus, natus est paruulus, vt nobis blanditijs blādiatur amoris, provt pollicitus est per eumdem Prophetam, dicens: b *Quomodo si cui blandiatur mater, ita ego cōsolabor vos, & in Ierusalem consolabimini*. Si cœcus puer ille antiquitus effingebatur, non quod oculos non haberet amor, qui maxime oculatus esset, sed quia vitta illos opertos teneat, quatenus, etsi oculatissimus alioquin sit, in ijs tamen inspiciendis, quæ ad amatum spectant, violentia, & impetu suo, quasi vitta quadam cœcum reddit amantem, vt non videat miserias, pericula, & expensas, quibus se subijcit, quæve subire opus est propter amatum: Paruulus quoque iste, qui natus est nobis,

Amoris simulacrum Christus in præsepio reclinatus.

a Isa. 9. 11.

b Isa. 66. 13.

Chriſtus in præſepio quomodo puer cæcus, vt ſimulacrũ amoris.

eſt nobis, etſi ita oculatus alioquin exiſtat, vt intueri A dicatur abyſſos, & intima cordium perſcrutari: à ſui tamen ipſius amoris vi, veluti vitta quadam (ſi dicere liceret) ita obcæcatus quodammodo eſt; vt propter hominem, quem ardentiſſime deamabat, carnem induerit quaſi non videns, neque conſiderans miſerias, quibus ſe ſubijciebat; cruciatus, qui ipſum manebant: & expenſas ingẽtes, quibus pretioſiſsimus perſoluendus ſibi eſſet pro homine ſanguinis ſui theſaurus. c *Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum nũc*, id eſt, ſtatim, ab amoris vi impulſus: nunc abſque æſtimatione expenſarum, laborum, ac cruciatuum, ea omnia paruipendens, ab ipſa amoris vi quaſi excæcatus, de repente *exurgam dicit Dominus*: Et iuxta expoſitionem Origenis, ſeu Didymi, verba ſunt Chriſti Domini: vnde bene ſubijcitur: *Ponam in ſalutari, fiducialiter agam in eo*: vel, iuxta verſionem Symmachi: *Ordinabo ſalutare apertum*: quod ſic interpretatur Chryſoſtomus: Saluabo eum manifeſte, manifeſtum me illi exhibebo Saluatorem, manifeſtans me in carne. Et certe ſi Pauli charitas talem habuit vim, vt illum quaſi obcæcatum effecerit, adeo vt propterea ab illo non æſtimarentur tribulationes, anguſtiæ, fames, ac demum neque mortis, neque vitæ vllam haberet rationem: vnde & dicebat: d *Quis nos ſeparabit à charitate Dei? tribulatio? &c. Certus ſum* enim *quia neque mors, neque vita, &c.* quę ſæpius citata ſunt. Ac ſi diceret. Charitatis vis ad hæc me obcæcat, efficiens, vt ea non æſtimem; pro amore ſiquidem Dei ea omnia nihili facio: multo magis hoc in Chriſto factum aſſerendum eſt, qui nõ ſolum charitate ardebat, ſed erat ipſamet charitas. Hinc vidimus ipſum, qui, iuxta Apoſtoli dictum, e conſtitutus eſt *hæres vniuerſorum*, in extrema nunc reclinare paupertate, per quem facta ſunt ſæcula, factum in tempore & tempore omniũ aſperrimo. Hinc eſt, vt ipſe, qui eſt ſplendor gloriæ, in tenebris media natus ſit nocte: vt ipſe, qui eſt figura ſubſtantiæ patris, nunc figuram, & formam aſſumpſerit ſerui: vt ipſe, qui portat omnia verbo virtutis ſuę, nunc imbecillis iaceat in præſepio: vt ipſe, qui purgationem omnium peccatorum facit, nunc peccatoris habitum præ ſe ferat: vt ipſe, qui ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis, nunc in medio brutorum animalium reclinatus ſit in præſepio. Quapropter bene dictus eſt charitas, & vt charitatis ſimulacrum dicitur oculos habere obuelatos, ſicut ab Antiquis amoris effigiem repræſentatam nouimus. Quod ſi effigiei ſeu ſimulacro illi addebantur alæ, quibus ſignificaretur celeritas admirabilis, qua amor, quocũque vellet, aduolaret: Nec Chriſto noſtro charitatis ſimulacro eas deeſſe cẽſendum eſt, quamuis iacentem illum inſpiciamus, & reclinantem: quomodo enim tanta celeritate in mundum veniſſet, vt accelerationis nomen propterea aſſecutus ſit apud Prophetam, f niſi alas habuiſſet, quibus g *à ſummo cælo egreſſio eius*, & occurſus eius extitit vſque ad ſummum eiuſdem cœli, iuxta id, quod dicitur in Pſalm. Has alas deſiderauit iamdiu, vt poſt volatum requieſceret, provt modo requieſcit: ita vt ei aptari poſsint ea verba Pſal. h *Quis dabit mihi pennas, ſicut columbæ: & volabo, & requieſcam?* quinimo etiam dum requieſcit, dumque reclinans iacet in præſepio, alas in ipſo conſpicere eſt, quibus celerrime, nedum paſtoribus, qui in eadem regione cuſtodiebant vigilias noctis, ſed & tribus Magis vſque in Orientem ſeſe manifeſtat, quas alas multis antea ſæculis Malachias Propheta in eo præuidens, dixit in perſona Dei: a *Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius*, ſeu (vt eſt in Hebræo) *in alis eius*: tales autẽ ſunt pennæ iſtæ, & alæ illius, vt nullus ſit, qui eas non videat, dummodo cæcus non ſit: alæ enim ſunt ſolis, quo vt nil celerius, ſic nil ſplendidius, pennæ iſtæ radij illi ſunt, qui è corpuſculo illius micant, quibus inſtar ſolis huius viſibilis, vt primum exortus eſt, conſpicuum ſe exhibuit mundo. Denique pharetram quoque in Chriſto paruulo videre licet: quandoquidem Antiqui pharetra ſuum accingebant amoris ſimulacrum: Ea verò eſt ipſa eius cæro, de qua, iuxta expoſitionem Cyrilli, & Procopij in Iſaiam, necnõ & Chryſoſtomi homilia de tutture remo 5. Verbum diuinũ, inquit, b *In pharetra ſua abſcondit me*: Bona ſane pharetra, ex qua tot, tamque ſuauia educuntur amoris iacula, quibus anima ſancta vulnerata clamat: c *Vulnerata charitate ego ſum*. Quis earum ſagittarum numerum; quis earumdem vim exprimere valeat, quæ ex hac carnis pharetra iaciuntur in hominum corda? d *Sagittæ tuæ*, ait Propheta Regius, *acutæ populi ſub te cadent*, percuſsi nimirum iis infigentur quippe *in corda inimicorũ Regis*. Hæ ſunt ſagittæ illæ, quæ ſecum deferunt e carbones deſolatorios omnis malitiæ: quæ tamen nõ omnibus immittuntur, ſed ijs duntaxat, qui iam Chriſti ardent amore; ita vt de illis id dictum videatur: f *Sagittas ſuas ardentibus effecit*. Cum igitur ea omnia in paruulo Salomone noſtro conſpiciantur, quæ ad amoris ſimulacrum effingendum adhibebantur, quis iam dubitet, recte, ac vere dictum à ſanctis ſpiritibus, Salomonem media deſcripti lecti, ac ferculi ſui ſemetipſo conſtraſſe, vt charitatis effigiem repræſentantem, & in medio præſepis reclinantem iacere, Deum ſe exhibentem charitatis, vt hac forma ad ſui dilectionem filias Ieruſalem alliceret.

Patriarchæ, quam charitatem geſſerit vt ſimulacrũ amoris.

b *Ioſ.* 49. 3.

c *Cant.* 2. 5. *ſecundum Sept.*

d *Pſ.* 44. 6

e *Pſ.* 119. 4

f *Pſ.* 7. 14.

Quod ſi charitatis nomen metonymice hic vſurpatum velimus pro rebus charis, (vt dictũ eſt ſæpius:) dicendum, per hæc verba: *Media charitate cõſtrauit, &c.* ſignificari, Chriſtum Dominum media ipſius præſepis rebus ijs ijſve actionibus conſtraſſe, & exornaſſe, quæ illos in primis ad amorem, & charitatem pellicerent, qui filiæ eſſent Ieruſalem, corde nimirum tenero, atque fœmineæ deuotionis. Quis autem explicare poſsit, qualem excitet amorem ipſum Chriſti corpuſculum in medio reclinatum? ipſius ocelli, nunc oculis matris obuiantes, eamque liquefacientes: nunc ad Ioſeph reſpectantes, ſiue illius ſenectam renouantes; nunc paſtoribus lumen ſuum exhibentes, eorumque corda ad ſe trahentes: nunc ad cœlum, & ad Patrem ſeſe eleuantes, vt nobis tam regni cœleſtis, quam ipſius Patris fruitionem polliceri viderentur? Quod ferreum cor nõ emollirent præ amore lacrymæ illæ amoroſiſsimæ, quibuſlibet gemmis fulgentiores, quæ ex iiſdem profluebant ocellis, vt iam ex tunc purgationem peccatorum noſtrorum facere inciperent? Qualia amoris iacula immittebantur ex illis mutuis oſculis, quæ inexplicabili ſuauitate ſibi inuicem mater, ac filius imprimebant? Quid dicam de paruulo ore ſumma cum grauitate aliquando arridẽte? Quid de paruulis manibus, & cæteris eius corpuſculi partibus? Quid de cœleſti Angelorum melodia? Quid de Paſtorũ eximia deuotione, & obſeruantia? Hæc, atque innumera alia iſtiuſmodi ſunt, quibus interiora illius ferculi exornata admirantur piæ animæ, propter quas & ferculum ipſum ſibi conſtruxit Salomon earum dilectus. & illud ijs cõſtrauit, quæ ipſis gratiſsima, ac iucundiſsima norat.

Alius ſenſus.

Præſepe Domini quibus rebus exornatum ſit ad delectationẽ piarum animarum.

Chriſtus in præſepio puer alatus, vt ſimulacrũ amoris.

Quas alas habuerit Chriſtus in præſepio.

Chriſtus in præſepio

Ex Verſ. X. cap. III. *Media charitate conſtrauit propter filias Ieruſalem.*

Appendix Expoſitionum, Ex antiquis Patribus collecta.

41

PAraphraſis Chaldaica: Et inter Cherubim, quæ erant ſuper propitiatorium, reſidebat Maieſtas Domini, qui habitare fecit nomen ſuum in Ieruſalem, magis quam in omnibus vrbibus terræ Iſrael.

Lectionem verſionis Septuaginta, quæ ſic habet; *Intus ipſius* (ſcilicet ferculi) *lapidibus ſtratum à filiabus Ieruſalem*, obſcuriſſime quidem explicatam reperio apud Antiquiores Patrum Græcorum, referam tamẽ breuiter, quid illos circa ipſam cenſuiſſe crediderim.

Ex Gregorio Nyſſeno homil. 7. duo colligo. Primum, vt per hæc ſignificetur, interiora animæ piæ ijs ornata

Greg. Nyſſ.

Animæ interiora debent esse ornatæ virtutibus.

ornata esse virtutum gemmis, quibus nititur charitas ipsa. Secundum, pauimentum istud lapidibus stratum in intimis Ecclesiæ, quæ ferculum Christi est, esse Virginitatem, quam ait, virtutum puritate tanquam radiis quibusdam pretiosorum lapidum fulgere.

Virginitas est pauimentum piæ animæ.

Ex Theodorito, qui per Christi ferculum intellexit Apostolos, id colligo, quod per ea, quæ hic dicuntur, signatur, eorumdem Apostolorum intima ornata esse diuinis eloquiis, de quibus dicitur: *g Desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum.* Et: *h Nolite proijcere margaritas ante porcos.*

Theodor. Apostolorum intima ornata diuinis eloquiis,

g Ps. 18. 11. h Mat. 7. 6.

Catena vero trium Patrum apud eumdem Theodoritum ait: Cuiuscunque piæ animæ, quæ ferculum Christi sit, interiorem affectum constratum charitate à Christo doctrina & exeplis: vt nimirum Christus lapis ille angularis hisce lapidibus doctrina, & exemplis suis charitatis pauimentum constrauerit in eiusdem animæ præcordiis, à filiabus Ierusalem scilicet incipiens: Porro per filias Ierusalem Apostolos intelligit ex Ierusalem originem trahentes secundum carnem: Apostoli enim, inquit, primi ad Christi imitationem animas suas pro salute multorum posuerũt, præceperuntque, vt idem efficerent, quicunque ad perfectionem in Christo cuperent peruenire: vnde Paulus ait: *i Imitatores mei estote sicut & ego Christi.*

Tres Patr. Doctrina & exemplis Christus construit pauimentum animæ piæ.

i 1. Cor. 11 1.

Secundum Philonem Carpathium commendatur per hæc admirabilis pulchritudo Ecclesiæ ex iustis: per filias quippe Ierusalem multitudinem fidelium intelligit Philo: per lapides vero, viros Iustos, atque integros, iuxta illud: *k Lapides sancti voluuntur super terra nostra*: Et quia iusti charitate vniuersam complent legem, & in lege persistunt immobiles; ideo & lapidibus, & charitate constrata dicuntur interiora Ecclesiæ.

Philo Carp.

k Zach. 9. 16 secundum Sept.

Vulgatæ autem lectionis; *Media charitate constrauit propter filias Ierusalē*: communior sensus est, vt per hæc significetur, Christum, cum pro nobis mortuus est, charitate constrasse media Ecclesiæ, replens illã amore supernorum, iuxta illud Apostoli: *a Commendat Deus charitatem suam in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro impijs mortuus est.* Ita Casiodorus, Iustus Orgelitanus, Aponius, Beda, & alij. Per hanc charitatem, inquit Casiodorus, media Ecclesiæ suæ strati instar parauit, vbi fideles animæ molliter quiescerent, quia totam eam intrinsecus supernorum amore repleuit. Quod dicitur: *Propter filias Ierusalem*: Casiodorus propter simplices animas dictum putat, & nullius virtutis sibi conscias, quæ quanto maioris fragilitatis sibi sint conscię, tanto amplius Redemptorem suum diligere satagunt. Beda vero propter animas cœlestium desiderio flagrantes.

42

Casiodor. Iust. Aponius. Beda. Moriens Christus repleuit Ecclesiam amore supernorũ

a Rom. 5. 8. Casiodor.

Beda. Aponius. Sensus quatuor quomodo Christus dicatur constrasse media charitate.

b 2. Sen. c 3. Sen.

Aponius, est, ait, firma charitas inter medium humanitatis, ac maiestatis constrata à Christo Domino, vt assumendo hominem, Paradiso redderet, quod homini tulerat hostis: *b Media charitate constrauit*, humiliando se charitas Dei vsque ad ignominiam Crucis pro suæ maiestatis imagine reparanda, *c Media charitate constrauit*, resurrectionis accelerando mysterium, ne inter moras, electi etiam eius incredulitatis offendiculo colliderentur. Hæc sunt tapetia charitatis; quæ media humanæ naturæ, & maiestatis consternunt propter sanctarum animarum salutem, & gaudia filiarum supernæ Ierusalem. *d* Hæc est vtique constrata charitas, *e* quæ *omnia sustinet* secundum Apostolum, quæ calcata, nunquam cedit, sed allisos erigit suæ humilitatis exemplo.

d 4. Sen. e 1. Cor. 13.

Rup. Abb. Charitatis præceptum maximum, & medium in Scripturis positum, quo imbecilliores perfectiorũ bona facerẽt sua propria.

Rupertus Abbas, cum per ferculum sumpserit sacras scripturas: *Media* istius ferculi *charitate*, ait *constrata*; quia Rex Salomon charitatis principatum in medio scripturarum posuit: charitatis enim præceptũ est maximum & primum mandatũ, vt id de quo pendent cætera omnia, medium, ac principale dicitur. Constrasse vero, inquit, hoc pacto propter filias Ierusalem, propter fideles illas animas, quæ ad virilem virtutem, & perfectionem adhuc non peruenere: vt videlicet per hanc charitatem suum facere possint, quod est aliorum, quod est virorum, & perfectiorum, diligendo bonum, quod in illis viderint.

Singulariter autem Richardus de sancto Victore per media illius animæ sanctæ, quæ ferculũ est Christi, ea intelligens opera communia, quæ & bono, & malo animo fieri possunt, vt sunt vigiliæ, ieiunia, orationes, &c. Ista, inquit, debent esse constrata charitate; vt in charitate fiant, & bona intentione: Et, vt cum charitate fraterna ita fiant, vt infirmi in his non scandalizentur, vel infirmentur: sed ita strata sint, id est tanta æqualitate, & discretione facta; vt incedat anima in his omnibus sine querela, & opportune nouerit illa exercere, & iterum intermittere.

Richard. Opera nostra bona cum charitate facienda.

Hi omnes vocem, *Media*, recte sumunt, & substantiue: At vero alij sunt, qui eam adiectiue accipiunt, & in septimo casu. Ita Gregorius Papa, Anselmus, atque Bernardus; tametsi diuersimode hæc explicent. Nam Gregorius Papa per filias Ierusalem cum Casiodoro debiles intelligens, qui in Ecclesia non viri, sed fœminæ sunt, quia contra vitia viriliter non resistunt, sed muliebriter subiacẽt: Nos miseri, inquit, quid agimus, qui in ferculo Ecclesiæ columnæ argenteæ non sumus; quia Ecclesiam sanctam nec exemplis sustentamus, nec prædicatione docemus: In ea reclinatorium aureum non habemus: quia terrenis cogitationibus inuoluti, ad splendorem sapientiæ per contemplationem non assurgimus: Ascensum purpureum nec etiam cognoscimus, quia voluptatibus vacantes, labores, & persecutiones pro æterna beatitudine ferre recusamus: Consolatur nos aliquantulum, quod de hoc ferculo subditur: *Media charitate constrauit propter filias Ierusalem*: Charitatem igitur, quæ communis omnibus electis, quasi in medio posita est, teneamus: per hanc quippe Rex Salomõ nos in ferculo suo esse cognoscit; quia in eo cum columnis argenteis, cum reclinatorio aureo, cum ascensu purpureo propter filias Ierusalem etiam mediante charitate constrauit: quia cum Ecclesiæ membris ad eandem sponsi beatitudinem peruenimus, si charitatem indefessam obseruamus.

43

Greg. PP. Casiodor. Propter infirmiores charitatem Christus in medio Ecclesiæ posuit, quæ communis esset omnibus.

At Bernard. tractatu de gradibus humilitatis circa initium; per ferculum accipiens dapum, atque eduliorum ferculum: Bonus cibus, ait, charitas, quæ media in ferculo Salomonis consistens, diuersarum odore virtutum, velut diuersi generis fragrantia pigmentorum, esurientes reficit, iucundat reficientes. Ibi siquidem apponitur pax, patientia, benignitas longanimitas, gaudium in Spiritu sancto, & si quæ sunt aliæ veritatis, seu sapientiæ generationes, apponuntur in illa. Habet & humilitas in eodem ferculo suas epulas, panem, scilicet doloris: habet ibidem contemplatio ex adipe frumenti solidum cibum sapientiæ cum vino quod lætificat cor hominis, ad quæ veritas inuitat, dicẽs: *f Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi, Media*, inquit, *charitate constrauit propter filias Ierusalem*, imperfectas scilicet animas, quę adhuc illum solidum cibum minus capere possunt; lacte interim charitatis pro pane, oleo pro vino nutriendæ. Quæ recte media describitur, quia eius suauitas nec incipientibus præsto est, prohibente timore; nec perfectis satis est pro abundantiori contemplationis dulcedine. Hi adhuc à noxiis carnalium delectationum humoribus timoris amarissima potione purgandi, nondum lactis dulcedinem experiuntur: Illi iam auulsi à lacte epulari ab introitu gloriæ glorioſius delectantur: Solis mediis, id est, proficientibus ita iam melleas quasdam sorbitiunculas charitatis expertis, vt illis interim pro sui teneritudine contenti sint.

Bernard. Ferculum Salomonis multis virtutum dapibus plenum.

f Cant. 5. 8.

Charitas lac imperfectorũ Charitas media, quia cibus proficientium non incipientium nec perfectorum.

Anselmus denique significari per hæc dicit, Christum Ecclesiæ ferculum constrasse, & ornasse charitate, vt scilicet charitas omnibus reliquis virtutibus esset ornamentum, vt docet Apostolus 1. Cor. 13. eaque media, vt ab omnibus posset æqualiter participari: Vel idem ferculum constrasse, quatenus cæteras virtutes inferiores, & constratas ornauit charitate, sine qua eæ omnes nihil proficiunt.

Anselmus. Charitas ornamentum omnium virtutum.

Vers.

Verſ. XI. cap. III. *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua in die deſponſationis illius & in die lætitiæ cordis eius.*

Expositio I.

Iuxta ſonum litteræ.

1 Littera quidem huius ſententiæ facilis eſt, ita vt haud neceſſe ſit, in illius detinear explicatione. Illud duntaxat exponendum, qua ratione cum ſuperioribus nectantur: & cuiuſnam ſint verba, quæ in ea habentur.

Vt prætermittam eorum opinionem, qui toti puellarum choro hæc tribuunt: duobus modis aptiſſime ea connecti poſſe crediderim. Vel enim ſunt verba illorum eorumdem, qui huc vſque locuti ſunt: Vel ſponſæ, ad quam prædicta verba iidem ſunt locuti.

Primus ſenſus. Si eorum hæc eſſe velimus, Dicendum, idem ipſum argumentum illos hic proſequi, quod in ſuperioribus exorſi fuerant: quam etenim Salomonis gloriam, ſiue per lectuli, aut ferculi, quæ is ſibi conſtruxerat, magnificentiam: ſiue per glorioſiſſimum eiuſdem triumphum enarrare cœperant, vt ſponſam ad illius promouerent dilectionem: hanc mirum in modum præclaro iſto extollunt epiphonemate, quo ex abrupto per apoſtrophen ſe conuertentes ad filias Sion, quaſi illas haberent præſentes, inuitant, vt tam ſpecioſum Regem intueantur, ac triumphantem admirentur, inſigni illa redimitum corona, qua à matre ipſa ſua in ſolemniſsimo coronatus eſt nuptiarum die. Porro verbum, *Egredimini*, ad tam ingentem gloriam exprimendam habet vim: ſignificat quippe, tantam eam eſſe, vt pro illius ſpectaculo non è domibus modo, ſed & ex Vrbibus: nec viris tantum, ſed & mulieribus, & puellis quoque egrediendum ſit: vniuerſaque omittenda, vt tam eximio ſpectaculo perfrui liceat.

Secundus ſenſus. Si vero ſponſæ hæc tribuenda ſint, provt congruũ maxime mihi videtur; Dicendum, eo ipſo temporis momento, quo obuij illi præcedentem ferculi Salomonis deſcriptionem terminarant, ſponſum à longe comparuiſſe in agro, decorum quidem illum, & ornatum, qualem nouum ſponſum deceret, ſuam accerſentem, ac quæritantem dilectam, ex cuius conſpectu illa commota in hæc proruperit verba: *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonẽ in diademate, quo, &c.* Ac ſi tacite iis ipſis per hæc reſpondeat, qui Salomonis gloriam ſibi euehere contendebant; ad illumve diligendum per illius gloriæ deſcriptionem ipſam pellicere ſatagebant, & indicet, illius gloriam ſibi maxime eſſe perſpectam idque in primis optare, vt omnibus eadem fiat conſpicua: atque adeo, cum in agro eum ſibi obuium admiretur, inſigni hac apoſtrophe ad tantam gloriam obſtupeſcendam inuitat omnes filias Sion; inuitat autem magna cum emphaſi, perſuadens illis; eaſve quodammodo compellẽs; vt pro tam inſignis gloriæ ſpectaculo extra domos, & extra Vrbem in illos egrediantur agros, in quibus is videri tũc poterat decorus, ac glorioſiſſimis illis ſpecioſus ornamentis, quibus in ſolemniſſimo ſuæ deſponſationis die à ſua exornatus eſt matre.

Circa hunc porro ſenſum, tria notanda ſunt. Primum, eo artificio ſponſi gloriam hic commendatam, vt tamen ſimul vehementiſſima exprimatur propenſio ſponſæ erga ipſum, vtpote quæ à primo illius conſpectu ita commota ſit, vt in hãc proruperit apoſtrophen, quæ & impetum ſubindicat animi, & exclamationem latenter continet, ingentemque ſtuporem, & admirationem. Quod enim in agro ad abſentes dicitur: *Egredimini, & videte filiæ Sion*: eam vim habet, ac ſi dicatur.

Paraphraſis. Quid facitis intra vrbes? quid intra domos vos cõtinetis ô filiæ Sion, quotquot pulchra ſpectacula intueri cupitis? Cur iam non egredimini, vt videatis hunc tam decorum dilectum meum, Regem Salomonem, Regem meum Salomonem, ac pacificum meum, ornatum, &c.

Hoc vero eſt, quod ſecundo notandum dixi, Salomonis nomen iuxta hunc ſenſum haud proprie accipi debere, ſed appellatiue, vt pacificum ſignificat, & pacem exhibentem, quam pacem ſequitur omne gaudium: Ita vt etiam per iſtiuſmodi vocabulum ſponſa ingentem ſuum erga eum, quem diligit deſignet affectum, à quo ſuam omnem expectet pacem, à quo & bonum omne recognoſcat; vnde & Regem quoque ſuum eumdem appellet; propter quod Regis nomen ſub diadematis vocabulo vniuerſum illius exprimit ornatum. Neque nouum id cenſere debemus, quod eximius corporis cultus, & indumentum diadema nuncupetur. Nam & apud Syros ſtolam ipſam, ac ſceptrum pro regio diademate habitum refert Alexander ab Alexandro lib. 1. genial. dierum cap. 28. Et ea eſt Hebræorum conſuetudo loquendi, vt omnis corporis cultus elegans, atque aptus iſtiuſmodi nomine diadematis, aut coronæ deſignetur, provt recte adnotauit Legionenſis, & colligitur ex loco illo Iſaiæ, vbi dicitur: *a Induit me veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circundedit me quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus*, ſeu (vt eſt in Hebræo) *vaſibus ſuis*, id eſt, omni mundo ſuo. Atque adeo bene dicitur, quo coronauit illum mater ſua in die deſponſationis illius: in die ſiquidem deſponſationis elegantiori cultu filios exornare ſolent matres. Quamquam & congruenter ipſum diadematis nomen proprie ſumi poteſt, vt coronam ſignificat; vt videlicet ſponſus in agro corolla florum redimitus comparuerit, quæ corona dicatur illa, qua à matre coronatus is eſt in die deſponſationis; quia illi ſimilis. Enimuero in die deſponſationis coronari ſolitos ſponſos vel varijs floribus, vel frondibus diuerſarum herbarũ, teſtis eſt Tertull. in lib. de corona militis, fuſiuſque Alexander ab Alexandro lib. 2. cap. 5. pag. 153.

a Iſa. 61. 10.

Tertio demum, & vltimo notandum, immenſum quoque dilecti ſui amorem erga ſe ſponſam in his teſtatam omnibus facere, dum diem deſponſationis, ait, illi extitiſſe diem lætitiæ cordis eius: Indicans, illum tanta erga ſe affectum charitate; vt tunc lætiſſimum habuerit diem, tuncve ſummo perfuſus ſit gaudio, cum diem illum attigit, quo ſecum deſponſatus eſt.

Verſ. XI. cap. III. *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.*

Expositio II.

De prima Sponſa, quæ eſt Eccleſia ſancta.

2 Declarari admodum commode poteſt hic locus ſimilitudine à ſole, atque à meteorologicis deſumpta: ſiquidem, dum de Meteoris agunt Naturales, inter reliqua Halonem, ſeu coronam numerantes, tunc eam, inquiunt, fieri, cum nubes vniformis in omnibus partibus æquam raritatem, aut denſitatem habens, directe inuenitur ſub ſole, luna, vel alio aſtro, & ex ipſius nubis occurſu luminoſus aſtri radius refringitur: Prohibetur enim tunc iſtiuſmodi radius directe vlterius procedere propter nubis vniformem denſitatem, atque ita per illius extrema vbique diffunditur: & per hanc refractionem apparet ſub aſtro magnus circulus lumine colluſtratus in modum lucidæ coronæ, quem ἅλως halon Græco appellant vocabulo. In hunc ſane modum & Chriſti Regis Salomonis coronã factã, diuinũq; Verbũ huiuſmodi corona coronatũ indicat Dauid, dũ ait: *a In ſole poſuit tabernaculũ ſuum*: Enimuero tabernaculũ Verbi eſt corpus, & caro, quã

Chriſtus cæne coronatus æque ac Sol coronatur fulgore illo nubis, quæ ſub ſe eſt, quã halonem, ſeu coronam appellant Philoſophi.

a Pſ. 18. 6.

in vnio-

in vnionem assumpsit hypostaticam, in quo tabernaculo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: tabernaculū istud est etiam nubes perfectissimæ, & æquabilis temperaturæ, vnde apud Isaiam dicitur: b *Ecce ascendet Dominus super nubem leuem*: ascendens autem sol vsquequaque splendidissimus super hanc nubem, eatenus tabernaculum suum in se posuisse dicitur, quatenus sibimetipsi illam sub se posuit. Porro dum nubes ista carnis hoc pacto in sole, atque sub sole posita est, tametsi per Prophetam non sit expressum aliud; colligere tamen & id operæpretium est, quod ex simili aereæ nubis positione sequitur necessario, & ex carne Christi coronam fulgoris emissam, & carnem ipsam Christi coronam extitisse fulgentissimam, qua Verbum, quod est candor lucis æternæ, & splendor Patris, æternus iustitiæ sol coronatum apparuit æque, ac sol iste visibilis nube ista, quæ sub se est, coronatus quodammodo videtur.

b *Isa.19.1.*

Carnis operimēto quomodo Christus pulchrior redditus sit. Simile.

Atqui mirabilis profecto est, & plane diuinus modus iste explicandi; qua ratione Salomon noster per suam coronatus sit carnem, per quam primo aspectu, diminutus potius, quam honoratus videtur. Nam quemadmodum, etsi sol iste visibilis absque vlla dubitatione multo tunc sit splendidior, cum nullam obiectā habet nubem; ita vt propterea nec oculos in eum figere valeamus; pulchrior nihilominus nobis appareat, cum nubem sub se habet, qua roseo quodam coronatur fulgore. Ita quamuis re vera filius æterni Patris tunc incomprehēsibili coruscauerit fulgore, cum c *in splendoribus Sanctorū ante luciferum* genitus est, Deus de Deo, lumenque de lumine, speciosior tamen nobis, qui in lumen illud æternum oculos defigere nequimus, tunc eluxisse visus est, quando carnem induit, carneque veluti rosea nube circundatus est; roseum namque tunc sese per illam exhibitum esse, qui alioquin in sua diuinitate candidissimus erat, exinde colligemus in subsequentibus, quod sponsa dicet: d *Dilectus meus candidus, & rubicundus*. Mysterium vero istud apertius idemmet Vates Regius in Psalmo octauo significauit, cum diceret: e *Quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum*: quem locum de Christo intelligendum testatur Apostolus in Epistola ad Hebræos; f expressiusque hoc ipsum confirmatur per eamdem sententiam: prout illā ex Hebræo vertit Hieron. *Minues eū paulo minus à Deo, gloria, & decore coronabis eum: dabis ei potestatem super opera manuum tuarum*. Æque est enim, ac si dicatur: Eo ipso temporis momento, quo per Incarnationem minorabis filium tuum à maiestate, splendoreque diuino, per eamdem-met carnem, qua illum minorabis, per eamdem nubem, qua diuinitatis eius radios, fulgoremue refringes, quasi speciosissima corona, gloria, & honore, necnon & decore eximio coronabis eum: ita vt cū istiusmodi diademate glorioſissimo, simul quoq; & regiam ei daturus sis potestatem super omnia opera tua.

c *Psal.109.3.*

d *Cant.5.10*

e *Psa.8.5.*

f *Hebr.2.6.*

Christi carnis quomodo corona fuerit & à Deo, & à Maria.

Sed circa hęc insurgit illico non modica difficultas ex eo, quod dum in hoc Cantico fit mētio de corona Regis Salomonis, additur: *Qua coronauit illū mater sua*: Neque enim his consona videtur ea, quæ ex Psalmis præcitatis allata est, explicandi huius loci ratio: In Psalmo namque octauo, qui per carnem minoratus est, & coronatus, à Deo minoratus, & coronatus dicitur: Et in Psalmo decimo octauo, Verbum, quod per Incarnationem tanquam sponsus processit de thalamo suo, ipsummet in Sole dicitur posuisse tabernaculum suum, nubemque carnis suæ. Verumtamen difficultas omnis facile diluitur ex ea ipsa similitudine coronæ illius aereæ, quam fieri dixi ex nube illa soli opposita, ad quam & Prophetam Dauid alludisse ostendi: Nam quemadmodū ea nubes, quæ ob splendoris circulum corona appellata est, & à terra vt à matre fit, quatenus terra est quæ exhalationes, ac vapores de se confert, ex quibus illa compacta est: & ab ipso quoque fit Sole, à quo vapores illi, eæque exhalationes è terra eleuantur, & condensantur in nubem: Ita & caro Christi & à gloriosissima Virgine facta dicitur, quatenus illa materiem purissimorum sanguinum de se præstitit, ex qua caro illa compacta est: & Deus, ac Verbum ipsum eamdem compegisse, asserimus; quia Spiritus sanctus in eam superuenit Virginem, g *& virtus Altissimi* obumbrauit illi: atque adeo, sicut Sol cum nube illa coronatur, dici potest coronatus à seipso, & etiam à terra vt à matre dictæ nubis: Ita & Salomon noster, ac Sol iustitiæ Christus, quando carnis diademate coronatus est, & à seipso corona illa dicitur coronatus, & à matre sua.

g *Luc.1.35.*

Hoc vero loco peculiariter à matre sua coronatus dicitur: quia ex Maria filia Dauid coronam habuit regni Dauid, factus ex semine Dauid, ita vt propterea antiquissima illa, quæ à Deo facta est, repromissio ipsi Dauid: h *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*: impleta dicatur, quia Maria carnis diademate hunc Regem coronauit Salomonem, i *Qui regnabit in domo Iacob in æternum*: de quo regno; & de qua sede Dauid, hic verba habentur, vt superius ostensum est in secunda expositione præcedentium.

h *Psa.131. 11.*

i *Luc.1.33.*

Simile. Christi Incarnationem contemplari volens cur, & quomodo opus est, vt egrediatur.

Sed vt in horum explicatione à proposita similitudine Solis coronæ non recedamus, præclare ad tam eximium spectaculum coronæ Christi conuocantur filiæ Sion, & dicitur: *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate*, &c. Nam & quando sol iste visibilis prædicta corona coronatus apparet, quotquot primo illū intuiti fuerint, rei nouitate perculsi, pulchrumque admirantes circulum, alios quoq; ad tale spectaculum prouocantes, naturali fere impetu in hunc pariter modum exclamant: Egredimini, & videte Solem in diademate: dicuntque egredimini: quia etsi Solis splendor, eiusdemque radij videri queant etiam intra parietes, idem tamen Sol, vt dicta corona insignitus effulget, videri haudquaquā potest, nisi ab his, qui extra parietes quoquo modo egrediantur; quinimo necesse insuper est, vt in ipsummet Solem oculi defigantur, quo videri tunc queat: Idcirco bene ad verbū, *Egredimini*, addunt, *& videte*, seu intuemini in Solem. Sic ergo cælestes ij spiritus, qui spectatores facti sunt Solis iustitiæ, ac Salomonis nostri carnis diademate coronati, ex abrupto filias Sion, & contemplatiuos quosque conuocantes, istas emittunt voces: *Egredimini, & videte: Egredimini*, inquiunt; quia etsi intra mundi huius contemplationem consistentes, diuinæ maiestatis, eiusdemq; bonitatis radios in quibuslibet creaturis animaduertere possimus: hoc tamen insigne benignitatis specimen, istudq; nouum diuinæ gratiæ spectaculum, quod in Christo exhibitū est, quādo carnis diademate est coronatus, videre minime valemus, nisi extra mœnia mūdi huius egrediamur, extra terrenarum rerum studium, extra ordinarium bonitatis modum, qui vel in mundo exhibetur ab hominibus mundi, vel ipsimet mundo exhibetur à Deo in productione, & conseruatione creaturarum: quinimo & extra proprium sensum, humānæque sapientiæ fornices egrediendū ei est, qui Solem istum, huiusce modi corona redimitum contemplari velit. Ac bene addunt, *Et videte Regem Salomonem*, seu (vt ad verbū est in Hebræo) *Et videte Regem Salomonē*: ac si dicāt.

Egressi, in altum oculos attollite ad Regem pacificum, ad Deum, qui cogitat cogitationes pacis, & non afflictionis; & in illum, quem in sua maiestate non videbit homo, & viuet, in Principem pacis in carnis corona exhibitum iam tuto vestros defigite oculos: videte illum gloria, & decore coronatum, in roseo carnis diademate, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius: Re etenim vera dies illa coronationis prædictæ extitit & dies desponsationis Salomonis nostri, & ex tunc ille sese exhibuit sponsum humanæ naturæ: tunc perfectissima vnione cum ea, quam assumpsit, humanitate coniunctus est hypostatice: cum desponsatio in hoc potissimum sita sit, vt & sponsus, & sponsa indiuidua animorum coniunctione simul iungantur.

Paraphrasis. *Athanas. Ambros. Philo Carp. Cassiodo. Greg. Pap. Beda. Bernard. Hugo Vict. Incarnatio Christi, quā recte illius desponsatio dicta sit.*

Incarnationis dies extitit lætitia cordis Chriſti, & quomodo.

Porro dies illa Incarnationis non modo dicta eſt dies deſpōſationis, ſed & *dies lætitiæ*, nec cuiuſlibet lętitiæ: haud enim magna fortaſſe res eſſet, ſi diceretur dies lætitiæ ſponſæ, & hominum. Lætari quippe neceſſario, ac naturaliter ſolet infimæ conditionis ſpōſa tunc temporis, cum à præſtantiſſimo Rege deſponſatur: At dicitur *dies lætitiæ* ipſius Regis Salomonis, & non lætitiæ, qua extrinſece duntaxat lætum ſeſe exhibuit, ſed *lætitiæ cordis ipſius*. Enimuero ob iſtud ipſum, quod *k tamquam ſponſus* proceſſit *de thalamo ſuo, exultauit vt gigas ad currendam viam, à ſummo cælo egreſſio eius*, vt egregie explicat Dauid. Quin & apertiſſimis verbis inexplicabilem iſtam lætitiam ſuam, ipſiuſque lætitiæ cauſam ipſemet apud Iſaiam exprimit ſponſus, dicens: *l Gaudens gaudebo in Domino*: (en lætitiam cordis eius) *quia induit me* (en cauſam lætitiæ, coronationem videlicet, & deſponſationem) *veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circūdedit me quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis*: Quamuis enim hæc verba ad Eccleſiam communiori ſenſu referri ſoleāt à ſanctis Patribus: aptiſſime nihilominus & Chriſto Domino tribuuntur & à Tertull. in lib. 4. contra Marcionem, & ab Aug. in Epiſt. 120. ad Honoratum. Atque hæc quidem ſatis pro ſingulorū, quæ in hoc verſ. 11. dicuntur, declaratione iuxta explicationem ex præcitato loco Pſal. 18. collectam.

k *Pſ.* 18. 7.

l *Iſa.* 61. 10.

Tertullian. Auguſtin.

4 Quorſum vero, dicet non immerito quis, hæc de Incarnatione hic habentur à cæleſtibus ijs ſpiritibus, qui in ſuperioribus Romanam Eccleſiam, Petriq; ſedem deſcripſere ſub metaphora ferculi? Congruentiſſime ſane iſta ſuperioribus ſubiecta ſunt. Cū enim in vltimis ijs verbis, *Media charitate conſtrauit*, &c. cæleſtes ſpiritus ſignificaſſent, in medio ipſius Eccleſiæ Chriſtum Regem Salomonem, & ſucceſſorem Regni Dauid patris ſui præſentia corporis, & vt eſt ipſa charitas, reſidere in Sanctiſsimo Euchariſtiæ Sacramento, prout ſupra oſtenſum eſt in primo ſenſu ſecundæ expoſitionis illorum verborū: Nunc tanti Sacramenti admiratione perculſi, admodum conſequenter ad tam eximij myſterij, adeoque inſignis charitatis, quæ in illo exhibetur, contemplationem, non quoſcunq;, ſed filias duntaxat Sion, animas contemplatiuas conuocantes, hæc dicunt: *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonen in diademate*, &c. Ac ſi dicant.

Paraphraſis.

Cum pacificus Rex noſter Chriſtus media ferculi ſui conſtrauerit, in medio Eccleſiæ Romanæ per Sacramentum corporis ſui, & præſentia corporis reſidens, & vt eſt ipſa charitas: Quid iam intra mundi huius, mundanarumue rerum contemplationem continemini, quotquot filiæ ſpeculationis eſtis? *Egredimini* ab iſtiuſmodi contemplatione, & *videte* in tanto Sacramento ipſummet Chriſtum pacis principem, *in* eomet *diademate* carnis reſidentem, *quo* à glorioſa matre ſua coronatus eſt *in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius*: in illo ipſo corpore, quo à Maria Virgine circundatus fuit in die, quo incarnatus eſt.

Quamuis pluribus hucuſq; in ſingulorum verborum conſideratione pertractatū ſit de his, prout ſpectant ad myſteriū Incarnationis: ſi tamen eadem exactius perpendantur, prout ita ſpectant ad Incarnationis myſterium, vt primo directa ſint ad myſterium Euchariſtię, quemadmodum viſum iamiam eſt: particularē quamdā vim ſingula item habere reperientur.

Euchariſtiæ Sacramentū quomodo, & à quibus ſit contemplandum.

Primū etenim verbum *Egredimini*, egreſſum ſuadet à finibus cognitionis ſenſitiuę, necnon & ab arcto humanæ ratiocinationis conclaui, atque ab ædibus humanæ ſapientiæ. Enimuero, niſi à finibus egrediamur ſenſitiuæ cognitionis, nil aliud certe in tanto Sacramento conſpiciemus, præterquam ea, quæ ſenſibus patent, accidētia panis, & vini: & ſi concluſi detineamur in conclaui ratiocinationis humanæ, non intelligemus vmquam, quomodo accidentia in Euchariſtia poſsint eſſe ſine ſubiecto: & quomodo ſub accidentibus panis haudquaquam ipſe ſit panis, ſed corpus Chriſti: Neque mundana Philoſophia perſuaſos nos fieri permittet aliquando, vt vnum idemque corpus Chriſti ſit in pluribus locis, ijſque longiſsime inter ſe diſtantibus: vt diuiſo ſacramēto, nulla ſit diuiſio eius, qui in illo eſt corporis: vt Deus, qui immenſus alioquin eſt, comedendum ſe exhibeat ſub accidentibus panis, idque per concomitantiam, quam habet cum corpore Chriſti, & multa alia, quæ niſi ſimplex perſuadeat fides, humana mens capere minime valet.

Idcirco poſt verbum, *Egredimini*, ſubjicitur: *Et videte Regem*, ſeu (vt eſt in Hebræo) *Et videte in Regem Salomonem*: Idcirco & filiabus Siō id ſuadetur, vt videāt: Videndi ſiquidem verbum immediate ſubiectum verbo, *Egredimini*, fidei cognitionem deſignat, quæ adeo certam, imo & multo certiorem ingerit ſuaſionem, ac ſi viſu ipſo percepta ea eſſent, quæ perſuadet: dicitur autem: *Videte in Regem Salomonem*: vt intelligatur, iſtam fidei cognitionem haudquaquā perſiſtere in accidentibus, quæ ſubiecta ſunt ſenſibus; ſed de ijs accidentibus tranſcendere ad Chriſtum, ſub illis latitantem. Et quia haud omnibus hoc datū eſt, vt hoc pacto videre queant, ideo *filiæ Sion* in primis conuocantur, eę nimirum animæ, quæ femineam in myſterijs diuinorum habeant ſimplicitatem, eorumdemq; myſteriorum addictæ ſint ſpeculationi: Sion quippe ſpeculatio interpretatur. Quod vero dū iſtiuſmodi filiæ Sion conuocantur ad Chriſtū contemplandum, vt in Euchariſtiæ Sacramento eſt, in eadem carne, quā ex Maria ſuſcepit, Chriſtus ipſe & Rex dicitur, & Salomon appellatur, & præcipua fit mentio deſponſationis, & lætitiæ cordis eius; id in primis confirmat, quod pro cōperto eſt apud omnes; Sacramentum iſtud eſſe ſymbolum pacis, ac vnionis, regnumq; in eodem exhiberi: quandoquidem in illo cæleſtis Regis cum Eccleſia facta eſt deſponſatio, fitque eadem continuo cum animabus, quæ illud deuote ſuſcipiunt: ita vt non incongrue de hac etiam regni collatione id ipſiuſmet Domini, ac Regis noſtri intelligi queat, quod in Euangelio dixit: *m Ego diſpono vobis regnum, ſicut diſpoſuit mihi pater, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meā in regno meo*. Et bene dies illa, in qua per talem deſponſationem inſtitutū à Domino eſt hoc Sacramentum: vel ea in qua idem Sacramentum per Sacerdotum manus miniſtratur, appellatur dies lætitiæ cordis Regis noſtri Salomonis: quandoquidem die illa lætiſsimum ab ipſo celebratum eſt, & celebratur nuptiarum conuiuium, idemq; per has nuptias denuo totum ſe tradit Eccleſiæ, vel animæ, quā deſponſarit, vniunturue ad inuicem & ſponſus, & ſponſa: Ita vt quod ſemel exhibitum eſt in prima eiuſdem Regis deſponſatione, qua per Incarnationem vnitus eſt cum humanitate aſſumpta, hoc ipſum, quoad fieri poteſt, & cuilibet præſtetur animæ, cum qua iſtas celebrat nuptias, iuxta id, quod ab ipſomet dictū eſt: *n Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo*. Neque vero nouum eſt, vt in iſtiuſmodi conuiuio, & in exhibitione corporis, & ſanguinis ſui ſub ſpeciebus panis, & vini, nuptias, ac deſponſationis fœdus à Chriſto Domino celebratum dicamus: nam & apud Gētes hac fere ſimili cæremonia deſponſationes fieri, comperimus: & Romulus Vrbis fundator in cōmunione panis, & aquæ matrimonij fœdus inijſſe traditur, vt teſtis eſt Alexander ab Alexandro lib. 2. genial. dierū cap. 5. Quin & deſponſationem, ac nuptias illas, quas in cæleſti patria idemmet Salomon faciet cum triūphanti Eccleſia, in cœnæ ſolemnitate celebrandas, teſtatus eſt Angelus in Apocalypſi, cum diceret: *o Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt*: Quapropter Ioannes, cū agni nuptias, & cœnam ſimul audiuit, Angelum illum adorare aggreſſus eſt, exiſtimans, illum eſſe Chriſtum ſponſum, vt aſſerit Aug. quæſt. 60. in Geneſim, & lib. 20. contra Fauſtum, cap. 21. recordatus videlicet iſtarum nuptiarum, quas idem agnus per hoc Sacramentū in cæremonia item cœnæ celebrauit cum Eccleſia militanti.

m Luc. 22. 30.

n Io. 6. 56.

o Apo. 19. 9.

Auguſt.

Euchariſtiæ Sacramentū cum conſecratur traditurue fidelibus, eſt dies deſponſationis, & lætitiæ Chriſti.

In Euchariſtiæ conuiuio nuptiæ celebrantur à Chriſto.

Euchariſtiæ Sacramenti ſymbolum vnionis, ac pacis.

In Euchariſtiæ Sacramento fidelibus à Chriſto confertur regnum.

5 Iuxta ſecundum ſenſum; videns Eccleſia Chriſti ſponſa in mundi huius agro Euangelij progreſſum factum per Apoſtolorum prædicationē, Chriſtum ſue dilectū ſuū intuēs per vniuerſum terrarū Orbem incedentem,

Secundus ſenſus.

Ambros. Greg. Nyss. Aponius. Bernard.

dentem, fidelium corona circundatum, infeliciſſimam Iudæorum ſortem miſerata, ſponſique ſui admirata decorem, ac gloriam, Iudæos, ad quos repromiſſiones factæ ſunt, & ex quibus ſalus ipſa prouenit, ad tam glorioſum conuocat ſpectaculum, ſuadens illis, vt egrediantur iam de cortice litteræ, deque æneis mœnijs duriſſimæ obſtinationis, intra quæ concluſi detinentur; videantque Regem ſuum Salomonem, & Chriſtum, qui omnia ſuo pacificauit ſanguine, in ornamento tantorum fidelium, quo certe diademate coronauit iamdiu illum mater ipſa ſua Sion in die celeberrimo Pentecoſtes; quando per Spiritus ſancti miſſionē deſponſatus eſt cum Eccleſia: in die, qui præ ceteris omnibus feſtiuus illi extitit, atque lætiſſimus.

Circa iſtius ſenſus explicationem, Notandum primo, recte Iudæos hoc loco appellatos filias Sion; non ſolum, quia illi in Sion & Regiam habuere, & templum: verum ob id in primis, quia ijdem de Sion nouam legem expectent à venturo Meſſia, iuxta vaticiniū Iſaiæ: *p De Sion exibit lex, & verbū Domini de Ieruſalē.*

p Iſa.2.3.

Eccleſia, & fidelium collectio, quomodo ornamentum & diadema Chriſti.

Notandum ſecundo, fideles recte nuncupatos nedum ornamentum, ſed & diadema, atque coronam Chriſti ſponſi: nam ſi appellati ſunt ornamentū ſponſæ, cuius membra ſunt, nobiliſsimumque eiuſdem indumentum dicti ſunt apud Iſaiam, vbi à Domino dicitur: *q His omnibus velut ornamento veſtieris, & circundabis tibi eos quaſi ſponſa:* ob id videlicet, quod ſinguli ita ſint Eccleſiæ membra, vt haudquaquam nuda compareant: ſed cum vnumquodque ſit coopertum virtutibus, totum corpus, quod ex ijs conſtat, indutum reddunt, ac ſemetipſis vt præclariſsimo cooperiunt ornamento: Multo certe rationabilius idipſum de Chriſto dicendum eſt. *Qui* (vt ait Apoſtolus) *r eſt caput, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iunctturam ſubminiſtrationis ſecundū operationem in menſuram vnius cuiuſque membri, augmentum corporis facit in ædificationē ſui in charitate.* Ac propterea, quia eſt caput, aptiſſime iſtud ipſum, quod ex fidelibus ei prouenit ornamentum, congruentiſsima metaphora appellatur diadema, atque corona. Cur enim non dicatur corona illius collectio tantorum fidelium, per quam conſtituitur Eccleſia, quæ eſt eius ſponſa, ſi iuxta ſapientis ſententiam: *f Mulier diligens & fortis corona eſt viro ſuo?* Et, ſi iuxta eiuſdem Sapientis Prouerbium: *t Corona ſenum ſunt filij filiorum.* Ita vt propterea filiolos ſuos Paulus, quos Chriſto pepererat Philippenſes, *u* gaudium ſuum nuncupet, & coronā ſuam, & ob eamdem cauſam ad Theſſalonicenſes ſcribens dicat: *x Quæ eſt noſtra ſpes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominū noſtrum Ieſum Chriſtum eſtis in aduentu eius? vos enim eſtis corona noſtra, & gaudium.* Multo profecto verius ijdem ipſi, cum Chriſtum circundent, cum Chriſti ſint filij, aut filij filiorum, dicentur corona illius: multo, inquam, verius, nam etſi illi extiterunt corona Paulo, vel quia Paulus propter illos clarus, & illuſtris apud homines euaſit, prout ſenſit Theodoritus ſuper citatum locum Epiſt. ad Theſſal. Ex eo, quod dicitur in lib. Eccleſiaſtici: *y Qui docet filium, laudabitur in illo, & in medio domeſticorum in illo gloriabitur:* Vel quia maxima ex illis eidem prouenit retributio, æque ac duci prouenire ſolet corona, & gloria propter militum victoriam; vt opinatus eſt S. Thomas in eundem locum. Salomon certe noſter non apud homines modo; ſed & apud Patrem clarificatū ſe aſſerit propter illos, dicens: *z Et mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt, & clarificatus ſum in eis:* Ac ſi dicat: Quamquā claritatem ſummā à te habuerim, antequam mundus fieret, ob id, quod vnum idemq; ſumus; ita vt & mea tua ſint, & tua pariter mea ſint, clarificatus nihilominus ſum etiam in eis, quos dediſti mihi: clarificatum autem ſe dicit in illis apud Patrem affertque inferius rationem, cum inquit: *a Vt omnes vnum ſint, ſicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint.* Quin & propter eoſdem corona Regni eidem in primis obuenit; quandoquidem eos fecit regnum, prout ipſi fatentur ſæpius in Apocalypſi: *b Feciſti nos Deo noſtro Regnum.* Vnde quis iā dubitet, illos ipſos, qui ſunt regnum Regis Salomonis, ac Domini noſtri, eſſe & eiuſdem coronam, cum per Prophetam dictum ſit: *c Dominus regnauit, decorem induit:* id eſt eos ipſos induit decorem, coronamque ſibi coaptauit, in quibus regnauit?

Greg. Nyss. Aponius. Bernard. *Ambros.* *Theodorit.* *S. Thomas.* *t Pro.17.6.* *u Phil.4.1.* *x 1.Theſſ.2.19.* *y Eccl.30.2.* *z Io.17.10.* *a Io.17.21.* *b Apoc.5.10.* *q Iſa.49.18* *r Eph.4.16* *f Pro.12.4.* *c Pſa.92.1.*

Notandum tertio, Chriſtum Dominum hoc fidelium diademate dici coronatum à matre ſua; quandoquidem in Sion deſcendit Spiritus ſanctus in die Pentecoſtes, & ex Sion per Apoſtolos in vniuerſum mundū idem effuſus eſt Spiritus ſanctus; quin & ipſamet Sion primum illi hanc contexuit coronam, quando *d* ea ipſa die, qua deſcendit Spiritus ſanctus, eodem & loco ad primam Petri prædicationem conuerſi ſunt, & appoſitæ dicuntur ſcilicet ad Chriſti coronam, animarū circiter tria millia: & paulo poſt *e* in eadem Ciuitate Sion ad alteram eiuſdem Petri prædicationem: *Multi eorum, qui audierant verbum, crediderunt, & factus eſt numerus virorum quinque millia.*

Corona fidelium e Sion Chriſto collata eſt primum, vbi deſcēdit Spiritus ſanctus in die Pentecoſtes. *d Act.2.41.* *e Act.4.4.*

Sion quam vere dicatur mater Chriſti.

Porro, quod Sion recte dicatur Mater Regis noſtri Salomonis, alias probatum eſt ex eo, quod habemus in Pſalm. *f Numquid Sion dicet, Homo, & homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam Altiſsimus:* quorum germanus ſenſus hic eſt: Nunquid Sioni dicet aliquis; numquid de Sione dicetur ab aliquo; homo, & homo, id eſt, aliquis homo magnus, inſignis aliquis Princeps natus eſt in ea? Ac ſi ſubintelligatur: Non: pro quo lectio, quam modo habent textus Septuag. in Græcis codicibus nuper impreſsis, Pſalterium Romanum, Æthiopicum, & Arabicum, quamue ſequuntur Tertullianus libro aduerſus Praxeam cap. 17. Ambroſius in oratione in obitu fratris poſt initium, & Auguſtinus in expoſitione Pſalmorum, expreſsius habet: *Mater Sion dicet, homo, & homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam Altiſsimus*, id eſt, Chriſtus homo dicet Sioni mater, qui natus, ſeu (vt alij legunt) factus eſt in ea homo, quando Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis; & ipſe, qui in illa natus eſt, fundauit eam altiſsimus.

Tertullian. Ambroſ. Auguſt. *f Pſa.86.5.*

Notandum quarto, diem ſacratiſsimā Pentecoſtes aptiſsima metaphora nominatā diem deſponſationis Chriſti, nam, ſi ex communi Hebræorum conſenſu eadem dies, quatenus in ipſa à Deo data fuit lex in monte Sinai, dicitur dies deſponſationis Dei, quādoquidem in illa Deus per legis fœdus Synagogam ſibi adſciuit in ſponſam, iuxta id, quod conteſtatus eſt Dominus apud Ierem. Prophetam, dicens: *g Recordatus ſum tui miſerans adoleſcentiam tuam, & charitatem deſponſationis tuæ, quando ſecuta es me in deſerto, in terra, quæ non ſeminatur:* Multo certe congruentius dicitur, dies deſponſationis Chriſti; cum in illa nedū legem Spiritus, ſed & ipſummet Spiritū ſanctum Chriſtus diſcipulis ſuis tradidit in monte Sion; per quem Spiritum cum Eccleſia, quam ſibi deſponſarat in Cruce, perfectiſsimum inijt matrimonij fœdus. Enimuero, ſi matrimonij eſſentia ſita eſt in indiuidua animorū coniunctione, qua coniuges ſimul nectuntur; & certe per Spiritus ſancti miſsionem animum ſuum Eccleſiæ cōmunicaturū ſe eſſe, ipſemet pollicitus eſt ſponſus, dicēs: *h Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunque audiet, loquetur, & quæ ventura ſunt annunciabit vobis: Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.*

6

Dies Pentecoſtes quam recte dictus dies deſponſationis Chriſti cum Eccleſia.

Per Spiritum ſanctum fit matrimoniū inter Chriſtum, & animas fideles.

g Ier.2.2. *h Io.16.13.*

Quod ſi Spiritus ſanctus in diuinis id habet muneris, vt nectat Patrem, ac Filium; atque adeo nexus nomine nuncupatur: quis abnuat, & iſtud ipſum munus ab eodem exhibitum, cum & ad Eccleſiam miſſus à Chriſto eſt? Idcirco præclare Apoſtolus ait: *i Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis:* quo loco nomine charitatis Dei Paulus mutuam intelligit charitatem, tum eam, qua Deus nos proſequitur; tum illam, qua nos item diligimus Deum: per Spiritum enim ſanctum ambæ ſimul hæ charitates nexæ ſunt noſtris cordibus.

i Rom.5.5.

Notandum quinto diſcrimen, quod eſt inter hanc deſponſationem Chriſti cum Eccleſia, ac deſponſationem carnalem matris, & feminæ. Enimuero carnalis deſponſatio etſi ad filiorum procreationem tendat;

Dies deſponſationis Chriſti præſupponit filios, cuius rei

Contrarium aduertitur in die deſpõſationis carnalis maris & fœminæ.

tantum nihilominus abeſt, vt filios iam procreatos præſupponat, vt potius ſponſorum nomen ab ijs auferat, qui deſponſati ſunt: ſic quippe experimento animaduertimus, moris eſſe, vt ſponſi vocentur, donec filij procreati ſint, & omnino vſque ad primum partum, ni forſitan is in longum tempus differatur.

Seruitio Dei addicti, Deũ ipſum coronantes Regnũ illi quodammodo conferunt.

At vero deſponſatio iſta Chriſti Salomonis noſtri è contrario ſe habuit: nam nedum directa eſt ad filiorum procreationem, ſed & filios præſuppoſuit Apoſtolos, illoſue omnes, ſuper quos in die Pentecoſtes deſcendit Spiritus. Quod ſi in prophetia Ioelis, in qua eadem prædicta eſt deſponſatio, haudquaquam filij appellati ij ſint, ſed ſeruí, & ancillæ, cum dicatur ab ipſomet ſponſo: *k Effundam ſpiritum meum ſuper ſeruos meos, & ancillas meas:* Id propterea factum eſſe crediderim; vt intelligeremus id, quod & in hac ſententia indicatur; tunc temporis per id potiſsimum ſponſo collatam à filijs illis gloriam, quod eius ſeruitio addicti eſſent. Vnde apud Iſaiam inquit: *l Seruus meus es tu Iſrael, quia*, id eſt idcirco, *in te gloriabor*, iuxta phraſim illam frequenter in ſacris paginis obſeruatam, qua particula, *Quia*, vſurpatur pro alia particula, *Ideo*, & non tam cauſam ſignificat, quam effectum, vt apud eundem Prophetam in cap. 45. *m Ego Deus, & non alius, in memetipſo iuraui, egredietur de ore meo verbum iuſtitiæ, & non reuertetur, quia mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua:* id eſt. Ideo mihi curuabitur, &c. quia ego Deus, &c. Atque adeo ſeruis ijs, ſuper quos effudit Spiritum ſanctum, tanquam glorioſiſsimo diademate coronatus hoc loco dicitur in die deſponſationis ſuæ, & appellatur Rex, dum eo coronatus eſt diademate: nam & Regis nomen, & regnum, cuius inſigne eſt diadema ad ſeruitium maiorem habent reſpectum, quam ad filiationem. Quam ob cauſam, cum per Iſaiam Prophetam ijdem dicti ſunt futuri Dei corona, ac diadema; non tam in illius capite, quam in eius manu futuri dicuntur in hæc verba: *n Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema Regni in manu Dei tui:* vt ſignificetur, eatenus illos Deum coronaturos, quatenus ita eius ſeruitio addicti fuerint, vt quaſi ad manus illos habens Deus eorum miniſterio vti poſsit, quacunque in re ſibi libuerit. Quamuis per Propheticam iſtam locutionis formam duo inſuper deſignentur. Primum, quod, etſi Chriſtus à Sion matre ſua coronatus dicatur corona iſta; haud tamen coronatus ab illa fuiſſet, niſi ipſemet ſibi ex multis filijs multiſue ſeruis, quos ad ſuum ſeruitium aduocarat, quaſi ex multis, varijſue floribus, necnon & ex pretioſis gemmis talem manibus proprijs ſibi contexuiſſet coronam. Secundo, per hoc ipſum confirmatur id, quod in hoc verſ. 11. dicitur: eumdem Chriſtum Dominum hoc diademate coronatum *in die deſponſationis, & in die lætitiæ cordis eius:* & quam verum id ſit, quod ex hoc diademate ſummam perceperit, percipiatue cordis lætitiam, quando tunc deſponſatus eſt, & quando nunc pariter deſponſatur denuo in conuerſione infidelium, vel peccatorum. Enimuero, dum dicitur, tenere in manibus huiuſcemodi coronam, qua coronatus eſt in die deſponſationis, profecto cenſendus eſt illam tanquam rem ſibi maxime iucundam hoc pacto in manibus tenere: vt nimirum ipſam ſemper ob oculos habeat, in qua oblectetur, ac per quam in intimis præcordijs dulciſsimo perfundatur gaudio: ita vt propterea & id pariter verificatum intelligamus poſt prædicta, quid in hoc quoque ſenſu per eundem Prophetam eſt pollicitus: *o Non vocaberis vltra derelicta, ſed vocabitur voluntas mea in ea: quia complacuit Domino in te: Et gaudebit ſponſus ſuper ſponſa, & gaudebit ſuper te Deus tuus.*

k Ioel. 2. 19.

l Iſa. 49. 3.

m Iſa. 45. 22.

n Iſa. 62. 3.

Diadema fidelium Deus ipſe ſibimet contexit.

In diademate fidelium lætatur corde Deus.

o Iſa. 62. 4.

Verſ. XI. cap. III. *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua in die deſpõſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.*

Expositio III.

De ſecunda Sponſa, quæ eſt Anima Sancta.

FAbuloſa certe narratione fertur apud Antiquos Scriptorum, Muſas ex pennis ijs coronatas, quas ex deuictarum Sirenum alis euulſiſſent: ſummumque apud Romanos victoriæ ſignum extitit, herbam porrigere victos, ideoque graminea corona coronarum omnium nobiliſsima exiſtimata apud illos eſt, teſte Plin. lib. 22. cap. 4. & Aulo Gellio lib. 5. cap. 6. At, ſi vel Muſas demirabantur infelices Gentes, cum illas eo diademate depictas, aut inſculptas viderent: vel ſtrenuum Ciuem, aut Imperatorem aliquem obſtupeſcebant populi, quem in triumpho redimitum intuebantur corona graminea: Multo ſane rationabilius fideliũ quilibet mirari debet Chriſtum Regem Salomonem, triumphantem quidem ſuper inuſitatum currum: ſed & corona redimitum compacta è ſpinis decerptis è terra, quam ab hoſtibus abſtulit, cum Principem huius mundi foras eiecit. Ad tam eximium ſpectaculum contemplatiuas quaſque animas inuitant cæleſtes ij ſpiritus, qui in præcedentibus piam animam alloquẽtes, triumphalem Sanctiſsimæ Crucis currum, Chriſtumue in eo triumphantem deſcripſere: Non alloquuntur autem vnam illam animam tantum: ſed vniuerſas, quotquot per contemplationis ſtudium inter filias Sion connumerari meruerint: ab ingenti ſiquidem, & glorioſiſſima eius, qui in prædicto curru reſidebat, maieſtate commoti ſtatim ac dixerunt: *Media charitate conſtrauit propter filias Ieruſalem*, eo ſenſu, quem ſupra explicaui in 3. expoſitione: ex abrupto in hanc prorumpunt exclamationem: *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem*, &c. inuitantes ipſaſmet filias Ieruſalem, propter quas ſponſus ſe exhibuit charitatem, igneque amoris combuſtum ſuper Crucem; vt illum contemplentur in ea ipſa corona, qua à Synagoga matre ſua coronatus eſt tempore paſſionis, quod certe extitit dies deſponſationis, atque lætitiæ ipſius, vt infra oſtendetur.

7 Pierius Valer. lib. 21. ex Pauſania, & Euſtachio. Spinea corona gloriosiſſima Chriſto, quia è ſpinis compacta eſt, quas diabolas porrexit victus. Plin. Aul. Gellius.

Primus ſenſus. *Tertullian. Athanaſius Patres. Ruffinus. Proclus. Caſsiod. & alij.*

Vt ſenſus iſte bene percipiatur, & vis totius ſententiæ huius innoteſcat, ſingula examinanda ſunt verba: in primis vero explicandum id, quod totius ſententiæ cardo eſt, & fundamentũ: Ad quid Chriſtus ſponſus ſpinis, quæ dedecus potius, & cruciatus afferũt, coronari voluit: cum è contra per coronam vt ſic, ſumma deſignetur gloria, & cõmoda omnia: Quidue myſterij in hiſce lateat ſpinis. Et quidem, etſi potiſſima ea ſit horũ ratio, quæ iam tacta eſt: quia videlicet ſpinas ab ea decerpebat terra, quam victor abſtulerat à Principe mundi huius per paſſionem ſuam: Notum eſt quippe, ſpinas poſt Adæ peccatum eſſe propriiſſimum germẽ terræ, in qua homo obſeſſus tenebatur à dæmone, iuxta illud Domini: *a Spinas & tribulos germinabit tibi.*

a *Gen. 3. 18.*

Spinea corona à Chriſto electa, quam vnam hominibus Deus præſtiterat, per quam amiſſum recuperarent regnum.

Regem ſe inſuper vt hominem oſtenſurus, haud aliud eligere debuit diadema, quã iſtud ex ſpinis contextum, vtpote quod vnum hominibus à Deo præſtitum eſſet, quo recuperatam Regis præferrent dignitatem. Enimuero poſtquam homo excidit à paradiſi Regno, in quo ſummam ſuper animantia omnia obtinebat poteſtatem: poſtquam & ab innocentiæ excidit regno, in quo & proprijs dominabatur paſſionibus: poſtquam miſerrimæ dæmonis ſe ſubiecit ſeruituti: tradidit illi Deus miſericors ſpinas, & tribulos è terra, non tam certe in pœnam, quam in remedium infeliciſſimæ ſeruitutis: vt videlicet ſpinas ipſas in corde ſeruaret, doloribus ſe conterens dum alię configerentur peccatorum ſpinæ: vtue ſpinis anguſtiarum, tribulationum, mortificationum, ac cruciatuum ſuum

Spinæ ad quid hominibus collatæ ſint.

ſuum circundaret caput, illas pro ſua eligens corona, in illis quaſi in pretioſiſſimo diademate gloriã ſuam conſtituens; ac per illas victorem ſeſe oſtentans contra ſerpentem. At vero cum miſeri ijdem homines ſpinas quoque à Principe huius mundi vſurpari permiſerint; ita vt ad arbitrium ſuum in eorum damnum ille vel ſolicitudinum terrenarum, vel mundanarum afflictionum, aut ipſarummet iniquitatum aculeis ipſos configeret: & pro ſpinis molles carnalium illecebrarum flores, corruptibileſve voluptatũ ſæculi roſas colligere ſtuduerint, quibus & cor oblectarent, & caput, mentemque ſuam pariter coronarent; dicentes id, quod in libro Sapientiæ ab impiis quibuſdam dictum reperimus: *b Coronemus nos roſis, antequam marceſcant: nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra. Fruamur bonis, quæ ſunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter*: Eorumdem deplorandam ſortẽ miſeratus Rex pacificus Chriſtus filius Dei, vt ſpinas à diaboli manibus eriperet, hominibuſque eas reſtitueret, quibus ſe coronarent, eaque corona redimiti deperditi regni poſſeſſores exhiberentur, ſpineo caput ſuum coronari voluit diademate.

b Sap. 2. 8.

8 *E ſpinis infixis in cerebro Chriſti colliguntur roſæ guttarum ſanguinis, ac tribulationum.*

Porro ſpineam coronam iſtam haud extrinſecus duntaxat circa caput ſuum obuoluit; ſed & intrinſecus fortiter, ac profunde infigi permiſit: ſpinis enim ijs tunc illius tempora & fœdata, & lãcinata aſſerit Tertullianus in libro de corona militis, paulo ante finem: id autem propterea factum eſſe crediderim; vt ijs ipſis conſuleret, qui roſas, quibus ſe coronarent, inquirerent: vt iam non ex roſis illis coronas ſibi necterent, quæ ob humoris defectum tabefactæ marceſcunt, dedecuſue afferunt, atque corruptionem; ſed humidas potius, atque purpureas eas colligerent roſas, quæ ex ſpinis in pinguiſſima cerebri ipſius tellure plantatis, ac radicatis exortæ eſſent, atque defluerent guttas nimirum purpurei ſanguinis eius, quæ è medio ſpinarum inſtar roſarum erumperẽt: vel etiam tribulationes, & ærũnas illas, quas Deus in ipſos immitteret: Eæ quippe ſunt immarceſſibiles roſæ, in planta iſtarum roſarũ permanentes, atque ab illa in perpetuo virore ac pulchritudine conſeruatæ, ex ea iugiter pertrahentes humorem purpurei ſanguinis Chriſti: Ex quibus deinde roſis glorioſiſſimas ſibi componerent coronas, non corruptibiles, vt ante, ſed incorruptas: ita vt cũ Apoſtolo dicere poſſent: *c Gloriamur in tribulationibus*. Regnique cælorum poſſeſſores per illas cõſtituantur, prout ipſemet coteſtatus eſt Rex, qui ſpineo hoc coronatus eſt diademate, dicens: *d Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniã ipſorum eſt* (nõ modo erit, ſed & eſt tunc temporis) *regnum cælorum*, cum roſis tribulationum illarum coronantur.

C

Tribulationes ita coronant iuſtos, vt ſimul conferant & regnum.

c Rom. 5. 3.

d Mat. 5. 10

Quod autem inter ſpinas roſæ exurgant, & flores, titulus ipſe is indicat, qui ſuper ſpineã coronam ligno affixus eſt Crucis, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum: cum enim Nazarenus interpretetur florens, aut floridus: Ieſus profecto floridus per eum titulum promulgatur, ob flores illos, quibus florebat, ſeu potius qui florebant in illo, è ſpinis nimirum ijs, quas titulus affixus contingeret.

E

E ſpinis Chriſti quomodo colligantur roſæ tribulationum.

Si quis vero quærat, qua ratione id intelligatur, quod dictum eſt, è ſpinis Chriſti roſas erumpere, vel ſanguinis eius, vel tribulationum ab eo immiſſarum, vel quas propter illum iuſti patiuntur, quas fideles colligãt; iſſue ſe coronent: Dicendũ, intelligi id debere, quatenus tribulationes hilariter, glorianterue ii tunc perferunt, quando norunt, ſe per illas communicare Chriſti paſſionibus; & quando in ijſdem exiſtentes, Chriſto inhærent patienti, cum eius paſſionibus ſuas conferentes. Quod ſuadet Apoſtolus Paulus ad Hebræos, dicẽs: *e Rocogitate eũ, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſũ ſemetipſum contradictionẽ, vt ne fatigemini animis veſtris deficientes*: Et Petrus quoque inquiens: *f Chariſſimi, nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis fit, quaſi noui aliquid vobis contingat*; id eſt, Nolite cõmoueri propter tentationũ eſtus, quibus ſicut aurum probamini, quaſi nouis, & inſolitis: Nolite, vt peregrinos vos gerere in feruore tribulationum, quaſi fidelibus, & iuſtis tribulationes nouæ ſint, & inſolitæ: Sed communicantes Chriſti paſſionibus gaudete; vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes.

e Heb. 12. 3.

f 1. Pet. 4. 12.

Ex his igitur omnibus ſatis oſtenſum eſt, quam rationabiliter Chriſtus Dominus ſpineo diademate coronari voluerit; & quomodo glorioſiſſimam iſtiuſmodi exiſtimarit coronam ſpinarum. Quæ cum cæleſtibus ſpiritibus ſatis perſpecta ſint, qua ratione & à quibuſlibet fidelibus tam inſignis videri queat gloria Salomonis, efficaciſſimis profecto verbis hac breui edocent ſententia: *Egredimini, & videte filiæ Sion, Regem Salomonem in diademate, quo, &c.*

Primo per verbum, *Egredimini*, duplicem deſignant neceſſarium egreſſum ad hoc, vt horum compos eſſe quis poſſit. Moyſes quidem, quando grande illud apparuit miraculum, quo ignis in rubo exiſtens, ardebat, & ſpinas non comburebat, ſatis ſibi conſultum exiſtimauit, ſi iret ad videndum, quod apparebat, vnde & dixit: *g Vadam, & videbo viſionem hanc magnam*: quod ſi Deus illi dixit: *Ne appropies huc, ſolue calceamenta de pedibus tuis*, id ei præcepit, vt ex eo intelligeret excellẽtiam diuinæ maieſtatis, quæ ibi præſẽtiam ſuam declarabat debitaque animi ſubmiſſione, reuerentia, ac religione ad locum illum accederet; atque adeo, rationem afferens, quare id illi iuſſerit, ſubiecit: *Locus, in quo ſtas, terra ſancta eſt*. Neque enim illi egrediendum alioquin erat, qui iam egreſſus reliquerat Ægyptum, *h non veritus* (vt ait Paulus) *animoſitatem Regis, inuiſibilem namque tamquã videns ſuſtinuit*: egreſſuque ſuo teſtatus erat, *ſe magis elegiſſe affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem, maioreſue diuitias æſtimaſſe theſauro Ægyptiorum, improperium Chriſti*. At vero nobis, vt grande hoc aliud videamus ſpinarum miraculum, quod glorioſiſſime & Chriſtum coronarint, & fideles quoſque pariter coronent, egrediendum eſt primo à conſueta terrenorum hominum conſuetudine, qua vel ad ſuperbiam aureas quærunt coronas; vel in conuiuijs floribus ſeſe coronant, dum vino inebriantur; vel denique ad luxum è roſis marceſcentia ſibi texunt diademata, de quibus apud Iſaiã dicitur: *i Væ coronæ ſuperbiæ ebriis Ephraim, & flori decidenti gloriæ exultationis eius*: Niſi enim ab hac egrediamur praua hominum opinione, & conſuetudine, ſimulque & à prauo prædictarum coronarum deſiderio, in ſpineum Chriſti diadema oculos cõijcere minime valebimus. Quin, vt homines Regem Salomonem in hoc diademate videre queant, egrediendum inſuper eſt iis à ſe ipſis, vt animales homines ſunt, à proprio ſenſu, necnon & à regulis illis, quibus mundus ſingula examinare ſolet. Niſi enim hoc quoque pacto egrediantur, haudquaquam aliud videbũt, quam ignominioſiſſimam ex ſpinis coronã: nil aliud, quam cruciatus à ſpinarum aculeis inflictos capiti, quod tali redimitum eſt diademate: Egreſſi autem, in ignominia, tormentiſue ijs, quę ſenſu percipiunt, gloriam ingentẽ, ſummumque intelligunt Chriſti gaudiũ: ita vt cum Apoſtolo fateantur videre eum, *k qui modico quam Angeli, minoratus eſt, Ieſum propter paſſionẽ mortis gloria, & honore coronatum: vt gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem*. In hoc quippe is, qui modico, quam Angeli, minoratus eſt, gloria, id eſt felici ſtatu, & honore coronatus eſt, quia Dei gratia, & benignitate pro omnibus guſtauit mortẽ, morſque ipſa, & paſſio talis coronam gloriæ ei contexuit; nam hoc indicat dictio, vt, pro qua in Græco eſt, ὑπὲρ, quæ finem ſignat: Ideo ergo bene ſtatim, ac dictum eſt: *Egredimini*, ſubiicitur: *Et videte*: Sed quia eis, qui poſtquam egreſſi ſunt, videre volunt hanc Chriſti gloriam, neceſſe eſt, vt ſtudio ſeſe dedant contemplationis: idcirco *filiæ Sion* nuncupãtur animæ illæ, quas Angeli ad tam glorioſum inuitant ſpectaculum.

9 *Egrediendũ quomodo ſit ei, qui contemplari velit Chriſtum ſpineo diademate coronatum.*

g Exod. 3. 2.

h Heb. 11. 21.

i Iſa. 28. 1.

k Heb. 2. 9.

Atqui quod Chriſtum Dominum ſpineo diademate redimitũ & Regem appellant & Salomonẽ, ſicque veluti Regem pacificum filiabus Sion illum videre ſuadent, egregium continet myſterium: ita videlicet Chriſtum Regem in hoc diademate repræſentari; vt

10 *Spinea corona Chriſtus ſe exhibet Regem tribulatorum.*

Tribulationes in hæreditarium regnum filijs ſuis Chriſtus reliquit, ſicut iiſdem reliquit & pacem.

miſerorum, ac eorum, qui tribulationibus opprimuntur, ducem ſe ille exhibuit, & vt tribulatorum Rex eſt perpetuus, ſimulque & id indicatur, quod eodē modo tribulationes in hæreditarium Regnum ſuis reliquerit filijs, quo & pacem teſtamēto ijſdem reliquit, cum appropinquās ad mortem dixit: *l Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*; iuxta illud: *m Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur*: Atque adeo bene Apoſtolus Petrus Chriſtianis illis, qui huius Regni tribulationū compotes facti ſunt, ait: *n Si quis patiatur vt Chriſtianus, glorificet Deum in iſto nomine*: in quonam nomine? non ſolum in nomine Chriſtiani, ſed in nomine Chriſtiani tribulationes perferentis: in nomine Regis, quia per huiuſcemodi tribulationū hæreditatem à Chriſto & regnum præſtitum habet: *o Si* enim inquit idē Apoſtolus, *Exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis: quoniam quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui eſt eius ſpiritus, ſuper vos requieſcit*: Quodnam autem regnum glorioſius, ac honorabilius iſto reperiri poteſt, in quo id omne, quod in Deo eſt honoris, gloriæ, & virtutis continetur? Indicatur denique per has ipſas appellationes Regis, atque Pacifici, Chriſtum vt miſerorum Regem in tribulationibus ſummam exhibere pacē; ita vt de ijs, qui tribulationibus ab eo viſitantur, quique in illum ſpinea corona redimitū coniectos oculos habent, id proferri veriſſime poſſit, quod in alio ſenſu de impijs dictū reperimus in libro Iob: *p Eſſe ſub ſentibus, atque ſpinis, delicias computant*. Cum è veſtigio voluptuoſis huius ſæculi hominibus pax ipſa, qua perfrui videntur in proſperis, inexplicabiles contineat ęrumnarum perturbationes, vt illis id cōgruat, quod ſæpius citatum eſt: *q Ecce in pace amaritudo amariſſima*.

In tribulationibus ſummam exhibet pacē Chriſtus ſpinea corona redimitus.

m Ioan.14.17. & 15.20. n 1. Pet.4.16.

o 1. Pet.4.14.

p Iob.30.7.

q Iſa.38.17.

A matre ſua Synagoga, ex qua natus eſt ſecundum carnem, hoc diademate coronatus dicitur Rex iſte noſter pacificus: ſpinarum etenim copiam ingentem apud perfidam illam nouercam potius, quam matrē ipſius reperiri, teſtatus eſt Deus, quando ſub vineæ metaphora beneficia, quæ in eam contulerat, illiuſq; ingratitudinem enarrans, dixit: *r Expectaui, vt faceret vuas, fecit autem ſpinas*: E quibus ſpinis vt è proprio fructu ingratiſſima coronam illi ipſi contexuit, capitique eius infixit, à quo iamdiu glorioſiſſimam acceperat coronam legis.

Synagoga ſpinis Chriſtum coronauit, quia ſpinas tantū producere conſueuit.

r Iſa.5.4. ſecundum Sep.

In tribulationibus cū anima deſponſatur Chriſtus ſitque ei ſponſus ſanguinum.

Denique *in die deſponſationis ſuæ, & in die lætitiæ cordis* item *ſui* hoc diademate coronatus dicitur: diem illum diem deſponſationis primo appellant, qui hic loquūtur; non ſolum quia tempore paſſionis in Cruce mortis ſomno obdormiens, Eccleſiam è latere ſuo ſibi ædificauit *ſ* in ſponſam glorioſiſſimam, *non habentem maculam, aut rugam*, prout communiter hoc loco dicitur, & indicatur ab Apoſtolo in epiſt. ad Epheſ. ſed etiam, quia eo ipſo die, quo ſpinis coronatus eſt, ob ſanguinis copiam, quam largiſſime effudit, & ex toto corpore flagellis vulnerato, & ex capite in primis, ſpinarū aculeis dilaniato, ſponſum ſanguinū piis quibuſque ſe exhibuit animabus: vt intelligerēt, quādocunq; cum ipſo arctius vniri ſtuderent, tribulationum aculeis ſe fore configendos: & exinde quod ſpinas, ærumnaſue in ſe cōfixas ſentirēt, colligerent, tūc arctius ſponſum ſuum ſibi eſſe vnitum, & in proprio ſinu habere ipſum dilecti ſui caput, quod, ſicut ſpinarum, quibus coronatus eſt, puncturis, ita & aculeis ſpinarū dilectionis eorum corda cōfigat intrinſecus.

ſ Epheſ.5.27.

Cum quis tribulatur, ſibi maxime habet tunc Chriſtū.

Porro, ſi dies illa extitit dies iſtiuſmodi deſpōſationis, quis dubiter, eamdē extitiſſe & diē ſummę lætitiæ eius? Quippe qui in die illa in ſponſā eā accepit Eccleſiam, pro cuius dilectione, & deſiderio è cælis ad terras deſcendit, quāue non ſanguine incircunciſorum, *t* vt Dauid Michol, ſed ſanguine deſpondit proprio.

t 1.Reg.18.27.

In paſſione quomodo lætatus ſit Chriſtus.

Præclare autem, *non lætitiæ eius* ſimpliciter dicitur dies illa, ſed *lætitiæ cordis eius*: nā re vera in corde duntaxat, & in parte ſuperiori lætitia perfuſus ille eſt, propter quā lætitiā fortaſſe dixit Apoſtolus, *u* eū *propoſito ſibi gaudio* ſuſtinuiſſe *crucem confuſione contempta*: In parte ſiquidem inferiori inexplicabili mœrore confectū ſe aſſerit, cum ait: *x Triſtis eſt anima mea vſque ad mortē*, propter quam triſtitiam *y factus* eſt *in agonia, & factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis*; &, cum diſciplina pacis noſtræ ſuper eum tunc fuerit, mœror ſolūmodo, & dolor in illo apparuit: *z Omnis quippe diſciplina in præſenti* (vt ait Apoſtolus) *videtur nō eſſe gaudij, ſed mœroris*. Quamquā & nomen iſtud *lætitiæ cordis* aliud quoque deſignet, lætiam nimirum illam, qua tunc perfuſus eſt, cum ſpineo diademate eſt coronatus; cumque per paſſionem ſuam ſponſus ſanguinum eſt factus, veriſſimum extitiſſe gaudium, maximū gāudiorū, quæ illi in hac vita contingere potuerint: ſicut in ijs, cum quibus deſponſatus eſt, haud prętantius eſſe poteſt gaudium, quā cum tribulationes pro illo ſuſtinent: atque adeo gaudiū iſtud *a* Omne gaudium appellat Iacob in ſua Canonica dicens: *Omne gaudium exiſtimate fratres chariſſimi, cum in varias tentationes incideritis*. Neque vere quis in tribulationibus dicēdus eſt gaudere vt Chriſti ſpōſa, niſi toto lętetur corde: Tale demum eſt gaudium iſtud, vt de eo duntaxat in præſenti vita dici id queat Domini: *b Gaudiū veſtrum ſit plenum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis*: Quod certe facillime in vnoquoque noſtrū fieri poteſt: quandoquidem, etſi tribulationes ſpinę ſint, quibus à Chriſti corpore cōpungimur: ſunt tamen abſque aculeis: quia (vt bene notat Tertullianus) omnes aculei mortis in Dominici capitis tolerātia obtuſi sūt.

x Mat.26.38.

y Luc.22.44.

z Hebr.12.11.

Gaudium Chriſti in paſſione maximū: ſicut & gaudium, quod habent iuſti in tribulationib. maximum item eſt.

a Iacob.1.2.

b Ioan.16.22. & 24.

Tertul. lib. de corona militis.

Iuxta ſecundum ſenſum: Pia illa anima, quæ Chriſto eſt deſponſata, haud inuida de aliorum profectu, ſed congaudens iis, quos in via Dei proficere, animaduertit: cupienſque vt omnes, & ſingulæ animæ arctius cum Chriſto iungantur, de cuius amore nil ſibi minui nouit, etſi ille ab innumeris in ſponſum aſſumatur: Anima, inquam, iſta dilectum ſuum in agro Eccleſiæ procedentem intuēs, eximio charitatis cultu ab alia quapiam anima decoratum, tanto dictæ alterius animæ congaudens progreſſui, illū non modo admirans, ſed & vniuerſos fideles ad eius admirationem alliciens, hæc ait: *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo, &c.*

II Secundus ſenſus.

Charitas eſt ornatus nuptialis Chriſti, atque piarum animarum. c Matth.11

Circa hunc autem ſenſum, notandum primo; recte dici charitatem eſſe elegantem illum cultum, quo exornatur Chriſtus Dominus; ea quippe eſt *c* veſtis illa nuptialis, quam qui non habet, iuxta eiuſdem Domini parabolam, è nuptijs expellitur: Vnde bene in die deſponſationis hac exornatus dicitur Salomon, haud ab alio prorſus, quam ab illo, qui ſeipſum primo ea induerit. Hoc quippe veſtis huius eſt proprium, vt tam diligentem, quam dilectum exornet, vnicoque actu diligens, dum ea amicitur, ſimul quoque & eum, qui diligitur, eadem cooperiat. Quamuis vero prius diligentem animam operiat, vtpote ſubiectum, cui inſidet; principalius tamen, atque præſtantius Deum exornat, ad quem tota directa eſt, quemue vnum habet obiectum. Atque hinc factum eſt, vt hoc loco eam obſtupeſcat pia anima, vt eſt ornamentum Salomonis potius, quam vt eſt ornamentum eius animæ, quæ ipſum diligit Salomonem.

Charitas quomodo, & quale ſit diadema.

Porro veſtis iſta, eleganſue iſte charitatis cultus idcirco diadematis nomine hic appellatur; quia ſupponitur, Deum nobis efficere Regem pacificum, & exhibere eidem Deo, quaſi inſigne quoddam eius Regni pacis. Tametſi ipſamet charitas re vera ſit & diadema haudquaquam aureum, ſed floridū, quali ab Antiquis coronabantur Deorum ſimulacra, compactū ex floribus omnibus, varijſue: at non marceſcētibus floribus illis, quibus marcidæ coronabantur falſorum Deorum imagines; ſed incorruptibilibus, ſuauiſſimeque olentibus virtutibus omnibus, quæ vna cum ipſa ſunt charitate, in ipſa vna arctiſſime intertextæ. Diadema ſane, quod in circulum productum, ac pro vno Deo compactum, tamdiu diadematis formam continet, quamdiu in Dei eſt capite: Charitas enim à primo præcepto dilectionis erga Deum initium ſumens, extenſa deinde ad dilectionem ipſius diligētis, tertio ad dilectionem aliorum omniū, quotquot ſub proximi nomine continentur, ſiue cognati ij ſint, ſiue noti ſiue

amici,

amici, siue inimici; in circulum tandem concluditur, eum in primum desinit punctum; quando amans diligit & se, & quoscunque alios ob vnum solummodo Deum: sicque pariter à Dei capite nunquam seiuncta est; vt & quicquid anima agit, ex habitu virtutis cuiuslibet ad vnum eundemque Deum directum sit intra ipsam charitatem, cui intertextum id omne est.

Secundo notandum, per id, quod dicitur: *Quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius*; non modo significari id, quod à compluribus forsitan animaduersum est; vnam eandemque animam esse & matrem, & sponsam Christi, quando ille sit coronatus diademate charitatis: sponsam, cum qua ille fecit desponsationem: matrem, quia ipsa fecit voluntatem Dei, iuxta illud: *d Quicunque fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.*

d Mat. 12. 50.

Vnico actu charitatis feruentis pia anima sit mater, & sponsa Christi, eundemque coronat ipso charitatis diademate.

Verum, si subtilius singula perpendantur, innuitur non obscure, qua ratione vno eodemque die, vnicoue actu anima ipsa, & matrem se exhibet Christo Domino, & ab illo sponsatur, & vicissim illum diademate coronat charitatis.

Hæc omnia facile explicantur per ea modica verba, quibus Paulus alloquens Galatas, ait: *e Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*: per quæ Apostolus significat, se in filiolis illis suis tamdiu dolores partus sentire (hãc enim vim habet verbum, ὠδίνω, quod est in textu Græco) quamdiu in eis formatus sit Christus, non per alios, sed per ipsosmet: norat nempe Apostolus, illos, cum ad istiusmodi statũ peruenissent, haud vllum amplius dolorem, aut metum sibi causaturos, nec amplius in filiolorum, atque infantium ordine censendos, ita vt sua eis opera necessaria sit, qui euecti iam essent ad tantam dignitatem maternitatis Christi. Porro tunc anima ad hoc peruenit, vt tanquam pia mater formet Christum in se, cum ad eum euehitur charitatis gradum, vt Christi imaginem in suo habeat corde, vt, sicut in illo portauit imaginem terreni, ita & imaginem portet Adam cælestis, non quidem mortuam, sed viuam, quam ipsa in se effinxerit, & à qua postmodum vitam accipiat, & dicat: *f Viuo ego, iam non ego, viuit vero in me Christus.* Cum ad hoc peruenerit, tunc est dies illa desponsationis Christi: tunc, quæ mater est, per istud ipsum, quod mater facta est Christi, facta pariter est & sponsa eiusdem: nam, sicut per desponsationem carnalem vterq; coniugũ coniugi suo tradit vniuersa, quæ in se sunt, quęque extra se habet in bonis: Ita & per hanc spiritualem formationem Christi anima cor suum, potentias omnes, membra vniuersa, & quicquid habet honorum temporalium Christo suo elargitur sponso. Ac Christus pariter vna cum imagine sua, quam intra cor eius esse concedit, non modo vitam sponsæ suæ tribuit, vitam, inquam, suam, qua viuit ipse in illa; sed & cuncta, quæ habet siue in cælo, siue in terra, ipsi communicat, eorumque omnium dominam quodammodo & illam constituit, ita vt quemadmodu ipse est Rex, sic & Reginam ipsam efficiat, eiusdem regni sui dominium illi communicans, prout Apostolis contestatus est, dicens: *g Ego dispono vobis Regnum, sicut & disposuit mihi pater.* Atqui per hunc ipsum tam eximium charitatis actum, quo anima sancta despõsatur Christo, cuius mater facta est, dum illum eo actu formauit in semetipsa: & in die eiusdem desponsationis ipsamet, quæ facta est mater Christi, insigni diademate charitatis ipsum coronauit; atque adeo cum tanta, adeoque præclara in vnico fiant actu, pium quemque ea admiratione percellunt, vt exclament: *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius.*

e Gal. 4. 19.

f Gal. 2. 20.

In desponsatione Christi, & animæ fit mutua communicatio bonorum ad inuicem.

g Luc. 22. 29.

In feruenti actu charitatis summũ est gaudium, tum Christo, qui diligitur, tum animæ, quæ diligit.

Egregie autem dies ista desponsationis Christi atque animę dicitur, & dies lętitię cordis eius: sic enim additur: *Et in die lætitiæ cordis eius*: Qua quidem voce, lętitiæ cordis eius, verum, ac vnicum, illudue summum significatur gaudium, quo Christus perfunditur inter homines: id autem est, quando per desponsationem dilectam sibi animam ita præsentem habet: vt cum illa eo modo, quem explicaui, in eius vnicus sit corde, iuxta id, quod supra etiam relatum est: *h Gaudebit sponsus super sponsa, & gaudebit super te Deus tuus.* Porro, cum mutua sit dilectio, mutua & desponsatio Christi, & animæ, per hoc sane, quod dies illa desponsationis Christi dicta est & dies lætitiæ cordis eius, vt ostensum est, innuitur, in eo ipso actu charitatis, quo anima modo iam declarato desponsatur Christo, veram, ac summam, quam in hac vita habere potest, illam percipere lætitiam, quam idcirco lætitiam cordis eius aptissimo vocabulo nuncupare debemus; quia re vera est in eius corde, quod vnitum habet cum Christo, quem formauit in corde ipso suo: lętitiam sane talem, vt ei vni in hac vita competat quoquo modo fruitionis nomen; cum ita ex amore inhæreat Christo, vt de illius præsentia delectetur, & ex eius amplexibus voluptatem capiat, qui est summum bonum, in cuius solius amplexibus, & possessione fruitio sita est omnis.

h Isa. 62. 5.

Quod ergo dicit, quæ hic loquitur pia anima, tale est. O animæ, quotquot ad Siõ anhelatis cælestẽ, quid vos intra domesticos continetis parietes, intra consuetos mediocris charitatis gradus, & intra vestri ipsius considerationem? Egredimini iam, & eximium considerate sublimis animæ profectum, quæ formans Christum Regem Salomonem intra cor suum, desponsata cum illo tunc est, quando, instar tenerrimæ matris eius, charitate ipsa sua illum elegantissimo ornauit cultu; & diademate coronauit regio, pacificum eum sibi faciens Regem suum; & per eandem charitatem eo ipso temporis momento, quo ei desponsata est dilecto, Regique suo, immensa perfusa est fruitione illius. Quin *egredimini, & videte* ipsummet *Regem Salomonem* in hac veste nuptiali, & *in* hoc charitatis *diademate, quo coronauit illum mater* ista *sua in die*, qua ipse cum illa est desponsatus, die profecto *lætitiæ cordis illius*, necnon & summi eius gaudij, quo ipsa in hac valle lacrymarum perfrui potest anima mater, & sponsa tanti Regis.

Paraphrasis.

Vers. XI. cap. III. *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua in die despõsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.*

Expositio IIII.

De tertia Sponsa, quæ est Beata Virgo Maria.

12

Christus in Præsepio diademate coronatus conspicitur, dum carne circumdatus est, atque fascijs.

SI ad videndum Christum Dominum in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento existentem in eo ipso corpore, quo à Matre sua Maria indutus est in die conceptionis ipsius, singulos quosque fidelium recte per ea, quæ hic habentur, cælestes spiritus inuitarunt, vt ostensum est in primo sensu secundæ expositionis: haud minus profecto congruenter, per eadem ad ipsummet Christum recenter natum, & in Præsepio iacentem inuitari, crediderim: Vt ijdem Angeli, qui in præcedentibus Mariam Virginem alloquentes, sacrosanctum ei descripsere Præsepe, in quo natum sibi filiũ reclinatura erat Regem Salomonem; filias Sion, & habitatores Ierusalem, propter quos in primis charitatem illum se exhibuisse significarant, ex abrupto inuitent, vt ad magnificentissimum Præsepis ferculum tendant, videantque Regem pacificum Christum in diademate, quo ipsamet die, qua natus is est, coronauit illum mater sua, carne, ac fascijs circumdatum pro diademate tunc temporis, quando sponsum hominum se exhibuit, quando & pro summis delicijs suis elegit, esse cum filijs hominum.

Diadema regium apud veteres fascia candida erat.

Pro cuius sensus intelligentia, notandum primo, Antiquis tum Romanis, tum exteris Gentibus diadema Regium extitisse candidam fasciam, quod latius probat Alexander ab Alexandro in libro primo suorum Genialium cap. 28. nihilq; apud illos interfuisse, qua in parte istiusmodi fascia gestaretur: Ideo namq;

Cæl. Rhodi. lib. 24 c. 6.

Ammianus Marcellinus in monumentis Pompei.

Pompeio magno crimini datum eſt, quod vlceris ve- A landi cauſa crus faſcia circumcingeret, tanquam Regium diadema ſibi vendicaret: quia obiiciebant ei, nihil referre, qua in parte geſtaretur. Ex quo colligitur non inepte dictum, Regem Salomonem noſtrum, cum faſcia à Matre ſua circumcinctus eſt in die Natiuitatis, diademate regio ab eadem coronatum. Nec enim refert, quod haud caput, ſed corpuſculum totum ea faſcia circumcinctum ſit, hoc quippe myſterioſe factum eſt; vt ſignificaretur, Chriſtum Dominum haud vt Deum natum Regem Salomonem, & Regnũ Dauid Patris ſui obtinuiſſe: ſed vt hominem; atque à Rege Dauid ſuſcepiſſe carnem, & corpus. Porro, B cum caput ipſius typus eſſet Dei, quatenus, iuxta id, quod ait Apoſtolus, *a Caput Chriſti Deus*, ideo non in capite, ſed in corpuſculo coronatus eſt.

Chriſtus quare faſcia vt diademate coronatus à matre ſit nõ in capite, ſed in corpore.

a 1. Cor. 11. 13.

Quod ſi quis contentioſius proponi hoc loco velit, à Maria coronatum ipſum Chriſti caput, haud ſane refragabor, dummodo per diadema non faſciam candidam proprie, ſed tranſlate accipiat, vt denotat carnem omnimoda puritate candidiſſimam, quæ inſtar lineę faſcię Deum quodammodo circumcinxit, & coronauit: ſicque caro, quam B. Virgo tradidit Verbo, eo modo, quem ſupra proſecuti ſumus in primo ſenſu ſecundę expoſitionis, recte diadema Regium dicitur: vtpote per quam Verbum incarnatum habuit Regnũ C Dauid, vt dictum pariter eſt. Tali autem Salomon iſte noſter à matre ſua coronari voluit diademate, quod & in faſciæ candidæ vſum aptum eſſet; vt vulnera alligaret: enimuero, quemadmodum legimus, Magnum illum Alexandrum diadema ſibi aliquando detraxiſſe, eoque amici ſui Lyſimachi vulnus alligaſſe medendi vulneris cauſa: Ita & Chriſtus Dominus diadema iſtud corpus ſuum, faſciam candidiſſimam tunc ſibi pro noſtris medendis vulneribus detraxit; quando b *corpus* ſuum *dedit percutientibus*, *genas* ſuas *vellentibus*: eodemque tempore & hominum vulnera illo alligauit, prout clare prædixit Iſaias, dicens: c *Erit lux lunæ ſicut lux Solis: & lux ſolis erit ſeptempliciter, ſicut lux ſeptem dierum in die, qua alligauerit Dominus vulnus populi, & percuſſuram plagæ eius ſanauerit.* Quod ſi Alexander ob alligationem illam cum ſuo diademate omen præſtitit, Lyſimachum futurum Regem, prout euentus docuit: & Chriſtus certe ob alligationem factã cum diademate carnis ſuæ Regnum exhibuit alligatis: Id quod ſancta illa quatuor animalia in libro Apocalypſis, & viginti quatuor ſeniores in memoriam ſidi reducentes ob viſionem Agni ſtantis tanquã occiſi, & gratias d hac de re eidem agentes fatentur, dũ dicunt: d *Dignus es Domine accipere librum, & aperire ſignacula eius: quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, & feciſti nos* E *Deo noſtro regnum, & ſacerdotes, & regnabimus ſuper terram.*

Simile.

Alexander loco citato.

b *Iſa. 50. 6*

c *Iſa. 30. 26.*

d *Apo. 5. 9.*

Notandum ſecundo, Chriſtum Dominum in Præſepio natum, ſtatim ac in lucem editus eſt, etſi paruulus eſſet, & infantulus, ſe exhibuiſſe ſponſum Synagogæ, & vniuerſis animabus illis, quæ ſibi ſponſari vellent in fide; ſicut & in primo inſtanti conceptionis ſponſum ſe exhibuit humanæ naturæ, quam aſſumpſit: Vnde, ſicut de deſponſatione ea dictum eſt per Ieremiam: e *Femina circundabit virum*, id eſt, Dei genitrix Maria circundabit, geſtabitque in ventre ſuo filium, qui in ipſomet vtero illius erit vir, & Sponſus: Ita & de deſponſatione hac dictum pariter eſt per Zacha- F riam: f *Ecce vir, oriens nomen eius*, id eſt. Ecce rem non minus nouam, quam ſuperiorem: Nomen Chriſti, qui orietur in mundo eſt, Vir oriens, id eſt, ſponſus in ipſomet ortu ſuo.

13

Chriſtus in Præſepio etſi paruulus corpore eſſet, ſponſam ſe exhibuit animarum.

e *Ier. 31. 22.*

f *Zach. 6. 12*

Notandum tertio, recte Chriſtum quando in carnis diademate proponitur, appellari Regem: & diem illam, in qua is cum huiuſcemodi diademate prodijt in mundum, nuncupari diem deſponſationis eius: Enimuero etſi ipſe re vera Rex eſſet, & ad hoc venerit, vt teſtatus eſt, quando Pilato ſibi dicenti: g *Ergo Rex es tu?* reſpondit: *Tu dicis, quia Rex ſum ego: Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum: vt teſtimonium perhibeam veritati*, id eſt vt verum me Regem exhibeam; haud

Chriſtus natus eſt rex ſimul, & ſponſus, quia rex amoris, & per amorem regnaturus venit.

g *Ioan. 18. 37.*

tamen eo modo, talemue ſe præſtitit Regem, quales ſunt Reges huius ſæculi; ſic enim dicebat aliquando diſcipulis ſuis: h *Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur*; id eſt, Reges terræ tales ſunt, adeoque terribilem exhibent poteſtatem; vt miſeri ſubditi etiam tunc, cum per potentiam ab illis premuntur, cogantur eos appellare beneficos: Et ſubdit: *Ego autem in medio veſtri ſum, ſicut qui miniſtrat*, id eſt, Ego ſum certe Rex, & veſter Rex; ſed eo modo, vt vobis in omnibus, & per omnia miniſtrẽ in ijs, quæ vobis expedire cognouerim. Rex eſt, qui non metũ incutit, ſed amorem, qualem Patres ij apud Iſai. expetebant, cum dicerent: i *Emitte agnum Domine dominatorem terræ*: Dominatorem, qui ſimul & agnus ſit, quiue Rex ſit, ſed dominetur vt agnus manſuetus; qualem & Zacharias pollicitus eſt, cum dixit: k *Dicite filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus*: qui regnet, regatque vt ſponſus, pulchritudine, ac decore ſuo vniuerſos ad ſui pertrahens dilectionem, prout illi in ſpiritu ſuadet Dauid dicens: l *Specie tua & pulchritudine tua intende, proſpere procede, & regna.* Atque adeo quamdiu in hoc mundo cum hominibus conuerſatus eſt, vt ſponſum ſeſe exhibuiſſe, teſtatus eſt, dicens: m *Nunquid poſſunt filij ſponſi lugere, quamdiu cum illis eſt ſponſus? venient autem dies, cum auferetur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt.* Et Ioannes Baptiſta ſponſum pariter illum appellauit, cũ dixit: n *Qui habet ſponſam, ſponſus eſt: amicus autem ſponſi, qui ſtat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi.* Porro, cum & Rex, & ſponſus natus ſit, digniſſimo, & congruentiſſimo nomine Rex pacificus dictus eſt: quia ſpõſus exiſtẽs, & agnus, iuxta id, quod per Prophetam ei prænuntiatum eſt, o *Propter veritatem* fidelitatis ſponſi, *& manſuetudinem* agni, *& iuſtitiã* Regis *deduxit* illum *mirabiliter dextera* ipſius, vt pacifice vniuerſam Eccleſiam regeret fidelium, cum quibus deſponſatus eſt, quoſue ſuum effecit Regnum.

h *Luc. 22. 25.*

i *Iſa. 16. 1.*

k *Zach. 9. 9.*

l *Pſal. 44. 5.*

m *Mat. 9. 15.*

n *Ioa. 3. 29.*

o *Pſa. 44. 5.*

Natiuitatis dies Chriſto extitit dies ſummi gaudij.

Notandum quarto, diem Natiuitatis Domini dictam congruentiſſime non modo *diem deſponſationis illius*; ſed & diem *lætitiæ cordis eius*: quia tantus extitit illius erga homines charitatis ardor, vt tunc maxima perfuſus ſit voluptate, cum mundo exoriens, hominum ſponſus eſſe cœpit in carne. Quam lętitiam cordis eius præclare expreſſit Sophonias Propheta his verbis: p *Lauda filia Sion iubila Iſrael: & lætare, & exulta in omni corde filia Ieruſalem: Abſtulit Dominus iudicium tuũ, auertit inimicos tuos: Rex Iſrael Dominus in medio tui, non timebis malum vltra. In die illa dicetur Ieruſalem; Noli timere: Sion non diſſoluantur manus tuæ: Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipſe ſaluabit: gaudebit ſuper te in lætitia, ſilebit in dilectione tua* (paruulum ſcilicet ſe exhibens propter tui dilectionem, ita vt loqui nequeat, qui dat tibi loquelam, vt eum laudes) *& exultabit ſuper te in laude*; vel, (vt eſt in verſione Septuaginta) *& lætabitur in te in delectatione, quaſi in die ſolemni*; id eſt, in die lætitiæ cordis, & deſponſationis ipſius.

p *Soph. 3. 14*

Verſ. XI. cap. III. *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua in die deſpõſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.*

Appendix Expoſitionum, Ex antiquis Patribus collecta.

14

PAraphraſis Chaldaica: Quando venit Salomon Rex, vt faceret dedicationem domus ſanctuarij, præco egreſſus eſt in fortitudine, & ſic ait: Egredimini, & videte habitatores Prouinciarum terræ Iſrael, & populus Sion diadema, & coronam, qua coronauerunt populus Iſrael Regem Salomonem in die dedicationis domus ſanctuarij, & lætatus eſt in lætitia ſolemnitatis tabernaculorum, quam fecit Salomon Rex in tempore illo quatuordecim diebus.

Quatuor

Quatuor ſunt præcipui explicandi modi, ijque communiores apud Patres, quos & in præcedentibus expoſitionibus pertractatos videre eſt: & quatuor pariter ſunt ſententiæ in explicatione eorum, quæ in hoc verſu dicuntur.

Diadema Chriſti humanitas ipſius, qua à Maria coronatus eſt in die Incarnationis ſuæ. Athanaſ. Ambroſ.

Prima nomine diadematis humanitatem accipit, qua à Matre ſua B. Virgine Maria Chriſtus coronatus eſt in die Incarnationis, quem appellatum dicit diem deſponſationis illius, & lætitiæ cordis eius. Hāc ſequitur Athanaſius in Synopſi, cum agit de libro Cantici Canticorum, Ambroſius libro de inſtitutione Virginis cap. 16. dicens: Beatus Mariæ vterus, qui tantum Dominum coronauit, quando formauit; coronauit eum, quando generauit; quia, etſi eum ſine aliqua operatione ſui formauerit, quia Spiritus ſanctus ſuperuenit in Virginem: vnde & ipſe in Pſalm. ait:

a *Pſal.* 138. 16. *ſecundum Sept.*

a Inoperatum meum viderunt oculi tui: tamen hoc ipſo, quod ad omnium ſalutem eum concepit, & peperit, coronam capiti eius æternæ pietatis impoſuit, vt per fidem credentium fieret omnis viri caput Chriſtus.

Philo Carp. Caſsiod. Beda. Greg. Pap. Humanitas Chriſti diadema eſt ipſius, quia illa eſt gloria noſtra.

Ita & Philo Carpathius, Caſsiodorus, Beda, ac Gregorius Papa expoſitione in Cantica; vbi hoc pacto ſuper his dubitans, ait: Cum diadema pro gloria aſſumatur, in humanitatis autem ſuſceptione non gloria Verbi Dei, ſed humilitas eſſe cognoſcatur, quomodo humanitate noſtra quaſi diademate Chriſtus C coronatus dicitur? Cui dubitationi ſic ſatisfacit: Cum ipſa Chriſti Incarnatio vere gloria noſtra fuerit; quia membra eius ſumus propter communionem corporis, diadema membrorum bene capitis ſcriptura prædixit.

Bernard.

Bernardus ſermone 2. in feſt. Epiphaniæ Domini, primo vt ad Angelos dicta hæc accipiens, ait: *Egredimini* virtutes Angelicæ, incolæ Ciuitatis ſupernæ. Ecce Rex veſter, ſed in corona noſtra, in corona, qua coronauit eum mater ſua. Sed his delicijs vſque modo caruiſtis, hanc hactenus dulcedinem non guſtaſtis. Habetis ſublimitatem eius; ſed humilitatem eius D non vidiſtis: *Egredimini* igitur, &c. Tum, vt ad homines, eadem dicta aſſumens, inquit: Vobis dicimus *filiæ Sion*, animæ ſeculares, debiles, delicatæ filiæ, non filij, in quibus nihil eſt fortitudinis, nihil eſt virilis animi: *Egredimini* de ſenſu carnis ad intellectum mentis, de ſeruitute carnalis concupiſcentiæ ad libertatem ſpiritualis intelligentiæ: *Egredimini* de terra veſtra, & de cognatione veſtra, & de domo patris veſtri, *& videte*, &c.

Hugo Vict.

Eiuſdem ſententiæ eſt Hugo quoque de ſancto Victore lib. 1. Eruditionis Theologicæ ex Miſcellan. tit. 117. tom. 3.

15 *Spinea corona eſt diadema, quo à Synagoga Chriſtus coronatus eſt. Tertullian. Spinis quare coronari voluit Chriſtus.*

Secunda ſententia ſpineam coronam per diadema E hic ſignificari exiſtimat, qua Chriſtus à Synagoga matre, ſeu potius nouerca ſua coronatus eſt tempore paſsionis.

Iſtius ſententiæ ſectatores ſunt Tertull. in libello de corona militis paulo ante finem, vbi hæc habet verba. Qui viri caput eſt, & feminæ facies, vt Eccleſiæ, Chriſtus Ieſus quale, oro te, ſertum pro vtroque ſexu ſubijt? Ex ſpinis opinor, & tribulis, in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis; abſtulit autem virtus Crucis, omnes aculeos mortis in dominici capitis tolerantia obtundens. Certe præter figurā contumelia in promptu eſt, & turpitudo, & dedecoratio, F & his implexa ſæuitia, quæ tunc Domini tempora, & fœdauerunt, & lancinauerunt: vti tu nunc laurea, & myrto, & olea & quacunque illuſtriore fronde, & quod magis vſui eſt, centenarijs quoq; roſis, ex horto Midæ lectis, & vtriſque lilijs, & omnibus violis coroneris etiam gemmis forſitan, & auro: vt & illam Chriſti coronā æmuleris, quæ poſtea ei obuenit: quia & fauos poſt fella guſtauit, nec ante Rex gloriæ à cæleſtibus ſalutatus eſt, quam Rex Iudæorum præſcriptus in crucem: minoratus primo à Patre modicum quid citra Angelos, & ita gloria, & honore coronatus.

Athanaſ. Duæ rationes cur ſpinis coronatus ſit Chriſtus.

Athanaſius Oratione de paſsione, & cruce Domini, qui miraculum magnum, & incredibile, & magnæ A victoriæ inſigne ſpineū diadema appellans, duas ob cauſas iſtiuſmodi diademate illum coronatū, aſſerit. Prima, vt tolleret eam maledictionem à terra, qua Dominus dixerat: b *Maledicta terra in operibus tuis: ſpinas, & tribulos*, &c. Hinc enim factum eſt, inquit, vt in ipſa terra pro ſpinis bona, & vita repullulaſcerent, ad quā oculos ſuos dirigens Propheta dixit: c *Credo videre bona Domini in terra viuentium*. Secunda, vt ſolicitudines vitæ noſtræ extirparet: Iniecit namque, ait diabolus licet nolens, ſolicitudines noſtras ſuper Dominum, non animaduertens, futurum eſſe, vt earum geſtatione Dominus omnes in ſecuritatem aſſereret, quod & ſementem verbi à ſpinis depurgatam, & in precibus mentem inconuulſam poſsiderent; ipſe enim in doloribus, & curis erat, vt nos doloribus careremus.

b *Gen.* 3. 17.

c *Pſal.* 26. 13.

Tres Patr. In ſpinea corona Chriſti admirabilis modus ſalutis noſtræ percipitur.

Catena Trium Patrum, quæ eſt apud Theodoritū lib. 2. in Cant. vt ſponſæ verba hæc accipiens, ait: Quia magiſtra animaduertit, diſcipulas hæſitabundas propter ſe, atque admiratione plenas ea, quæ ad ſe pertinerent explicare: in ſponſo Chriſto vult eas deinceps ſalutis noſtræ modum contueri, & merito admirari, quomodo ipſe ſalutiferis cruciatibus, ac morte ſua tranquillitatem nobis, & vitam largitus ſit: Proinde *egredimini*, inquit, *& videte filiæ Sion*: filiæ ſpeculæ, vt ſpiritualiter per fidem genitæ, omittite, quæ ad me ancillam attinent, & conſiderate, & in domino pacifico mentis aciem defigite: ſpectate diſpenſationis rationem in ſpinea corona, quam Chriſti capiti impoſuit Iudæorum Synagoga, ex qua ipſe eſt ſecundum carnem, in die ſalutiferæ mortis eius, in qua proprio ſanguine Eccleſiam ſibi deſponſauit, &c.

Ruffinus. Proclus. Caßiodor. Bernard. Philo Carp. Iuſt. Org. Anſelm. Aponius. Deſponſatio à Chriſto celebrata tunc cum inſtituit Sacramētum Euchariſtiæ. Theodorit.

Eamdem ſententiam tangunt Ruffinus in Symbolum, Proclus in Concilio Epheſ. tomo 6. canone 7. Caſsiodorus ſuper hunc locum, Bernard. Serm. 2. in feſto Epiphaniæ, Ser. 5. in feſto omnium Sanctorum, & Serm. 6. ex paruis: proſequunturue eam fuſius Philo Carpathius, Iuſtus Orgelitanus, Anſelmus, & Aponius, qui deſponſationem tempore paſsionis à Chriſto celebratam dicit per inſtitutionem ſanctiſsimi Euchariſtiæ Sacramenti, quando nuptiarum conuiuium celebratum eſſe conſtat; id quod ante Aponium dixit & Theodoritus.

16 *Charitas diadema, quo Chriſtus coronatus eſt in die paßionis ſuæ. Ambroſ.*

Tertia ſententia per diadema iſtud, quo coronatus dicitur Salomon à matre ſua, charitatem intelligit, qua in paſsione ſua coronatus is eſt vel ab ipſamet charitate, vel à Synagoga.

Hanc ſequitur Ambroſius libro de Iſaac, & Anima cap. 5. in hæc verba: Angeli canunt Epithalamium, perducta ſponſa vſque ad ſponſi requiem nuptialem, & vocant ceteras cæleſtes poteſtates, vel animas; vt videant charitatem, quam circa filias Ieruſalem habet Chriſtus: Vnde & meruit coronari à Matre filius charitatis, iuxta illud Apoſtoli: d *Deus nos eripuit de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij charitatis ſuæ*. Charitatis itaq; filius, & ipſe charitas eſt, non ex accidentibus habens charitatem, ſed habens ſemper ſua ſubſtantia, ſicut & regnum, de quo dicit: e *Ego in hoc natus ſum*: Ideoq; dicunt, *Egredimini*, id eſt, exite de ſolicitudinibus, & cogitationibus ſæculi; exite de anguſtijs corporalibus; exite de vanitatibus mundi; *& videte*, quam Rex pacificus in die ſponſalium ſuorum habeat charitatem; quam glorioſus ſit quia corporibus reſurrectionem dedit, & animas ſibi iunxit: Hæc magni eſt corona certaminis: Hoc præclarum munus ſponſalium Chriſti, ſanguis eius, & paſsio eius. Quid enim plus potuit dare, qui ſibi etiam non pepercit?

d *Col.* 1. 13.

e *Ioan.* 18. 37.

Theodorit. Nuptias Chriſtus celebrauit cum inſtituit Sacramentum Euchariſt.

Theodoritus lib. 2. in Cantica, Matrem, inquit, appellat Iudæam quantum pertinet ad Chriſti humanitatem, quæ charitatis coronam illi inuita impoſuit: ſpinis enim illū contēptus cauſa coronauit: ipſe vero per ſpinas ſuſcepit diadema charitatis: ſponte enim ignominiam pertulit, atque vltro ad mortis cruciatus acceſsit: quamobrem *deſponſationis diem* illam vocauit, *& diem lætitiæ cordis eius*. Tunc quippe nuptiarum communio facta eſt. f Nam poſt cœnam *accipiens panem, & gratias agens, fregit, deditque diſcipulis ſuis, dicens: Accipite*

f *Luc.* 22. 19

Accipite, comedite ex eo omnes: hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur in remiſsionem peccatorum: Hoc facite in meã commemorationem. Edentes igitur ſponſi membra, & bibentes eius ſanguinem nuptialem ipſius communionem aſſequuntur. Idcirco ſponſi miniſtri filias Sion cohortantes, *Egredimini*, inquiunt, *& videte* charitatis eius diadema, quo decorauit eum præter ſententiam ſuam Iudæa, quæ illum genuit, & coronauit illum *in die deſponſationis illius.*

17 *Eccleſia eſt diadema Chri. i.*

Quarta demum ſententia diadema iſtud Chriſti glorioſiſſimam Eccleſiam accipit, Sanctoſque illos vniuerſos, qui in Eccleſia ſunt, ſeu extiterunt aliquando.

Ambroſ. Corona Chriſti ex omnib. virtutibus.

Ita Ambroſius ſermone quintodecimo in Pſalm. 118. in expoſitione litteræ Samech, dicens: Quia corona gloriæ eſt Eccleſia, ideo dicitur: *Egredimini*, &c. Quaſi Angeli Chriſti hæc loquantur: Non poteſtis videre claritatem eius, gloriam eius, niſi egrediamini humanæ fragilitatis curas filiæ Ieruſalem; quaſi dicãt: Quid viuentem inter mortuos quæritis? non intra hunc mundum quæritur Chriſtus, qui ſupra mundum ſuos voluit eſſe diſcipulos. Quæ eſt corona, qua coronatur Chriſtus, niſi corona gloriæ? Ioſeph coronam habuit caſtitatis, Paulus iuſtitiæ, Petrus fidei, ſingularum virtutum coronæ ſunt: ſolus Chriſtus habet coronam gloriæ, qua eum Eccleſia coronauit. In hac corona omnes coronæ ſunt, quia gloria non portio vnius coronæ, ſed præmium omnium coronarum eſt.

Greg. Nyſſ.

Gregor. Nyſſenus hom. 7. in Cantica apertius hæc declarans, Sponſam, inquit, hæc ad puellas dicere, vt egrediantur, & filiæ Sion efficiantur; vt de ſublimi ſpecula ſpectaculum admirandum videre poſsint, ſcilicet ſponſum, corona redimitum: Eſt autem, ait, corona huius Eccleſia, quæ ſponſi caput viuis, & electis lapidibus vndique circumdat, atque hanc coronam dilectio contexit: ex eaque voluptatem eum capere, ait ſponſa, mirifice gaudentem ornatu illo ſponſalitio: re vera enim lætitia afficitur is, qui Eccleſiam coniugem ſibi fecit, redimitus illorum virtutibus, qui in ea ſunt eximij. Hanc ipſam ſententiam tangunt & Aponius, & Bernardus in locis ſupra citatis.

Aponius. Bernard. Rup. Abb. Diadema in quo videtur Chriſtus & in natiuitate, & paßione eſt auctoritas propheticæ veritatis.

Præter quatuor iſtos allatos explicãdi modos, ſunt inſuper & hi tres: Nam Rupertus Abbas. Quod eſt, ait, diadema iſtud? Clariſsima Propheticæ veritatis auctoritas, cuius quot ſunt præconia, tot gemmarum eſt Chriſti diadema, *in die deſponſationis illius*, quo de vtero Mariæ, tanquam ſponſus proceſsit de thalamo ſuo, & *in die lætitiæ cordis eius*, quo ſpinea coronatus corona, laboré conſummauit, & ſubſequenti lætificatus reſurrectionis triumpho. Et in die lætitiæ illius, & in die deſponſationis illius in illo diademate videndus, & ex illo eſt diademate quatenus ſit, agnoſcendus.

Hugo Vict. Iuſtitia eſt diadema, quo Chriſtus coronatus eſt à Maria.

Hugo de ſancto victore lib. 1. Erudit. Theolog. ex miſcellaneorum 2. diademate iuſtitiæ à Beata Virgine Chriſtum coronatum, inquit, quod ipſa eius mater quatuor pretioſis lapidibus ornauerit, principalibus nimirum quatuor animi affectionibus, gaudio, amore, triſtitia, & timore: Quia enim ſibi ordinatas eas Salomon noſter aſſumpſit de Virgine, ipſa virgo, corona iuſtitiæ coronaſſe eum dicitur; nam eæ affectiones (vt ait Auguſtinus,) ordinatæ iuſtitia ſunt, inordinatæ iniuſtitia.

Richard. Vict. In tribulationibus Chriſtus inſpiciendus, vt coronatus corona ſpinea, & corona gloriæ.

Richardus item de ſancto Victore expoſitione in Cantica cap. 13. Egregie ponderat verbum illud, *Egredimini:* Qui enim, ait, contemplari vult Chriſtum in diademate gloriæ, in die aſcenſionis eius, quo coronauit illum mater ſua Iudæa, quando ei intulit martyrium, per quod talem illi fabricauit coronam, & gloriam: ſic gradiatur operæpretium eſt, vt egrediatur à ſemetipſo: Gradiuntur namque aliqui, ſed non egrediuntur: quia nunc procedunt, nunc retrocedunt, nunc remiſſe, nunc diſtorte incedunt. (vide locum citatum:) *O filiæ Sion*, cum aduerſa patimini, *Egredimini* ab imperfectione veſtra, & impatientia, vt leuiter feratis illata vobis mala: *videte Regem* veſtrum, pro vobis paſſum, & per paſsionem gloria, & honore coronatum: lætitiam Regis veſtri conſiderate: hoc exemplum vobis proponite.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

1 *Vam pulchra es, amica mea, quã pulchra es: Oculi tui columbarum absque eo, quod intrinsecus latet. Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.*

2 *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas.*

3 *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce. Sicut fragmen mali punici, ita gena tua, absque eo, quod intrinsecus latet.*

4 *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.*

5 *Duo vbera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis.*

6 *Donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.*

7 *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.*

8 *Veni de Libano Sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.*

9 *Vulnerasti cor meum, Soror mea Sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.*

10 *Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, Soror mea Sponsa: pulchriora sunt vbera tua vino, & odor vnguentorum tuorum super omnia aromata.*

11 *Fauus distillans labia tua, Sponsa, mel, & lac sub lingua tua, & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.*

12 *Hortus conclusus, Soror mea Sponsa, hortus conclusus, fons signatus.*

13 *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus, Cypri cum nardo.*

14 *Nardus, & crocus, fistula, & cinnamomum cum vniuersis lignis Libani, myrrha, & aloe, cum omnibus primis vnguentis.*

15 *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.*

16 *Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortũ meũ, & fluent aromata illius.*

CAPITIS

CAPITIS QVARTI

VERSICVLVS PRIMVS.

Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es: Oculi tui columbarum abſque eo, quod intrinſecus latet.

EXPOSITIO PRIMA.

Iuxta ſonum litteræ.

1 CONNEXIO eorum, quæ hic dicuntur, cum ſuperioribus manifeſta ſane eſt, ſi, vltimam præcedentis capitis ſententiam Sponſæ eſſe, velimus, prout in ſecundo ſenſu dictum ibi eſt in expoſitione prima. Sponſus quippe à longe aduentans, audita eximia dilectæ ſuæ voce illa: *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem, &c.* qua miro plane modo ipſum extulerat laudibus, puellaſue omnes in tam inſignis illius pulchritudinis admirationem commouerat, in iſtas viciſsim prorupit illius laudes, à longe item hanc incipiens cantionem, quam & vſque ad finem capitis proſecutus eſt; cum ad illam peruenisſet, coram ipſa, ijſue adſtantibus, qui illi prius obuij facti fuerant, quiue eandem ad eius dilectionem ſua promouerant oratione.

Quod ſi obuios iſtos locutos velimus & illa, quæ in præcitato vltimo verſu præcedentis capitis habentur, prout oſtenſum eſt ibi in primo ſenſu expoſitionis primæ: Dicendum, eo ipſo temporis momento, quo ij præclaro epiphonemate iſto: *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo, &c.* finem ſuæ impoſuerunt orationi: Sponſum in perſona paſtoris comparuiſſe in agro illo, ibique hanc coram eis ceciniſſe panegyricum pulchritudinis dilectæ ſuæ, quam præſentem ſumma admirabatur iucunditate.

Exorditur autem panegyricum iſtam à generali cum externæ, tum etiam internæ pulchritudinis encomio, magna cum emphaſi, ſummaque cum admiratione, dicens: *Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es!* Tum ad ſpecialem ſingulorum membrorum laudem deſcendens, ab oculis incipit, à quibus magis ſe permoueri ſentiebat, dicens: *Oculi tui columbarum*, ſeu, *columbæ*, iuxta lectionem Originalium Hebr. & Sept. Porro, quia quæ generaliter pronuntiata hic ſunt: *Quam pulchra es*, &c. quæue de oculis aſſeruntur, fuſius pertractata ſunt ſupra in 1. cap. verſ. 15. vbi ad verbum eadem habentur, vt colligitur ex Originalibus, nihil eſt, quod in eorum explicatione iterum detineamur hoc loco: videantur, quæ ibi dicta ſunt. Illud dumtaxat explicandum ſupereſt, quod ad ipſorum oculorum laudem hic adiectum reperimus: *Abſque eo, quod intrinſecus latet*: quæ certe verba, cum ad tam inſignem laudem adiecta ſint, haud ambigendum, quin eximij aliquid in ſe contineant, maximamque vim habeant. Et quamquam minime conſtet inter Interpretes, quidnam illud ſit, quod per ea ſignificetur; nituntur nihilominus vniuerſi, illorum intellectum ex Hebraico textu eruere, quotquot litteralem verborum ſignificationem inueſtigant. Ipſe tum ex Hebræo, tum ex verſione Sept. germanum eorumdem ſenſum deducere conabor.

Præſuppoſito igitur eo, quod apud me certum eſt; quod verba iſta ad oculorum laudem ſpectent: atque adeo prætermiſſa ſententia S. Hieronymi, quæ apud ipſum videri poteſt lib. 3. Comment. in Iſaiam ſuper illa verba Prophetæ: *a Denuda turpitudinem tuam*; quãue & nonnulli ex recentioribus ſequuntur, explicandum primo, quis ſit Hebraicæ lectionis ſenſus: ſic autem habet textus מבעד לצמתך mibangad, letzamathech: porro dictio iſta צמה tzamah diuerſimode ab Hebræis hoc loco exponitur. Quidam crines per illam ſignificari aiunt, ſeu cincinnos, & omnino illam capillorum partem, quæ fronti, & temporibus adiacet, vt ſub ijs capillis, atque cincinnis, quos adoleſcentes fœminę non conſtringebant (inquit Legionenſis) ſed libere dependere ſinebant, oculi ipſi latentes, atque micantes ipſo capillorum motu pulchriores apparere deſignentur. Huius ſententiæ ex noſtris eſt Genebrardus, Legionenſis, & quotquot nouas tranſlationes ex Hebræo cuderunt: Sanctus enim Pagninus, & Iſidorus Clarius vertunt, *Intra cincinnos tuos*: Agathius, *Intra crinem tuum*: Vatablus & Regia, *Extra comam tuam*, ſcilicet promicantes. Mihi magis arridet illorum ſententia, qui per dictam dictionem צמה tzamah velum ſignificari, inquiunt, & operimentum faciei, prout ex Hebræis R. Iona ſenſiſſe ait R. Dauid in libro Radicum, prout ſenſit & Aben Ezdra, & Rabbi Innominatus: Sic quippe & Sept. Interpretes hanc ipſam dictionem interpretati ſunt Iſa. 47. vbi Hieron. vertit: *b Denuda turpitudinem tuam*: ἀποκάλυψαι τὸ κατακάλυμμά σου. *Reuela operimentum*, ſeu, *velum tuũ*, quo ſcilicet ad honeſtatem ſeruandam operiri conſueueras; & Symmachus in verſ. 3. huius cap. quarti, vbi hæc eadem verba repetuntur in commendatione genarum, vertit: σκεπόμεναι καλύμματι, id eſt, *opertæ velo*.

b Iſa. 47. 2.

Breuis igitur Hebraicę lectionis ſenſus hiſce in verbis hic eſt: *Oculi tui* pulchri, ſimplices, ac pudici ſunt, inſtar oculorum *columbæ*: eo que pulchriores, ac magis pudici apparent, quod intra velum, quo operta facie incedis, miro modo effulgent, & honeſtatem præſeferunt. Primus ſenſus.

Quamquam, dum ad verbum ſic legitur in Hebræo: *Oculi tui columbæ intra velum tuum*; ſic, vt oculi ſponſæ ad columbas ipſas comparati videantur, non ad illarum oculos, alter afferri poſſit ſenſus, qui tamen ſpiritualibus ſit maxime commodus; quo ſcilicet deſignetur, Sponſæ oculos, dum intra velum latent, loqui, ſuaque loquela illa ſimiles eſſe columbis, gemitu amorem exprimentibus.

Septuaginta Interpretes, quos ſecutus eſt & Symmachus, Hebraica verba, quæ modo expoſita ſunt, ſic reddidere: ἐκτὸς τῆς σιωπήσεώς σου, *extra ſilentium tui*, ſeu, *taciturnitatem tuam*: qua certe interpretatione confirmari poteſt hic ſenſus, quem iamiam attuli: Sic quippe & ipſi legunt: *Oculi tui columbæ*, vt eſt in Hebræo, ac ſi dicatur: Quamuis ſileas ore, oculi tamen tui columbis ſe ſimiles præ ſe ferunt, gemitu amorem ſignificantes, qui in tuo eſt corde. Secundus ſenſus. Paraphraſis.

Sed, ſubtilius verſionem iſtam Septuaginta perpendens, exiſtimo, nomine σιωπήσεως illos intellexiſſe tantam ſponſæ pulchritudinem, quæ aſpicientes ſtupore, animoſue intuentium admiratione commoueat, & mutos efficiat, & illos aut legiſſe, שמתך ſciammathech, id eſt, *ſtupor tuus*, quem ſcilicet efficis, & admiratio tui, vnde hoc verbum שמו ſciammu Iob 21. verſic. 5. *c* verterunt, ἄφθογγοι γένεσθαι, *obmuteſcite*, prout & Vulgata habet; aut legiſſe, דמתך dammathech à verbo דום dum, ſeu דמם damam, quod ſolent vertere, Tertius ſenſus.

2 Iſa. 47. 2.

c Iob 21. 5.

tere, σιωπᾶν, *silere*, & κατανυχθῆναι, *tacere*, nec alienum est
d Dan. 13. 10. à pulchritudine, cum de Susanna hoc verbo legamus ex Theodotione, *d* Ησαν ἀμφότεροι κατανενυγμένοι περὶ αὐτῆς, quod B. Hieronymus vertit: *Erant ambo vulnerati amore eius*, Hebraice autem diceretur שניהם ערית ירמו iddommu scienehem nghalehea. Confirmat hoc idem Auctor quintæ editionis, qui vertit hunc locum, quem præ manibus habemus Cantici Canticorum, Ἀπὸ πλήθους τοῦ κάλλους σου, *à multitudine pulchritudinis tuæ*. Quid vero, dicet aliquis, significare volunt Septuaginta præpositione, ἐκτὸς, *extra* appositā? Crediderim, per hanc eos designare voluisse præstantiā, & eminentiam quandā in ipsis oculis, quasi ij emineant, & quodammodo operiant reliquam pulchritudinem, & sic inferius, vbi de genis fit sermo, quæ subiunctæ sunt oculis, & eadem repetuntur. Quod ergo hic dicitur, iuxta hanc versionem, tale mihi esse videtur.

Paraphrasis. Oculi tui sunt simplices, atque pudici instar columbarum, adeoque pulchri, vt pulchritudine sua vniuersam reliquam tuam superent pulchritudinem, qua stupore tanto afficis quotquot te intuentur, vt mutos pariter eosdem efficias, verbis eam exprimere non valentes.

Quartus sensus. Denique noster Interpres, dum sic eadem vertit: *Absque eo, quod intrinsecus latet*: innuere quoquo modo videtur hanc pulchritudinis eminentiam, qua sponsæ oculi præcellerent, eam nimirum gratiam, quæ intra illos lateret quodammodo: Horum quippe verborum sensus hic videtur esse germanus ex præallatis Originalium lectionum sensibus collectus: Vt sponsus in hac oculorum commendatione summo artificio prætermittere se indicet tam insignis gratiæ commemorationem, quo ex ea mirum in modum oculos ipsos extollat, ac si dicat.

Oculi tui præ simplicitate, honestate, ac pudicitia *columbarum* oculis similes plane sunt: Omitto eximium illud gratiæ, quod in ipsis latēter emicat intra velum, quo operta facie incedis.

Paraphrasis. Quamuis autem vnam eandemque laudem istius gratiæ singulatis & in Vulgata, & in Originalibus, tum Hebr. tum Sept. hoc loco allatam existimem; non aberrabit tamē à veritate, qui asserat, ex quatuor titulis sponsæ oculos per hæc exigua verba quadruplici encomio celebratos, iuxta quatuor illos sensus, quos huc vsque prosecuti sumus. Primo, ex vi, quæ illis inest, cum intra velum promicant. Secundo, ex gemitu, quo intra idem velum loquela sermocinantur amoris: Tertio, ex præstantia eorumdem super reliquam pulchritudinem vniuersam: Et quarto, ex singulari gratia, quæ in ipsis latet.

Vers. I. cap. IV. *Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es: Oculi tui columbarum absque eo, quod intrinsecus latet.*

Expositio II.

De prima Sponsa, quæ est Ecclesia Sancta.

2 Primus sensus. *Contemplatiui quam delicati sint.* Delicatissimos inter vniuersa membra esse oculos, & natura in illorum contestata est fabricatione, & quotidiano probamus experimento; offenduntur enim vel minimo ictu rei quantumlibet mollis, & hebetantur obiectu pulueris vel exigui; atque adeo ita eis prouisum est, vt pluribus contecti essent operimentis, tunica vuea, tunica & cornea, atque palpebris. Quod si corporei adeo delicati sūt oculi, multo certe delicatiores cōtemplatiui, qui oculorum munere in sancta funguntur Ecclesia. Ecquid enim deuotione delicatius, quam vel tantillum affectus erga terrena corrumpit? quam vel exigua humani cordis effusio hebetat? quam & verbulum otiosum, & inanis cogitatiuncula perturbat, & lædit? Idcirco Ecclesia, ne aliquid damni oculis hisce suis extrinsecus inferatur, intra velamen contectos illos seruare satagit. Idcirco & eius Sponsus Dominus Iesus ob istud ipsum potissimum eosdem commendat, quod intra velum existentes columbinam seruant simplicitatem, columbinam pudicitiam, & puritatem, qua donati sunt à Spiritu sancto columba cęlesti, quodue intra idem velum non modo illæsi in dita seruantur pulchritudine; sed maximo cum incremento promicantes de se emittūt radios: sic namque ait iuxta lectionem Hebraicam: *Oculi tui columbæ intra velum tuum.*

Vt autem bene id omne percipiatur, quod sponsus, iuxta primū sensum, in his asserit verbis, tria explicanda sunt. Primum, quodnam sit velum Ecclesiæ, intra quod latent, quoūe operiuntur contemplatiui: Secundum: cur contemplatiui dicātur oculi eiusdem Ecclesiæ: Ac demum tertium, quid laudis contineat encomium istud horum oculorum.

Quad primum: Velum, quo faciem suam operit Ecclesia, diligentem illam, & arctam dixerim custodiam, qua in externa sua procedit conuersatione: externa quippe fidelium conuersatio facies illius est, quam tunc dicto cooperit velamine, cum ij sedulo se custodiētes, & in dictis & in factis caute se gerunt, atque *honeste*, *a* iuxta consilium Apostoli, *ambulantes ad eos, qui foris sunt*. Intra istiusmodi autē velum, etsi omnes concluſi seruentur, quotquot in facie Ecclesiæ sunt: abduntur tamen præ cæteris vniuersi contemplatiui, arctissima custodia suum in primis seruantes cor, suos & sensus, atque potentias; dantes operam, ne sensibilium rerum in eorum corda aliquis subrepat affectus, neue, earundem rerum phātasmatibus imaginatione repleta, & intellectu obtusi, & mente reddantur confusi. *Velum faciei Ecclesiæ arcta custodia in conuersatione externa.* a 1. Thes. 4. 11.

Illud vero in contemplatiuis hisce summam incutit admirationem, quod oculi sunt Ecclesiæ, & oculorum munia in illa exercent, tuncque perfectius ea munera præstāt, cum arctius intra dictum extiterint velum. Sane duo in primis oculorum sunt munera, videre, atque per visionem totum deducere corpus, ne offendat, ac decidat: at si velamine aliquo cooperti ij sint, quod minime transpareat, neutrum certe istorum præstare possunt. Nihilominus oculi isti spirituales, & cōtemplatiui non modo non præpediuntur, ne videant, sed quam maxime adiuuantur, vt videant ab eo, intra quod abditos sese seruant, velamine: Neque enim corporea, & crassa videnda ijs sunt, prout oculis corporeis, sed spiritualia dumtaxat, cælestia, atque diuina: quippe qui oculi quidem sunt, sed oculi spirituales: ita vero oculi spirituales sunt, vt visionis spiritalis actus per ipsos, & in ipsis dūtaxat fiat, solique videant, quæ sunt spiritus Dei: *b Animalis namque homo* (vt ait Apost.) *non percipit quæ sunt spiritus Dei*, cum è vestigio spiritualis omnia dijudicet. *Contemplatiui tunc melius oculorum munia exercent cum intra velum sunt.* *Contemplatiui quomodo sint oculi spirituales.* b 1. Cor. 2. 14.

Porro quemadmodum ad hoc, vt per corporeos oculos promatur actus corporeæ visionis, duo sunt necessaria: Primum, vt lumen adsit, quod coloratum corpus collustret: Secundum, ne vllo alio colore oculi affecti sint, neue quod medium est perspicuum, vllum in se habeat colorem. Si enim colorem aliquem vel in oculis, vel in medio contingat esse, color ille impedimento est, ne alterius coloris visio fieri queat, vt patet in oculis ictericio morbo laborantibus, & in vsu specillorum rubeorum, aut viridium. Eodem modo, vt visio spiritualis fiat, duo pariter necessaria sunt: Primum, necesse est, vt oculi eo ipso lumine illustrentur, quo spiritualia illustrantur obiecta, quod certe à spiritualibus tantūmodo oculis admitti potest: Deinde, quo spiritualia vt spiritualia sunt, videantur, operæpretium est, vt nec in oculis quidquam insit corporei, nec in medio perspicuo quidpiam crassi adsit, atq; terreni: quanto enim magis cōtemplatiui à corporearum, & sensibilium rerum cognitione elongantur, quanto magis à terrenarum, crassarumque rerum phantasmatibus destituuntur, tanto sane melius spiritalem diuinorum promunt visionem, tanto & acutius diuina intuentur mysteria: Atque adeo dum à *Simile. Vt spiritalis visio fiat, quænam necessaria sint.*

cœleſti ſponſo in hac ſententia commendantur contemplatiui, qui in Eccleſia acutiſſime myſteria illa ſpeculantur, eatenus commendantur, quatenus oculorum munere fungentes in hiſce contemplandis, intra velum ſeſe abdunt; & per hanc veli metaphoram deſignatur, ita illos per arctam ſenſuum ſuorum cuſtodiam deſtitutos eſſe ſpeciebus rerum ſenſibilium, ſicut & oculi velo operti ſpeciebus deſtituti ſunt viſibilium.

3 Notandum eſt autem hoc loco diſcrimen vſus veli in antiqua Eccleſia, atque in Eccleſia noua, poſtquam per Chriſti mortem diuina referata ſunt myſteria: In antiqua ſiquidem Eccleſia, haudquaquam oculi, ſed illa potius, quæ contemplanda proponebãtur, eo operiebantur: ſic in libro Exodi mandatur Moyſi, *c* vt arcam fœderis, in qua quieſcebat gloria Domini, intra velum conſtituat; & in libro Numer. *d* præcipitur eidem, vt, cum transferendum foret tabernaculum, tam arcam, quam Altare, menſam, candelabrum, & reliqua vaſa ſacra velaminibus per Aaron, & filios eius cooperienda curaret: ſubijciunturue hæc verba: *e Alij nulla curioſitate videant, quæ ſunt in ſanctuario, priuſquam inuoluantur, alioquin morientur*: Quinimo *f* & ſuper faciẽ Moyſi, quæ diuini ſplendoris radios ad intuentium oculos immittebat, velum appoſitum legimus in libro Exodi, vt filij Iſrael intendere poſſent in eum.

Cur in Synagoga velum apponebatur ſuper obiecta viſibilia: in Eccl. autem ſuper oculos videntes.

c Exo. 40.3

d Num. 4.6

e Num. 4. 20.

f Exod. 34. 33.

At vero in Eccleſia, quæ iam Chriſto deſponſata eſt, ipſi iam oculi velo cooperiendi ſunt, atque ob id potiſſimum contemplatiui quique commendantur, quod intra velum abditi, diuina ſpeculentur. Rationem ſi quis quærat iſtius diuerſitatis, aſſignari hęc poteſt: quod in antiqua Eccleſia, etſi aliquid luminis ſpiritualis contemplatiuis aliquibus deſuper exhiberetur, quo vel futura myſteria, vel etiam cœleſtia, atque diuina viderent, propter quod videntes appellabantur, haud tamen oculos videntes ij velo operiebant: quia quicquid videbant velaminibus ænigmatum, aut viſionum ſenſibilium cooperta videbant, nec à ſenſibilium cognitione illa abſtrahi poterant: ſi quando enim dignati à Deo ſunt quipiam, vt clarius diuinæ gloriæ ſpeculatores fierent, ijs certe duntaxat id exhibitum eſt, qui vultum, oculoſue coopertos habuerunt, vt Moyſi, *g* cui pro velo ipſius Domini tranſeuntis manus inſeruiuit; vt & Eliæ, *h* de quo in libris Regum legimus, quod, tranſeunte Domino in ſibilo auræ lenis, operuit vultum ſuum pallio: Velo autem in dicta Eccleſia cooperta proponebantur arca, altare, menſa, & quæcunque ſacra erant, atque etiam facies Moyſi, vt quicunque ea contemplari voluiſſet, intelligeret, adumbrata in ijs latere myſteria; cauerentque, ne in ipſa vaſa nuda oculos defigerent, vt non morerentur; quoniam tunc, & nuda littera occideret, ſed in velum potius oculos conijcerent, cognoſcẽtes ſub figuris, & allegorijs diuina in ea latere myſteria, quæ tunc manifeſtanda forent, quando agnus occiſus aperiret librum, & ſignacula eius, quod certe tunc factum eſt, cum in Cruce Chriſtus ſpiritum emiſit, & nouam ſponſam è ſuo formauit latere: quando *i* & *velum templi ſciſſum* legimus *à ſummo vſque deorſum*. Atque adeo in noua iſta nupta haud amplius velum appoſitum eſt ſuper ea, quæ contemplanda proponuntur: ſed bene ſuper eius oculos appoſitum dicitur: quia veri contemplatiui, qui in ea ſunt, vt à ſenſibilibus, quoad fieri poteſt, ſe abſtrahant, arctiſſima cuſtodia ſuos cuſtodiunt ſenſus, ſuaſue potentias, quo videlicet clarius ſpiritualia ſpeculentur, atque diuina.

g Exod. 33. 22.

h 3. Reg. 19 13.

i Matt. 27. 51.

Satis igitur ex his conſtat, ſpirituales iſtos Eccleſiæ oculos à velo, intra quod ſe continent, nedum non impediri, ſed & adiuuari, ad exercendum primum oculorum munus, & ad videndum. Id probandum modo ſupereſt, quomodo, nec à ſecundo munere eijdem impediantur; neque enim ex hoc colligi videtur, quomodo vidẽtes deducant Eccleſiæ corpus, cui certe ambulandum eſt ſuper terras foueis, ac laqueis vndique plenas.

Dicendum nihilominus, colligi & id poſſe ex hoc ipſo, quod dictum eſt. Enimuero, cum contemplatiui ſint oculi ſpirituales; eos ſane deducunt, qui ſpirituales ſunt in Eccleſia: porro cum ſpirituales, *k ſicut ſpiritu viuunt, ita & ſpiritu ambulent*, iuxta Apoſtoli conſilium, *l* & in cœlis conuerſentur: tunc profecto à ſpiritualibus hiſce oculis melius deducuntur, cum ij intra velum exiſtentes, acutius, ac melius ea contemplantur, quæ ſpiritus ſunt, ab illis nimirum illuminati.

Contemplatiui velo cooperti quomodo inſtar oculorum deducant corpus eccleſiæ oratione, & precibus.

k Gal. 5. 25

l Philip. 3. 20.

Quod ſi quis inſtantius adhuc vrgeat: Nonne & ſpirituales quique laqueis ſubiecti ſunt, quamdiu ſunt ſuper terram, cum in medio laqueorum gradiantur, quotquot in mundum iſtum ingrediuntur? quomodo ergo inter tot laqueos tuti, & illæſi à contemplatiuis deducuntur, qui intra velum exiſtentes, terrena neutiquam aſpiciunt, ſed ad Deum duntaxat directi ſunt? Reſpondendum, precibus, & orationibus ab illis deduci, illæſoſque à laqueis vniuerſis deduci per orationes, quas in ſuis fundunt contemplationibus: quod non obſcure ipſamet teſtatur Eccleſia, dum per Prophetam inquit: *m Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos*: Ac ſi dicat.

m Pſ. 24. 15

Oculi mei ſpirituales, & qui perfecti in me ſunt contemplatiui, ita intra velum arctiſſimæ ſui cuſtodię ſeſe continent, vt à terrenis, ac ſenſibilibus hiſce plane abſtracti ad Dominum ſemper reſpiciant, precibuſue ſuis ab eo, quem contemplantur, obtinent, vt ipſe euellat de laqueo illos, qui inſtar pedum terram calcant, cum viuant in terris.

4 Ex his denique deduci & illud poteſt, quod tertio loco propoſitum eſt, quid laudis encomium iſtud cõtineat oculorum ſponſæ, dum dicitur: *Oculi tui columbæ intra velum tuum.*

Duo ſiquidem, eaque maxime præclara in contemplatiuos per hæc conferũtur. Primum, quod dum intra velum exiſtentes, Deum aſpiciunt, multo micantiores ad Deum ipſum de ſe emittunt radios, multoque ſplendidiores ab eodem Deo videntur. Neque enim iuxta ſonum litteræ ob id duntaxat laudantur ſponſæ oculi, quia intra velum ſint: quid enim laudarentur à ſponſo, ſi ab eo non viderentur? Sed ob id laudantur, quod ita intra velum ij ſint, vt è veli rimula ad ſponſum ſolummodo directi ſint, à velo ipſo impediri, ne alio diſtrahantur, ſed intra idem velum à ſolo ſponſo videantur, ad quem ſolum directi ſunt. Atqui in contemplatiuis iſtis Eccleſia obedit conſilio Sapientis, qui ait: *n Oculi tui in recta* (aduerbialiter, in directũ, vt eſt in Hebræo) *videant*: ſicque à velo cuſtodiæ ſenſuum oculorum ſuorum vim vnitam recta ad Deum dirigit; vt ab illis vulneratum is ſe fateatur in ſubſequentibus: eorum nimirum fulgore vulneratus, quo in præſtãtiſſimo fulgent affectu: quem ſane affectum, atque fulgorem ipſe videt ſolus, qui ſolus videt in abſcondito, atque adeo Redemptor noſter ad orationem, & contemplationem ſuos promouens fideles, vt intra velum ſe abdant, hortatur, licet ſub alia metaphora, dicens: *o Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum*, affertque rationem: *Et Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.* Altera, quæ hoc loco in ſanctos contemplatiuos confertur laus eſt, quia intra prædictum velum abditi, atque à carnalibus, terreniſue omnibus abſtracti toti in Deum transformati effulgent, totique redduntur ſpiritus per id profecto, quod toti in Deum directi ſunt, recteque aſpicientes vnum intuentur Spiritum ſanctum, cœleſtem illam columbam, columbæ effecti & ipſi: Æque eſt igitur, ac ſi dicatur.

Contemplatiui & oculi ſpirituales Eccleſiæ, dũ intra velum ſunt micantiores ad Deum de ſe emittunt radios.

n Pro. 4. 25

o Mat. 6. 6

Contemplatiui intra velũ abditi, in Deum transformantur, quũ vnum aſpiciunt.

Contemplatiui, qui in te ſunt, quaſi oculi intra velum, cuſtodientes ſenſus, potentiaſque ſuas, ne à ſenſibilibus, & craſſioribus diſtrahantur, recta in vnum Deum directi, nedum diuina contemplantur, Deoque ſoli videndos ſe exhibent in abſcondito: ſed & in illum ipſum, quem intuentur, ſpiritum transformati, intra velum cuſtodiæ ſuæ columbas & ipſi conſpiciendos eidem ſe præbent, quem ſpeculantur abſconditi.

Paraphraſis.

Iuxta ſecundum eiuſdem Hebraicæ lectionis ſenſum

5

Secundus sensus.

sum alia confertur laus in contemplatiuos, spiritualesue istos Ecclesiæ oculos per hoc, quod intra velum columbas se exhibent, quod nimirum perseuerantes in cõtemplatione eorum, quæ ad Christi carnem pertinent, gemitibus inenarrabilibus suum erga Deum ipsimet Deo exponunt amorem.

Pro cuius sensus intelligentia, Notandum primo, velum Ecclesiæ sanctæ illud ipsum esse, quod velum Christi: sicut enim velum templi idem ipsum erat antiquitus, ac velum sancti sanctorum, quo scilicet occultabatur arca, & intra quod erat gloria Domini in medio Cherubim: Ita & velum Ecclesiæ caro Christi est, intra quam Verbum diuinum habitauit in nobis, quaue plenitudo diuinitatis contecta est: Vnde & p Apostolus velamen illam appellat in Epistola ad Hebræos. Hoc velo faciem conuersationis operit ipsa & Ecclesia, vt digne, & honeste ambulet, sequens vestigia dilecti sui: ambulans, sicut ille ambulauit, cum degeret vitam in carne. In hoc velum contemplatiui, qui oculorum in Ecclesia funguntur munere, tunc plane sese abdunt, cum iugiter in meditationibus sese exercent, quæ ad Christi carnem pertinent, de Incarnatione scilicet Verbi, de vita, passione, & glorificatione Christi, de Sacrosancto Eucharistiæ mysterio, de innumeris eus beneficijs, deque immenso amore, quem is in sua præstitit carne.

p Heb. 10. 20.

Oculi efficaciores ad amorẽ conciliandũ & contestandum quam lingua.

Notandum secundo, per ea, quæ hic dicuntur, egregie id solui, quod aliquando in dubium verti solet: quidnam efficacius sit ad amorem vel conciliandum, vel conflandum, linguane, an oculus: Significatur enim, ab oculis multo præstantius id omne exhiberi, quod ad amorem spectat, quam à qualibet lingua: idque si verum est de oculis, ac lingua corporeis, ita vt propterea obseruatum ab aliquibus sit, per oculos mutuo se spectantes multo plura in vnico momento dici, quam quæ per linguam in toto diei spatio exprimuntur: multo sane verius de spiritualibus affirmare licet & lingua, & oculis de contemplatiuis, & de ijs, qui vocales Deo promũt preces, & laudes. Hoc igitur illud est quo hoc loco sponsus sanctos extollit contemplatiuos; quod dum sub silentio intra prædictum contemplationis velamen se continent, loquela amoris loquantur proprijssima, gemitu nimirum, ac lacrymis. Porro, quod gemitus loquela sit, tametsi lingua taceat, quæ alias proprium est omnis locutionis organum, nulli dubium inesse potest, cum hoc Spiritus sanctus clare testatus sit in libro Ecclesiastici: q *Non despiciet preces pupilli, nec viduam, si effundat loquelam gemitus.* Quod autem idem gemitus proprijssima sit amoris loquela, præterquã quod ex quotidiano arguimus experimento, ex sacris quoque paginis colligitur manifeste: Enimuero in duobus ijs, qui inter discipulos, discipulasue Christi largiores effuderunt fontes lacrymarum, ardentiorem erga eumdem Christum amorẽ extitisse, nemo est, qui dubitet: lacrymis quippe suis contestati eum sunt, voceque ista, quæ proprium amoris est signum proclamarunt quodammodo; atque adeo Christus Dominus istius loquelæ optime gnarus, cum animaduertisset, r Magdalenã profusis lacrymis ipsius rigasse pedes, ex lacrymarum copia magnitudinem intelligens amoris illius, proprio ore eum prædicauit, dicens: *Dimittuntur ei peccata multa: quoniam dilexit multum:* Et f Petrus Apostolorum Princeps pati minime potuit, vt à Domino interrogaretur, an eum diligeret, ad cuius conspectum iam flerat amare: Vnde tribus interrogationibus semper idem respondit: *Tu scis Domine, quia amo te*: Ac si diceret: Audisti, quomodo id contestatus sim propria amoris loquela: audisti gemitum meum, quando me intuitus es, postquam te negaram: vidisti lacrymas meas; quapropter haud opus amplius est, vt lingua id tentet explicare, quod ipsi mei oculi tibi iam expresserunt; tu scis, quid illi significarint: tu scis, quia amo te. Quin & Christus ipse Dominus noster eadẽ oculorum loquela, cum adhuc lingua loqui haud posset, vt primum natus est, immensum erga homines amorem suum gemens prædicauit, & lacrymans: Eumdẽque amorem erga Israeliticum populum peculiariter ardentem eadem pariter loquela contestatus est, quãdo t appropinquans Ciuitati Ierusalem fleuit super illam: Et hanc loquelam optime callentes Iudæi illi, u qui adstabant sepulchro Lazari, cum vidissent Iesum lacrymas profundentem super mortuum, intulerunt illico: *Ecce, quomodo dilegebat eum.*

q Eccl. 35. 17.

r Luc. 7. 38

f Io. 21. 15.

Notandum tertio, totam hanc oculorum sponsæ, & contemplatiuorum laudem in eo niti quod columbæ dicuntur: Notum enim columbas esse amoris typum, id quod nedum ex Euangelio, in quo Spiritus sanctus substantialiter amor amorisue fons & origo in specie columbæ super Christum apparuisse legimus, sed & ex profanis quoque: propterea enim περιστερὰς Græco vocabulo dictas illas asserit Apollodorus in Libris, quos de Dijs conscripsit: quia supra modum amori dent operam, παρὰ τὸ περιπόθως ἐρᾶν: tam grandem vero amorem suum gemitu illas exprimere, animaduertimus, non modo quando in foraminibus conquiescunt; sed & tunc potissimum, quando in agris, vel super tectis gemebundo murmure circumrotantur, coniuges deosculantes. Columbæ ergo flentes sunt contemplatiui: quia, etsi non loquantur consueto locutionis modo, singulari tamen modo amorem loquuntur; quo certe modo vtuntur columbæ: Hocque illud est, quod in hoc versu significari videtur, secundum lectionem Septuag. quæ habet: *Oculi tui columbæ extra silentium tuum.* Æque enim est, ac si dicatur.

Contemplatiui sunt columbæ, quia gemitu suum exprimunt amorem.

Contemplatiui illi, qui in te oculorum munus exercent, tametsi lingua taceant, multo tamen præstantius loquuntur, quam vllus eorum qui plures fundunt vocales preces: columbæ siquidem effecti, in altumque instar columbarum volantes, instar columbarum pariter gemitibus suis ardentissimam, qua in Deum flagrant, loquuntur charitatem.

Paraphrasis.

Quamquam per eadem verba, iuxta tertium sensum accepta, ijdem contemplatiui non modo ijs præferuntur, qui vocali indulgent Orationi; sed & vniuersis, quotquot ad Ecclesiæ pulchritudinem cõcurrunt, siue illi Doctores sint, siue Prælati, siue subditi, siue Virgines, siue alij quique eorum, quos in subsequentibus ipsemet sponsus commendabit: Ac si dicatur. Pulchritudo quidem tua tanta est, vt ijs, qui te intuentur, stuporẽ ingerat, adeo vt nec loqui quidquam de ea valeant: At oculi tui contemplatiui nimirum illi, qui in te sunt perfectiores, pulchritudinem ipsam tuam vniuersam excedunt non modicum: columbæ quippe sunt, per cælestes agros volãtes, instar columbarum simplices, atque puri, diuinoque indulgentes amori: atque adeo ob ista tria, simplicitatem, puritatem, & charitatem, id omne, quod in te pulchrum est, & sanctum excedunt, & superant. Porro, quod oculi isti simplices sint, ac puri exinde fit manifestum, quod ad vnum duntaxat Deum directi sint, à multiplicitate, & confusione aliarum rerum omnium abstracti: Nec Deum ipsum possent contemplari, ni mundo essent corde: cum scriptum sit: x *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*: & si spiritualis pulchritudo in sanctitate sita est, non est, quod quis dubitet, perfectos cõtemplatiuos pulchritudine reliquis Ecclesiæ membris excellere: Ἅγιος namque Græce sanctus dicitur, quasi sine terra, sine vlla terrenarum rerum admixtione, ideoque & studium contemplationis y optima pars dicta à Domino est, quia per contemplationem charitate magis ac magis afficiuntur contemplatiui erga eum, quem contemplantur, per quam certo charitatem in Deum ipsum transformantur, qui est sanctitatis, & pulchritudinis omnis exemplar, & fons: Hinc bene columbæ appellati hic sunt, vtpote Spiritui sancto conformati. Quantum autem stuporem, quantumue silentium ipsa Ecclesiæ pulchritudo hominibus incutiat, ex eo deduci potest, quod & Deus dum illam celebrare voluit, admiranter primo eam laudibus extulit, dicens: *Quam pulchra es amica mea, quã*

6 Tertius sensus. Contemplatiui præstantiores sunt quocunque ordine fidelium, quo decoratur Ecclesia.

Paraphrasis.

x Matt. 5. 8

y Luc. 10. 42.

pulchra es, de quibus verbis pluribus actum est in capite 1. expositione secunda super vers. 15.

7 Quartus sensus. *Delectationes contemplatiuorum quam magnam vim habeat apud Deum.*

Iuxta quartum sensum, qui est vulgatæ lectionis nostræ, difficile est assignare quidnam illud sit quæue ea sit gratia, quæ intrinsecus in sanctis latet contemplatiuis, qua tam ingenti illustrãtur decore tantamue vim habent, vt Deum ipsum compellere quodammodo valeant: Vt dicam tamen, quod sentio; crediderim, id esse ingentem illum oblectationum cumulum eamue frutionis gratiam, qua intrinsecus ij perfunduntur, dum à terrenis omnibus abstracti Deum meditantur, in illum solum coniecti, quem vnum tantummodo diligunt. Similitudo quippe eorum ad oculos columbarum, qui in vnum dumtaxat coniugem conijciuntur, in cuius vnius conspectu columbæ ipsæ summa perfruuntur voluptate, hoc innuit. Et quidem experimento id comprobant, qui huic dant operam studio contemplationis, vt cum meditantes, quæ ad Deum spectant, delectationem ex ijs percipiunt, tunc ardentius erga Deum afficiantur, feruentioresue fundant preces; ita vt ex ipso eorum gustu (si tamen verus sit gustus) Deus, quasi ab eximia eorum sanctitatis gratia voluptatem pariter capiat, compellaturque quodammodo à maxima illius vi; vt quicquid ab illis petitur, liberalissime ijs præstet. Ex sacris quoque litteris confirmata hæc habemus: nam in libro Ecclesiastici, cum Sapiens loquitur de perfecto Dei adoratore, quales contemplatiui hi sunt, de quib. modo est sermo, dicit: 2 *Qui adorat Deum, in oblectatione susciptetur*, id est, dum ipse adorans Deum delectatur in Deo, & in diuinis, quæ contemplatur; Deo pariter delectationem ingerit: atqui pro eximia illa, qua decorus est, gratia, in oblectatione ab eodem susciptetur, vt res pergrata, ac periucunda: & statim subijcitur: *Et deprecatio illius vsque ad nubes propinquabit*: ac si dicatur: Adeo iucunde is à Deo susciptetur, vt facile per istiusmodi gratiam ab illo obtenturus sit quicquid petierit. Quin in eo ipso, quod delectatur in meditatione diuinorum, etiamsi nihil petat actu, deprecatio illius ad Deum propinquabit: ac si delectatio ipsa, qua fruitur, deprecatio sit, atque petitio eorum, quæ sibi necessaria sunt. Quod clarius exprimitur per illud Psalmi: a *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui*: id ipsum namque cor, quod delectatione perfunditur in Domino, quem contemplatur, dum ob eam delectationem dilatatur coram Domino, aperit certe ei, quicquid in se est, vel necessitatis, vel meriti, sicque efficitur, vt & delectatio, & petitiones cordis vnum quodammodo sint. Ob istam igitur tam eximiã gratiam, qua intrinsecus pollent, commendantur hoc loco contemplatiui: ac si dicatur.

2 Eccl. 35. 20.

Delectatio contempla. tiui, oratio est efficacissima.

a Ps. 36. 4.

Paraphrasis. *Oculi tui*, contemplatiui, qui in te sunt, ad me vnum dilectum tuum semper directi sunt, instar oculorum *columbarum*, qui & in vnum dumtaxat coniugem conijciuntur. Prætereo, id in illis celebrare, quod intrinsecus in eis latet delectationis, & gratiæ, qua ipse & recreor, & trahor allectus.

Vers. I. cap. IV. *Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es: Oculi tui columbarum absque eo, quod intrinsecus latet.*

Expositio III.

De secunda Sponsa, quæ est Anima Iusti.

8 *Vide quæ dicta sunt supra expos. 3. vers. 15. c. 1.*

PAnegyricum facturus cœlestis sponsus virtutum animæ piæ, à fidei encomio sumit exordium, vtpote à fundamento reliquarum virtutum: Non est autem, cur hic detinear ad probãdum; qua ratione fides prima sit & maxima omniũ virtutum, *a sine qua*, a Heb. 11. 6 Apostolo teste, *impossibile est placere Deo*, hoc quippe alias pertractatum est: sicut & congruentia, quam habet cum corporeis oculis, examinata alibi est.

Porro perfectissimam istam piæ animæ fidem ex duplici capite commendat in præsenti oculorum encomio, iuxta lectionem Hebraicam, qua dicitur: *Oculi tui columbæ, intra velum tuum*, & iuxta primũ sensum allatum in littera. Primo ex eo, quod charitate informata sit. Secundo, ex eo, quod intra ineuidentiæ obscuritatem sese contineat: quod enim ait: *Oculi tui columbæ*: significat, fidem illius non modo charitate informatam esse eo pacto, quo ita à charitate perficitur, vt per bona opera vitam mereatur æternam, iuxta illud Apostoli: b *In Christo Iesu nec circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per dilectionem operatur*: Verum in charitatem ipsam quodammodo transformatam, & charitatis speciem esse adeptam: cuius certe charitatis symbolum eæ sunt columbæ, in quas transformati, quarumue speciem adepti dicuntur oculi sponsæ: perfectio autem ista in eo sita est, quod actus fidei per imperium charitatis refertur ad vltimum finem, quatenus pia illa anima credit propter Deum, vt summum bonum: sic quippe istiusmodi actus pertinet ad eandem specie rectitudinem, ad quam charitas ipsa, atque adeo est eiusdem speciei, cuius & illa est, quamquam fidei id sit accidentale, quod charitati est essentiale. Quod vero subijcitur: *Intra velum tuum*: ineuidentiam illam, illamue obscuritatem significat, intra quam veluti intra velum oculi perfectissimæ istius fidei concluſi ab ipsa detinentur sponsa.

Fides animæ sanctæ quomodo sit informata charitate, & in charitatem transformata.

b Gal. 5. 6.

Supponendum autem hoc loco, fidem niti in ineuidentia obiecti, tametsi illud ipsum obiectum possit esse cognitum per visionem euidentem, ac per scientiam, eoque perfectiorem esse fidem vniuscuiusque, quo magis ab ipsa elongatur euidentia, vt probant Theologi ex illo Ioannis: c *Quia vidisti me, Thoma, credidisti: Beati, qui non viderunt & crediderunt*. Sic itaq; velum, intra quod oculi isti sunt, est ænigma illud, de quo Apostolus ait: d *Videmus nunc per speculum, & in ænigmate*, & breuis istorum verborum sensus hic est.

c Io. 20. 29

d 1. Cor. 13 12.

Quæ amica mea es omnimoda decora es pulchritudine sanctitatis, virtutibusue omnibus præstantissima ratione præfulges: fides namque tua, quæ primum inter reliquas vniuersas obtinet locum, vsquequaque perfecta est. Enimuero intra velum ineuidentiæ persistens ob id vnum potissimũ assentitur, quod obscure agnoscit diuinitus reuelatũ id omne, quod credit: tantamue cum charitate habet connexionem, vt ipsam quodammodo referat charitatis speciem.

Paraphrasis.

Amplificatur etiam non modicum purissimæ, ac simplicis intentionis encomium per hęc pauca verba: *Intra velum tuum*; seu, vt legunt Septuaginta. *Extra silentium tui*: aut, iuxta nostram Vulgatæ lectionem: *Absque eo quod intrinsecus latet*. Per oculos quippe animæ, illius intentionem designari, ostensum est supra in expositione tertia vers. 15. cap. 1. vbi & fusius explicatum est, quam recte puritas, ac simplicitas istius intẽtionis exprimatur per similitudinem vel ad oculos columbarum vel ad ipsas columbas.

9 Adapt. trip. lect.

Ex triplici autem capite encomium istud amplificatur, iuxta triplicem lectionem. Quorum primum est; quod tunc adeo pura est, simplexque piæ animæ intentio, cum est intra velum carnis, quo circundatur, atque operitur: Enimuero quod Angeli, atque etiam animæ separatæ in singulis actionibus suis intẽtionem ad vnum Deum directam iugiter habeant, eximia certe illorum est laus: quamquam, cum puri spiritus sint, facillimo negotio dirigantur, & tendant ad Deum, qui spiritus est purissimus: At vero, quod anima, quæ carne vndique operitur, carnisue desiderijs ad carnalia allicitur, corporis pondere prægrauata puram se seruet à carnis operibus, & ab omni respectu carnali, ad Deumque suæ intentionis oculos coniectos quacunque in re habet, multo sane id mirabilius, multoque præstantius, quia difficilius exhiberi id potest.

Intentionem ad vnum Deum directam habere eum qui carne circundatus est, præstantissimũ.

Quod ergo hic dicitur, tale est.

Paraphrasis.

Pulchritudinem tuam exprimere quis possit? pulchritudinem, inquam, illam, qua decora es, dum amica mea

ita in Orientalibus niger, & ſubrufus in pretio habe- A
tur; quod probat ex eo, quod Arabes feminæ iſtiuſ-
modi colores medicamentis ſolent inducere.

Hoc ſuppoſito, maxima, inquit, efficacia hac breui ſimilitudine ſponſum ſponſæ capillos laudare: nam pro ſoli natura capræ Galaaditicæ vt plurimum aut nigræ ſunt, aut ſubrufæ: ob paſcuorum autem bonitatem, & copiam pingues illæ capræ intelligēdæ ſunt fuiſſe, & ob idipſum prænitentibus pilis, & copioſis: Nec ob pinguedinem duntaxat pilos eæ habēt nitentes, ſed etiam quia, cum mons ille Galaad reſinoſis arboribus plenus ſit, ad ipſas arbores ſeſe fricātes reſina poliunt cutem. Confirmat hæc Legionenſis ex ſignificatu Hebraici verbi גלש galas, quod & pectere B
ſignificat (vt infra notabo) & polire: vt nimirum illæ dicantur ſeſe pectere; quia veteres, & deciduos earū pilos reſina euellebat, nouos, & firmos poliebat, & in decentem ordinem redigebat. Hæc Legionenſis perpulchre quidem: ſed nullo fundamento, ſimplicibus nixus coniecturis: ſimplex enim coniectura eſt, quod hebręæ feminæ in capillis nigrum aut ſubrufum colorem probarent, non flauum: neque ex Arabibus ad hebræas arguendum eſt: mera etiam coniectura eſt, quod capræ Galaaditicæ nigræ ſint, aut ſubrufæ: quin potius albas eas dixerim, ſi à pari ratione arguendum eſt: quādoquidem dentes candidiſſimi ouium gregi- C
bus comparantur in ſequenti verſu, ouium certe candidiſſimarum, quæ aſcenderunt de lauacro: ouium quoque Galaaditicarum, quæ de Iordane aſcendunt. Neque id probandum videtur, quod ait de capris ad arbores reſinoſas ſeſe fricantibus, reſinaque cutem polientibus: nam certe ſi ad reſinam eę ſeſe perfricaſſent, ipſa reſina & deciduos & firmos illarum pilos detraxiſſet, & pro piloſis depilatas eas reddidiſſet.

Mihi probabilior altera eorum videtur opinio, qui ad ipſos caprarum greges comparationem aſſerunt factam; nam præterquam quod litteræ id magis eſt conſonum, quæ haud habet: *Sicut gregis caprarum*, ſed D
ſicut greges caprarum: quemadmodum & in Græco Sept. ὡς ἀγέλαι τῶν αἰγῶν. Ex ſimilitudine, quæ affertur in ſequenti verſu id quoque manifeſte deducere licet. Quemadmodum enim cum dicitur: *Dētes tui, ſicut greges tonſarum*; non ad dentes ouium, ſed ad ipſos eorum greges abſque vlla dubitatione fit dentium ſponſæ comparatio (vt ibi dicetur) ita & in hoc pariter verſ. comparatio capillorum eiuſdem ſponſæ ad greges caprarum facta dicenda eſt, præſertim cum congruē-
tiſſima ea ſit, non minus quam pilorum; atque ipſos quoque pilos includat caprarum illarum, ex quibus ij conſtant greges.

Porro cōgruentias quatuor aſſignare fas eſt ſimili- E
tudinis iſtius ad ſponſæ capillos, ſimulque & quatuor illorum prærogatiuas, ac præſtantiſſimam eorumdem laudem ex præcipuis pulcherrimorum capillorum conditionibus: ex longitudine, ex copia, ex nitore, ac demum ex glorioſiſsimorum ornamento, quo feminarum decorant capita. Enimuero, cum ij caprarum greges, qui frequentiſſimi ſunt in Regione Galaaditica paſcuis eorum aptiſſima (vt colligitur ex libro Numer.) montem aſcendunt Galaad, in quo paſcuntur, ijs, qui de deorſum illos aſpiciunt, longiſſimum capillitium vnum repræſentant: quandoquidem capræ illæ, quæ pinguiſſimæ ſunt ob paſcuorum bonitatem, pilis quoque longis coopertæ gregatim in vnū ad- F
ſcendunt: Ex earum autem copia, & dēſitate, qua adſcendunt arcte coniunctæ, denſitas quoque, & copia commendatur capillorum ſponſæ, qui ijs gregibus comparantur: Sicut & nitor eorundem ex nitore celebratur illorum gregum aſcendentium ad ſolis radios: conſtat enim caprarum pilos nitidos eſſe, earum præſertim, quæ pingues ſint, & obeſæ, quæue frequētius ad aquarum fontes lauantur, quales profecto Galaaditicæ illæ ſunt, quæ & egregia habent paſcua, & magnam aquarum copiam.

Denique per hanc ſimilitudinem & inſignis deſignatur ornatus, quo ipſi ſponſæ capilli prolixi, copioſi, ac nitidi eiuſdem ſponſæ caput exornant: nam & capræ illæ aſcendentes ita montem exornant Galaad, vt ſi ipſis deſtituatur mons ille, caluus appareat. Notum eſt, caluitiem ignominiam maximam afferre mulieri, & è veſtigio, gloriam ſummam eidem ex prolixa, ac denſa coma conciliari. Vnde Paulus ait: *b Vir ſi comam* b 1. Cor. 11. 14.
nutriat, ignominia eſt illi; mulier autem ſi comā nutriat, gloria eſt illi. Et: *c Turpe eſt mulieri tonderi, & decaluari.* A colore c 1. Cor. 11. 6.
nequaquam laudantur hoc loco ſponſæ capilli; laudabit tamen illos ſponſus & ab hoc quoq; inferius, vbi dicet. *d Comæ capitis tui ſicut purpura Regis vinctæ canali-* d Cant. 7. 5
bus. Breuis itaque eorum, quæ hic dicuntur, ſenſus hic eſt.

Capilli tui pulcherrimi quoque ſunt, eoque modo tuum exornant caput, de quo aſcendūt, quo & greges Galaaditicarum caprarum ſuum exornant montem Galaad, in quo aſcendentes paſcuntur. Quidni vero exornant, cum nihil in eis deſiderandum ſit, quod ad capillorum feminæ pulchritudinem requiratur, non longitudo, non denſitas, non denique & nitor; adeo quippe longi ſunt, vt ſimiles ſint longiſſimæ ſeriei gregum piloſarum caprarum, quæ ſimul vnitæ aſcēdunt de monte Galaad. Denſique pariter ijdem ſunt, prout & iidem caprarum greges, quorum copia magna eſt in monte Galaad. Quod ſi capræ illæ pingues ob paſcuorum bonitatem, dum lotæ aſcendunt de monte Galaad, radijs percuſſæ ſolis nitent pilis ſuis ſplendore perpulchro, non minus certe & tui nitent capilli; atque adeo congruentiſſima ſimilitudine ijs caprarum gregibus comparandos eos cenſeo. Paraphraſis.

Circa lectionum varietatem: nihil in hac ſententia diſcriminis eſſe exiſtimo inter lectionem Vulgatæ, & lectionem Hebraicam, ac Septuag. Interpretum. Quamuis Hebraizantes diuerſiſſimam faciāt Hebraicam lectionem. Et ſane verbum in textu Hebraico שגלשו ſciegaleſu, à verbo גלש galas, quod inuſitatum eſt in ſacris litteris, nec vſquam alibi reperitur, præterquam in hoc libro bis, ſemel in præſenti ſententia, & ſemel in cap. 6. vbi eadem reperitur: atque adeo circa eius ſignificatum ita inter ſe diſſentiunt Hebræorum Doctores, vt plane conſtet, ſic in hoc ſuā palam facere ignorantiam, vt & in afferendis ſignificationibus multarum vocum aliarum, quarum certe notitia ab eis penitus excidit. Quidam enim exponūt, *Quæ mane ſurrexerunt*, alij: *Quæ depilatæ ſunt*, alij: *Quæ perfricatæ ſunt*, alij: *Quæ pexæ ſunt*, vel, *depexuerunt ſe*, inter arbuſta ſcilicet, alij, *Quæ glabrum*, ſeu *caluum reddiderunt*, ſcilicet *montem*. Verus ergo ſignificatus à Septuag. illis Interpretibus eruendus eſt, qui (vt alias quoq; notatum eſt) Hebrææ linguæ peritiſſimi erant tunc temporis, quando nondum amiſerant Iudæi ſuarum vocum cognitionem. Hi in hoc verſu prædictum verbum reddiderūt ἀπεκαλύφθησαν, *Reuelatæ ſunt*: in cap. autem 6. ἀνεφάνησαν, *apparuerunt*: Quo ſignificatu idem accepit & noſter Interpres, non ſolum in cap. 6. vbi vertit: *Quæ apparuerunt*, ſed & in hoc loco, cum vertit: *Quæ aſcenderunt*. Aſcendere enim de monte poſuit pro manifeſtari, & apparere de mōte, cum illum adſcenderunt: Quo ſenſu etiam inter Hebræos R. Abraham Aben Ezdra hebraicum verbum expoſuit: *Quæ prominent*, ſeu, *quæ ſpectantur*, & eminus proſpiciuntur.

Ex Verſ. I. cap. IV. *Capilli tui ſicut greges caprarum, quæ aſcenderunt de monte Galaad.*

Expositio II.

De prima Sponſa, quæ eſt Eccleſia Sancta.

15 *Nazaræi noſtrorum monachorũ typus extitere.*

VEteris legis Nazaræos typum extitiſſe eorum Religioſorũ, quibus Eccleſia Sancta ornatur, & Sacrorum Patrũ conſtat auctoritate, & nominis pariter cõfirmatur ſignificatione. Neq; enim aliud Nazaræus ſignificat, quam ſegregatum, ac ſanctificatũ; quia, qui Nazaræus fiebat, diſtinctum quodammodo ſeſe efficiebat à communi ceterorum hominum conſuetudine, & viuendi ratione, atque hoc pacto ſegregatum ſpeciali cæremonia Deo ſeſe conſecrabat, votoque ad id ſeſe obſtringebat. Porro, ſi quis attentius Nazaræorum eorum cæremonias inſpiciat, rituſue conſideret, quorum Catalogum in lib. Numer. *a* deſcriptum videre eſt, animaduertet, in eo in primis illos ſeſe exhibere ſolitos ſegregatos, ac Domino ſanctificatos, quod longam capillorum cæſariem geſtarent: adeo vt, quaſi ſegregatio illa, ipſaque ſanctificatio in capillis ijs ineſſet, ſi quando in immunditiã aliquam quiſpiam eorum incidiſſet, illico & cæſarie quoque deſtitueretur, raſus à Sacerdote: & vt primum capillis deſtitutus eſſet, à Nazaræorum excideret ordine: quin & cum capillorum amiſſione ſæpius amitteret pariter & virtutem, & robur, quod ipſam conſequeretur ſegregationem, atque ſanctificationem, vt ex libro Iudicum colligere eſt, vbi aperte hoc Dalilæ proteſtatus eſt Sampſon, dicens: *b Ferrum numquã adſcendit ſuper caput meum, quia Nazaræus, id eſt conſecratus Deo ſum de vtero matris meæ: ſi raſum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea, & deficiam, eroque ſicut ceteri hominũ*: ac ſi dicat: Abſciſſa cęſarie cum capillis abſcedet & ſanctificatio, & robur, quo in ſanctificatione polleo: deficiam ab ordine Nazaræorum, & ero ſicut ceteri hominũ, haud amplius ſegregatus ab illis. Quę omnia ſubſequens poſtmodum comprobauit euẽtus. Huius rei perſcrutans rationẽ, quare Nazaræi tanta cura capillorũ cæſaries cuſtodieda tunc eſſet, eã mihi perſuadeo eſſe potiſſimam, quod capilli eſſent perfectiſſimus typus Religionis, perfectiſsimum & hieroglyphicum bonorum Religioſorum, quales per antiquos illos repræſentabantur Nazaræos. Enimuero tota Religionis eſſentia in duobus potiſsimum cõſiſtit; in omnimoda mortificatione, & iugi adhæſione ad Chriſtum, quæ duo ex capillorum natura peregregie colliguntur, ac deſignãtur. Capilli ſiquidem ita à capite oriuntur, vt ipſi inhæreant capiti: & licet, dũ capiti inhærent, augmentum à capite ſumant creſcantque ſemper magis ac magis; nullam tamen in ſe habent vitam, quæ propria ipſorum ſit; nullumue ſenſum, ſiue moueantur ſiue ſecentur: nihil percipiunt voluptatis, nihilue moleſtiæ, quod mortuorum eſt.

In capillis præcipua Nazaræorũ cæremonia, & quare.

a Num. 6.2

b Iudic. 16. 17.

Capilli ſunt hieroglyphicum religioſorum.

Religionis eſſentia in quibus ſita ſit.

Religioſi Chriſto inhærẽtes ſemper ſunt æq; ac capilli inhærentes capiti. Simile.

Atqui, tametſi fideles omnes, quotquot intra Eccleſiam ſunt, Chriſto inhæreãt vt membra capiti; Religioſi tamen præ reliquis proximius eidem inhærere dicendi ſunt, æque ac cæſaries capiti; quod ex triplici argumento deducere licet: Primo, quia ipſi ſunt, qui præ ceteris Chriſtum ſequuntur per obſeruantiã nedum præceptorum, ſed & conciliorum, abnegantes ſemetipſos, propriæque voluntati renunciantes: ad Chriſti, ſiue eorum, qui illius vices gerunt, Prælatorum nutum, ac voluntatem ſeſe mouentes, ſeu potius ſeſe moueri ſinentes, non ſecus, atq; capilli, qui motum capitis iugiter conſequuntur, quiue ad capitis motum, ac nutum quemlibet ſimul cum capite mouentur, cui inhærent. Qua certe ex re ingens conſolatio nobis prouenit qui religioſam profitemur vitam: quandoquidem ex hac capillorum conditione argui-

Religioſi dum obedientiam exhibent, ſemper Chriſtum comitem, & impulſorem habent.

mus; nobiſcum pariter id ipſum fieri, quando inhærentes Chriſto, illius obtemperamus voluntati; vt ſcilicet quandocunque obedientiæ aliquod opus perficimus, non tantum illius nutui pareamus; ſed & comitem illum in illo ipſo opere habeamus, & impulſorẽ. Hinc eſt, quod quando Dominus formam nobis præſcripſit, qua iſtiuſmodi profiteremur vitam Religioſam, iubens *c* vt abnegaremus noſmetipſos, ſubintulit; vt ſimul quoque ipſum ſequeremur, vtpote præcedentem, ac comitãtem nos in motu quolibet & in quacunque operatione, prout legimus in eo, quod in deſerto ſuam exhibens præſentiam in columna nubis, & ignis, ad columnæ motum populum Iſrael ad commigrandum impellebat: & cum populus eius nutui obtemperans iter arriperet, ipſe comitem ſe illi in eo exhibebat itinere, præcedebatque illum. Secundum argumentum, quod religioſi præ ceteris fidelibus Chriſto inhærẽtes ſint vt capilli capitis, inde deſumitur, quod præ ceteris à Chriſto dependẽt in omnibus, quæ poſsidẽt, abiectiſque vniuerſis ſolicitudinibus ſæculi, à Chriſto id totum expectent, atque ſuſcipiant, quod ad victum ſibi neceſſarium ſit, tum corporalem, tum ſpiritualem. Tertio denique idipſum exinde colligitur, quod cum Religioſus quiſpiam à Religionis ſtatu diſcedit, æque vocatur Apoſtata, ac qui diſcedit à fide Chriſti: & qui à ſuo deſciſcit capite, à Chriſto nimirum euulſus, cui intime inhærebat. Congruitque iſtiuſmodi eorũ euulſioni, quod in capillorum contingit euulſione à capite, cui inhærent. Nam quemadmodum cum euelluntur capilli, etſi ij nihil doloris ſentiant, maximus tamen affertur dolor & corpori, & capiti, in quo radicati illi erant. Ita, quãuis religioſus, qui apoſtaſia euellitur & à Religione, & à Chriſto, nil mali, nilue doloris ſentire ſibi videatur, vtpote redditus inſenſibilis per peccatum, ingentem tamen infert dolorem & toti Eccleſiæ, & Chriſto, eo modo, quo doloris compos dici is poteſt.

c Luc. 9.23

Religioſus Apoſtata euulſus eſt à Chriſto.

Simile.

16 *Religioſus debet eſſe inſtar mortui.*

Porro, quod non obid ſolum per capillos recte deſignentur religioſi, quia peculiari ratione Chriſto inhærent Eccleſiæ capiti: verum etiam quia inſtar capillorum mortui ſunt, ex eo fit conſpicuum, quod dum quis Deo ſeſe in religione deuouet, in terram quaſi cadauer proſtratus, mortuum ſeſe repræſentat: communiſque eſt Sanctorum ſententia, religioſum minime cenſendum, qui ita inſenſibilem, ac mortuum ſeſe non exhibeat mundo, ac carni, vt ei competat, quod ab Apoſtolo dicitur: *d Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in gloria*: ſi quid enim vitæ is habet, in Chriſto abſconditam habet capite ſuo, cui viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum: Non ſecus, atque capillis haud aliud viuere eſt, quam eſſe in capite, & lucrum ingens eſt, aliam non habere vitam, quam vitam capitis, in quo radicati ſunt, & à quo augmentum omne deſumunt.

d Coloſſ. 3.3

Religioſi quam connexionẽ habeant cum contempla. tiuis.

Cum igitur tam arcta inhæſione Chriſto coniuncti ſint religioſi, quam arcta capilli coniuncti ſunt capiti: cũque tantam ijdem cum capillis habeant congruentiam, egregie ſub capillorum metaphora illos hoc loco commendat ipſemet Chriſtus, qui & caput, & ſpõſus eſt Eccleſiæ, cuius laudes aggreſſus eſt promere; Et iure optimo poſt laudes cõtemplatiuorum, laudes religioſorum ſubiicit: quandoquidem tantam inter ſe habent connexionem contemplatiui, atque religioſi, vt haud verus religioſus cenſeri quis debeat, qui contemplatiuus habitu ſaltem non ſit, & deſiderio: nec vllus cõtemplationi melius addicatur, quam qui religioſus ſit bonus. Laudat autem primo illos ex longitudine, ſecundo ex dẽſitate, ac tertio ex nitore, quæ ſunt tres pulchrorum capillorum conditiones.

Religioſi longi dici poſſut inſtar pulchrorum capillorum eum humilli. mi ſunt. Simile.

Neque vero mediocris in religioſo cenſenda eſt laus longitudinis: nihil quippe aliud eſt longum eſſe, ſeu in longum extendi religioſum, quam humillimum illum ſe exhibere: & iſtiuſmodi longitudinem, de qua modo eſt ſermo, haud in alio ſitam eſſe, crediderim, quam in ſumma humilitate. Quemadmodum enim & capilli tunc longiores dicuntur, cũ magis ad

terram

ca mea es, & proxima mea, pulchra es in externis, A pulchra & in internis: elucet autem pulchritudo tua vniuersa in puritate præsertim, ac simplicitate intentionis tuæ, qua, cum intra velum carnis sis, me tamen vnum respicis.

Tertius sensus. *Intentio ad vnum Deum directa præstantissima est omnium virtutum, quæ in pia sunt anima.* Paraphrasis.

Secundum caput est ex eminentia, & excessu, quo pura ista, ac simplex intentio pulchritudinē omnem superat piæ animæ; etsi pulchritudo, ac sanctitas illa tam grandis sit, vt præ sui stupore silentium ijs causet, qui eius facti sint spectatores.

Iuxta lectionem namque Septuag. æque est, ac si dicatur: Admirari quidem possum pulchritudinem tuam; exprimere autem illam neutiquam licet: Quis enim exprimat, quam pulchra sis amica mea, & extrinsecus, & intrinsecus? At certe id, quod in te maxime est omnium pulchrum, atque decorum, intentio tua est, quam instar columbarum purissime, ac simplicissime in me semper habes coniectā: Hæc quippe præstantissimam omnem superat pulchritudinem ac sanctitatem tuam. B

Quartus sensus. *Humilitas interna exornat puram intentionem.* c *Psl.* 137.6

Tertium denique caput ex adiuncta est desumptum interna humilitate. Hanc etenim existimo gratiam illam esse, quæ intrinsecus in oculis latet piæ animæ, & in pura eius intentione: quaue & Deus summopere delectatur, ac trahitur, iuxta illud Psalmi: *c Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit.* Enimuero pia illa anima, quæ admiranda ea pollet sanctitatis pulchritudine, vt summum Deum commoueat ad exclamandum: *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es!* dum eximia peragit virtutum opera, ita ad Deum iugitet suam dirigit intentionem, vt eam omnino à proprio quolibet abstrahat commodo vel gloriæ, vel vtilitatis alterius, humilians se in omnibus propriamue vilitatem, ac insufficientiam ponderans, semper indignam se reputans, quæ vel Deum respiciat. C

Vers. I. cap. IV. *Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es: Oculi tui columbarum absque eo, quod intrinsecus latet.* D

Expositio IV.

De tertia Sponsa, quæ est Beata Virgo Maria.

10 Primus sensus. *Vide quæ dicta sunt supra expos. 4 vers. 15. cap. 1. Mariæ fides quam magna.* a *Rom.* 4. 18.

Extollit Apostolus Abrahæ fidem ex eo, quod crediderit, futurum id, quod contra spem omnem erat humanam, & de quo naturaliter desperandum erat, dicens: *a Qui contra spem in spem credidit, vt fieret pater multarum gentium*, &c. *& non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum*, &c. E

At profecto multo rationabilius Gloriosæ Virg. fidem hoc loco præstantissimo encomio celebrat Dominus ex eo quod crediderit, se paritura filium: cum tamen firmissimū haberet seruandæ virginitatis propositum: quod certe encomium egregia exprimit metaphora oculorum intra velum, dicens iuxta Hebraicam lectionem: *Oculi tui columbæ intra velum tuum.*

Simile. Enimuero, quemadmodum oculi corporei cum velo crassiori cooperiuntur, videre nequaquam possunt; atque adeo, si cōtingeret aliquando, vt intra istiusmodi velum existentes, clarius, quæ sibi proposita essent, F viderent, diuino aliquo lumine insigniti dicerentur, maioremque laudem exinde contraherent, quod essent intra velum, quam si nullo cooperti essent velamine. Ita & Mariæ fides ex eo extitit præstātior, quod intra velamen extitit propositi Virginitatis, quā Deo vouerat vt ei acceptissimam, à quo certe proposito impediri naturaliter debuisset, ne crederet. Commendaturus igitur cælestis sponsus tantę virginis pulchritudinem per partes singulas, quam generaliter prius extulit, à fide incipit, quæ fundamentū est totius pulchritudinis spiritualis: ac præter laudem, quam supr. in capite 1. illi contulerat eximiæ puritatis, ac simplicitatis, addit & istam: quod intra velum prædictum, puritatem illam ac simplicitatem inexplicabilem illæsam seruauit; ac si dicat.

Paraphrasis. *Oculi tui*, fideque tua, instar *columbarum* purissima, ac simplicissima, etiam cum velamen illud oppositum haberet voti seruandæ Virginitatis, quod naturaliter partui repugnat: Simplicissime tamen credidit, cum Virginitate & partum futurum: quandoquidem eo modo in me vnum tuos fidei coniectos habuisti oculos, quo modo & columbæ in vnum coniugem coniectos habent oculos suos, mihi credens simpliciter, quod per Angelum tibi reuelaram.

11 Quartus sensus. *Mariæ fides exornata quam maxime est ex adiuncta humilitate interna.*

Iuxta sensum illum, qui quarto loco in littera allatus est, vulgatæ lectionis: *Oculi tui columbarum absque eo, quod intrinsecus latet*: Extollitur eadem Mar. fides ex alia illi adiuncta virtute humilitatis internæ, ac præstantissimæ demissionis, quæ intrinsecus & in ipsa fide, & in anima lateret B. Virginis. Quamuis enim fides (vt supra probatum est in c. 1.) fundamentum exstiterit totius, quæ in Mar. extitit, pulchritudinis, certumque sit, à fide eius eximia vniuersam in ea prouenisse pulchritudinem; ita tamen id certum est, vt certissimum pariter sit, insignem illam eius fidem fuisse & charitate feruentissima informatam, & virtutum omnium decore illustratam.

Humilitas Mariæ Deū in eius vterum traxit. Quod vero in tam præclaro virtutum omnium comitatu, quo ea illustrabatur, Dei animum in primis commouit, quodue eundem Deum è cælis in ipsius Mariæ vterum traxit: humilitas extitit, qua Virgo gloriosa infimam feminarum omnium se reputans, & indignam, quam Dominus respiceret, credidit nihilominus Angelo, electam se in Dei matrem: neque cum id crediderit, tam sublime sibi euenturum, humilitatem ipsam ex intimis deposuit præcordiorū: at vt arctius fidei adiunctam illam seruaret, vna cum fidei assensu vnitam illam expressit, quando Deum ipsum ad se ijs traxit verbis: *b Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*: Et, *c* cum fidei beatitudinem suam abElisabeth adscriptam audisset, illico gratiæ isti latētis humilitatis ipsa eandem tribuit beatitudinem, dicens: *d Quia respexit humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* In eundem itaq; modum Christus sponsus eius, & filius hanc ipsius fidem extollens ex hac illi adiuncta humilitate potissimum eam commendat: Æque est enim, ac si dicat. b *Luc.* 1. 38 c *Luc.* 1. 45 d *Luc.* 1. 48

Paraphrasis. Pulchritudo tua admirabilis tuæ innixa est fidei, quæ purissima, ac simplicissima extitit, ac plane oculis columbarū, vel ipsismet columbis similis, quatenus symbolum eæ sunt puritatis. Nihil dico de insigni illo, quod intrinsecus in ipsamet fide tua latet, humilitatis, deque præstantissima gratia demissionis animi, qua tractus ad te sum, cum illam intrinsecus adiunctam fidei animaduerti: ac si dicat: Tanta enim ea est, vt verbis exprimi nequeat, quod forsitan significatur apertius in versione Septuaginta: *Extra silentium tui.*

Vers. I. cap. IV. *Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es: Oculi tui columbarum absque eo, quod intrinsecus latet.*

Appendix Expositionum, Ex antiquis Patribus collecta.

12 *Prælati, & Doctores sunt oculi Eccles.*

Paraphrasis Chaldaica: Et in illo die obtulit Rex Salomon mille holocausta super Altare, & suscepta est cum beneplacito oblatio eius coram Domino, irruit vox de cælo, & sic ait: Quam pulcher es cœtus Israel, & quam pulchri sunt Principes congregationis, & sapientes habitantes in concilio: quia ipsi semper illuminant populum domus Israel, & similes sunt pullis filijs columbæ.

Communior sensus est; vt spiritalis animæ contemplatio sub oculorum metaphora commendetur. Porro, cum duplex sit lectio: Altera Septuag. *Oculi tui colūbæ extra taciturnitatē tuam:* Altera Vulgatæ: *Oculi tui co-*

lumbarum abſque eo, quod intrinſecus latet: In hoc ipſo ſen- A
Ambroſius. Theodor. ſu variant quoquo pacto Patres: nam Ambroſius &
Laudatur in pia anima ſpiritalis contemplatio. Theodoritus arbitrantur, nedum ſpiritalem ipſam animæ contemplationem: ſed & ſilentium quoque eiuſdem laudari. De pia anima, ait Ambroſius, ſerm. 16. in Pſalmum 118. verſ. 3. dictum eſt: *Oculi tui ſicut columbæ, extra taciturnitatem tuam*: quod & ſpiritaliter videat, & nouerit tempus tacendi eſſe, & loquendi, vt in tempore ſermonem ſuum proferat, ne importunitate loquendi peccatum poſsit incurrere. Et in libro de inſtitut. Virg. cap. 1. ait, virginem commendari, quod tota ſpiritalis, & ſimplex ſicut columba ſpiritalia videat, & nouerit ea, quæ viderit, tacere myſteria virgi- B
nitatis, quippe dos quędam eſt verecundia, quæ commendatur ſilentio.

Tres Patres. Creata omnia referenda in Deum. Catena trium Patrum apud Theodoritum alio pacto ex duplici capite eandem contemplationem celebratam aſſerit; ex eo quod creata omnia, quæ ſpeculatur ſpiritaliter, in Deum referat, & ex eo, quod inde agnoſcit, Deum comprehendi non poſſe: atque adeo taciturnitate eum veneratur potius. Columbæ, inquit, dicuntur oculi piæ animæ: quia per ipſos omnia, quæ creata ſunt, refert ad laudem Creatoris. Sic autem oculi ſpiritales ſunt, præter ipſius animæ de Deo taciturnitatem (hæc enim magis eſt ſpiritualis,) nam in Spiritu ſancto id, quod omnem cognitionem ſuperat, C
Silentio venerandus Deus. cognoſcit de Deo, nempe, quod nequeat comprehendi.

Phil. Carp. Oratio cordis laudatur. Aliter Philo Carpathius tacitam cordis orationem, vna cum ſpiritali animæ contemplatione laudatam cenſuit: nam ad oculorum ſpiritalium mentis commendationem inquit addi: *Præter taciturnitatem tuam*: nam præter columbinam innocentiam, & ſinceritatem, alia quoque pulchritudo, & ſpecies quædam interior ex taciturnitate huic ſponſæ ineſſe ſignificatur. ſæpe multi piorum ore quidem tacent, corde vero clamant, gratias Deo, preceſue offerentes. Vnde Moyſi
Exo. 14. 15 tacenti dictum eſt: *Quid ad me clamas?* D
Mundum contemnens iuſtus, intrinſecus ſeruat ſpem cæleſtium præmiorum. Cæſiod. Greg. Papa. Beda. Richard. Greg. Pap. Noſtri vero, qui lectionem Vulgatæ expoſuere, quod dicitur: *Oculi tui columbarum*: de ſpiritali intelligũt mentis intuitu, quo pia anima ea contemnit, quæ videt in preſenti ſæculo, quod vero ſubijcitur: *Abſque eo, quod intrinſecus latet*: ad ſpem referre videntur, quã eadem anima intrinſecus ſeruat, cæleſtium præmiorum. Ita fere Caſiod. Greg. Papa, Beda, Rich. de S. Victore.

Oculi ſponſæ columbarum, &c. quia valde honeſtũ eſt, dicit Gregorius Papa, quicquid in exterioribus operatur, quod ſimpliciter inter homines conuerſatur, qui ea, quæ videt, temporaliter cõcupiſcere dedignatur, & ſi aliquid tamen in hoc mundo placet, poſt cõcupiſcentias ſuas ire deteſtatur: Sed vehementer pul- E
chrius eſt, honeſtiuſque, quod cordis deſiderium illibatum retinere conatur, quod æternæ beatitudinis claritatem in mente retinet, recta cõtemplatur, quod in his, quæ interius videt ſuauiter requieſcit, & mundatur.

Rich. Vict. Interna piæ animæ quæ ſint. Videatur Richardus de ſancto Victore ſuper hunc locum, vbi peregregie, fuſiuſque enarrat, quænã ſint, quæ intrinſecus latent in pia anima. Per ea quippe ſtudet Deo magis placere, quam hominibus; id quod in illa celebratum hic aſſerit Iuſtus Orgelitanus.

Iuſt. Orgel. Præter communiorem hunc ſenſum, duo ſunt in-
13 ſuper alij: Alter, quo per Eccleſiæ oculos illius Doc-
Prælati boni quales. Aponius. tores, Prophetæ, ac Præſules commendari cenſentur. F
Aponius enim per Eccleſiæ oculos illius Prælatos ſignificari exiſtimat, qui exemplo, vel ſermone doctrinæ ducatum toti corpori Eccleſiæ præbẽt in manſuetudine, in ſimplicitate, in caſtitate, quos circumſpecte viuendo, nullumue offendiculum ponendo viuẽtibus columbarũ oculis comparatos ait: qui denique exinde glorioſiores ſint, quod quicquid agunt, intrinſecus Deo exhibent, laudem hominum fugientes, & inanem gloriam: atque adeo bene addi: *Abſque eo, quod intrinſecus latet.*

Greg. Nyſſ. Doctores Egregius vero Gregorius Nyſſenus homil. 7. per eoſdem oculos antiquos Prophetas intelligit, & eos qui modo in Eccleſia Prophetarum obtinent locum, *oculi Eccleſiæ Oculorum excellentiæ.* & oculorum munia exercent; per quos lucis ſit perceptio, quibus & amica, & hoſtilia agnoſcimus: per quos ab alienis noſtra ſecernimus, qui nobis omnium operum magiſtri ſunt, & Doctores, nobiſcumque nati, & inſeparabiles itineris omnium errorum expertis duces; quorum denique ſitus ipſe ſupra reliquorum ſenſuum organa præſtantiorẽ in vita nobis vſum eſſe demonſtrat. Columbas autem dici iſtiuſmodi oculos ob ſimplicitatem, & innocentiam, inquit; vel quia, cum ſpiritualia dumtaxat videant, columbæ ac Spiritus ſancti ſpeciem ab ijs, quæ intuentur, immiſſam habent. Vtrumque demum oculum commendari, vt totus homo qui oculorum munere fungitur particeps fiat laudis; tum is, qui extrinſecus apparet, tum quem mente intelligimus: atque adeo bene addi: *Præter id, Virtus interna, & occulta magis perfecta.* *quod in te reticetur*. Cum enim vita bona partim hominum oculis expoſita ſit, partim occulta, & nullius oratione explicabilis; idcirco is, qui quod necdum factum eſt, videt, & abdita perſpicit, teſtimoniũ perhibet perſonæ illi, quæ laudatur, plus eſſe id, quod reticeatur, quam quod extrinſecus apparet; ac ſi dicat: Id, quod tacite in admirationem venit, non cõtinetur in eo, quod hactenus celebratum eſt. De his ipſis oculis intellecta hæc videntur à Greg. Papa lib. 9. moral. *Greg. Pap.* cap. 6. vbi ait: Eius oculi, columbarum vocantur: quia magna luce irradiant, quia magnorum ſignorum miraculis coruſcant. At illud de internis miraculum eſt mirabilius, quod videri non poteſt, de quo ſubditur: *Abſque eo, quod intrinſecus latet*. Magna quippe gloria eſt aperti operis; ſed longe incomparabilis occultæ retributionis.

Senſu denique alteo ſimplicitas hic celebratur B. *Rup. Abb. Simplicitas Mariæ quæ* Mariæ. Hanc autem Rupertus Abbas commendatam *perfecta.* inquit ex ſeptem virtutum naturalium inſignibus, quibus columba prædita eſt: Vide apud ipſum. In eo vero, quod adijcitur: *Abſque eo, quod intrinſecus latet*: internam illius rerum diuinarum, atque cæleſtium notitiam, & oblectationem ineffabilem celebrari, inquit.

Ex Verſ. I. cap. IV. *Capilli tui ſicut greges caprarum, quæ aſcenderunt de monte Galaad.*

Expositio I.

Iuxta ſonum litteræ.

14 Æ Qualem fere vim & in oculis, & in capillis mulierum ineſſe, ad amantium animos commouendos, quãdo pulchri iſti ſint, æque ac illi, haud operæpretium eſt, vt ex vanis profanorum Poetarum probetur ſententijs, cum ex hoc ipſo Cantico; quod à Spiritu ſancto dictatũ nouimus, apertius colligatur: ſic quippe inferius in iſtomet capite quarto, ſponſum hoc conteſtantem videbimus: *a Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Hinc igitur eſt, quod immediate poſt oculorũ encomiũ in hac panegyrico pulchritudinis dilectæ ſuæ, capillorum illius in vno eodemque verſu ſubijcit commendationem. In qua capillorum commendatione duplicem reperio difficultatem: Primo enim haud facile eſt definire; è quanam re ſimilitudo ea ſumatur, qua ij celebrantur. Tum etiamſi id repertum fuerit, difficile eſt, laudem iſtam explicare ex vi illius, quæ inuenta ſit, ſimilitudinis. Quidam non tam ad greges caprarum, quam ad pilos illorum gregum: Alij ad greges ipſos comparationem factam exiſtimant. Ex ijs, qui primam ſectantur opinionem, Le- *Legionenſis* gionenſis præ ceteris fuſius totam vim ſimilitudinis explicare contendit, neſcio, an verius. Supponit enim feminarum capillos à tribus conditionibus commendari ſolitos; à copia, à nitore, & à colore. de quo colore ait, quod ſicut in noſtris regionibus flauus probatur,

ita

terram appropinquant è capite dimissi, cui inhærēt. Ita & religiosi tunc magis ob longitudinē sunt spectabiles, cum arctius Christo inhærentes, profundius per humilitatem ad ima se deijciunt, vilissimos se existimantes, & indignos, qui Deo adstent, quosue Deus aspiciat. Ac sicut feminarum capilli, quo magis terram versus protensi, sunt longiores, eo magis caput exornant, ac circa illud voluuntur, arctiusue ipsum constringunt, quando artificiosa manu ab imis ad superiora reflectuntur. Eodem modo & religiosi, qui vere Christo inhærent, ab eo in omnibus pendentes, crescentesque in gratia, miserrimos se reputant, quo humilius sese deprimunt semetipsos considerantes, viresque proprias expendentes, eo glorioſius Christū exornant Ecclesiæ caput: dum attenta mēte diuinas, quas in se comperiunt, gratias in illum reflectunt, id omne acceptum ei referentes, quod in se extiterit boni, gloriamue omnem, & honorem omnem in illū conferentes, à quo acceperunt, quidquid in ipsis est honoris, & gloriæ: ac per istiusmodi reflexionem arctius capiti isti suo vnitos sese reddunt: non in radice duntaxat fidei, & charitatis, sed & in singulis suis partibus, singulis virtutum actibus, singulisue operibus suis illi inhærentes, constringuntque illum, ne ab ipsis elabatur, & instar coronæ gloriæ eum circundant, & cingunt.

Simile.

17 *In humilitate sunt simul & demissio, & ascensio.*

Præclare autem cælestis sponsus dum spiritales hos Ecclesiæ capillos ex longitudine laudat, gregibus caprarum eos comparat, *quæ ascenderūt de mōte Galaad*: nam per istam similitudinem id contestatum esse vult, quod difficile creditur à plerisque, humilitatis virtutem id habere singulare, vt & demissionē, & ascensionem simul in se includat vno eodemque temporis momento; ac propterea, eamdem ipsam lōgitudinem, quam in metaphora capillorū in demissione sitam ostendi, ascensionem quoque vocādam indicat in similitudine, qua longam gregum seriem dicit caprarum ascendentium de monte, & monte Galaad. Atqui in capillis ipsis longis animaduertere est, quod simul & ascendant, & descendant: ascendunt namque de capite, cum crescunt de illo, ei inhærētes, descendunt vero, cum pendent ab humero: simulque id & in religiosis potissimum contingit, quos longos Ecclesiæ capillos diximus, quando sunt Deo subditi; ascendunt quippe per gratiarum augmenta, quæ eis ex capite exhibentur, cui subijciuntur, crescentesque in gratia, & sanctitate per huiusmodi ascensum, sibimetipsis magis displicentes deprimunt humiliantq; se semper magis, ac magis: quoue magis descendunt, longique fiunt per humilitatem, ac sui displicentiam, eo altius ascendunt, quicquid in se est, in caput suū reflectentes, vt dictum est. Ex verbis Augustini in l. 14. de Ciuitate Dei, c. 13. hæc confirmantur peroptime, quibus ait: est aliquid humilitatis miro modo, quod sursum faciat cor, & est aliquid elationis, quod deorsum faciat cor: Hoc quidem quasi contrarium videtur, vt elatio sit deorsum, & humilitas sit sursum: Sed pia humilitas facit subditum superiori: nihil est autē superius Deo; elatio autē, quæ in vitio est, eo ipso quo respuit subiectionem, cadit ab illo, quo non est quidquā superius, & ex hoc erit inferius, & fit, quod scriptum est: *Deiecisti eos dum alleuarentur*: non enim ait, cū eleuati fuissent, vt prius extollerentur, & postea deijcerentur; sed cum extollerentur, tunc deiecti sunt, ipsum quippe extolli, iam deijci est. Sicut autem ex hac Augustini sententia id comprobatur, quod à nobis in explicationem verborum sponsi asseritur: ita & ex ipsa capillorum metaphora id confirmare licet, quod ait Augustinus, ipsum extolli, iam deijci esse: Nam quemadmodum capilli si à capite excidant, in terram illico prolabuntur, nihilque ampliùs crescere possunt. Ita & religiosi, & fideles quique, dum per superbiam à Christo recedunt, sibi placentes, seque ipsos extollentes, quasi qui sine Christo esse aliquid possunt, statim omnis boni non modo expertes redduntur, sed & in pessima, ac miserrima quæque proruunt.

Simile.

August.

Psal. 62. 18.

Simile.

A Notandus est autem loquendi modus, quo vsus est Spiritus sanctus ad explicandam hanc ascensionem, quæ cum humilitate coniuncta est, non enim dicit: *Capilli tui sicut greges caprarum: quæ ascēderunt montē*, vel, *in montem Galaad*: sed, *Quæ ascenderūt de monte Galaad*: nā si dixisset: *Quæ ascenderunt montem*, vel, *in montē Galaad*; videretur forsitan ascensionem adscripsisse capillis, atq; religiosis, quasi ij per semetipsos eleuarint, & adscenderint super Christum celsissimum Galaad, & montem testimonij; quod, si contingat aliquādo, extremæ superbiæ ausum id esse, nemo est, qui dubitet: Dicēs vero: *Quæ ascenderūt de monte Galaad*, indicat, religiosos, qui cum humilitate maxime ascendunt, ad- B scensionem omnem, omneque augmētum in gratia, ex Christo habere; atque de Christo, cui inhærent, ac subiecti sunt, ascendere, & crescere in sanctitate, & iustitia. Vt autē intelligeremus, & ipsos pariter quoquo modo huic ascensioni cooperari, capris illos assimilat ascendentibus de monte, quos sub capillorum commendat metaphora. Enimuero, vt de Christo adscendant, & crescant in gratia, in id vnum in primis suum omne collocant studium, vt Christo inhæreāt, radicatique in ipso sint, æque ac capilli in capite. Haud tamen omnino instar capillorum in sua se habent adscensione: quandoquidem capilli crescunt quidem, & ascendunt dum capiti inhærent; sed nihil ad sui augC mentum conferunt, cum insensibiles sint, & vitæ expertes: At religiosi ipsi cooperantur gratiæ, quam accipiunt à Christo, cui inhærent, tametsi etiam vim illam, quæ ad sui augmentum cooperatur, ab eodem suscipiant, à quo habent gratiam vniuersam. Idcirco, qui capilli appellati sunt ob id quod præcipuum est, ob inhæsionem, & radicationem in Christo, dicuntur esse & similes capris, quæ, cum vitam in se habeāt, ita ascendunt de monte Galaad, vt ipsæ sint, quæ ascendunt, quamquam eædem & vitam, & vim ascendendi quodammodo ex ipso habeant mōte, ex herbis nimirum illis, quas mons ijs exhibet decerpendas; ex pascuis illius montis. Neque abs re factum est, vt cum de D huiusmodi ascensione ageretur, ex capris potius sumeretur similitudo, quam ex ouibus, vel aliis animātibus, quorum ingēs copia in mōte Galaad pascebat: siquidem capræ inter pecudum multiplex genus, id pecūliarius insitum à natura habent, vt, nedum pedibus ascendant, prout & reliqua pecora, cum in monte pascuntur, verum & toto corpore sese erigant, initanturque ad altiora semper ascendere, haud rationem habentes cibi illius, qui in terra est, sed altiora quæritantes pascua. Idque & religiosorum est proprium, vt ad perfectiora semper nitantur ascendere, totoque corpore, totis viribus, omnibusque potentijs E ad altiora iugiter se contendant erigere, nec in eo acquiescant, quod Christo inhærent simpliciter, quodue exigua ex illo pascantur gratia; sed ad altiores gratiæ illius inhient gradus; sicque illi inhæreant, vt per accessus gratiæ, quos ex ipso percipiunt, nō in modicis duntaxat, sed & in maximis, ac in altissimis eum imitentur, eoque pacto de illo ascendant.

Humiles si exaltati ascendant, de Christo ascendunt.

Religiosi quamuis augmentum omne de Christo habeant, cooperantur tamen & ipsi Christo.

Religiosi cum similes capris.

Porro haud ex capris simpliciter, sed ex gregibus caprarum desumitur similitudo: neque enim dictum est: *Capilli tui sicut capræ*, sed, *sicut greges caprarū ascendentium*, vt ex secunda pulchritudinis capillorum conditione, sponsæ capillitium, & ordo commēdaretur religiosorum, ex capillorum videlicet multitudine, ac F densitate: ex multitudine religiosorum, arctissimaq; eorumdem charitate, necnon & ex obedientia. Pro quorum intellectione supponendum primo id, quod late pertractat Abbas Piammon. apud Io. Cassianum collatione 18. Cœnobiticum monachorum, ac religiosorum genus, quo multi in congregatione pariter consistentes, vnius senioris iudicio gubernantur, præstantissimum semper extitisse in Ecclesia reliquorum omnium generum monachorum; præstantissimum, inquam, & temporis antiquitate, quippe quod à tempore Apostolicæ prædicationis sumpsit exordium, vt colligitur ex libro Actuum Apostolo-

18

Io. Cassian. Cœnobitæ sunt præstantissimum genus monachorum.

rum;

rum: & gratia, vtpote charitate, & obedientia glorio-
fissimum.

Supponendum secundo, in hoc vno cœnobitarum genere multiplices religiosorum contineri ordines, multipliceſue familias, in quibus diuersa sunt instituta, diuersique prepositi sint pastores, quamquam omnes ad vnum spectent Ecclesiæ capillitium, vnique illius capiti inhæreant Christo, tanquam distincti capillorum crines.

Religiosi diuersorum ordinum, & plures, & vnum quid sunt.

His suppositis, patet iam, quam apte locutus sit sponsus, dum spiritales hosce Ecclesiæ capillos haud capris simpliciter, nec vni caprarum gregi, sed gregibus comparauit: Per plures quippe greges, plures indicat religiosorum ordines, ex quibus omnibus insigne vnum Ecclesiæ redundat ornamentum in Christo eius capite: gregis vero metaphora multitudinem indicat religiosorũ, qui in vnoquoq; ordine dẽsa arctaque vniti sunt charitate: sicut multæ capræ in vno conueniunt grege: Ac sicut multæ capræ tũc recte, & coniunctim in vno grege ascendunt, cum vnaquæq; earum, omneſue simul deducenti obsequuntur pastori: Ita & plures religiosi tunc recta in progressu spirituali, & de monte perfectionis ascendunt, mutua charitate densi; cum singuli ei parere studeant qui præest illis in sollicitudine. Qui autem, vt Ecclesiæ capilli, de eius capite Christo ascendunt, & crescunt: ijdem vt greges caprarum ascendunt de monte Galaad, montium omnium, qui in Iudæa sunt, altissimo, pascuisue vberrimis aptissimo, qui & mons acerui testimonij interpretatur. Quia, dum in fratrum congregatione perfectioni inuigilant, de sacro diuinarum scripturarum volumine ascendere student, dantes operam, vt ex illo saluberrima sibi procurent pascua; vtue de eo testimonia carpant Christi, cui inhærẽt, & perfectionis, ad quam tendunt. Etenim, si quid vsquam est, quod & altissimum sit, & pascuis abundans, quodue aceruus testimonij dici queat, ipsum est sacrum litterarum volumen, quod de altissimis pertractat mysterijs, ac mystica, ac moralia copiosissime exhibet pascua, & testimonia omnia quasi in aceruo quodam congesta continet mysteriorum Christi, *e* cui iuxta Petri sententiam, *testimonium perhibent omnes Prophetæ*. Quis vero exprimat, quam densi, quantaue charitate coniuncti, spiritali ascendant progressu religiosi, qui de diuinis litteris testimonia sibi congerunt fidelissima; ita vt cum Propheta ad Christum dicant: *f Testimonia tua exquisiui: g In via testimoniorum tuorum delectatus sum. h Et testimonia tua meditatio mea est*. Siue enim illa decerpant, quæ de Christo testificantur, vt incarnatus est, vt vitam egit in mundo, vt virtutum exempla reliquit, vt miracula operatus est, vt passionibus, mortique obnoxium se fecit, vt resurrexit, ascendit, &c. ad illius excitantur amorem, ad imitationẽ eiusdem promouentur, necnon & inuicem in illo connectuntur magis ac magis in congregatione, in quo simul vniendi sunt perfecte in gloria cælesti: siue scrutentur testimonia mandatorum Dei perfectissimam ex illis colligunt normam fraternæ charitatis, & regulam totius perfectionis.

Scriptura sacra mons Galaad, & aceruus testimonij.

e Act. 10. 43.

f Ps. 118. 22 g 14. h 24.

19 Tertia capillorum sponsæ laus supereſt explicanda, quæ ex nitore desumitur: vt autem intelligamus, quam congrue quoque & ista religiosis competat, allata ab sponso similitudo nos deducet. Dictum est in prima expositione triplicem ob causam greges caprarum, quæ ascendunt de monte Galaad, nitorem exhibere.

Primo, quia capræ, ex quibus constant ij greges, nitidis circumdatæ sunt pilis: Secundo, quia eædem ob aquarum copiam frequentius lauantur, vel antequam ascendant, vel etiam dum ascendunt, in riuis per mõtem illum defluentibus: Ac tertio, quia ascendentes, à solaribus radijs percutiuntur, & educitur quodãmodo nitor, qui alioquin vel parum, vel etiam nihil forsitan splenderet. Et quidem quamquam religiosis etiam ad litteram, indumentum tribuere possemus ex pilis caprarum, quandoquidem & Paulus ijs, qui antiquitus religiosam vitam professi sunt, hunc tribuit habitum, dicens: *i Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes*, &c. vt ex ipso quoque habitu sanctitatis quendam de se emittant fulgorem; aptius tamẽ dicetur, si asseramus, religiosos splendorem in primis præ se ferre ob externam viuendi rationem in monasticis obseruantijs, quibus, quasi nitidis pilis, circumdati sunt; quasi pilis, inquam: quia ita illis extrinsecus instar habitus, ac pellis cuiusdam amictos se exhibent; vt tamen haud adscititias illas habeant aliunde, quam à seipsis, ex interna nimirum animi probitate, atque (vt ita dicã) religiositate causatas, in intimis proprijs seruantes earum radices; æque ac pili illi, quibus circumdatæ sunt capræ, ex intimis ipsarum progignuntur, radicesque suas intra illas seruant. Quod obseruantiæ istæ monasticæ nitorem non modicum exhibent multo certe splendidiores redduntur, qui ijs circumdati sunt religiosi, ex eo, quod frequentius lauentur aquis lacrymarum.

i Heb. 11. 37.

Religiosi ob regulares obseruantias nitent.

Simile.

At vero, quia perfectorum religiosorum est id summum studium, vt humilitatem in omnibus profiteantur, hanc præ reliquis edocti virtutem à magistro humilitatis, qui dicit: *D. S. ite à me, quia mitis sum, & humilis corde*: atque adeo, quãtum in ipsis est, publicum semper deuitare contendunt, splendoremque omnẽ ocularem eorum quæ ab ipsis sancte fiunt vel in monasticis implendis obseruantijs, vel in castigando proprio corpore, vel in patienter ferẽdis necessitatibus, & tentationibus, ac angustijs, vel denique in lacrymis profundendis ex contritione, ex amore, & ex desiderio rerum cælestium: Idcirco, dum in altum perfectionis ascendunt, singulari prouidentia Sol iustitiæ Deus quasi quibusdam radijs eos illustrat, occultumque, ac latentem in eis nitorem manifestũ toti efficit populo: Non secus ac Sol, greges caprarum ascendẽtium percutiens, eum qui in caprarum pilis inerat, splendorem educit quodammodo, & intuentiũ oculis manifestat: quod egregie expressit Propheta in Psalm. cũ diceret: *k Reuela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet: & educet quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem*. Ad hosce enim Religiosos hæc verba haberi crediderim, ac si dicatur: Cũ ascendere contendis grex Sanctorum in operibus sanctis, in obseruantijs, & mortificationibus, & ærũnis, in gemitibus, & lacrymis, tuum ne dimittas humilitatis studium, viam istius ascensionis tuæ Domino dumtaxat reuelare contende, & spera in eo, quod non modo accepta ea habebit, quæ à te peraguntur, ac tolerantur, illorumque splendorem admirabitur, sed insuper faciet id, quod & te reddat illustriorem, & populo quoq; sit maxime proficuum; *Iustitiam* siquidem *tuam*, quam non in interno tantum ei reuelasti, verum & in externis pariter obseruantijs, quasi splendidissimum lumen educet, notam eam toti faciẽs populo: *Et iudicium tuum*, mortificationes, quibus mẽbra tua castigas; tribulationes, quibus ab ipso castigaris; & lacrymas, quibus, de monte Galaad ascẽdens lauaris in Iordane, qui interpretatur flumen iudicii, *educet tanquã medium*: ita etenim ista omnia, quę à te in occulto aguntur in intentione, manifesta faciet, atque illustria, sicut manifesta, claraque sunt, quæ exposita sunt ad solem, in meridie existentem, vtue clarus est ipsemet Sol, in meridie splendens.

Nitorem bonorum operum quæ religiosi occultare student propter humilitatem Deus quomodo educat.

Simile.

k Ps. 36. 5.

Porro quando hoc diuino sole irradiati nitorẽ de se emittunt capilli isti Ecclesiæ sanctæ, tunc certe gloriam omnem, quæ inde eis prouenire posset, neutiquam sibi vsurpant; sed Deo dant potius, à quo omne datum optimum & omne donum perfectum est, ipsum Ecclesiæ caput exornantes Christum: curãtque, vt sic luceat ipsorum lux coram hominibus, vt videant opera eorum, & glorificent caput suum Christum, qui in cælis est: hocue pacto & quartam pulchrorum capillorum feminæ ostendunt habere in se conditionem.

Ex his ergo omnibus colligimus præstantissimam inverbis hisce, *Capilli tui sicut greges caprarũ, quæ ascende-*

runt

runt de monte Galaad, in religiosos Ecclesiæ capillos conferri laudem, cuius summa hæc est.

Paraphrasis. Greg. Nyss.

Religiosi, qui capillorum in te obtinent locũ, quia Christo capiti tuo inhærent; tum quia illum præ fidelibus ceteris sequuntur in obseruatione mandatorũ, & cõsiliorum ipsius; tum quia in omnibus ab illo dependent, vtpote qui renuntiauerunt omnibus, quæ possidebant, tum quia nullatenus à religiosa viuendi ratione auelli se patiuntur, ne apostatæ ab eo cẽseantur. Religiosi, inquam, ac capilli isti tui spiritales id omne in se habent pulchritudinis, quod requiritur ad pulchritudinem capillorum feminæ: sunt quippe longissimi per demissam humilitatem, è capite, cui inhærent, altissimo vsque ad ima terræ se protendentes.

Quodue mirabile admodum est, vno eodemque temporis momento & per humilitatem descendunt, & ascendunt pariter per diuinam gratiam, atq; adeo instar capillorum de capite ascendunt cum crescunt ex Christo: & crescentes descendunt, cum longius protenduntur: & sunt sicut greges caprarum ascendentium de monte Galaad, quorum longissimus spectatur ordo, quiue ascensionem de monte habent: quamquam & ipsi in hoc suo progressu, & ascensione cooperentur, cum instar caprarum toto corporis nisu ascendere conentur. Neque vero pulcherrimi obiectã dumtaxat longitudinis prærogatiuam capilli isti tui dicuntur; verum & ob id, quod maximus est illorum numerus, densissimaque simul iuncti sunt charitate sub Prælatorum obedientia: ideoque non capris simpliciter assimilãdi sed multis caprarum gregibus: caprarum, inquam, quæ ascenderunt de monte Galaad altissimo, quod interpretatur aceruus testimonij: Tũc enim densiores in arcta sunt charitate, & perfectius sub obedientia de Christo capite crescunt, cum de lectione voluminis sacri ascendunt, quod & altissimus mons est ob sublimitatem mysteriorum, quæ in ipso continentur; & aceruus est testimonij, cum in ipso vniuersa congesta sint testimonia Domini, siue quæ ad Christum spectent, siue quæ ad Dei spectent mãdata. Sunt denique ijdem vsquequaque pulcherrimi, quia eximio effulgent nitore: sicut enim greges caprarum ascendentiũ de monte Galaad nitidi ob id sunt, quod capræ illæ nitidis circumdatæ sunt pilis, præsertim cũ lotæ ascendunt de dicto monte, vbi à solaribus percutiuntur radijs: Ita & ipsi nitorem maximum præ se ferunt & monastico habitu, & monasticis obseruantijs, in quibus ex interna ipsorum sanctitate sese exercentes, quasi pilis quibusdam caprarum circumdati sunt: necnon & frequenti lotione, qua se lauant in aquis lacrymarum, & mortificationum: Neque nitorem istum suum occultare possunt, quandoquidẽ, cum ascendunt de monte Galaad, à cælesti iustitiæ Sole diuinis illustrantur radijs. Vnde fit vt & Christũ exornent, cui vt Ecclesiæ capiti inhærent, gloriaque sint illi; æque ac perpulchrum mulieris capillitium & caput exornat feminæ, & gloria eidem est.

Ex Vers. I. cap. IV. *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.*

Expositio III.

De secunda Sponsa, quæ est Anima Sancta.

20 *Sanctæ cogitationes dũ laudantur, laudatur charitas vnde ex proueniunt.*

VVlgata est Sanctorum Patrum sententia, vt dũ in sacris litteris animæ tributi reperiuntur capilli, sub capillorum metaphora eius designantur cogitationes, vtpote quæ ex eius mente prodeunt, æq; ac capilli ex capite, mentem enim capitis locum obtinere in anima, nemo est qui dubitet: placetque mihi summopere sententia ista, nec congruum vllatenus mihi videtur, vt ab ea discedam. Crediderim tamen, primam cælestis sponsi intentionem in hoc capillorũ encomio eam extitisse, vt post commendatam sub oculorum metaphora piæ animæ fidem illã, quæ virtutum omnium caput est, commendet eiusdem animæ charitatẽ; id enim ordinis series exposcebat. Neque turbatum quis existimet ordinẽ in eo, quod post fidem, laudibus celebret charitatem, quæ primo loco commendanda videatur, vt eminentior: nam quemadmodum etsi caput in corpore cunctis eminentius sit membris, atque adeo & oculis quoque præferendum, congruenti nihilominus ordine illius encomiũ postponitur encomio oculorum, quia humanum caput oculorum gratia efformatum est à natura. vt perpulchre docet Galenus l. 7. de vsu partium. Ita, quamuis charitas fide præstantior admodum sit: in hoc tamen panegyrico fidei laus præposita est laudi ipsius charitatis: quia fides prior est, & fundamẽtum virtutum omniũ, atque etiam charitatis. Quomodo vero, dicet quis, charitatem commendari inquis, cum ex vulgata Patrum sententia constet, sub capillorũ metaphora laudari potius cogitationes? Si capilli commendantur, certe non caput commendatur, sed pars capitis, eaque vilior: imo in capillis commendatur caput: nihil enim aliud capitis extrinseco patet aspectui, (si caput proprie sumatur vt distinctum à membris, quæ in illo sunt) præterquam capillatura, quę ob id gloria capitis dicitur: Atque adeo & sponsa in capite quinto laudãs aperte dilecti sui caput, ex capillis potissimũ illud commendat, dicens. *a Caput eius aurum optimum, comæ capitis eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus.* Sic ergo dũ sub capillorũ metaphora ab sponso piæ animæ cogitationes laudantur, illius certe charitas ab eo commendatur, cuius gloria ipsæ sunt bonæ, ac sanctæ cogitationes de Deo, ac de cælestibus ex ardẽti corde prodeuntes, æque ac capilli ex capite: *b De corde enim*, ait Dominus, *cogitationes exeunt*: quas tamen certum ex Philosophia est, prodire ex intellectu, ac mente: quia mens ipsa & cor est, sicut est & caput animæ: neque enim cor, & caput in anima distinguũtur in sacris litteris, quodq; caput nuncupatur propterea quod instar capitis eminentius sit ceteris animæ potẽtijs, & præstãtiora in corpore exerceat munia, eliciẽs cogitationes quasque; idem ipsum cor dicitur, vt ipsas promit cogitationes, quatenus eæ ex amore, cuius sedes est cor, primam habent originem, ab eoq; pendent, & vt sint, & vt conseruentur. Vnde factum est, vt cogitationes cordis eas dictas frequẽtius reperiamus, quam cogitationes mentis: atq; adeo à nullo alio commendari poterant, præterquam à cęlesti hoc sponso, qui scrutatur renes, & corda. Porro sponsus iste, etsi intuitu simplicissimo intima quæque cordiũ aspiciat, quoue cor quodlibet teneatur amore, ex cogitationibus tamen è corde prouenientibus vel laudat, vel vituperat vnumquemque.

a Cant. 5. 11.

b Matt. 15. 19.

Cor, & caput, & mens in anima idem sunt dum transfiate sumuntur.

Cogitationes quomodo à corde potius quam à mente prouenire dicantur.

His suppositis: tria pertractãda sunt, vt ista quæ hic in animam confertur capillorum laus, percipiatur. Primo, quam congrue sanctæ cogitationes sub capillorum metaphora designentur. Secundo, quænam laudes in dictas cogitationes conferantur per allatam similitudinem; & tertio, quam præclare charitas sponsæ celebrata sit per laudes ipsarum cogitationum.

21 *Inter sanctas cogitationes atque capillos sponsæ tres congruentiæ.*

Quoad primum: Tres inter capillos, ac sanctas cogitationes reperio congruentias. Neq. enim sat mihi id est, quod ex communi fere consensu dicitur, quia à mente prodeunt, sicut capilli ex capite: sed ad hanc congruentiam, quam primam certe, atque potissimã non dubito, addẽda est & similitudo modi, quo & capilli à capite, & cogitationes progignuntur à mẽte. Enimuero, si Naturales consulantur, inuenięmus, capillos à fumis quibusdam calidis, & humidis fieri, qui è capite ascendunt; ideoque cum isti deficiunt fumi, caluitium sequatur necesse est: quinimo, cum calor ipse fumorum ascendentium non est debite proportionatus, sed vehementior, quam esse debeat, tantum abest, vt hi fumi capillos gignant, qui caluitium potius efficiunt. In hunc sane modum & cogitationes à corde prodeunt, & à mẽte, ex calidis amoris affectibus

Cogitationes sanctæ quomodo è charitate proueniant.

bus causatæ. Porro haud ascenderent è corde æstuantes affectus, ni prius in corde æstus esset charitatis, & amor diuinorum, quæ cogitantur. Vnde fit; vt anima quæ hac destituta est charitate, deficiētibus affectibus ijs ardentibus, istarum pariter cogitationum destituta sit capillis, iuxta illud Sapiētis: c *Qui minoratur corde* (ob defectum scilicet charitatis) *cogitat inania*: quæ profecto inania nil sunt. Quia vero terreni, ac peccatores vehementissimo quidem amore mundanarum rerum cor habent succensum, prout Oseas Propheta testatur cum ait: d *Omnes adulterantes* (quia scilicet alia, præter Deum amant, quem vnum diligere deberent) *quasi clibanus succensus a coquente*: ij pariter, qui ex talibus amoribus eleuantur affectus, indebite calidi sunt, idcirco, etsi innumeras habeant cogitationes prauas & pessimas; caluitium tamen in illis esse conuincitur, quod extremæ ignominiæ & honestis feminis, & piis est animabus: Quid vero ignominiosius peccato? & de istiusmodi cogitationibus per Salomonem dicitur: e *Cogitatio stulti peccatum*. Caluitium vero id dicitur, quia in talibus vniuersæ excidūt cogitationes de Deo; quod præcitatus significauit Propheta, vbi inquit: f *Nō clamauerunt ad me in corde suo* (per sanctas scilicet cogitationes) *sed vlulabant in cubilibus suis: super triticum & vinum ruminabant* (de illis dūtaxat cogitantes) *receſſerunt à me*, nullas nimirum mei habentes cogitationes.

c Eccl 16 23.

d Oseæ 7.4

e Pr. 24.9.

f Oseæ 7.14

Cogitationes sanctæ inhærent menti animæ sanctæ vt capilli inhærent capiti

Secunda inter capillos feminarum, ac sanctas cogitationes congruentia ea est, quod à mente prodeuntes, menti pariter inhærent, radices suas fixas in corde habentes, æque ac capilli ita capiti inhærent, vt in illo radicati sint: Neque enim piæ animæ id contingit, quod impijs solet euenire, de quibus ait Apostolus: g *Euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiēs cor eorum*: quia innumera vana cogitantes, obscuratum est insipiens cor eorum, nullam solidam inhærentem habentes cogitationem, quæ vere mereatur nomen cogitationis: Sed quæ cogitat, firmiter cogitat cælestia earumque cogitationum radices inhærentes, ac fixas habet in corde. Et hinc est, quod si quādo propter ingruens aliquid à cælestibus illis auerti contingat aut distrahi, dolorem maximum in corde ipso suo sentit; non secus ac caput carnale dolore afficitur maximo, quando ij, qui in ipso radicati sunt, vel violenter trahuntur vel etiam velluntur capilli.

g Rom. 1.21

Simile.

Cogitationes sanctæ quam subtiles, & delicatæ sint, & quomodo fortes sint.

Tertio demum in tenuitate, & subtilitate cū capillis eædem conueniunt cogitationes: nam capillo quidem vix quidquam subtilius; at cogitationes sanctæ multo sunt subtiliores: atque adeo facillimo negotio à quocunque vel minimo accidente interciduntur; æque ac capilli à quacunque vi. Porro, quemadmodum in capillis contingit, vt tametsi tenuissimi sint, quando omnes simul constricti sunt, difficillime rumpantur, adeo vt necessarium sit ferrum acutum, quo resecentur, ac tondeantur. Ita etsi vnaquæque sancta cogitatio per se facile interrumpi queat, quando tamen plures istiusmodi cogitationes per continuatum habitum simul constrictæ quodammodo sunt; tunc ni vehementissimus adsit actus in contrarium, interrumpi haudquaquam possunt: Quod si omnes secari contingat, dedecus profecto non modicum menti illi infertur; prout & capiti mulieris, quando eius tondentur capilli: idcirco crediderim, capillis potissimum feminarum cogitationes istas hoc loco esse assimilatas, vt solerti custodia à piis animabus seruentur.

22

. Quoad secundum: Per similitudinem gregum caprarum ascendentium de monte Galaad, triplici ex capite eædem piæ animæ commendantur cogitationes ex triplici conditione pulchrorum capillorum: ex longitudine, ex ordine, quo, cum innumeri fere sint, in vnum tamen iuncti simul extenduntur, atque ex nitore.

Cogitationes sanctæ quomodo sint longæ instar pulchrorum capillorum feminæ.

Longitudo certe talis celebratur in sanctis hisce cogitationibus, qualis in longa spectatur serie caprarum, ascendentium de monte Galaad: Nam quemadmodum series illa longa est, quia capræ de imo montis illius ascendunt in altum, vnde & pastum decerpunt: Ita & eæ cogitationes longissimæ exinde sunt, quod de mente, seu corde ascendunt, in quo Christus viuit; atque adeo de ipso ascendunt Christo, qui est & mons altissimus, & mons Galaad, quod aceruus testimonij interpretatur; quia in ipso vniuersa coaceruata sunt testimonia. Quādo igitur mens piæ animæ imam huius montis partem illius humanitatem meditari incipit; tunc ex istiusmodi meditatione, veluti capilli ex capite, sanctæ insurgunt cogitationes: Cū è meditatione humanitatis, seu de ipsa humanitate Christi, altius cogitationes illæ ad illius eleuantur diuinitatē & ad thronum gloriæ Dei, atque ad cælestia; tunc instar caprarum & ipsæ ascendunt de monte, id est de imo montis Galaad ad verticem eiusdem montis. Ac veluti capræ illæ, iuxta caprarum naturam ascēdentes, ex altioribus montis illius locis pastum decerpūt: Ita & ipsæ sic ascendentes, ac se in altum simul, ac in longum extendentes, è cælestibus ac diuinis pascuis gestus decerpunt, quibus & cōseruantur, & crescūt.

Simile.

Cogitationes sanctas pia anima habet complures, easque ordinatissimas.

Porro, quemadmodum longitudo in capris illis minime cerneretur, ni eæ plures essent, & in magno numero, quæ recto tamen ordine simul vnitæ ascenderent, ita vt ex multitudine maxima vnam efficerent seriem, eamque longissimam: idcirco significanter dictum est, *Sicut greges caprarum, quæ ascēderunt*, &c. vt ex plurium gregum commemoratione & numerus magnus designaretur, & ordo, ac densitas, quibus captę in gregibus vnitæ simul ascendunt. Eadem ratione & in cogitationibus piæ animæ longitudo pariter inest exinde, quia plures insigni ordine de corde ascendūt, quæ, etsi plures numero sint, gregatim tamen ad superiora conscendunt vnitæ simul ac densæ, ad vnum Deum ordinatæ, eiusdemque Dei charitate dispositę. Neque vero dubitandum, secundam istam pulchrorū capillorum conditionem multitudinis, atque ordinis, sanctas quoque has cogitationes habere: Enimuero, si, prout experimento comprobamus, auarus innumeris detinetur cogitationibus, machinās iugiter, quo pacto noua admueniat lucra, idemque & ambitiosis euenit, & carnalia excogitantibus: his quidem, quomodo in voluptatum cœno se oblectent; illis vero, quomodo sublimiores assequi possint honores & gradus. haud sane id ipsum piæ denegādum est menti, vt complures, & innumeras ex se ascendentes habeat cogitationes sanctas, ex quibus capillaturæ est ornamentum; quinimo tanto hæ censendæ sunt plures, quanto Deus, ad quem vnum eæ ascendunt, & referuntur, immensus est, & infinitus, de eius scilicet bonitate, de eius potentia ac misericordia, de iustitia, de maiestate, de gloria, ac cæteris eius attributis: Vnde in libro Prouerbiorum apte per Salomonē dictum est: h *Multæ cogitationes in corde viri*. Ordo autem est in hisce dumtaxat cogitationibus: quandoquidem eæ solæ ad rationis regulam dispositæ sunt, ab intellectu ipso directæ, æque ac à pastore greges caprarum: cū è vestigio reliquæ mundanorum cogitationes sint cōfusæ, & absque directore, iuxta id, quod in libro Sapientiæ legimus; i *Spiritus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu.*

h Prou. 19. 21.

Cogitationes impiorum confusæ.

i Sap. 1.5.

Cogitationes animæ sanctæ quomodo splendeant.

Commendantur denique tertio istæ cogitationes animæ sanctæ ex nitore, quo plane & ipsæ ascēdentes (vt dictum est) instar caprarum ascendentiū de monte Galaad, effulgent. nitor autem ex ijs emicat, tum ob eximiam, quæ ipsis inest, puritatem, dum è mundo corde ascendunt, nil terreni, aut tenebrosi admixtum habentes: tum ob id, quod instar caprarum Galaaditicarum, quæ lauantur in riuis Iordanis, qui interpretatur fluuius iudicii, & ipsæ quasi aquis quibusdam abluūtur, dum iudicio purificantur, ne quid eis adhæreat turpitudinis, & maculæ, vnde & iudiciorū nomen sortiuntur in libro Prouerbiorum, k *Cogitationes iustorum, iudicia*: Tum demum ob id, quod, dum cœlū versus ascendunt, cælestibus ac diuinis illustrantur radijs, æque ac capræ illæ radijs solaribus: Vnde fit, vt illarum splendor frequenter etiam extrinsecus emicet in

k Prou. 12. 5.

ect in facie, atque in operationibus externis coram oculis hominum.

Quoad tertium: Nihil iam superest, vt in eo probãdo detinear quod in hac capillorũ, seu cogitationum commendatione laudetur charitas sponsæ: ex dictis enim patet, tam longitudinem, quam ordinem, copiamque, ac nitorem earum cogitationũ in charitate illa niti, qua cor piæ animæ erga Deum affectum est dilectum suum; quaue viuit in Christo, de quo dictæ cogitationes ascendunt cœlũ versus longissimo tractu, insignique ordine, & nitore eximio.

Breuis itaque eorum, quæ in his modicis verbis (*Capilli tui sicut greges caprarum, &c.*) dicuntur, sensus iiiiusmodi est.

Paraphrasis. Sicut fides tua, qua, veluti oculis quibusdã diuina contemplaris, eximia est: ita & charitas item tua, qua tuum flagrat cor, est præstãtissima. Ecce etenim cogitationes ipsæ tuæ, quæ à tua prodeũt mẽte, eque ac capilli à capite, ex ardẽtibus affectibus producte, sicut capilli è fumis calidis ascendentibus è capite, ardentẽ in corde suo arguunt charitatis æstum: præsertim cum, nedum inhæreant, sed & infixæ, & radicatæ sint in corde; non secus ac capilli in capite, quibus & in tenuitate quoque, ac subtilitate similes esse comperiuntur: quandoquidem vel minima re intercidunturi, ni constringantur per continuatum habitum, in ipsa charitate nitentem: ipsæ, inquã, cogitationes tuę, ipsi capilli tui spirituales ex eo, quod instar caprarum adscendentium de imo montis Galaad ad verticem illius, in longum adeo extensæ sunt; vt de Christi humanitate cœlum versus ad diuinitatẽ ascendant, indeque spiritualium gustuum pascua decerpant: & ex eo, quod gregatim, instar pluriũ gregum item caprarum præclarissimo ordine, quamuis plures sint, simul vnitæ ad vnum Deum ascendunt, charitate illas disponente, ac simul constringente: Atque etiam ex eo quod illustri nitore fulgẽt, purissimæ absque vlla terrenarum rerum admixtione, vero iudicio examinatæ; cœlestibusue radijs illustratę, insignem ipsius charitatis deeorẽm in tuo arguunt corde.

Tres Patres. Cassiod. Bedа. Richard.

Ex Vers. I. cap. IV. *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.*

Expositio IV.

De tertia Sponsa, quæ est Beata Virgo Maria.

23 a 1. Cor. 11

PErpendenti mihi tractatum illum, quem in prima a Epistola ad Corinthios egit Apostolus de capillis ex hominum capite enascentibus, duo occurrerunt, quæ non exiguum ingessere mihi difficultatis. Primum, ratio, quam affert, discriminis, quare mulier velatam habere debeat capillaturam, vir autem non itẽ, b *Quia viri caput est Christus, mulieris vero caput est vir*: Alterum, quo pacto ea sibi inuicẽ conueniant, quæ ibi dicuntur: c capillos pro velamine mulieri datos à natura, & mulierem debere habere velatũ caput, atque capillos; sic enim dicitur: d *Omnis mulier orãs, aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum. vnũ enim est, ac si decaluetur: Nam si nõ velatur mulier, tõdeatur. Sivero turpe est mulieri tonderi aut decaluari, velet caput suũ.* Porro, si capilli pro velamine mulieri dati à natura sunt, ad quid alio velamine caput suum operire debet? num vt velamen velet velamine?

Explicatur locus Apostoli de capillis mulierum velandis.

b 1. Cor. 11.

c 1. Cor. 11. 15.

d 1. Cor. 11. 5.

Velamen in capite significat subiectionem.

Communis certe Sanctorum Patrũ consensus definit, Paulum per velaminis metaphoram designatam velle subiectionem; atque adeo asserere, haud necesse esse, vt vir velatũ habeat caput, quia soli Christo subiectus ille est vero capiti suo: Mulierem è vestigio, quia pro capite virum habet, vt hanc ad illum testatam faciat subiectionem, operæpretium esse, vt velũ supra caput suum habeat: nec super caput duntaxat, sed & super capillos; in quibus gloria est ipsius mulieris; quia gloria mulieris gloria est viri eius.

Mulieris coniugatæ cogitationes totæ circa domum, ac virum suum.

Si quid autem ad communem istum Sanctorum Patrum cõsensum addere liceat, crediderim, Apostolum in his non ad corporeos solummodo capillos respexisse, sed & ad capillos spiritales cuiuscunque animæ, quos ex fere communi Patrum sententia cogitationes esse dixi supra in expositione tertia: atque adeo cum dixit, & capillos pro velamine datos mulieri, & insuper mulierem velamine capillos ipsos operire debere; de mulieribus ijs verba facere, quæ viros habent, & cuius vniuscuiusque caput sit vir; vt nimirum designet, istiusmodi mulieres habere cogitationes de viris suis, æque ac in corpore habent capillos prodeuntes à capite: cogitationes vero istas suas, ita viris suis inhærentes habere, vt circa illos voluantur, illosue circundent, instar velaminis, quod capiti superponitur, capiti inhæret, & circa caput voluitur, illudue circũdat. Addit autem, istud capillorum spiritualium velamen, istas cogitationes extrinsecus insuper alio operiendas velamine, etiam cum oratur, aut prophetatur ab ijs mulieribus, vt velamine illo protestentur subiectionem viris ipsis suis, ob quam nec eo tempore, quo orationi vacant, aut prophetiæ, suas in altum eleuare queant cogitationes, quas sub velamine compressas habent, capiti, viroque suo inhærentes, cui immediate sunt subiectæ. Quæ omnia fundantur in alia eiusdem Apostoli sententia: e *Mulier nupta cogitat, quæ sunt mũdi, quomodo placeat viro.* Porro ea, quæ *Virgo est*, Deoq; sponsata, cum Christum pro capite habeat, iuxta eiusdem Apostoli dictum, *cogitat quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo*: ideoque velat quidem capillis cogitationum suarum Christum ipsum easue illi inhærentes, ac instar veli circumuolutas retinet: At neutiquam ei operæpretium est, vt capillos istos suos alio velet, compressosque teneat velamine: quia caput suum Christus est Deus, & in altis habitat cœlorum: quin ob id ipsum, quod illi immediate subiecta est, suas iugiter ad eum eleuat, illiq; reuelat cogitationes, quibus se eius subditam profitetur, ac sponsam: Id vero si de virgine aliqua dicendum sit, de ea profecto verissime dicitur, quę Virgo virginum, & Regina est virginum omnium Beata Maria.

e 1. Cor. 7. 34.

Virginis cogitationes, quo ad Christum eleuatæ, & de Christo solo sint.

Ideo in isto virtutum, ac singularium prærogatiuarum eius encomio, quod præ manibus habemus, dum in hac sententia sub metaphora capillorum cogitationes ipsius celebrantur, dicitur: *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad*, seu, iuxta versionem Septuag. *Quæ reuelatæ sunt, &c.* quibus in verbis ex allata similitudine ob id potissimum ea celebrantur, quod, etsi instar gregum caprarũ simul vnitæ, ordine dispositæ, Christum operiant caput suum, æque ac capillatura caput, & greges illi montem Galaad; haud tamen velo aliquo compressę operiuntur: sed de Christo mõte Galaad, & aceruo testimoniorum omnium, quæ ad Deum spectant, de eius scilicet imo, & humanitate, quæ ex ipsamet Virgine prodijt, ascendunt vsque ad thronum gloriæ magni Dei, illique suum reuelant nitorem: suntque idcirco instar gregum caprarum, quæ longissima serie de imo montis Galaad ascendunt vsque ad sublimora illius, quæue de eodem monte reuelatæ sunt, quando ascendunt. Multa, quæ de his sanctis cogitationibus dicenda forent, videri possunt in præcedenti expositione tertia.

24

Mariæ cogitationes erga Christũ quomodo se habuerint.

Vnum superest hic notandum, haud repugnare ijs, quę dicta sunt quoad sensum Apostoli, antiquissimũ Ecclesiæ ritum, quo sanctas Virgines sacro velamine Deo consecrare solet; siquidem ritus iste ita se habet, vt prius, quæ sacranda est virgo, tondeatur; quo significatur, illam promoueri in dignitatem virilem, vtpote cuius caput immediate est Christus, vnico vero actu perfectissimo voti, ac subiectionis vniuersas totiusvitę suæ cogitationes eidem Christo, non tam vt homini, quam vt Deo in capillorũ detonsione cœlum versus emittere. Veruntamẽ, vt subiectionẽ suam, qua Christo subiectæ sunt vt sponso suo, extrinsecus quoque

Virgines cui Deo consecrentur sacro velamine.

ſignificent, ipſo poſtmodum conſecrantur velamine.
f 1. Cor. 11. 10. Vnde Apoſtolus loco ſupra citato ſubijcit: f *Debet mulier velamen, ſeu, poteſtatem* (vt habent meliores Codices & textus Græcus) *habere ſuper caput*: & addit; *propter Angelos*; vt ſcilicet & cœleſtibus ſpiritibus, & ſacerdotibus, quos Angelos dicit Malachias Propheta, g ſigno illo velaminis prædictâ ſuam notam faciat ſubiectionem, quam Chriſto ſponſo ſuo profitetur, & exhibet.
g Malach. 2. 7.

Ex Verſ. I. cap. IV. *Capilli tui ſicut greges caprarum, quæ aſcenderunt de monte Galaad.*

Appendix Expoſitionum, Ex Antiquis Patribus collecta.

25 PAraphraſis Chaldaica: Et etiam reliqui filij congregationis tuæ, & populus terræ ſunt iuſti, ſicut filij Iacob, qui collegerunt lapides, & fecerunt aceruum in monte Galaad.

Tres ſunt iſtius encomij capillorum ſenſus. Quidam enim per capillos Eccleſiæ perfectiores quoſque intelligunt, qui Chriſto eius capiti proxime inhærent. Vniuerſam fidelium plebem, qua idem caput ornatur per eoſdem intelligunt alij. Ac demum cõplures per animæ capillos illius cogitationes commendatas volunt. In ſingulorum autem iſtorum ſenſuum explicatione diſcrepant illi ipſi plerumque, qui eumdem ſequuntur.

Greg. Nyſſ. Perfecti, & ſancti ſunt capilli Eccleſiæ.

Nam, cum primi ſenſus aſſertores ſint Gregorius Nyſſenus, Ambroſius, Paulinus, Eucherius, Iuſtus Orgelitanus, atque Anſelmus: Gregorius Nyſſenus homilia ſeptima, ex eo, quod capilli inſenſibiles ſunt, vitaque carent, ſub eadem metaphora illos aſſerit commendari, qui vere mortificati ſunt, ac in primis religioſos, qui in communi viuentes, quaſi mortuos ſe exhibent, Elię ſimiles, qui huiuſce vitæ inſignia exempla præbuit in monte Galaad longo tẽpore conuerſatus, forma ſqualliduſ, capillis hirſutus, & pro veſte molli pelle capræ tectus. Nõ accommodat autem Nyſſenus ſimilitudinem allatam: ſed tantum ait, illud per eam extolli, quod qui ad tam inſigne vitæ genus aſcenderunt, è Gentibus fuere, quas indicat montis Galaad commemoratio: Neque enim dicitur de monte Sion, inquit, ſed, *De monte Galaad*, qui ad exteras gentes pertinebat.

Religioſi commendati ſub capillorũ metaphora.

Ambroſ. Caprarum prærogatiuæ deſcriptæ.

Ambroſius ſerm. 16. in Pſalm. 118. verſ. 3. legens: *Capillum tuum, vt grex tonſarũ, quæ reuelatæ ſunt à mõte Galaad*: Ne vilia, dicit, tibi videantur iſta animalia. Vides, quod in altis grex iſte paſcitur, audiſti in montẽ. Itaque vbi alijs præcipitia, ibi capris nullum periculum, ibi gregis huius alimentum, ibi cibus dulcior, ibi fructus electior. Spectantur à paſtoribus ſuis, dumoſa de rupe pendentes, vbi luporum incurſus eſſe non poſſunt, ibi fœcũdæ arbores fructum integrum ſubminiſtrant. Cernere licet vberi lacte diſtentas ſuper teneram ſobolem materna pietate ſolicitas; ideo elegit eas Spiritus, quibus cœtum venerabilis Eccleſiæ compararet. Et, vt myſtice audias, capillamentum Verbi eſt altitudo, & eminentia quædam iuſtarum animarum, quoniam ſenſus ſapientis in capite eius. In altitudine enim cogitationis humanæ certum eſt eſſe ſapientiam. Et quemadmodũ tondentur capræ, vt ſuperflua deponant: Ita etiam tonſarum animarum gregem, hoc eſt, multarum animarum virtutes habet ſancta Eccleſia, in quo grege nihil poſsis inſenſibile reperire, nihil ſuperfluum; quoniam fides ſapientes fecit, ſpiritalis autem gratia ab omni ſuperfluorum labe mundauit. Merito igitur reuelatæ ſunt animæ iuſtorum; & reuelatæ à monte Galaad, hoc eſt à tranſmigratione teſtimonij, eo quod à ſynagoga ad Eccleſiam teſtimonium cæleſte migrauit. In hoc itaque monte naſcitur thymiama, reſina, & ceteri odores. Hos odores habet Eccleſia, quos mercatores ex gentibus congregati fide & deuotione vexerunt. Itaque ſicut caprę bonis refectæ cibis, & ſolis calore vernantes lauantur in flumine, & exultantes mũdæ ſurgũt de flumine. Ita animæ iuſtorum aſcendunt ab ſpiritali lauacro. Hæc fuſius ex Ambroſio, quę, ſi attente perpendãtur, multam ſuggerent materiem.

Sapientia deſignata per capillamentum.

Inſenſibile nihil, & nihil ſuperfluũ in ſanctis Eccleſiæ.

Paulinus Epiſt. 4. ad Seuerum, propter hos Eccleſię capillos, Sanctos nimirum, dictum id cẽſet de Chriſti capite. a *Caput eius aurum paz* id eſt *puriſſimũ*: Hoc enim aurum, inquit, forma Sanctorum eſt, qui in capite corporis, vt lumina micant, & ſunt aurum ignitum Deo, per paſsionum examina conflati. Notat autem, in allata ſimilitudine illorum potiſsimum animalium nomine, Chriſti greges deſignatos, quorum maximus vſus in lacte eſt: circa quod multa dici poſſunt.

Paulinus.

a Cant. 5. *Sancti quique capris aſsimilantur, quia illarum potiſsimum vſus in lacte eſt.*

Eucherius libro de ſpiritualibus formulis cap. 5. Capræ, inquit, iuſtos ſignificant ex Gentibus venientes, vt in Cant. *Capillatura tua ſicut grex caprarũ*, &c. Quemadmodum autem capræ præcipue in alto paſtum quęrunt, ſic & Sancti baptiſmo mundi, ac pœnitentia, in ſupernis paſtum deſiderant. Vnde Apoſtolus: b *Noſtra conuerſatio in cœlis eſt*.

Eucherius. Iuſti ſimiles capris, quia è ſupernis paſtum optant.

b Philip. 3.

Iuſtus vero Orgelitanus, Sanctos ex circunciſione commendatos putat, quibus ornata eſt primitiua Eccleſia, vt mulier capillis, quorum erat cor vnum, & anima vna, & quorum profectus proceſsit de teſtimonio Sacrarum Scripturarum; Galaad quippe interpretatur aceruus teſtimonij.

Iuſt. Orgel.

Ad hunc quoque ſenſum referri poſſunt, quæ aſſeruntur & à Gregorio Papa, & à Philone Carpathio, tametſi ad ſequetem ſenſum ſpectare videantur, dum per capillos plebem intelligunt fidelium: ſic quippe hæc exponit Gregorius Papa: Capilli ſponſæ ſicut grex caprarum eſſe dicuntur; quia populi Eccleſiæ, dum præcepta legis ruminantes, cœleſtia fide contẽplantur, munda ſunt animalia, & in alto paſcuntur; Galaad autem aceruus teſtimonij interpretatur, Martyreſque ſignificat, qui, dum fidem Chriſti inſeparabiliter tenuerunt, teſtimonium veritatis etiam per mortem ſuam perhibuere. Grex itaque caprarum de monte Galaad aſcendit: quia populus Eccleſię eo magis fide ſe ad æterna ſuſpendit, quo fortius Sanctos martyres eidem fidei teſtimonium perhibuiſſe ſciuit. Philo Carpathius addit & Apoſtolos, & Prophetas ſignificatos per Galaad, & aceruum teſtimonij; qui verbis, ac rebus Chriſto fideliſsime teſtificati ſunt.

26

Greg. Pap. Plebs fidelium ob martyrum teſtimoniũ, & vt capilli Chriſtum ornat & in altis ſe paſcit.

Philo Carp.

Porro ſecundum ſenſum, quo plebs fidelium capillorum metaphora deſignatur, ita explicat Caſsiodorus, quem ſequitur Beda: hos quippe capillos bene capris aſsimilari ait, per quas deſignantur peccatores: quandoquidem omnis Eccleſia veraciter confitetur ſe peccato carere non poſſe, quia in multis offendimus omnes. Per montem Galaad Chriſtum intelligit aceruum teſtimonij: Quo minus enim fragiliores Eccleſiæ plebes ſe à culpa immunes eſſe deprehendunt, eo altius, ait, auxilium quærunt eius, à quo ſe eſſe liberandos intelligunt.

Plebs fidelium Eccleſiæ capilli. Caſsiod. Beda. Peccatorum plebe Chriſtus ornatur, atque ac caput capillis.

Plebem pœnitentiũ per allatam ſimilitudinem deſignatam vult Theodoritus, dicens. De monte Galaad Ieremias ait: c *Nũquid reſina nõ eſt in Galaad? aut medicus non eſt illic?* Et animaduertendum eſt, ne forte per caprarum gregem intelligantur ij, qui ex peccato reſipiſcunt, & ad pœnitentiam redeunt, atque idcirco paſcuntur in Galaad, medicamentaque ſalutaria, & curationem conſequuntur: vt ſponſæ partes abiectæ, poſtremæque, & quodammodo mortuæ illius gregis dotibus comparentur.

Theodor.

c Ier. 8. 22. *Imperfectiores iuſtorum commendantur per ſimilitudinem caprarum.*

Tertium ſenſum ſequuntur Caſsiodorus, Beda, Richardus, Rupertus Abbas, & ex Græcis Catena trium Patrum, quæ ſic illum explicat, ac ſi dicatur piæ animæ: Cogitationes tuę, quę ad actionem, quiq; in ſpiritu ad contemplationem pertinent ſermones, & rerum diuinarum, quę cognitionem ſuperant, ſtudia, ex mente tua, vt ex capite ſpiritualiter omnia naſcuntur, & ad ea, quæ in carne, mundoque ſunt, ſenſu carent, vti florentes caprarum pili, quæ reuelatæ ſunt ex

27

Caſsiodor. Beda. Rup. Abb. Richard. Tres Patres. Cogitationes, ſermones, & ſtudia ſpiritualia ſunt

monte

capilli animæ piæ.

monte inuisibili Galaad, quæ nimirum retectæ sunt ex tenebris malitiæ, & ignorantiæ, & impietatis, ex quibus ad veritatem, & scientiam, & pietatem quasi demigrarunt per Euangelium, quod fidelibus futurum iudicium attestatur; Galaad enim si interpreteris significat testimonij migrationem.

Cassiod. Cogitationes sanctorum cælestia intendunt.

Cassiodorus, Sanctorũ cogitationes ideo bene assimilatas ait gregibus caprarũ: quia, etsi cogitationes ipsæ de dispensatione terrenorum sint; nihilominus cælestia intendunt, & cum etiam carnis sustentandæ curam gerunt, erga animæ potius sospitatẽ ac supernam refectionem mentis aciem dirigunt sancti; capræ quippe & mũda sunt animalia, & ardua rupiũ, atque arborum quærendi pascus gratia scandunt.

Rich. Vict. Cogitationes sanctæ in Christo sunt vniuersæ.

In Richardo de Sancto Victore id notandum, quod cũ per capillos, atque per capras cogitationes sanctas, ac pias meditationes intelligat, per montem quoque Galaad Christum: de monte Galaad capras istas dici ascendere, ait, quia quicquid boni cogitat anima pia, quæque eius affectiones omnes à Christo sunt, qui loquitur in anima cogitationes pacis, & cuius spiritus suggerit eas in occultis: atque adeo is, in quo nę meditationes coaceruãtur, testimonium habet, quod in eo Christus maneat, & ab illo ascẽsum harum meditationum habet.

Rup. Abb. Cogitationes Mariæ assimilantur monachis.

Rupertus Abbas ad B. Mariã hæc aptans per greges caprarum monachos intelligit, & religiosos, quorum auctorem Eliam asserit; atque adeo de monte Galaad istiusmodi greges ascendisse, seu apparuisse dictos, ait, quia eorum institutor Elias de habitatoribus Galaad sic repente in tertio libro Regum introducitur: vt antea nusquam scriptura meminerit, quis, vel vnde fuerit progenitus. His gregibus caprarum assimilatos, inquit, Marię capillos, id est cogitationes: quia B. Virginis cogitatus subtilissimi in eo fuerunt, vt fugeret ad desertum gentium propter sanguinem, quem Synagoga primum multum effudit, sicut illi filij prophetarum in solitudines fugerũt propter sanguinem, quem Iezabel primum effudit, secundum nomen suum, quod interpretatur fluxus sanguinis.

Addit & alteram rationem similitudinis, quia Maria longum in cogitationibus suis præscia futurę passionis filij sui pertulit martyrium, sicut illi diu egentes, angustiati, afflicti, omnes testimonio fidei probati inuenti sunt.

Theodorit. Corporalia, & quæ haud multum necessaria sunt per capillos designantur.

Ad hunc tertium sensum referri possunt, quę asserit Theodoritus, dũ ait: Capilli ea quodãmodo significant, quę in sponsa haud ita sunt necessaria; quæque ad corpus pertinent; vita enim, ac sensibus capilli carent; quasi dicat: In negotijs etiam humanis, in quibus non possumus non implicari, te laudabiliter, decoreque geris, caprarumque gregi videris similis, qui pascitur in monte Galaad, & propter altitudinem insignis.

Greg. Nyss. d 1. Cor. 11. Verecundia, & pudicitia mulieris commendatur sub metaphora capillorum. e 1. Tim. 2. 9

Præter tres istos, est & quartus sẽsus allatus à Greg. Nysseno hom. 7. qui ex eo, quod Apostolus *d* capillos pro velamine mulieri datos, inquit, & in decenti capillorum velamento mulieris gloriam, in verecũdia, & pudicitia sitã ostendit in Epistola prima ad Timotheũ, dicens: *e Mulieres in habitu ornato, cum verecundia, & sobrietate*, seu pudicitia, *ornãtes se, nõ in tortis crinibus*, &c. verecundiã, ac pudicitiã ipsam cõmendari, ait, in pia anima sub capillorum metaphora.

Vers. II cap. IV. *Dentes tui, sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro: Omnes gemellis fœtibus: Et sterilis non est inter eas.*

Expositio I.

Iuxta sonum litteræ.

Sicut in præcedenti capillorum sponsæ encomio, quidam arbitrati sunt, allatam similitudinem nequaquam de gregibus caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad intelligendam, sed de pilis eorum gregum, illarumue caprarum, ita vt propterea legendum putarint: *Sicut gregis caprarum*: Eodem modo quidam & in præsenti dentium eiusdem sponsæ commendatione, non tam per similitudinem gregum tonsarum, &c. dentes ipsos commendatos existimant, quam per similitudinem dentium earum tonsarum: ex eo, quod dentes ouium tonsarum id habeant peculiare, quod ardentius mordent, & auidius herbas carpunt: Dicũtur enim, inquit Titelmanus, oues tonsæ multo auidius, & amplius manducare, cũ recens tonsæ fuerint, quam ante detonsionem. *Titelmanus.*

Quod si præterea etiam fœtus gestent in vtero, aut genitos educent, maiori videntur egere cibo; vt non solum seipsas pascant, verum etiam fœtus alere queant. Atque adeo Hortolanus, cum dicitur: *Sicut greges tonsarum*; nominatiuum pro genitiuo positum ait, quin & Agathius nimis audacior non dubitauit immutare textum, ac legere, *Sicut gregis tonsarum*. *Hortolanus.* *Agathius.*

Communiori nihilominus consensu expositorum fere omnium, tam nostrorum, quam etiam Hebræorum, ad greges ipsos tonsarum similitudo ista refertur; quin & ij ipsi, qui superiorem prosequuntur sententiam, ab hac penitus minime recedunt.

Miror sane non modicum, cur vel tantillum ab ea declinare quis possit, cum similitudo ipsa ex gregibus ijs desumpta, qui discribuntur in textu, adeo ad dentium pulchritudinem exprimendam sit apta, vt nulla fortasis reperiri queat aptior, vtpote qua omnes simul celebretur pulchritudinis dentium conditiones.

Dissentiunt certe inter se Hebræorum Doctores in explicanda similitudine ista. Veruntamen, ne clariora tenebris offundam, illorum expositiones in finem reijciam, vbi varietas lectionis Hebraicæ examinabitur.

Sensus plane lectionis Vulgatæ, quæ consentit cum versione Septuag. est maxime perspicuus: commendantur quippe sponsæ dentes per vnam similitudinẽ ex omni illo, quod ad dentium pulchritudinem necessarium est, à candore, ab æqualitate, ac demum à perfecta eorum inter se coniunctione. Enimuero, cum plures oues albæ, eodemque tempore tonsæ ac lotæ vna coeunt, ita inter se corpora iungunt, vt procul aspicientibus illarum omnium corpus appareat candidissimum.

Ingentem porro vim habet similitudo ista in eo, quod ab ouibus recenter detonsis potissimũ sumpta est: per hoc enim vnum ea omnia, quæ enumerata sunt, explicantur: Nam in ouibus detonsis summa apparet æqualitas, omni illa sublata inæqualitate, quam plus, minusue lanæ inter ipsas causabat: Arctissima quoque inter eas conspicitur corporum coniunctio, lana nimirum sublata, quæ intermedia erat, ne corporibus se contingerent: ex cuius lanæ expolitione fit insuper, vt eædem magis frigeãt, ac propterea arctius se conentur inuicem iungere; quo mutuo foueantur calore: Candorem denique multo maiorem, quæ albę sunt oues, tunc exhibent intuentium oculis, cum detonsæ sunt: tum quia expoliatæ sunt veteri illa lana, quæ maculis plerumque deturpata esse solet, & ad nigredinem ob vetustatem vergit: tum quia lana illa, quæ carni proxima est, mundior atque candidior enitet in tergo tonsarum.

Quamuis autem per ista dumtaxat verba modica, (*Dentes tui sicut greges tonsarum*) prædictæ omnes designentur pulchrorum dentium conditiones: ad Epitasim tamen istius encomij sponsæ dentium, & quo efficacius id omne allata explicetur similitudine, tres insuper adijciuntur particulæ, quarum singulis singulæ allatæ conditiones designentur: *Quæ ascenderũt de lauacro: Omnes gemellis fœtibus, & sterilis nõ est inter eas*: Prima etenim: *Quæ ascẽderunt de lauacro*: candoris augetur cõditio ex duplici capite, tum ex eo, quod recenter lotæ dicuntur, quæ etiam alioquin candidissimæ erant: tum ex eo, quod lotæ ascendere item dicuntur: dum

quippe cliuum aſcendunt à ſolaribus radijs percuſ- A
ſæ, illo ipſo, quo decoræ ſunt, magis effulgent candore. Secunda particula: *Omnes gemellis fœtibus*: conditionem æqualitatis dentium ad viuum explicat, ſignificat quippe, ſicut in vnaquaque tonſarum illarū conſpiciuntur duo fœtus, qui, cum gemelli ſint, æquales omnino ſunt; ita & in vnoquoque dentium ſitu duos ſimul enatos videri dentes, qui ſibi inuicem reſpondent; ſuperne alter, alter inferne, ita æquales, ac ſimiles inter ſe, vt fœtus gemelli.

Tertia demum particula: *Et ſterilis non eſt inter eas*; tertiam euidentius explicat conditionem eorundem dentium, perfectæ illorum coniunctionis inter ſe; ſicut enim vbi nulla ouium eſt ſterilis, nullus vacat B
locus inter greges tonſarū, quæ gemellis ſunt fœtibus, atque adeo coniunctiſsimum vnū corpus præſeferūt; ita, & cum nullibi in ordine aliquo quiſquam dentium deficit, nullus plane dens ſterilis dicitur; quia nullus locus gingiuarum, in quo enaſci dens debeat, ſterilis eſt, quin quaſi fœtum quendam, ſuum
Legionenſis. non emiſerit dentem. Legionenſis admodum certe congruenter tam ſecundam, quam tertiam particulam iſtam adhibitam cenſet ad explicationem magnæ coniunctionis dentium inter ſe, qua ita inuicem coniuncti ij ſunt, vt inter ipſos nihil ſit in gingiuis vacui: neque ex ea parte, qua ipſis gingiuis inſeruntur, quidpiam ſit hiulcum. Nam, cū plures oues albæ, & C
eodem tempore tonſæ ac lotæ vna coeunt, ita inter ſe corpora iungūt, vt procul aſpicientibus vnum earum omnium cādidiſsimum corpus appareat. Cum autē plurium ouium ſimul euntium tātum ſuperne vnum appareat corpus, inferne autem à ſe propter ſuorum crurum gracilitatem diſtent, bene additur: *Omnes gemelli fœtibus, & ſterilis non eſt inter eas*: ſiquidē vbi accidit, vt oues ſint fœtæ, & fœtus ſuos vna ſecū ducant, etiam inferne vnum earum corpus eſſe videtur propter agniculos, replētes illas vacuitates quæ inter illarum crura eſſe poterant. Quod ergo in iſto dentium encomio dicitur breuiter, tale eſt.

Paraphraſis. D
Dentes tui candidiſsimi ſunt, adeoque bene compacti inter ſe, vt alternatim quolibet æquabiliter reſpondente in ſuo ordine, nulloque deficiente in loco ſuo vnum plane corpus eſſe videantur: Ita vt ſimiles plane ſint gregibus ijs ouium candidiſsimarum, quæ nuper detonſæ, ac de lauacro aſcendentes, candore præfulgent eximio; queue ob recentem detonſionē æquabiliſsima coniunctione ſimul aſcendentes, vnū corpus eſſe videntur à longe proſpicientibus; preſertim quando ſimul aſcendentes, gemellos fœtus vnaquæque earum ducit, nec vlla ſterilis inter eas eſt, atque adeo nec vlla vacuitas: ſic quippe & in cādidiſsimo dentium tuorum ordine, bini ita inuicem ſibi reſpondēt dētes, vt quaſi gemellos eos dixeris, ſummaque propterea inter illos eſt æqualitas, & nihil vacuitatis inter eos conſpicitur: quandoquidem nullus in ſuo deficit ordine.

Quoad lectionum varietatem, Notandū, in textu Hebraico duas eſſe dictiones valde ambiguas, & ideirco haud conuenire inter ſe Hebræorum Doctores in explicanda hac ſimilitudine, qua dentes ſponſæ commendantur.

Prima dictio eſt חקעבות haketzuboth, quam noſter Interpres ſecutus Sept. vertit, *tonſarum*, participium verbi קעב Katſab, quod ſignificat excidere, incidere, tondere, ſuccidere, atque præcidere: cū enim deficiat ſubſtantiuum, diuerſimode participium iſtud exponunt. R. Dauid in libro Radicū, & Aben Ezdra exponunt: *ſicut grex exciſarum*, ſeu, *æquatarū ouium*, quibus eſt meſura vna, ac ſi inciſæ eſſent alteræ, ſicut alteræ; æqualium in altitudine, ſeu ſtatura ſua, ac ſi fuiſſent exciſæ æqualiter. Rabbi vero Salomon in ſua expoſitione ſuper Cāt. eandem dictionem ſic interpretatur, vt denotet præciſionem, & numerum omnium, quo traditæ eæ ſunt paſtori. Ac demū Rabbi innominatus, interpretatur, *Sicut grex ouiū limitatarum, & connexarum*, & quæ non ſunt diſperſæ huc atque illuc.

Altera dictio item ambigua eſt, aliud participium מאתימות mathimoth, quam noſter reddidit *Gemellis fœtibus*, proprie, *quæ geminos pariunt*. Porro, cum ex vi ſignificationis verbi תאם thaam gemellum quid illud ſignificet, quamquam communiori conſenſu ſumatur iuxta ſignificatum lectionis noſtræ; ex nonnullorum tamen ſententia, vt notat Rabbi Abraham Aben Ezdra, accipitur, vt ſignificat oues, non quę gemellos pariunt, ſed quæ ipſæ gemellæ ſunt, ac ſi eſſet participium paſsiuum. R. Salomon, non à prædicto verbo hanc dictionem deducit, ſed ab altera dictione מתום Methom, quæ perfectionem, & integritatem ſignificat; exponitque, *Ouium integrarum*, & abſolutarū abſque contaminatione, & macula.

Notandum ſecūdo, dictionem שכלה ſciaoculah, quam noſter, & Septuag. Interpretes verterunt, *ſterilis*, proprie orbam, vel orbatam ſignificare. Differt autem ſterilis ab orbata; quia ſterilitas, filiorum negationem ſimpliciter deſignat; & illam, quæ nunquam habuit filium: orbatio vero deſignat priuationem filiorum iam genitorum: & orbata ea dicitur mulier, quæ filio deſtituta eſt, quem genuerat. Congruitque aptius, iudicio meo, ſignificatus iſte ſimilitudini allatæ ad dentium ſponſæ laudes exprimendas; nam ordinarie dentes omnes in gingiuis naſcuntur, quorum tamen aliqui frequentius decidunt vel marcidi euelluntur: propter quorum defectum vel gingiua, vel ordo ipſorum dentium, aut locus cuiuſlibet dentis orbatus dicitur.

Animaduertenda eſt inſuper egregia Paranomaſia in his duabus dictionibus שכלם ſciecullam, id eſt, *Quæ omnes ipſæ*, & ושכלה veſciacculah, id eſt, *Et orbata*. Orbitatem Rabbi Salomon metaphorice ſumit pro macula.

His animaduerſis facile eſt iam colligere, quibus modis locus iſte apud Hebræos intelligatur; neque in eorum expoſitionibus enucleandis opus eſt, vt detineamur: cum parum à ſenſu lectionis noſtræ diſtent. Expoſitio ſane R. Salomonis ab ea multum diſtat: ea vero iſtiuſmodi eſt: Dentes tui cādidi, & ordine collocati ſimiles ſunt lanæ, & gregi agnarum recte diſpoſito, qui habito ouium delectu, certo numero traditur ſapienti paſtori, cui curandum eſt, vt lana fulgeat, atque adeo lauat eas quotidie, ne polluatur lana, neue vlla in eis adſit macula: Sic enim legit iſtam ſententiam: *Dentes tui ſicut grex, cū præciſione traditarum*, ſcilicet ouiū, *quæ aſcenderūt de lauacro, omnes integræ, & impollutæ, & macula non eſt in eis.*

E

Verſ. II. cap. IV. *Dentes tui, ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro: Omnes gemellis fœtibus: Et ſterilis non eſt inter eas.*

Expoſitio II.

De prima Sponſa, quæ eſt Eccleſia Sancta.

F

ETſi tam dentes, quam labia ad locutionem promendam hominibus præſtita ſint à natura, ita vt nec ſine dētibus, bene ſaltem, & intelligibiliter loqui quis poſsit, ſicut nec ſine labijs: vſu tamen fere communi receptū eſt, idque in ſacris preſertim litteris, vt labia potius pro ipſius loquelæ ſymbolo, ſeu etiā pro ipſorum, qui loquuntur, hieroglyphico vſurpentur, vtpote quæ primario ad hoc indita homini eſſe videantur, vt locutioni inſeruiant: cum è veſtigio dentiū illud primū ſit munus, vt cibos ſecent, conterant, ac minutiſsime molant, quo facilius & traijciantur in ſtomachum, & concoquantur, bonaque fiat nutritio, licet ad id pariter inſeruiant, vt morſu offendant.

Itaque

Itaque cum primum eos metaphorice vsurpatos audimus, haudquaquam per illos loquentes significatos accipimus; sed vel illos, qui alios afflictionibus conterunt, aut morsibus laniant inuidentiæ, cum in malum accipiuntur, vt in Psalmo tertio: a *Dentes peccatorum contriuisti*: & in alio Psalmo: b *Dentes eorũ, arma, & sagittæ*: de quibus in libro Prouerb. dicitur, c *Generatio, quæ pro dentibus gladios habet, vt comedat inopem de terra, & pauperem ex hominibus*: Vel illos, qui spirituales doctrinæ sacræ cibos incidunt, masticant, ac molunt, aptosue reddũt, vt in communem Ecclesiæ stomachum traijciantur, concoquantur, ac digerãtur, quando ipsorum metaphora in bonum accipitur: Hi vero ij sunt Doctores sacri, qui diuinam legem meditantes die, ac nocte intra domesticos parietes concluſi, libros componunt vel de sacris dogmatibus, vel de bonis moribus, vel in expositionem sacrorum voluminum. Isti quippe instar dentium vnamquamque materiam exactius considerant, diuidunt, definiunt, minutimque pertractant, & aptam reddunt, quę ab omnibus facile percipi queat; quibus idcirco liber, ac volumen sacrarum rerum comedendum traditur, prout & d Ezechieli, & e Ioanni contigisse legimus, vt per exactam considerationem illud comedentes, ac mandentes, dum minutim, ac subtiliter singula plana faciunt, nedum ipsi dulcedine summa perfundantur, ita vt cum Ezech. dicere possint: *Et comedi illud, & factum est in ore meo sicut mel dulce*: verum etiam per eos, quos componunt tractatus ea ipsa, quæ plana reddidere, quasi in stomachum Ecclesiæ traijcienda relinquant, vnde ij omnes nutriantur, qui illos legerint. Commendans igitur cælestis sponsus vniuersos Ecclesiæ Doctores, quos præcipua illius membra esse cognoscit, intelligensque, ex ijs alios esse, qui verbo, & prædicatione plebem docent; alios, qui idem ipsum non verbo, sed scriptis efficiunt; vtrosque disiunctim aggreditur celebrare, sed sub distinctorum membrorum metaphoris: hos quidem dentes appellans; illos labia: laudatque primum doctores illos, qui scribentes, planiorem doctrinam reddunt sacrarum rerum, instar dentium illam minutim tractantes: quoniam ab hisce & illi ipsi, qui verbo docent, erudiuntur, & quasi contusum doctrinæ cibum accipiunt, dum eorum legunt tractatus.

Horum igitur Doctorum laudes celebrans, non exinde dumtaxat illos commendat, quod dentium munus in sancta exercent Ecclesia, atque adeo instar dẽtium ossei sint, atque fortissimi; verum etiam ex eo, quod sint sicut greges tonsarum ascendentium de lauacro. &c. Quamuis autem vnum solummodo sit in his encomium: multiplex tamen est laus in duplici metaphora, quæ, vt bene percipiatur, seiũctim vtramque metaphoram expendam.

Quoad primam: Præter eam, quam iam attuli, quatuor insuper alias considerare fas est congruentias inter dentes, ac prædictos Doctores Ecclesiæ: Quarum prima hęc est, quod, sicut dentes ij dumtaxat cibos incidere, ac mandere possunt, qui in capite radicati sũt, ex quo vim omnem, omneque defumunt augmentum; neque satis est, vt radices habeant in capite, nisi & caput ipsum sit viuum: videmus enim quotidie dẽtes radicatos in capitibus mortuorum, quos nihilominus constat, nullum dentium munus præstare posse. Ita doctores, qui tractatus cõscribunt, quod dici queant esse Ecclesiæ dentes, illorumque munia exhibere, in Christo Ecclesiæ capite radicati sint, operę pretium est, qui solus vitam habet immortalem, & à quo gratiæ defumant augmentum, ac vim omnem cogitationis diuinorum, alioquin enim nullo pacto possunt explicare diuina dogmata, aptaque ea reddere, quæ in Ecclesiæ stomachum traijciantur, & nutritionem singulis eiusdem Ecclesiæ membris conferant. Hinc est, quod qui vel per apostasiam, vel per hæresim aliquam à Christo aulsi sunt, quine in aliquo capite mortuo radices habẽt, in aliquo hæresiarcha, quantumlibet alioquin doctissimi sint, vix quid-

a *Psal.* 3. 8. b *Ps.* 56. 5. c *Prou.* 30. 14.

Dentium metaphora ij significantur Doctores, qui sacros componunt tractatus.

d *Ezech.* 3. 1 e *Apoc.* 10 9.

Cur prius dentes, quã labia commendentur.

4 *Simile. Doctores componentes tractatus radicati esse debent in Christo.*

A quam boni recte valeant explanare, & pertractare, quod saluti conferat animarum.

Secundo: Sicut dentes ij, qui concinne dispositi sunt, tametsi æquales omnes inter se sint, adeo vt vnus non excedat alium; ac propterea quasi vnum corpus efficiant; diuersimode nihilominus fabrefacti sunt, & distincta exercẽt munia: quidam enim incidunt, quidam, quod incisum est, minutius conterunt; ac demum alij subtilissime molunt. Primi acutiores, tertij latiores, à molendo molares dicti, & qui intermedij sunt, quos Aristoteles caninos appellat, acutis latiores & molaribus acutiores. In eundem modum, quamuis doctores isti, qui ob id, quod diuina pertractant, inter doctores sanctos computari mereantur, æquales omnes inter se sint; propterea, quod nullus eorum in scriptis suis propriam quærit gloriam; sed vniuersi vnam eandemque gloriam Dei quærunt, ita vt vnum corpus repræsentent glorificantium Deum, diuersa tamen ratione in scribendo se habent, aliusue alio acutiorem præseferat intellectum. Quidam, quę à nullo pertractata sunt, instar acutorum dentium, quasi grossius secantes, ea attingere aggrediuntur: Quidam ea ipsa, quæ ab alijs pertractata fuere, instar mediorũ dentium conterere magis, ac explanare nituntur: Alij denique, instar molarium dentium ad summam facilitatem reducere contendunt.

Simile. Doctores Ecclesiæ quomodo æquales omnes sint simul atque diuerso modo se habeãt in conscribend.

C Tertio: Sicut dentibus ita necessaria est mundities vt ea si careant, nullo pacto commendari queãt; sed & si quid immunditiei in illis esse sinatur, putrefiant, putridique effecti male oleant, fœtoreque ac putredine sua alios quoque putrefaciant, ita vt nec sua exercere possint munia, quin & tantum causant doloris, & damni, vt operæpretium sit, radicitus euellantur. Sic & in dentibus hisce spiritualibus mundities requiritur ab omni sorde peccati: cum notum id sit, quod in libro Sapientiæ dicitur: f *In maleuolam anima non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Quod si sordes aliquæ cuipiam insint, is facile putrescit per

D opiniones, quas defendere nititur, vel prauas, vel erroneas, vel etiam hæreticas, quibus male apud fideles olet, putridosue & illos reddit spirituales dentes, qui suos conscribentes tractatus, eorum inhærent sensibus: Quin & Ecclesiæ toti vehementissimum inferunt dolorem, tũc præsertim temporis, cum pforum apud fideles est vsus: adeo vt necesse sit, penitus extirpentur, vel prohibitis eorum scriptis, vel etiam ijsdem ignitraditis.

Simile. Sordes peccati & obstinationis, quam alienæ esse debeant a Doctoribus qui sacros scribunt tractatus.

f *Sap.* 1.

Quarto demum, & vltimo: Sicut dẽtes, quando arcte simul vniti sunt, ex Aristot. sententia, longioris vitæ indicium sunt, & è contrario, quando laxiores

E sunt, & ab inuicem distincti, breuem prænuntiant vitam: atque adeo in bona, & pulchra dentatura arctissima requiritur singulorum dentium coniunctio: Idipsum & in spiritualibus nostris dentibus obseruare fas est. Enimuero quando in aliqua Prouincia Doctores ij, qui tractatus conscribunt, inter se dissentire cõtendunt, in dogmatibus fidei præcipue, & diuinorum mysteriorum, breuis profecto Prouinciæ illius vitæ, ac fidelitatis indicium id est, facileque in hæresis mortem illam prolapsuram, arguimus, dum talibus subiecta est dissensionibus, dumque dissensiones illæ in ea tolerantur.

Simile. Proble. 47. sect 10. Doctorum dissensio signum ruinæ Ecclesiæ.

Quoad alteram metaphoram: Notandum, Spiritũ

F sanctum eos ipsos, quos dentium metaphora aggressus est commendare, ex triplici pulchrorum dentium conditione summo artificio per inusitatam hanc similitudinem celebrare, aptissimaque hac metaphora exponere, quo pacto cõditiones istæ tres in spiritualibus hisce dẽtibus sint: per id enim quod ait: *Sicut greges tõsarum quæ ascenderunt de lauacro*: primã conditionẽ explicat candoris, qua tunc perfecte ornati ij sunt, cũ oues se exhibent: cum non oues tantũ sunt, sed oues detõsæ: cum vna cum ouiũ gregibus ascendunt: cum ascẽdunt è lauacro. Ad hoc siquidẽ, vt doctor quispiã decorus sit prærogatiua veri cãdoris, debet primo quem se exhibere per simplicitatem, humiliter consentiens,

5 *Doctorum Ecclesia cãdor qualites exhibeatur.*

haud alta ſapiens, ouemque talem, quæ vna cum aliarum ouium grege à communi paſtore duci ſe ſinat, haudquaquam ſingularem proſequens doctrinam, proprijque ſenſus opiniones; ſed Sanctorum Patrum veſtigijs inhærens, ſenſumque totius Eccleſiæ conſectans, & communem eiuſdem Eccleſiæ paſtorem Pontificem Romanum, ab illius decretis, & definitionibus, nec ad tranſuerſum quidem vnguem diuertēs. Tertio, ex ijs debet eſſe ouium gregibus, quæ ſunt detonſæ, detonſus & ipſe exiſtens omni lana appetitus propriæ gloriæ, expoliatus omni proprio commodo, omni ſollicitudine negotiorum, atque in primis omni vehementi affectu, & paſſione: g *Sapiētia* etenim *ſcribæ*, (vt dicitur in lib. Eccleſ.) *in tempore vacuitatis, & qui minoratur actu, ſapientiam percipiet*: neque intellectū habere poteſt mundum, & candidum, qui externarum rerum lana circundatus ſit, qui puritatem non habeat cordis. Porro, quia in multis delinquimus omnes, cōtingitque nonnunquam, vt ab iſta cordis puritate quotuſquiſque excidat ſanctus, aliquid ex mundana conuerſatione contrahens maculæ: ideo bene additur quarto, dentes ſpirituales ita candidos eſſe, prout greges tonſarum aſcendentium de lauacro. Si quando enim Doctor aliquis vel leuis cuiuſpiam maculæ infectus ſit labe, quo veri candoris excellentię particeps ſit, operæpretium eſt, vt in lauacro ſe abluat pœnitentiæ, & ſanguinis Ieſu Chriſti, qui emundat corda noſtra: è quo lauacro aſcendens in montem perfectionis, diuinæque illuſtrationis radijs percuſſus, nitorē vna cum ipſo exhibet candore, & in conuerſatione intuentium oculis, & in ſcriptis legentium animis eximium ſemper aliquid ſui candoris præſeferens. Secundam dentium conditionem explicat per verba illa (*Omnes gemellis fœtibus*) quibus ſane verbis non minus commode exprimitur; quomodo Doctores ij, qui hoc loco commendātur, æqualitate pulcherrimi ſint, quam expreſſum ſit, quomodo dentes candidi pulchriores reddantur per id; quod æquales inter ſe ſint. Enimuero, quæ ſummæ laudis in Doctoribus illis eſt æqualitas, in eo potiſsimum ſita eſt, quod ab illis efficitur, atque aliquo pacto producitur, dū veræ indulgent ſapientiæ, dumque ſcriptioni dant operam. Porro quotquot tales ſunt, vt dētes Eccleſię pulcherrimi dici poſsint, ſinguli æqualiter duos fœtus efficere ſtudent, duplicemque effectum producere contendunt ex ijs, quos conſcripſere, tractatibus, profectū ipſorummet proprium in ſciētia, & in virtutibus, quarum tractatus componunt; & profectum illorū, qui dictos legunt tractatus: qui certe duo profectus quaſi duo gemelli fœtus eis ſunt; quia æqualiter vno eodemque tempore illos intendunt. Neque minus vtilitatis ipſi ex ſcriptis ſuis hauriunt, quam quod ab ipſis hauritur, qui fructuoſe eoſdem legere ſatagunt.

Tertia denique iſtorum ſpiritualium dentium conditio, arctiſsimæ videlicet coniūctionis inter ſe, per id exprimitur, quod vltimo loco ſubiectum eſt, *Et ſterilis non eſt inter eas*. Nō ignoro, communiori ſenſu per hæc verba ſignificari fructum magnum, quem Doctores faciunt, vel in ijs, qui eos audiunt, vel in ijs, qui eorum ſcripta reuoluunt. At quid hoc ad arctā coniunctionem, qua ſibi inuicem bene compacti ſunt iſtiuſmodi dentes? Nullus inter illos ſterilis dicitur; quia nullus eſt, qui in eo non adhibeat ſtudium, vt fœtum aliquē proprij ingenij addat in ijs, quos conſcribit tractatibus: ſicue per hoc, quotquot Eccleſiaſtici ſunt Doctores, qui tractatus ſcripſere, recenterque conſcribunt, antiqui atque recentiores adinuicem ſimul iuncti, arctiſsimeque ſimul compacti conſpiciuntur; dū antiquiores materiam recentioribus exhibent, fœtus ſuos ſcriptis relinquentes: Recentiores vero fœtibus item proprijs antiquiorum ſcriptis lucem præſtant maiorem, illorumque dicta illuſtrant, quæ ſæpe obſcurius conſcripta reperiuntur.

Ex dictis breuem in hunc modum colligere poſſumus paraphraſim præſentis encomij.

Doctores, qui in te ſunt, quiue libros componunt, dentes certe ſunt tui; quoniam, dum exactius vnamquamque materiem pertractant, inſtar dentium mādunt conſideratione, contuſi mque ac minutim explanatum legentibus exhibent id, quod ſcriptis mandant: dentes vtique in viuo capite tuo Chriſto radicati: dētes perpulchri; quia inſtar dētium omnes æquales ſunt; vnam quærentes gloriam Dei; tametſi diuerſa ratione ſe habeant in ſcribendo, prout & dentes, æquales cum ſint, diuerſimode ſe habent in mandendo: inſtar pulchrorum dentium puri ab omni erroris ſorde, omniſue pulchritudinis dētium compotes. Iſti, inquā, dentes tui ſpirituales & candidiſsimi ſunt, ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro; quia oues ſe exhibēt per ſimplicitatem, idque in gregibus aliarum ouium à ſummo Pontifice deductis: quia detonſi, & expoliati ſunt omni appetitu propriæ gloriæ, proprijue commodi: quia, etſi nonnunquam aliqui vel leuis maculæ labem contraxere, in lauacro ſe abluunt pœnitentiæ, & ſanguinis Chriſti: ablutique aſcendunt de lauacro, candoris ſui & in ſcriptis, & in conuerſatione emittentes ſplendorem. Æquabilitatē quoque ſummam inter illos animaduertere eſt, quæ in eo maxime cōſpicitur, quod omnes, & ſinguli æqualiter, duos, eoſue æquales in ijs, quos compoſuerint, tractatibus aſſequuntur profectus: ſuum nimirū vnū, & eorum qui tractatus illos legunt, alterum. Ac, ſicut quādo nulla ſterilis eſt inter oues, nullaue orbata, arctiſsima coniunctione eæ aſcendunt ad inuicē iūctæ, ita vt nihil vacui in ipſis appareat: Eodem modo & ſpirituales iſtos dentes coniunctiſsimos inſpicere eſt: idque per hoc, quod nullus inter ipſos eſt ſterilis, qui aliquem proprij ingenij fœtum non addat in tractatibus, quos componit: Et hac ratione antiquiores cum recentioribus coniunguntur ad inuicem, quod iſti illos illuſtrāt fœtibus ſuis, è quorum fœtibus materiē ſcribendi, ac ſpeculandi ſuſcipiunt.

g *Eccl.* 38. 25.

Doctorum Eccleſiæ æqualitas in duplici conſiſtit profectu.

Doctores ſacri, antiqui, ac recentiores, quomodo ſimul iungantur arctiſsime.

Paraphraſis.

Verſ. II. cap. IV. *Dentes tui, ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro: Omnes gemellis fœtibus: Et ſterilis non eſt inter eas.*

Expositio III.

De ſecunda Sponſa, quæ eſt Anima Sancta.

6 *Conſultationis bonæ neceſsitas.*

MEdicorum ſententia eſt, eaque peruulgata apud omnes, errorem primæ digeſtionis, quæ fit in ore, tanti momenti eſſe, vt in ſecunda digeſtione, quę fit intra ſtomachum, corrigi nequaquam poſsit. Errorem vero illum, vel ex dentium defectu, vel ex prauo eorundem vſu prouenire, nemo eſt, qui dubitet: quandoquidem prima illa oris digeſtio à dentibus potiſſimum pendet, qui cibos minutim ſcindunt, conterunt, molunt, vt traijci queant in ſtomachum, & ibi facilē concoqui, ac bene ſecunda digeri digeſtione. Quod de prima digeſtione corporali definiunt Medici, idipſum & multo verius conſtantiſsime de prima digeſtione ſpirituali aſſerendum eſt. Si quidem & in anima quoque ſpiritalis eſt digeſtio, tam prima, quam ſecunda; ſpiritales ſunt dentes, ſpiritalis eſt & ſtomachus. Prima animę digeſtio, quę fit in ore intellectus, eſt ſubtilis, & exacta cogitationū, ac rerum omnium, quę proponuntur, diſcuſsio, examinatio, atque diſcretio, quæ fit per ſpiritales dentes, id eſt conſilia, & conſultationes: Secunda vero primā iſtam conſequitur, quando res bene manſas, exactiuſue diſcuſſas, in voluntatem traiectas vt in ſpiritalem ſtomachum, electio amplectitur, conſenſuſque concoquit, digeritue per vſum. Cum igitur in prima rerum examinatione fit error ex defectu conſultationis, vel ex prauitate conſiliorum, haudquaquam ſperandum, iſtiuſmodi errorem corrigendum in actu electionis: ſed & electio mala eſt, & conſenſus, & vſus eſt peſsimus, prauaq; eſt ipſius animæ digeſtio omnis, omniſue nutritio, & augmentum denique omne. a *Diſſipātur* nāque *cogitationes*,

Digeſtio prima, & ſecunda piæ animæ quæ nam ſit.

a Prou. 15. 22.

(quæ

(quæ ſunt animæ cibus) *vbi non eſt conſilium*, ait Sapiens in libro Prouerbiorum. Idcirco cæleſtis ſponſus dilectam animam laudibus celebrans, dentes in primis commendat illius immediate, poſtquam eiuſdem celebrauit cogitationes: quamquam eas haud ſub ciborum metaphora laudarit; ſed ſub metaphora capillorum item congruentiſsima.

Norat quippe quanti ponderis eſſet exacta capillorum diſcuſsio, præcipuamque ſponſæ ſuæ laudem in hac dentatura, & in hac examinatione ſitam intelligens, oſtendit, quales ij eſſent dentes ipſius, qualia conſilia dicens; *Dentes tui ſicut greges tonſarũ, quæ aſcenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt inter eas*; duplici vtens metaphora ad omnimodam conſiliorum eius perfectionem deſignandam, dentium altera, altera vero ouium detonſarum, &c.

Quarum ſecunda in prioris declarationem allata, totam perfectiſsimæ prudentiæ materiam nobis ſuggerit pertractandã. Prudentia enim ex Ariſtotelis ſententia in lib. 6. Ethic. cap. 5. & 7. quam ſequitur etiam S. Thomas 2. 2. quæſt. 47. verſatur circa humana illa bona, quę in conſultationem cadunt, atque adeo prudentis opus id maxime dicimus, vt recte conſultet, de medijs nimirum ad finem, circa quæ eſt conſultatio.

Ariſtoteles.

S. Thomas. Prudentia quid.

Pro explicatione itaq; eorum, quæ in præſenti encomio dicuntur, vtraque metaphora perpendenda eſt, ac primum. Quid congruentiæ cum dentibus habeant conſilia, & conſultationes, iam patet ex dictis: At præter id; quod relatum eſt, & ex quo potiſsimum huiuſcemodi ab ſponſo deſumpta eſt metaphora, tres inſuper alias addere licet congruentias.

7 *Simile. Prudentes conſultationes ab oratione dependent.*

Harum prima eſt, quod ſicut dentes à natura ſic inditi hominibus ſunt ad mandendos cibos eoſdemue conterendos, atque molendos, necnon & ad manducandum pro ſuſtentanda ipſorum hominum vita; vt tamen intra os contineantur incluſi, nihilue mandere queant, niſi id duntaxat, quod per os ingrediatur, quodue ex ore immiſſum eis ſit. Ita & vera prudentia, ſanctorumque conſultationes ſic concluſæ ſeruantur intra os orationis, vt, quamuis prudentiæ ſimpliciter ſit, vnãquamq; rem humana ratiocinatione diſcutere; ea tamen, quæ vera eſt; quamue Apoſtolus prudentiam ſpiritus appellat, tunc bene rem quampiam examinet, ac de re qualibet conſultet; cum ad conſultationẽ accedens orationi inuigilare contendit, illudue ſanctum arripit conſilium, quod per ipſum os orationis ingreditur. Vnde B. Petrus fidelibus veram iſtam ſuadens prudentiã, *b* ait: *Chariſſimi eſtote prudẽtes, & vigilate in orationibus*: Ac ſi dicat: Volo, vt prudentes ſitis, at non prudentia illa ſapientum mundi, quam Dominus per Prophetam reprobat: verum prudentia ſancta, qua conſultationes quæque in oratione concluſæ tenentur, inſtar dentium concluſorum intra os: Eſtote prudentes, ſed vigilantes in oratione, vt illa duntaxat mandenda ſuſcipiatis, quę à Spiritu ſancto in veſtras immittuntur conſultationes. Vt ergo ſanctæ, ac dilectæ ſuę animæ prudentiã iſtiuſmodi eſſe, ſignificaret cæleſtis ſpõſus, aptiſsime profecto ſub dentiũ metaphora illam deſignauit ſimul, ac commendauit.

b 1. Pet. 4. 7

Simile.

Sed & alia quoque inter dentaturam, atque prudẽtiam; inter dentes, atque conſilia ineſt congruentia. Vulgatum eſt Phiſoſophi dictum, ſuperius etiam relatum, quod dentes crebri, & minuti ſunt indices vitæ longioris: dentes vero rari breuiorem prænuntiãt vitam: & quidem ſi alicunde breuiorem arguere licet alicuius animę vitam, inſtantemque ſpiritus eius interitum; atque ruinam, nulla certe res eſt, è qua id clarius deducatur, & tutius, quã ea, quæ in illa conſpicitur, conſiliorum, ac conſultationũ raritas: atque adeo congruenter admodum Sapientiſsimus Salomon animam illam, in qua iſtiuſmodi indicium apparet, comparat Ciuitati, quę omnium incurſibus pateat, dicens: *c Sicut Ciuitas muris diruta, & nõ circundata, ſic eſt vir, quinõ cum conſilio aliquid agit*. E veſtigio autem, cum eamdem animam ita ſe habentem animaduertimus, vt nihil abſque ſedula conſultatione agat, & vel in minimis

Ariſt. probl. 47. ſect. 10. Prudentiæ, ac conſultationis defectus interitũ prænuntiant animæ.

c Prou. 25. 28. *ſecundum Sept.*

A quibuſque prudenti vtatur conſilio, ſolertemque adhibeat examinationem, longam illius vitam illico arguimus: *d Salus* quippe, teſte eodem Salomone, *vbi multa conſilia.*

d Prou. 11. 14.

Simile. Prudentiæ, ac conſultationum bonarum robur quam magnũ ſit.

Tertia demum congruentia, quę inter dentes eſt, ac veram prudentiam, inde colligitur, quod dentes etſi è molli egrediuntur gingiuarum carne, duriſsimi tamen ſunt, oſſei, atque fortiſsimi: Et vera quoque prudentia ac conſultationes, etſi è molli flexibilitate quadam incipiant, qua pia anima de aptis ad finem medijs anceps exiſtens, conſultare de illis incipit, facilem ſe exhibens, ac mollem ad ea, quæ ſint aptiora ſuſcipienda; fortiſsima tamen eadem euadit in ipſo conſilio; vt haud facile à quoquam dimoueri à rectis ſe inat conſultationibus: *e Cogitationes* quippe *conſilijs roborantur*, inquit Sapiens.

B

e Prou. 20. 18.

Simile.

Porro quemadmodum tantam in dentibus obſeruamus eſſe fortitudinem, vt nec ab igne conſumi poſſint; quos tamen facillimo negotio mollis pituita excauat, vt notat Plinius, & ſordes item præmolles corrumpunt, putridoſque redditos in tenuiſſimum reducunt puluerem. Idipſum & in vera prudẽtia animaduertere eſt: quam enim nec ignis contradictionum, nec flammæ obiectionum, ac perſecutionum labefactare poſſunt, hanc vel tenuiſsimæ peccatorum ſordes non modo ſordidam, ſed & fœtidam, & putridam reddunt; mollioriſue rei cuiuſpiam libido ita corrumpit, vt conſultationes omnes inanes efficiantur.

Plin lib. 7. cap. 16.

C

8

Hinc vero eſt, quod ſapientiſsimus ſponſus, ac Dominus noſter dilectę animæ ſuæ prudentiam, conſultationeſque commendans, non modo per dentium metaphoram eam euehit, ſed per alteram metaphoram, candore eximio, eximiaue munditie, quæ in pulchris dentibus maxime neceſſaria ſunt, eamdem inſignitam oſtendit, per id quod ait: *Sicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro*: Quibus verbis, nedum maculam omnem, omnemque immunditiem, ac ſordes ab huiuſcemodi exeludit prudẽtia; ſed &, qua ratione, inſtar candidiſsimorum dentium, candidiſsima & ipſa ſit, exprimit, quatuor illa innuens, vnde candor omnis in illa prouenit, ac gignitur.

Prudentiæ candor vnde prouenĩat in anima ſancta

D

Simplicitas prudentiam exornat, & quomodo illã comitari debeat.

Quorum primum eſt ſumma, puriſsimaque ſimplicitas, cuius certe aptiſsimum hieroglyphicum ſimpliciſsima eſt ouis, ouibus ipſis dentes ſponſæ cõparans, & in Euangelio Apoſtolos alloquens, quos ſibi deſponſarat, qualem ab ipſis exquireret prudentiam, ſignificat per ea verba: *f Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum. Eſtote ergo prudẽtes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ*: duobus animantium generibus ſimiles eſſe ſuadens, quæ ambo ſimplicitatis ſymbolum eſſent, ouibus ſcilicet, atque columbis: Æque enim eſt, ac ſi diceret; Quamuis prudentia maxime vobis neceſſaria ſit; duplicitatem tamen omnem, omnem vafriciem deteſtor, & prudentiam prudentum reprobo. Prudentia omnis veſtra in eo potiſsimum ſita ſit, quod in cõſultando iudicium veſtrum illæſum ſeruare ſtudeatis, ſimiles vos exhibentes ſerpentibus, qui id præ omnibus contendunt, vt caput ſuum ſeruent illæſum. At inſuper operæpretium eſt, vt inſtar ouium, ac columbarum ſimplices vos exhibeatis.

f Matt. 10. 16.

E

Qualis ſimplicitas comitari debeat veram prudentiam.

Porro, cum ſimplicitatis nomen multipliciter ſumatur in ſacris litteris, & ſignificet conſummationem, perfectionem, integritatem, ſinceritatem, ſanitatem, & quamdam innocentię, ac ſanctitatis plenitudinem, dum dicitur neceſſaria verę prudentię, dentibuſue ſpiritualibus, & conſultationibus piarum animarum; eam puto intelligendam ſimplicitatem, qua ſanctus quiſque, nihil ſe ſcire exiſtimans, ad Dei mandata ſuas ſemper collimat conſultationes; à Deo duci ſe volens qualibet in re, vt ſimplex ouis à proprio Paſtore; & ſtudens in Deum ſponſum ſuos ſemper oculos intellectus, atque iudicij habere coniectos, æque ac columbæ in comparem ſuum oculos coniectos habere conſueuerunt: Hæc quippe ſi adſit ouina, & columbina ſimplicitas, fieri minime poteſt, vt prudentię error aliquis inſit, vtue intellectus in inquiſitione veritatis,

F

& in conſultatione rectitudinis fallatur; quod teſta-
g Matt. 6. 22. tum voluit Redemptor noſter, dicens: g *Si oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit*: Ac ſi diceret: Si in inquiſitione oculus intellectus tui in ſolo Deo defixus fuerit, lucem ex omni parte deſumens diuini conſilij, nil in te erit tenebrarum, erroris, ac falſitatis, & prauitatis. Et merito; nã, prout in libro prouerbiorum dicitur: h *Cũ ſimplicibus ſermocinatio eius*: cum prudentibus ijs, qui hac decorati ſunt ſimplicitate Deus ipſe familiariter agit, eiſdemque tanquam amiciſſimis, ac ſponſis ſuis ſua communicat ſecreta: cum illis interne loquitur, ſuamque ipſis, quando aliqua de re conſultant, exhibet veritatis, ac rectitudinis normam:
h Prou. 3. 32.
i Pſal. 118. 24. Idcirco prudentiſſimus ille Dauid dicebat: i *Conſilium meum iuſtificationes tuæ*: id eſt, totum conſilium meum, vniuerſæ conſultationes meæ in iuſtificationes tuas collimatæ ſunt, quas tu mihi communicas. Idcirco & ſponſæ dentes non tam corporales, quam ſpirituales, eiuſdemque conſultationes ouibus ſimiles dicuntur ſimpliciſſimis.

Verum haud ouibus ſimpliciter eæ comparantur, ſed gregibus ouiũ; ſic enim dicitur: *Dentes tui, ſicut greges*: Vt aliud indicetur, per quod tam eximius candor prædictis ſponſæ dentibus ineſt: id autem eſt; quia, cum prudentiſſima ſit, ſingularitatem omnẽ, omneque proprium conſilium deuitat in conſultando: ſed, iuxta k Tobiæ monita, conſilium ſemper à Sapiente perquirit: & in examinibus ijs quoque quæ ad virtutem pertinent, eo pacto conſultat; vt illud potiſsimũ inquirat, quod fieri à prudentibus quibuſcunque ſolet, ſanctos imitari ſtudens, qui in gregibus ſunt ouium Chriſti: & quia per Prælatorum ora Deum deducere nouit fidelium greges, inſtar vnius ouis, ſe continere nititur, ſapientis Prælati ſequens conſilia, & ad illa ſuas omnes conformans conſultationes.

9 *Prudentia ſingularitatẽ omnem propriumque conſilium deuitat.* *k Tob. 4. 19*

Prudenter conſultare volens debet eſſe expoliatus omni vehementi paſſione. Simile.

At quia nec ſimplicitatem prædictam habere quis poteſt, nec ſubiectionẽ, quę duo ſunt maxime neceſſaria ad candorem veræ prudentiæ; niſi quis expoliatus ſit omni paſsione vehementi, quę homines coopelire, ac circundare ſolet; quoniam paſsio inſtar vitri ſe habet rubei, aut viridis, quod ita viſum peruertit, cum oculis obijcitur intuentium, vt nihil candidi videre ſinat, ſed illud ipſum, quod candidum eſt, rubrũ repræſentat, aut viride, & nulla de re pure, aut cãdide conſultare permittit. Ideo non quibuſcunque gregibus ouium ſimiles eſſe dicuntur conſultationes piæ animæ, quæ, inſtar pulcherrimorum dentium candidiſsimæ ſunt: ſed gregibus tonſarum, ouium ſcilicet, à quibus detonſum id omne ſit, quod illas grauabat, perfectoque earum obſiſtebat candori.

Iugis memoria candoris baptiſmalis auget puritatem veræ prudentiæ.

Quod certe tunc plene perficitur, cum quartum illud adijcitur, quod deſignatur per ea verba (*Quæ aſcẽderunt de lauacro*) continua nimirum memoria cãdoris illius, quem in ſacro baptiſmatis fonte pia quæque adepta eſt anima, quando abrenuntians Satanę & omnibus pompis eius, exuta veterem hominem, nouumque induta illum, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate, dealbata aſcendit de lauacro ſanguinis agni. Bene autẽ dicitur: *Quæ aſcenderunt de lauacro*: nam iſtiuſmodi ablutionem ſacramentalem ſemel quidem ſuſcepere quotquot in Chriſto baptizati ſunt; Sed per iuge ſtudium ſuſceptum abinde candorem conſeruare ſatagunt, ita vt ſemper nouis acceſsionibus albedinis cumulati, altius aſcendãt dealbati, prout inferius legimus, Angelos quampiam animam ex hiſce admiratos exclamaſſe: l *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit dealbata, innixa ſuper dilectum ſuum?* Iſtiuſmodi vero aſcenſionem tunc primum, ac maxime faciant, cum per veram prudentiam de re aliqua conſultant: Ideo congruentiſsime, dũ candoris commendantur conſultationes ſponſæ, ouibus, ſeu gregibus tonſarũ, quæ adſcenderunt de lauacro, ſimiles dicuntur.

l Cant. 8. 5. *ſecundum Sept.*

10 *Prudentiæ ſanctæ con-*

Per id autem quod ſubijcitur: *Omnes gemellis fœtibus*: ex ſecunda pulchrorum dentium conditione, eædem conſultationes, quæ dentes ſpirituales ſunt, cõmendantur ex æqualitate. Enimuero, quod præſantiſsimum in conſultationibus piæ animæ dignoſcitur, in admirabili hac ſitum eſt æqualitate deliberationum, quæ quaſi fœtus quidam illarum ſunt. Quidni vero æquales eas dixerimus conſultationes, quarum ſingulæ, quaſi duos gemellos fœtus, duo ſemper in re qualibet & inquirere, & deliberare contendunt, quæ duobus cõformia ſint præceptis charitatis, erga Deũ, & erga proximum: cum norint, ita æqualiter inter ſe hæc duo ſe habere præcepta, in quibus, iuxta Domini dictũ, m totalex pendet, & Prophetę: vt id bene cõſultatum, ac definitum habeatur ad Dei honorem, & ad dilectionem erga eumdem proteſtandã, quod ſanctæ dilectioni proximorum neutiquam repugnet: & è veſtigio id propter charitatem erga proximos recte deliberatum, quod charitati erga Deum nõ ſit aduerſum.

ſultationes omnes æqualiter duos habent fœtus duorum præceptorum charitatis.

m Mat. 22. 40.

Denique, quod nulla iſtarum cõſultationum irrita ſit, nulla inanis, ea teſtantur poſtrema verba. (*Et ſteriles non eſt inter eas.*) Præcipuum quippe veræ prudentię hoc eſt; vt nihil inane in conſultationibus appareat: ſicut & præcipuum pulcherrimæ dentaturæ id quoq; eſt; vt nihil vacui inter dentes conſpiciatur, ſed arctiſsima coniunctione adinuicem ſint coniuncti: Vnde & hoc loco ex hac tertia conditione laudantur.

In prudentibus conſultationibus piæ animæ nil irritum eſt. Simile.

Præclare autem per iſtam ſimilitudinem ouium ſimul aſcendentium, inter quas nulla ſit ſterilis, iſtiuſmodi conditio exprimitur dentium ſpiritalium, & ſanctarum conſultationum; nam re vera conſultationes piæ animæ nihil in ſe admittunt vacui: quandoquidẽ nulla ſterilis eſt inter eas, quæ bonum opus non producat ad affectum, quod conſultatum eſt: Quam cõditionem haudquaquam reperire eſt in conſultationibus hominum imprudentum, quarum pleræque ſteriles ſunt: ſunt enim plerique, qui, etſi diligentiam in conſultando adhibeant, ſteriles nihilominus vt plurimum dici debent: vel quia nihil bene conſultent: vel quia, tametſi aliquid nonnunquam bene conſultent, minime tamen illud ad opus deducunt.

Quod itaque hiſce omnibus intendit ſponſus, breuiter tale eſt. Paraphraſis.

Conſilia, ac conſultationes tuæ, quæ ſpiritalium dentium in te obtinent locum, non ſolum, quia illis, dum ſingula minutim examinas, atque dijudicas, mandis quodammodo vnamquamque rem, æque ac per corporeos dentes corporei manduntur cibi; Verum etiam, quia cõcluſas illas oratione detines, prout dentes intra os concluſos videmus: ſicut enim dentes nil mãdunt, niſi id quod per os admiſſum ſit ad ipſos, niſi & ipſius oris ope adiuti ſint: Ita & ipſæ nil conſulere aggrediuntur, niſi ad orationem confugerint prius: conſultationes, inquam, tuæ & in eo ſimiles dẽtibus ſunt, quia breuem prænuntiant vitam ſpiritualem, cum raræ extiterint; non ſecus ac dentes rari breuis vitæ ſunt indices: & in eo, quod inſtar dentiũ, qui fortiſsimi ſunt, etſi è mollioribus egrediuntur gingiuis, cum & ipſæ quamquam è molli hæſitatione enaſcantur, firmiſsimæ tamen poſtmodum euadunt. Ac ſicut dentes adeo duri ſunt, vt nec à flammis conſumi queant: quos tamen modica tabes, exiguæque ſordes ita corrumpunt, vt & fœtorem, & dolorem vehementiſsimum inferant. Ita & ipſæ fortiſsimæ quidem per ſe ſunt, & cuilibet igni oppoſitionum reſiſtentes; ſed à modicis peccatorum ſordibus ſic corrumpuntur; vt & fœtidiſsimæ ſint ſummumque cauſent dolorem. Iſtiuſmodi ergo *dentes* ſpirituales, prudentia tua, tuaq; diſcretio, ſunt *ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderũt de lauacro*; cum eximio inſignitæ ſint candore; tum ob puriſsimam, quam adiunctam habent ouium ſimplicitatem: tum ob præſtantiſsimam ſubiectionem, qua ſingularitatem omnem deuitantes, in gregibus ſapientum, à paſtoribus, atque Prælatis deduci ſe ſinunt: tum ob expoliationem ab omni paſsione: tum denique ob iugem memoriam, iugeque ſtudium conſeruandi candorem illum, quo dealbata fuiſti, quãdo aſcendiſti de lauacro baptiſmatis. In hiſce etiam dentibus æqualitas magna aduertitur ex æqualitate deliberationum,

quæ

quæ quasi fœtus quidam illarum sunt: cum enim singulæ id deliberare studeant, quod conforme sit duobus præceptis charitatis, *Omnes gemellis fœtibus* dici queunt: Cumque nulla illarum irrita sit, nihilque inane in illis conspiciatur, eis profecto ouibus similes sunt, *inter quas nulla est sterilis*, cis & dētibus, inter quos nihil est vacui.

Vers. II. cap. IV. *Dentes tui, sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro: Omnes gemellis fœtibus: Et sterilis non est inter eas.*

Expositio IV.

De tertia Sponsa, quæ est B. V. Maria.

11 *Mariæ dentes spirituales vis ruminatiua, contemplatiua, & meditationes ipsæ.*

QVid per dentes B. Mariæ intelligēdum hoc loco sit, haud difficile forsitan est definire: At quanta in tam breui isto dentium encomio lateant mysteria, difficillimum profecto arbitror promere. Sub dentium metaphora vim illam commendari crediderim, qua Gloriosissima Virgo attentius considerabat, meditabatur, & ruminabat sacræ Scripturæ verba, quæ Christi aduentum prænuntiarent, & Angeli Gabrielis nuntium, quo de eiusdem Christi instructa est Incarnatione. Ruminatio quippe dētibus fit, quibus cibus è ventriculo ad os reportatus subtilius discinditur, atque conteritur: eam autem vim ruminatiuam commendatam crediderim, qua diuina verba è ventriculo memoriæ in os intellectus reducta subtilius discutiebat Virgo benedicta. Commendatur vero ex triplici capite, ex candore, puritateue eximia, ex æqualitate singularum ruminationum illarum adinuicem; ac demum ex arcta earundem ruminationum cōiūctione, præclaris adhibitis metaphoris, quarum tūc congruum percipiemus sensum, cum latentia in ipsis mysteria eruere tentauerimus.

Mariæ meditationes, & ruminationes perfectiuæ, non consumptiuæ, sicut ruminationes hominum.

Notandum ergo primum, alia ratione dentes appellari meditationes, & ruminationes B. Mariæ, ac meditationes, ac ruminationes hominum in communi. Enimuero quamquam & singulorum hominum meditationes, ac ruminationes dentium metaphora exprimi queant; ob id tamen dentes eæ nuncupantur, quod dentibus in eo sunt similes, quia consumunt, & destruunt, malumque inferunt, iuxta illud Domini: a *Sensus & cogitatio hominis in malū prona sunt ab adolescentia sua*: quod & Dauid cōtestatus est, cum diceret: *Iniquitatē meditatus est in cubili suo, adstitit omni vitæ nō bonæ, malitiam autē non odiuit.* Et: b *Dentes eorū arma, & sagittæ.* At ruminationes B. Mariæ dentes eam ob causam dicuntur, quod mandendo perficiunt id, quod perpendunt, & mandūt: tantumque abest, vt consumptionē quoquo pacto operentur, vt scindendo, atque mandendo fœtus potius quosdam cōcipiant, ac pariant, vt iamiam explicabo: Hinc est enim, quod sponsus & sub metaphora dentium, encomium illarum aggressus est, & exinde easdem celebrare studuit, quod cum dentes essent, similes nihilominus erant ouibus, quæ fœtus haberent, dicens: *Dentes tui sicut greges tonsarum; omnes gemellis fœtibus; & sterilis non est inter eas.*

a Ps. 35. 5.

b Ps. 56. 5.

Ruminationes Mariæ similes ouibus gemellos habentibus, cum ruminationes aliorum Sanctorum similes sint lacti.

Notandum secundo, per eamdem ouium similitudinem & alterum quoque designari discrimen ruminationum B. Virginis à ruminationibus etiam Sanctorum quorumcumque. Siquidem sanctorum ruminationes, cum purissimæ pariter sint, atque dulcissimæ, lacti comparantur dulcissimo simul ac candidissimo: sic quippe de dentibus Iuda, qui confessionem sonat, sanctorumque omnium Deo confitentium personam gerebat, dicitur: c *Dentes eius lacte candidiores*: lac sunt, quod ruminantes ipsos dulcedine reficiat: nam, dum sancti aliquid boni intra se ruminant, ab ipsis ruminationibus suis maxima intrinsecus perfunduntur suauitate: quæ tamen suauitas, dum intrinsecus eæ ruminationes fiunt, ad alios minime deriuare solet. At vero dentes B. Mariæ haud lacti assimilantur, sed ouibus, quę fœtus habeant, vtpote à quibus lac ipsum fiat, & quibus illud fugere, aut emungere liceat vnicuique. Ecquid enim dulcius, quam ea mente perscrutari, quæ Gloriosissima Virgo ruminabat, cum, vel propheticas meditaretur pollicitationes de æterno Dei Patris Verbo incarnando; vel cogitaret de Angeli salutatione, ac nuntio? Dentes plane simul, & vbera eæ extitere ruminationes, è quibus nos paruuli fugeremus lac suauitatis: quin & oues eædem fuere, quæ fœtibus ipsis suis lac præstitere dulcedinis, diuinitati nimirum, atque humanitati Christi, quas mente concipiebat, & in mente semper habebat in ipsis ruminationibus suis, quasi duos gemellos fœtus.

c Gen. 49. 12.

12 *Mariæ duo fœtus gemelli, duo conceptus, diuinitatis, & humanitatis Christi, quos semper habebat in mente.*

Neque vero id aliquem turbet, quod dicitur, Maria mente concepisse, & in mente habuisse quasi duos gemellos, diuinitatem, & humanitatem Christi. Hoc namque certum est, Mariam consciam fuisse mysterij Incarnationis quoad substantiam illius, nempe Verbum, ac secundam personam Trinitatis incarnandam, diuinamque naturam cum natura humana per vnionem hypostaticam esse vniendam: Ita autem huius mysterij conscia fuit ab initio, quamuis ignorarit, se matrem Dei futuram, vt quandocunque aliquod ruminare aggrederetur vaticinium, de Christo pertractans, ambarum istarum naturarum fœtus conciperet in mente, iuxta illud Augustini: Prius concepit mente, quam ventre, nusquam eas separans: siue enim vaticinium de Christo vt homine ageret: siue de eodem vt Deo, semper vtriusque illius naturæ cōceptus habebat in mente: qui duo conceptus, duo mentis fœtus dici poterant; quia vt duæ res distinctæ concipiebātur, quamuis distincta supposita eę habituræ minime essent. Et præclare quidem huiusmodi fœtus ruminationum, & meditationum Mariæ gemelli dicti sunt ad ostendendam æqualitatem & dentium, & ruminationum Sanctissimæ Virginis, & ipsorū pariter fœtuum: gemelli siquidem fœtus diuinitas, atque humanitas Christi, etsi diuinitas sit æterna, & humanitas in tempore genita; quia in mente Virginis ruminantis duo illarum naturarum formabantur conceptus simul, prout vno eodemque temporis momento in instanti conceptionis simul ambæ in vno vniendæ erant suppositō: in quo certe supposito, instar duorū gemellorum æqualium, æquales & eæ naturæ, & illarum reddebantur conceptus, quæ alioquin in infinitum distabant inter se: æquales, inquam, quoad communicationem idiomatū; ita vt conceptus Christi vt hominis æqualis alteri esset conceptui Christi vt Dei, quatenus æqualiter vnus alterum denominaret.

Augustin.

Porro recte dictum est: *Omnes gemellis fœtibus*; vt & æqualitas ipsarum ruminationum Mariæ innotesceret; quippe æquè æqualiter omnes, & singulæ hos gemellos fœtus & concipiebant, & secum semper habebant, vt dictum est.

Prophetias de Passione Christi quā diuersimode ruminauerit Maria ab eo modo, quo eadem ruminant homines mundi.

Notandum tertio, congruenter admodum, cum in commendatione ruminationum, & considerationum B. Mariæ fœtuum fiat mētio, cumque ob eximium earumdem candoris insigne ouibus ijs illæ assimilētur, quæ omnes gemellis sunt fœtibus, eam prædictarum ouium adijci conditionem, quod ascenderint de lauacro: per hanc quippe conditionem non solum probatur puritas, & candor ipsarum ruminationum; sed & candor quoque indicatur fœtuum diuinitatis, atque humanitatis Christi, prout in mente Virginis ruminantis conciperentur. Quia enim pleraque in Prophetis reperiūtur vaticinia de Christi passione, de cruce, ac morte tractantia, quę dum ruminantur ab infidelibus, efficiunt, vt maculosi ab illis fœtus concipiantur in mente, quatenus verbum Crucis scandalum illis est, aut stultitia: non secus ac euenisse comperimus d ouibus ijs Laban, quæ è canalibus, & lauacris ascendentes maculosos cōcipiebāt fœtus, intuentes virgas decorticatas. Ruminationes B. Marię haud istiusmodi

d Gen. 30. 38.

ouibus

ouibus ſimiles dicuntur; ſed ouibus, quæ cãdidiſsimæ aſcenderunt de lauacro, candidiſsimoſue de lauacro aſcendentes concipiunt fœtus: dum enim aſcendens de lauacro ſanguinis Chriſti, illius crucem, ac paſsionem à longe proſpiceret Virgo Benedicta, ruminans Prophetarum verba, nihil in ſuo vel diuinitatis, vel humanitatis conceptu admittebat maculę, nihil, quod naturæ derogaret diuinæ, ſed naturam humanam ita propter ſcelera miſerijs, paſsionibus, ac morti expoſitam concipiebat; vt tamen eamdem ſceleris omnis expertem intelligeret, naturamque diuinam ita humanitati patienti concipiebat vnitam; vt ſimul aduerteret nullius miſeriæ, nulliuſue paſsionis eã fore participem.

Maria ſemper humanitatis, ac dignitatis Chriſti conceptus habuit in iis omnibus quæ ruminabat.

Notandum denique quarto, egregie per vltima ea verba *(Et ſterilis non eſt inter eas)* ex arcta adinuicem coniunctione commendatas conſiderationes, & ruminationes Beatæ Mariæ; præſertim cum prædicta verba immediare ſubiecta ſint ijs verbis *(Omnes gemellis fœtibus.)* Per hæc quippe ſignificatur, ita in ruminãdis diuinorum eloquiorum ſententijs Sanctam ſe habuiſſe Virginem; vt nihil vnquam ruminaret, in quo gemellos nõ conciperet fœtus eo ſenſu, quo dictum eſt ſecundo notabili; in quo ad diuinitatem, & humanitatem Chriſti mentem ſuam non applicaret: cumque nulla ruminationum eius ſterilis eſſet, qua prædicti non conciperentur gemelli, arctiſsima profecto coniunctione eas omnes, ſingulaſue adinuicem vnitas dicere, neceſſe eſt.

Verſ. II. cap. IV. *Dentes tui, ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro: Omnes gemellis fœtibus: Et ſterilis non eſt inter eas.*

Appendix Expoſitionum, Ex Antiquis Patribus collecta.

13 *Dentes Eccleſiæ Sacerdotes.*

PAraphraſis Chaldaica: Quam pulchri ſunt Sacerdotes, & Leuitæ, qui offerũt oblationes tuas, & cõcedunt carnes ſanctificatas, & decimas, & primitias: & mundi ſunt ab omni violentia & rapina, ſicut erant mundi greges ouium Iacob in tempore, quo tondebantur, & aſcendebant de torrente Iaboc, in quibus non erat violentia, & rapina, & omnes ſimiles erant ad inuicem, & pariebãt gemellos in omni tempore: & ſterilis, & orbata non erat in eis.

Prædicatores, & Doctores ſancti ſunt Eccleſiæ dentes. Greg. Nyſſ. Hieronym. Auguſt. Theodor. Caſsiod. Greg. Pap. Philo Carp. Iuſt. Orgel. Aponius. Anſelm. Greg. Nyſſ.

Communiori Patrum ſenſu ſub dentium Eccleſiaſtici corporis metaphora, ſancti eius commendantur Doctores, & Prædicatores. Ita Gregorius Nyſſenus homil. 7. Hieronym. lib. 2. in cap. 3. Lament. Ierem. Auguſtinus in Pſalmos, tertium, 77. & 64. atque in libro 2. de doctrina Chriſt. cap. 6. Theodoritus, Caſsiodorus, Greg. Papa nedũ in ſuis Cõment. ſed & in lib. 33. Moral. cap. 29. Philo Carpathius, Iuſtus Orgelitanus, Aponius. Beda, atque Anſelmus. Porro communiorem hunc ſenſum ita explicat Nyſſenus. Per dentes inquit ſignificatos Doctores, qui in Eccleſia vſum dentium in comminuendo dogmatum difficultates exercent: Quorum conditiones, inquit, ſignificari primum, vt ſint tonſi, hoc eſt, nudati pondere materiali. Secundo vt lauacro conſcientiæ ſint puri ab omni inquinamento carnis, & Spiritus. Tertio vt ſemper per profectum aſcendant. Quarto vt duplici bonorum conceptione profiteantur generationem in omni genere virtutis, & in nullo genere virtutis, & exercitio ſint ſteriles: gemellos vero, quos parere ij debent, dicit, eſſe animæ impatibilitatem, & vitæ corporalis honeſtatem.

Dentes tui, qui ſint tonſi. Dentes tui, qui ſint puri ab omni inquinamento carnis, & Spiritus. Dentes tui, qui ſemper per profectum aſcendant. Dentes tui, qui duplici bonorum conceptione profiteantur generationem in omni genere virtutis, & in nullo genere virtutis, & exercitio ſint ſteriles. Dentes tui, qui gemellos vero, quos parere ij debent. Dentes tui, qui dicit, eſſe animæ impatibilitatem. Dentes tui, qui & vitæ corporalis honeſtatem.

Theodoriti Doctores Eccleſiæ quam puri & fœcundi.

Theodoritus, Dentes tui, inquit, dici ad Eccleſiam, Doctores ſcilicet tui adeo puri, & ab omni ſuperflua diſputatione, atque iocis, & ſcurrilitate, & mendacio, verborumque obſcœnitate mundi, atque integri ſunt; vt ijs videantur ſimiles, qui recens ſalutari baptiſmate digni ſunt habiti, ſimiles gregibus tonſarum, quæ aſcenderũt de lauacro. Porro greges illi gemellos omnes fœtus edunt, & ſterilis non eſt in eis; ne te illis videar comparare, qui poſt ſalutiferum baptiſma rurſus ad malitiam redeunt; ſed qui datam ſibi gratiam cuſtodiũt, duplicemque, tum cõtemplationis, tum actionis virtutem pariunt.

Greg. Pap. Prædicatores Eccleſiæ quales eſſe debeant.

Gregorius Papa: Dẽtes Eccleſiæ prædicatores illius dicuntur: quia per eos infideles conſumuntur, & paruuli nutriuntur: dum enim ſacram Scripturam exponendo minoribus fratribus dilucidant, quaſi panem paruulis, tanquam matres filijs commaſticant, quo infirmi ad fortia conualeſcant. Hi bene, *ſicut grex tonſarũ, quæ aſcenderunt de lauacro*, eſſe dicuntur: quia dum ſe à peccatis omnibus in baptiſmo ablutos eſſe recordantur, libenter onera mundi deponunt, vt ad cæleſtia conſequenda, & prædicanda, quo liberius, eo facilius gradiantur: Gemellos fœtus omnes habent; quia in duobus præceptis charitatis ceteros homines ſupereminent, geminam dilectionem prædicãt, & in ea duos populos, Iudaicum, & Gentilem gignere non ceſſant; inter quos nullus eſt ſterilis; quia profecto Prędicator dicendus non eſt, ſi ſpirituales filios gignere contẽnit.

Auguſt. Dentes Eccleſiæ ſancti ij, qui prauos & infideles conuertunt.

Quam explicandi rationem tum Gregorius, tum ante ipſum Caſsiodorus deſumpſere ex Auguſtino, qui in citato libro 2. de doctr. Chriſt. Sanctos illos cõmendari hic ait, quorum vita & moribus Chriſti Eccleſia de quibuſlibet ſuperſtitionibus præcidit eos, qui ad ſe veniunt, & imitatione bonorum quodammodo ſibi incorporat; qui boni, fideles, & veri ſerui Dei deponentes onera ſæculi, tanquam grex tonſarum ad ſanctum Baptiſmi lauacrũ venerunt, atque inde adſcendentes conceptione ſancti Spiritus fructum dant geminæ charitatis Dei, & proximi.

14. *Bernard. Religioſi quam apte dentes Eccleſiæ dicantur.*

At Bernardus, Religioſos ac Monachos potius per Eccleſiæ dentes intelligens ſingulariter Serm. 63. ex paruis, ſingulas corporalium dentium conditiones illis adaptat, dicẽs: Huiuſmodi dentes ego arbitror homines monaſticæ profeſsionis, qui, viam compendioſiorem, & ſecuriorem vitam eligentes, de toto Eccleſiæ corpore, quod candidum eſt, candidiores eſſe videntur. Quid enim illis cãdidius, qui totius immunditias ſpurcitiæ euitantes, cogitationum, ſicut actionum peccata deplorant? Quid fortius illis, quibus tribulatio pro ſolatio, contumelia pro gloria, inopia pro abundantia ducitur? Iſti carnem non habent, quia in carne carnem obliti audiunt ab Apoſtolo: a *Vos autẽ in carne non eſtis, ſed in ſpiritu:* Corio carent; quia nitorem, & diſtenſionem mundanarum ſollicitudinum habentes in pace in idipſum dormiunt, & requieſcunt; nihil morari infra ſe patiuntur: quia nec modicum quidem offendiculum tolerabile reputant, aut intra ſe, aut in conſcientijs ſingulorum: non eſt dolor, ſicut dolor eorum, quia nihil tam horrendum eſt, & horribile, ſicut murmur, & diſſenſio in cõgregatione. Clauſi ſunt labijs, ne videantur, ſicut & nos materialibus vallis circucingimur, ne ſæcularium oculis, & acceſſui pateamus. Indecens eſt, ſi appareant, niſi interdum forte ad riſum: quia nihil turpius, quam monachus per caſtella, & per vrbes diſcurrens, niſi cũ illa cogit, quæ operit multitudinem peccatorum: Charitas enim riſus eſt, quia hilaris eſt, læta quidem, non tamen diſſoluta. Toti corpori maſticant cibum dentes: quia ipſi pro toto Eccleſiæ corpore, videlicet tã viuis, quam mortuis orare ſunt conſtituti: Nullum inde ſaporem habere debent, nullam ſibi gloriam aſsignare; ſed dicere cum Propheta: b *Nõ nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam:* Non facile cõſumuntur: quia quanto annoſiores ſunt, tanto feruentiores, & eo rapidius currũt, quo vicinius appropinquant ad palmam. Per ordinem poſiti ſunt: vbi enim aliquid ordinatum eſt, ſi hic non eſt? vbi cibus, vbi potus, vigilare, & dormire, laborare, & quieſcere, ambulare, & ſedere, & cetera omnia in numero, & menſura, & pondere conſtituũtur? Superiores, & inferiores ſunt, quia inter nos Prælati, & ſubditi ſunt, & ſic ſuperiores inferioribus iungũtur, vt inferiores à ſuperioribus non diſcordent:

a Rom. 8. 9.

b Pſ. 113. 9.

cum

,, cum autem inferiores moueantur, superiores nun- A
,, quam moueri debent; quia etsi subditi quandoque
,, turbentur, Prælatorum est in mente composita per-
,, durare. *Sicut grex tonsarum*, inquit. Quam bene mona-
,, chi tonsis ouibus comparantur; quia re vera tonsi
,, sunt, quibus nec corda, nec corpora, nec aliquid mū-
,, danum in proprietate relictum est. *Quæ ascenderunt de*
,, *lauacro*: lauacrum Baptismus est, de quo ascendit, qui
,, ad celsitudinem vitæ perfectioris intendit: descendit
,, autem, qui se vitæ mancipat inhonestæ. *Omnes gemellis*
,, *fœtibus*; quia & verbo pariunt, & exemplo. *Et sterilis non*
,, *est in eis*; quia nullus est infœcundus.

15 Qui vero de spiritalibus piæ animæ dentibus hæc
exponunt, hos dentes vel exactā diuinæ doctrinæ, & B
diuinorum eloquiorum discussionem: vel discretio-
nem spirituum esse, inquiunt. Hoc secundum asserit
Richard. Richardus de Sancto Victore, qui super hunc locum,
Discretio Cognoscenda est, inquit, discretio spirituum: dum
spirituum est enim omnia deuota anima dijudicat, & discutit, quasi
dentatura quibusdam dentibus discretionis ea conterit, & com-
animæ sanctæ. minuit. Hi sunt dentes sponsæ, qui assimilantur gregi-
bus tonsarum ouium: detonsiones sunt innocuæ co-
gitationes, exteriora abscindentes, scilicet amorem
terrenorum, & desiderium habendi prudentiam sæ-
culi. Porro, dum discretio post innocentiam, & mun-
danorum abiectionem, atque propriæ voluntatis
C mortificationem per compunctionis gratiam mun-
datur, atque ad spiritualium intelligentiam, & discus-
sionem eruditur, de lauacro ascendere merito perhi-
betur. Eo vero modo eadē discretio gemellos fœtus,
& geminum fructum facere dicitur, dum tam aduerso
statu, quam prospero bene vti nouit, & ex vtroque
proficit: & item dum & malum cauet indiscretionis,
& bonum prudenter agit: Si aliquis enim bene intendat, & minus prudēter agat, offendit, iuxta illud. Si re-
cte offeras, & recte non diuidas, peccasti. Facit item
geminum fructum, dum & intus cogitationes regit, &
foris opus prudenter disponit: facit etiam hunc in
alijs, quos tam admonitione prudentiæ emēdat, quam D
recte operando exemplo: sic nihil in ea sterile est re-
perire.

Greg. Nyss. Dentes animæ piæ prius quam labia eiusdem commendātur, quia ordo disciplinæ est, vt doceamur prius, postmodum vero loquamur.

Discussionem autem accipit Greg. Nyssenus hom.
7. qui, proponens dubitationem; quare commenda-
tioni labiorum præponatur commendatio dentium,
post allatam litteralem solutionem istiusmodi. Quia in
demonstratione pulchritudinis elegantioris, etiam
oris, risus per dentium descriptionem tacite indice-
tur: mysticam congruentiorem hanc affert; quia ordo
in disciplinis optimus est, vt primum quis doceatur,
deinde idem ipse loquatur. Videtur autem Nyssenus
per dentes animæ illam accipere vim, qua homo sin-
gula examinādo fit doctus: sic enim ait: Vt corporeum E
alimentum dentibus comminuendo paramus, ita vt
visceribus nostris idoneum fiat: eodem modo facul-
tas quædā est in animo, quæ doctrinas comminuit, &
per quam vtilis illis fit doctrina, qui eam recipit.

Ambros. Dentes animæ exacta discussio diuinorum eloquiorum.

Fusius autem sensum istum prosequitur Ambro-
sius, quippe qui Serm. 16. in Psal. 118. vers. 3. par est,
inquit, vt diuidas primum, si solida tibi videtur esca,
quę sumitur, & distinguens eam, atque emollitam sine
noxa aliqua animæ in omnia eius membra naturali
diuisione transfundas, vt vitalem succum omne eius
corpus epuletur. Hi dentes super lac candidiores, quia
dentes iustorum sunt, de lauacro amaritudinis, morti-
ficationis, & passionis Christi purificati, atque adeo,
cū *omnes in Moyse baptizati in nube, & in mari Patres nostri*
fuerint, non otiose tamen scriptum est (inquit Am-
c 1. Cor. 10 brosius) c *quia omnes eandem escam spiritalem manducauerunt, & omnes eundem potū spiritalem biberunt*: vt istis san-
ctorum dētibus maior quidam fulgor accederet, quos
post transitum maris rubri, myrrhei fontis amaritudi-
ne per ligni gratiam tēperata, agnoscimus esse mun-
datos: & paulo post: Vnde & manna manducauerunt,
vt abluti manducarent panem, vt scriptum est, Ange-
lorum; Nunc quoque in Euangelij mysterijs recogno-
scis, quia baptizatos licet toto corpore, postea tamen
esca spiritali, potuque mundari. Quod omnes gemellis
fœtibus prędicti dētes dicuntur, sic exponit: Bene ge-
minos creant, quia congeminant sensus suos: Vnde
habes in Prouerbijs scriptum: d *Et tu scribe hæc tibi tripli-* d Prou. 22.
citer in consilio & cognitione: triplicem præmisit scrptio- 20. *secundum Septuag*
nem, & duo subdidit, consilium & cognitionem: Sed
cognitio gemina est, vna incorporalium, alia corpora-
lium: Nomine tonsarum non oues, sed capras deton-
sas accipit & hoc loco Psalmi 118. & lib. de initiand.
myst. cap. 7.

Referri possunt & ad hunc sensum, quæ dicuntur à *Tres Patres. Meditationes piæ animæ quales sint.*
Catena Trium Patrum, in hunc modum hæc expo-
nente: Meditationes tuæ, quibus, tanquam dentibus
quibusdam, corporea legis tum scriptæ, tum naturalis
crassitudo in veros sensus extenuatur, & ad esum spi-
ritalem idonea redditur, caparum tonsarum instar,
falsis omnibus opinionibus amputatis, reiectisque,
circa veritatem solam immorantur; & quasi lauacro
purgatæ à terrenis istis, atque carnalibus sublimes ad
spiritalia, atque cælestia conscenderūt, omnesque per
supradictas leges geminos virtutum fœtus tum dictis,
tum factis edunt, & sterilis, atque inutilis cogitatio nō
est in eis.

Vers. III. cap. IV. *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.*

Expositio I.

Iuxta sonum litteræ.

SI ex rubore dumtaxat sponsæ labia commendare
hoc loco voluisset sponsus, vt quidā arbitrati sunt, X
aptissima certe similitudine ea extulisset, assimilans il-
la cocco, aut purpuræ; quemadmodum factum ab ipso
videre est infra in cap. septimo, vbi comas eiusdem
sponsæ è magnorem rubore laudibus celebrans, ipsi-
met purpuræ illas adæquat, & purpurę, quæ colorata
maxime sit, dicens: a *Comæ capitis tui sicut purpura Regis*: a Cant. 7. 5
coccinea ea dicere potuisset, aut purpurea, sicut ob
istud ipsum ruboris encomium exprimendum, coral-
lina aut rosea perpulchra labia insignes appellant
Poetæ: At vero, cum non coccinea labia dixerit, nec
sicut coccum, sed, *Sicut vitta*: vel iuxta Originalia He-
bræa, & Sept. *Sicut funiculus*, illa prountiet, aliud quid-
piam præter ruborem in eis laudare censendus est.

Hebræorum complures existimant, per hanc simi-
litudinem sponsæ labia commendata ex eo, quod pul-
chra sint in promittendo, & in seruandis promissis:
sponsamque ipsam laudari ex fidelitate verborum
suorum, vt alludatur b ad *funiculum coccineum* (eadem b Iosue 2.
enim est dictio hic, & in libro Iosue) in fenestra ap- 18.
pensum, ob cuius conspectum exploratores Iericho,
populusue Israel Rahab meretricis domum illæsam
seruarunt ob datam fidem. Verum expositio ista, &
istiusmodi labiorum acceptio metaphorica potius est,
quam litteralis.

Germanus litteræ sensus est; vt labia ipsa commen- *Labiorum sponsæ laus triplex.*
dentur, quibus ij operiuntur, qui mox laudati sunt
dentes: Commendantur autem ex triplici capite.
Enimuero ad labiorum pulchritudinem duo in pri-
mis requiruntur; apta secundum figuram dispositio,
& color debitus. Apta illorum dispositio est, vt non
F sint distorta, aut prominentia, & quasi ab inuicem di-
uisa cum hiatu intermedio, per quem dentes promi-
neant: color maxime congruus, rubor est. turpia enim
illa quis statim appellat, si nigra sint, aut liuida, vel alio
præter ruborem colorata colore. Primam conditio-
nem optime exprimit allata vittæ similitudo: per hāc
quippe significatur, ita illa esse dispositа, vt conclu-
sa, & constricta adinuicem, quasi in modum vittæ cō-
strictæ per transuersum appareant, absque distorsione
recta, & absque vlla prominentia æqualiter lenia. Se-
cunda coloris conditio per id explicatur congruentis-
sime, quod non cuilibet vittæ similia dicuntur, at vittę
coccineæ. Sed, & ex tertio capite multo magis eadem
commendari,

commendari, indicant Originalia Hebræa, & Græca, cum filo, aut funiculo coccineo illa referant comparata: funiculi enim, fili, atque etiam vittæ proprium eſt, vt conſtringât, ligentque arctius: atque adeo cum rebus hiſce ſimilia dicuntur labia ſponſæ, innuitur manifeſte, adeo illa eſſe pulchra, eamque illorum vim eſſe, vt intuentes quoſque conſtringant, ac ligent. A

Quamquam ipſa fili, aut funiculi coccinei ſimilitudo aliud inſuper mihi ſuggerat; nimirum, vt non modo prædicta per eam deſignetur vis pulchrorum labiorum; ſed per eandem exprimatur, qua ratione in ipſis tam ingens exiſtat vis, quia apte, & congruenter concluſa ſeruentur: ſiquidem quæ congruenter concluſa ſeruantur, labia perpulchra in medio vbi conſtringuntur, filum, ſeu funiculum coccineum ductũ per tranſuerſum repræſentant. Duplicem itaque laudem in duabus partibus huius ſententiæ in ipſa ſponſæ labia conferri, crediderim; & quod pulcherrima ſint, cum concluſa conſpiciuntur in ſilentio: & quod gratioſiſsima item appareant, cum ad loquendum aperiuntur. Enimuero quod in ſecunda parte dicitur; *Et eloquium tuum dulce*; haud ſermonis dumtaxat dulcedinem ſignificat, quem labia exprimunt: ſed etiam ipſius loquelæ, ac pronuntiationis venuſtatem, ac gratiam, quæ in ipſorum labiorum, oriſue habitu in primis ſita eſt: quod ex Originalibus aperte colligitur: nam Hebraicam dictionem ומדברך vmidbarech, quam noſter Interpres vertit; *Et eloquium tuum*, Sept. in prædicto ſignificatu vertere: καὶ ἡ λαλιά σου, & *loquela tua*: & adiectiuum item נאוה naueh, quod noſter, *dulce*, reddidit, verterunt, ὡραία, *ſpecioſa, decora, ac gratioſa*. B C

Quæ cum ita ſint, duplicem breuiter iſtorum verborum afferre poſſumus ſenſum, vtrumque litteræ congruentiſsimum, quatenus labia proprie ſumuntur pro corporeo membro. Primum, vt in tam breui ſententia duplex contineatur encomium, labiorum ſcilicet alterum, & alterum ſermonis vnius eiuſdemque ſponſæ: ac ſi dicatur. Primus ſenſus. D

Paraphraſis. Sicut, & oculis, & capillis, atque etiam dentibus es maxime decora, dilecta mea: ita pariter & labijs: ſiquidem *labia* ipſa *tua* omnimoda illa honeſtata ſunt pulchritudine, atque decore, quo pulcherrima quæque decorata ſunt labia; ſunt *ſicut vitta coccinea*, & rubro videlicet colore coccum referentia, & vittæ per tranſuerſum conſtrictæ ſimilia, æqualiter turgidula, recta, ſibique inuicem abſque vllo hiatu compacta; ita vt ob tam aptam ſui diſpoſitionem, proportionatiſsimumue colorem intuentes quoſlibet arctiſsimis amoris nexibus conſtringant, non minus quam vitta capillos conſtringit; non minus quam funiculus diffluentia alligat quæque. Quin & eloquia, quæ tuis hiſce proferuntur labijs, dulciſsima ſunt; atque adeo mirum in modum audientes quoſlibet ſermo ipſe tuus ſua oblectat gratia. E

Secundus ſenſus. Alterum, vt vnum dumtaxat ſit in præſenti ſententia encomium oris eiuſdem ſponſæ, ſiue cum ſilentio concluſum ſeruatur, ſiue cum ad loquendum aperitur: ac ſi dicatur.

Paraphraſis. Si dentibus perpulchra redderis, qui quantumlibet pulchri ſint, iuxta tamen oſtium oris concluduntur: Multo certe pulchrior tuo ipſo es ore, ſiue enim taceas, ſiue loquaris, adeo venuſte illud ſeſe habet, vt gratia ipſa ſua ſingulos quoſque demulceat, trahatue atque conſtringat. Enimuero quando ſilentium ſeruas, roſea ita conſtricta detines labia, vt in medio, vbi ſibi inuicem inhærẽt, filum, funiculumue coccineum repræſentent: Quando vero eadem aperis, vt loquaris, adeo concinne id efficis; vt & loquela, qua emiſſa pronũtias verba, gratiam deferat inſignem, & ipſummet, quod ijſdem profers, *eloquium* ſit maxime *dulce*; oblectaſque ſimul & intuentes & audientes. F

Verſ. III. cap. IV. *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.*

Expositio II.

De prima Sponſa, quæ eſt Eccleſia Sancta.

POſt impreſſum Eccleſiæ ſanctæ oſculum Dei tam decorum, Prædicatores, & eiuſdem Eccleſiæ labia tam ardentem ruborem contraxerunt, vt propterea ab ipſomet, qui eis oſculum impreſsit, hoc encomio celebrata ſint: *Sicut vitta coccinea labia tua*. Quemadmodum enim ex puriſsimo ſanguine intrinſecus exiſtente, cui & vis ignea eſt, puriſsimus in carneis labijs cauſatur rubor, nedum internus, ſed & externus, & ex impuro ſanguine liuor potius eiſdem efficitur: Ita & ex puro charitatis igne, quo intrinſecus ab oſculo illo Dei ſuccenſa ſunt, puriſſimus, maximeque decorus rubor, etiam extrinſecus in labijs hiſce ſpiritualibus, & Prædicatoribus exhibetur. Hæcque prima eſt illorum conditio, qua per hoc commẽdantur encomium, quod charitate intrinſecus primo ſint ſuccenſi: quodue eandem charitatem deinde etiam extrinſecus exhibeant, non ſolum in eo, quod iugiter prædicent charitatem Dei in homines: verum etiam, quia ad charitatem ſingulos quoſque fidelium promouere ſuis ſtudeant prædicationibus. Quod certe vnicum ipſorum ſtudium ipſa vittæ coccineæ ſimilitudo confirmat: quamuis enim in plurali ſub labiorum metaphora deſignati ij ſint, quia re vera plures in Eccleſia ſunt Prædicatores, qui labiorum in ea exercent munus: vni tamen vittæ coccineæ ij omnes comparãtur: tum quia vnum ſunt per charitatem, qua ſe inuicẽ proſequuntur: tum quia huic vni potiſſimum indulgent, vt charitatem in audientium excitent cordibus. 2 Simile. Prædicatores Eccleſiæ vnã tantum vittã coccineã ſunt, quia vnum ſunt per charitatem, & vnã in primis prædicant charitatem.

Ecqua vero aptiori, quam iſta ipſa vittæ coccineæ ſimilitudine ſecundam ſanctorum Prædicatorum cõditionem exprimeret quis? vittæ etenim proprius is eſt vſus, vt per eam diffluentia quæque conſtringantur: hocque ipſum propriiſsimum eſt ſanctorum Prædicatorum munus; vt & diſperſos quoſque ſimul colligant, & quotquot ad fluxa iſta, & terrena defluunt, arctius conſtringant: fideles illos, quos aliquando diſiunctos ab inuicem repererint, vitta coccinea connectunt, cum in eorum animis charitatem imprimunt, *a* quæ, iuxta Apoſtoli dictũ, *vinculũ eſt perfectionis*: quos vero delabentes conſpexerint, ac defluentes ad illecebras huius ſæculi, vitta item coccinea conſtringunt prædicationibus ſuis, quatenus ea ſemper illis prædicant, quæ Chriſtus pro ipſis eſt paſſus, vtà vanis hiſce eos abſtraheret voluptatibus, Paulum Apoſtolum *b* imitantes, cuius conciones in hoc vnum collimatæ erant, vt Chriſtum Crucifixum proponerent, Chriſti ſanguine rubra, atque coccinea ſua exhibentes ora. Prædicatores Eccleſiæ quãmodo conſtringant fideles. a Coloſ. 3. 14. b 1. Cor. 1. 23.

Sed & tertia quoque eorundem Prædicatorum per hanc vittæ ſimilitudinem exprimitur conditio, probitatis ſcilicet, ac ſanctitatis. Enimuero conſtantiſsime apud omnes pro certo habetur, probitatem ita Concionatori cuilibet eſſe neceſſariam; vt qui hac deſtitutus ſit, quantalibet excellat doctrina, indignationem tamen Domini commoueat in ſeſe, cum prædicandi ſibi arrogat munus; ſic quippe Deus in illum commotus, eũ alloquitur: c *Quare tu enarras inſtitias meas, & aſſumis teſtamentũ meum per os tuum? Tuvero odiſti diſciplinã, & proteciſti ſermones meos retrorſum: Si videbas furem*, &c. *Exiſtimaſti inique, quod ero tui ſimilis. Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam*. Porro probitas Prædicatorũ, qualis eſſe debeat, ipſa deſignat vittæ ſimilitudo, prout in labiorum commendationem hoc loco ponitur: vitta enim hic proponitur demiſſa, & plana, vt tumorem, & prominentiam à labijs excludens; vitta recte extenſa abſque vlla diſtorſione: iſtaque duo ſunt, quæ in primis Prædicatoribus Eccleſiæ probitas maxime neceſſaria, quæ ſita eſt in humilitate præcipue, & rectitudine. c Pſ. 49. 16.

primis probum quemlibet reddunt Prædicatorem, humilitas, ac rectitudo: Nam haud satest, vt coccineus sit charitate, sed & humiliter se habere in ipsis suis debet concionibus, & cauere, ne quid tumoris, & elationis in sua præseferat conuersatione: quod potissimum à Christo prædicatorum omnium magistro exhibitum nouimus, & à singulis requiri, iis præsertim, qui alios docere tentarint. Rectitudo vero, quæ in iisdem requiritur, duplex est: Altera, qua rectam viuendi rationem sequantur: Altera, qua rectam fidei normam profiteantur: ista, quæ ad doctrinam spectat, illa, quæ ad studium attinet virtutum omnium. Ambo siquidem hæc necessaria sunt, vt constringendi instar vittæ exhibeant munus: cum neque vitæ probitas sine recta doctrina, neque doctrina secundum rectam fidei normam sine vitæ rectitudine sufficientes ad id per se sint.

Rectitudo duplex necessaria est prædicatoribus.

Atque adeo congruentissima ratione, dum eorum contexitur encomium, sub labiorum potius, quam sub linguæ, aut gutturis metaphora exprimuntur; nam quamuis lingua, & guttur magis, quam labia ad locutionem promendam inseruiant; & ideo proprius fortasse adhibenda viderentur, ad significandam vel Ecclesiæ loquelam, vel eos, qui in Ecclesia loquendi munus exercent, prout sæpius in sacris litteris factum videmus; Tamen quia nec lingua, nec guttur extrinsecus apparent, ita vt haudquaquam conspici queant, qua ratione moueantur, quove pacto se habeant, dum locutioni nauant operam; sed labia duntaxat sunt, quorum & speciei pulchritudo, & decorus motus, quem in loquendo seruant, aspicitur: Ideo labia potius Prædicatores dicti sunt, qui & rectitudine fidei, & rectitudine vitæ audientium reficiunt visum, & auditum.

Prædicatores cur labia potius quam lingua, aut guttur Ecclesiæ dicti sint.

Post commendationem sanctorum Ecclesiæ Prædicatorum, qui labiorum vicem in illa obtinentes, decorem eximium ex osculo desumpsere diuino, ordine sane congruentissimo ad illorum encomium addit cælestis sponsus & laudes eloquij eiusdem Ecclesiæ, quod scilicet per dicta profert labia, subiiciens: *Et eloquium tuum dulce.* Hoc siquidem eloquium Christi sponsa ex diuino pariter osculo desumpsit, idemque ipsum illud est, ac eloquium Dei. Enimuero quando per Spiritus sancti exhibitionem Ecclesiæ, eiusve labiis, ac concionatoribus sacrosanctum à Deo imprimitur osculum, simul cum ipso osculo, quod certe diuinum est, etiam diuinum confertur eloquium, iuxta illud: *d Paraclitus Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Et illud: *e Dabitur vobis in illa hora quid loquamini.* Habentque se Prædicatores sancti, qui & labia sunt, & fauces ipsius Ecclesiæ, instar tubarum illarum, quæ vna cum flatu, ac spiritu & vocum signa ab insuffiantis ore quodammodo accipiũt, quæ postmodum ea ratione qua possunt, sonitu insinuant auribus audientium. Atque adeo tubas Euangelij illos nuncupare solemus; quoniam eos pro suis tubis assumpsisse, nouimus, Dominum sic ipsos alloquentem: *f Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.* & *g In gutture tuo sit tuba.* Hinc est, quod de ipso eloquio, quod per Prædicatores profert, & de quo sponsus ait: *Eloquium tuum dulce*: ipsamet multo efficacius, multoque prius dixerat in Psalm. *a Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!* Dulcedinem enim haudquaquam ex ipsis accipiunt labiis, quę ea proferunt, sed ex Deo, qui osculum imprimit labiis, spiritumque simul insufflat in fauces, per quas vocis ipsius sonus emittitur.

Eloquium Ecclesiæ, & prædicatorũ eius ipsum eloquium Dei est.

d Io. 14. 16

c Mat 10. 19.

Prædicatores sancti instar tubarũ se habent, & ideo tubæ Euangelij dicuntur. Simile.

f Isa. 58. 1.

g Osea 8. 1

Eloquium Ecclesiæ vnde habeat dulcedinem.

a Psal. 118. 103.

Notandum est autem, istam dulcedinis laudẽ, quæ hoc loco tribuitur eloquio Ecclesiæ, non in eo sensu sumi, quo dulces dicimus eloquentissimorum Rhetorum orationes, quæ vanis humanæ sapientiæ flosculis aures demulcent, quove musicam cantionem dulcem nuncupamus, quæ prædulci cantus suauitate audientium item oblectat aures: hæc quippe dulcedo abominationi potius est Sanctis Prædicatoribus, tantum abest, vt per illam laus aliqua in Ecclesiæ eloquium conferatur. Habent propriam dulcedinem diuina eloquia, eaque peculiaris, ac propriissima laus est: quam dulcedinem non obscure indicat Apostolus, primam illam excludens in Epistola prima ad Cor. dicens: *b Sermo eius*, scilicet Iesu Christi, *& prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis: sed in ostensione spiritus, & virtutis.* In ostensione Spiritus, & virtutis exhibetur ista dulcedo in susceptione Spiritus S. qui vna cum eloquiis diuinis audientium corda pertingit: & in sensu virtutis eiusdem Spiritus dulcedo ista percipitur, non in auribus quidem corporeis, sed in faucibus spiritualibus, vbi ciborum spiritualium fit gustatio; in cordibus nimirum & loquentiũ, & audientium simul, in quibus affectus commouetur atque reficitur per virtutem spiritus. Cum ergo eloquium Dei, atq; Ecclesiæ ex hoc celebratur, quod dulce sit, nil aliud significatur, quam quod sit affectiuum, id quod proprium illius est: ita tamen affectiuũ, vt prius Prædicatores afficiat, postmodum auditores quoque per Prædicatores: Neque enim affectum mouere quis potest in alio, ni prius eo ipse sit motus: nec dulcedinem impertiri potest eloquij Ecclesiæ, qui dicere Deo nequeat: *c Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!*

do sita in eo, quod affectius mouet.

b 1. Cor. 2. 4.

c Psal. 118. 103. Paraphrasis. Com. Patrum sensus.

Ex his facile iam breuem totius huius sententiæ sensum colligere possumus. Prędicatores, qui in te, dilecta mea, labiorum munus exercent: *labia*, inquam, ista *tua* purificata per osculum è cælis impressum, ruborem *sicut vitta coccinea* tum internæ, tum etiam externæ præseferunt charitatis: eodemve charitatis rubore fidelium animos instar vittæ colligare nituntur, constringuntque & illos, qui ad vana defluunt, ne dilabantur, charitatem illam eis proponendo, quam ipse in ea exhibui passione. Nec in eis est inuenire tumoris quidpiam, aut prauitatis, atque distorti: At instar coccinneæ vittæ, quæ æqualis absque vlla prominentia sit, & in rectum extensa, humilitate demissi sunt æqualiter in omnibus: excelluntque rectitudine vitæ pariter, & doctrinæ. Hinc est, quod *eloquium tuum dulce* est, & affectiuum; quoniam per illos prædicatur, qui ex diuino osculo dulcedine reficiuntur Spiritus sancti.

Vers. III. cap. IV. *Sicut vitta coccinnea labia tua, & eloquium tuum dulce.*

Expositio III.

De secunda Sponsa, quæ est Anima Iusti.

QVod piæ animæ labia, quibus Deum alloquitur, haud alia sint, quã preces, quas illi fundit, quodve ipsa orationis virtus sub labiorum metaphora designetur, sicut sub aliorum membrorum metaphora, aliæ item eius designantur virtutes, apertissime contestatur Dominus apud Sophoniam Prophetam, dicens: *a Tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini*: Regius quoque vates hac ipsa metaphora vtitur sæpius, modo siquidem ait: *b Labia mea laudabunt te Domine.* modo: *c Exultabũt labia mea cum cantauero tibi.* Id, quod nobis enitendum superest, illud est, quidnam laudis in ipsam tam sanctæ animæ orationem conferatur in hoc tam breui encomio: *Sicut vitta coccinea labia tua*, siue per hoc labiorum nomen, siue per allatam vittæ coccineæ similitudinem, siue per appellationem eloquij, seu loquelæ, siue denique per dulcedinis attributum, quod eidem datur.

4

Labia piæ animæ illius oratio.

a Sopho. 3. 9

b Ps. 62. 4.

c Ps. 70. 23

Vt autem à primo exordiar: Per labiorum nomen præstantissima in primis insinuatur orationis excellentia, nimirum, quod per eam pia quæque anima eo peruenit, vt cum celsissimo vniatur Domino, desponsationisve admirabilis inter se, atq; cælestẽ sponsum signũ exhibeat, accipiatve in osculo oris Dei. Quẽadmodum enim mediis labiis duorũ animorũ fit vnio, quando duo sese inuicem osculantur amantes: Ita & anima

Oratione anima vnitur Deo, sicut amans vnitur amato per labia, in quibus est osculum.

Similes. anima, media oratione, osculum Dei suscipiés, media quoque eadem vna cum Deo vnitur: atque adeo præclare sic eam definiunt aliqui; vt sit Eleuatio cordis ad Deum, qua medi inte illi appropinquamus, eidemque vnimur. Præter hanc autem primam orationis excellentiam, duæ insuper aliæ per hoc ipsum labiorum nomen indicantur: quod ipsa sit quodammodo ostium, per quod in animam ingrediatur Spiritus sanctus, & vitalis sanctorum affectuum flatus ab intimis præcordiis ad cælum mittatur; labia siquidem carnea ostium esse conspicimus corporeæ respirationis; ita vt, si claudantur, fieri minime valeat respiratio, qua externus attrahitur spiritus, emittiturve internus. Porro, quod oratio potissimum sit medium ingressus Spiritus sancti in animam, exinde colligere licet vnicuique, quod vt plurimum orationis fit mentio, quando in Scriptura sacra narratur aduenisse Spiritus sanctus super aliquos: sic quando venit super Dominum Iesum, super orantem venit, teste B. Luca Euangelista, qui ait: d *Et Iesu baptizato, & orante, apertum est cælum, & descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba in ipsum*: sic quando venit super discipulos in die Pentecostes, e fuisse illos *omnes vnanimiter perseuerantes in oratione*, ex Actibus Apostolorum habemus: sic alibi fere semper. Quin, etsi virtutes omnes, quæ charitate habent adiunctam, diuinam promereri valeant gratiam: peculiarius tamen id ipsi competit orationi, quæ illam à Deo exposcit, testante id Domino nostro, dum ait: a *Si vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis Pater vester cælestis de cælo dabit spiritum bonum petentibus se?* Nec mirum, quoniam oratio instar labiorum sese aperiens, & gratiæ desideria ex intimis emittit, & gratiam de cœlis cum diuino attrahit spiritu, prout hac ipsa metaphora seruata sanctus fatetur Dauid, cum ait: b *Os meum aperui, & attraxi spiritū, quia mandata tua desiderabam.*

Oratio facta in silentio delectat visum Domini, sicut pulchra labia concluſa intuentiū oblectant oculos. Præclare autem Regius iste vates ad relata adiicit illico: *Aspice in me, & miserere mei*: vt tertiam orationis excellentiam designaret: quam aptissime eadem labiorum metaphora significat: quod videlicet diuinum non modo auditum oblectet, sed & visum quoque. Id enim proprium pulchra habent labia, vt etiam cum clausa seruantur, intuentium ad se alliciant oculos, quod & orationi maxime congruit, quæ frequenter absque vllis verbis summum seruat silentium, quasi labia concluſa, prout ille facturus dicitur, de quo in Threnis asseritur: c *Sedebit solitarius, & tacebit, & leuabit se super se*: diuino nimirum sese repræsentans aspectui, multo sane pulchrior, quam si instar apertorum labiorum verba proferret: Quam ob causam de oratione humilium, qui præ humilitate verba proferre non audent, vt de huiusce modi labiis loquens Dauid, inquit: d *Quia respexit* (non ait, quia audiuit Deus) *orationem humilium*: Et Salomon quoque, cū ad decorem istū labia sua, orationemque suam conformare studuisset, postquam templum Domino ædificauit, sic Deum alloquitur: e *Ad hoc tantum facta est domus ista, quam ædificaui, vt respicias orationem serui tui.*

Oratio, quā vim habeat cōstringendi instar vittæ, & funiculi. Dicitur insuper oratio esse, *sicut vitta*: qua similitudine admirabilis illius vis ob oculos ponitur, quæ in eo sita est, quod, instar vittæ, seu funiculi, (vt habent Originales textus, Hebræus, ac Sept.) ligat, atque constringit. Hanc autem constringendi, & alligandi vim in triplici eius effectu animaduertere licet. Primo in eo, quod capillos nostrarum cogitationum constringit, ligatque in capite nostro Christo, ne diffluant ad ima, & vana. Secundo in eo, quod virtutum omnium habitus cum charitate ipsarum capite ligat in nobis. Tertio in eo, quod creata omnia, Deumque ipsum increatum, immensum, & incircunscriptum cum nostra adstringit voluntate.

Oratione quomodo cogitationes cum Christo constringantur, ne defluant. Quoad primum: Instabilitas humanarum cogitationum, & facilitas, qua ad vana quæque eadē fluunt atque ad praua insuper delabuntur, ita vnicuique ipsa est conspicuum experiētia, vt haud multa indigeat demonstratione. Ostendit vero sapiens, vnde id proueniat, quod eæ tam facile defluant ad ima hæc, & vana in libro Sapientiæ, vbi inquit: f *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei*, id est: Ad vana quæque defluant cogitationes, necesse est eorum hominum, in quorum mente non subest scientia, atque cognitio Dei, per assiduum videlicet considerationis, & orationis studium causata. Enimuero studij ipsius id est proprium, vt ad Dei comparationem, vniuersa vana atque inania, quin & ipsammet vanitatem esse conuincat, quantumlibet eximia ea sint, quantumlibet pulchra, speciosa, & magnifica, quantumlibet nobis iucunda sint, vtilia, ac necessaria. Hinc est, quod qui orationi instantes sunt, cum Apostolo Paulo g omnia detrimentum faciunt propter Christum, omniaque arbitrantur, vt stercora, vt Christum lucrifaciant; ita vt cogitationes omnes in illo defixas habeāt. Quin & si quando propter huius vitæ necessitates, propter imminētia pericula, tribulationes, ac persecutiones de terreno aliquo cogitare cogantur, vitta sane orationis, cogitationem illam omnem cum ipso constringunt capite suo Christo, ad ipsum eas reflectentes, & Pauli consilium prosequentes, quo dicit: h *Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite*: hoc est quippe vnū genus continuæ orationis.

Oratione quasi funiculo quodam omnes virtutum habitus colliguntur cum charitate. Quoad secundum: Constat certe apud omnes, adeo necessariū esse virtutibus omnibus, adnexas esse charitati, vt si ab illa disiunctas eas esse contigerit aliquādo, meriti totius expertes reddantur, quantum spectat ad gratiam, & vitam æternam.

Porro orationis studium instar vittæ hoc pacto hāc facit, seruatque connexionem: inflammat primo animam charitate, diuinas ei ob oculos ponēs perfectiones, diuina & beneficia: Cum charitate deinde connectit habitū fidei meditatione admirabilis cōsonantiæ mysteriorum, quæ per ipsam proponūtur credenda: colligatur per eamdem vittam & habitus spei in charitate, dum considerationi obiicit bonitatem, misericordiam, ac prouidentiam Dei, efficaciamque maximam meritorum Christi. Quanam autem re arctius cum charitate colligatur habitus timoris Domini, quam orationis vitta? hæc diuinam iustitiā, diuinaque iudicia reuoluens, id in primis timendum proponit animæ Deum diligenti, ne incidens in manus Dei viuentis, prædulci eius priuetur aspectu. Oratio & peccatorum detestationem constringit cum charitate, illorum grauitatem ponderans, diuinamque maiestatem, bonitatem, ac longanimitatem perpendens. Humilitas quoque, & contemptus sui ipsius vitta orationis cum eadem nectitur charitate, dum per illam cōsiderantur propriæ vniuscuiusque miseriæ, quas nihilominus excelsus Dominus respicere dignatur. Quid dicam de patientia? Oratione sic illam cum charitate pia connectit anima, dum mente sua versat Christi angustias, & passiones; immensumque gloriæ pondus, quod ipsam manet, si patienter toleret aduersa, vt cū Apostolo exclamare possit: i *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an persecutio?* &c. Idipsum & de reliquis omnibus virtutum habitibus dicere licet. Oratione siquidem vniuersi, veluti pulcherrima, atque fortissima vitta in charitate, quæ caput est virtutum omnium, simul cōstringuntur ita, vt propter hanc connexionem charitas ipsa iis omnibus, tāquam perpulchro capillitio exornata dicatur, iuxta illud Pauli: k *Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur*, &c. Non enim admittit actus contrarios habitibus virtutum: quia oratione, & meditatione vt funiculo ligatos fortissime habet illos virtutum habitus.

Oratione quasi funiculo quodam creata omnia constringuntur, trahunturve cum voluntate animæ orātis. Quoad tertium: Vitta, ac funiculus dicitur oratio piæ animæ, quia omnia, quæ vel in terris sunt, vel subter terras, aut in cœlis, vel super cœlos, instar vittæ ligat cum voluntate orantis animæ, & quasi funiculo quodam vniuersa, quocunque moueatur voluntas, cum qua colligata sunt, ea ipsa trahuntur oratione. Pro prodigio magno referunt historici, Q. Claudiam Virginem, ad contestandam illibatam virginitatem suam,

a Luc. 11. 13

b Psa. 118. 131.

c Thren. 3. 28.

d Psal. 101. 18.

e 2. Para. 6. 19.

f Sap. 13. 1.

g Phil. 3. 8.

h 1. Thes. 5. 17.

i Rom. 8. 35.

k 1 Cor. 13. 4.

Vide Aug. lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 16. Liuium 2. de bello Punico, Ouid. lib. 4. fastorum, Suetonium in vita Tiberii cap. 2.

suam, modica zona duntaxat onerariam nauim post se traxisse, quam vix mille hominum dimouere potuissent: multo sane mirabilius dici id debet, quod vitta orationis vniuersi cœlestes orbes ad voluntatem hominis vna cum vniuersa mundiali machina retrotracti sint: quod ab Isaia factum legimus *a* in libro 4. Regum, quando inuocans Dominum, vt signum exhiberet Ezechiæ Regi recuperandæ sanitatis, & vitæ eius prorogandæ ad quindecim annos, reduxit vmbras per lineas decem gradibus, quibus iam Sol in horologio Achaz descenderat: quod (vt à nonnullis sanctorum Patrum aduertitur) fieri neutiquam poterat, nisi per ipsorum orbium cœlestium retrotractionem: Elias quoque Propheta eadem orationis vitta cœlorum nubes ad suam voluntatem alligasse testatus est, dum dixit: *b Viuit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros, & pluuia, nisi iuxta oris mei verba.* Nonne nubes ipsas quasi funiculo traxisse visus est, quando illo in oratione perseuerante, *c* primo apparere cœpit nubecula parua quasi vestigium hominis ascendens de mari, postmodum vero cœlum omne nubibus obtenebratum est, & facta est pluuia ingens? Eliseus *d* nonne exercitus Angelorum primum, tum & hominum pariter eodem funiculo suæ colligauit voluntati, traxitque eos eodem funiculo, vel è cœlis ad terras, vel è ciuitate Dotharim ad Ciuitatem Samariæ? Lege quartum librum Regum, vbi refertur historia missionis exercitus Regis Syriæ ad capiendum Prophetam, ad cuius orationem mõs apparuit plenus equorum, & curruum igneorũ, Syriæque exercitus obcœcatus, ab ipsomet Prophcta ductus est in Samariam. De Leuiathan loquens Dominus ad Iob hæc habet verba: *e An extrahere poteris Leuiathan hamo, & fune ligabis linguam eius?* & paulo post, *f Nunquid illudes ei quasi aui, aut ligabis eum ancillis tuis?* Quasi id innuere volens, quod haud tam fortis reperiri queat funis, vel tam magna catena, quæ validissimũ Leuiathan illum abysi infernalis constringat, atque extrahat: At vero idemmet Dominus postquam ad istum ipsum Leuiathan debellandum, ac vinciendum aduenit, modum nobis exhibuit, quo illum ligare facillime valeremus, & extrahere, atque ei illudere, ostendens, haud grandem aliquem funem, seu præfortem, magnamque catenam ad hoc opus esse, sed paruulam vittam, exiguumque funiculum, quin & subtilissimum filum orationis. sic enim ait. *Hoc genus dæmoniorum in nullo potest exire, nisi in oratione, & ieiunio.* Ac si dicat: Nullus reperiri potest funis, quo genus istud dæmoniorum extrahi queat. Duo duntaxat sunt funiculi, quibus ita dæmones quique trahuntur constricti ad hominis volũtatem, vt exire cogantur à corporibus oppressis, funiculi autem isti sunt oratio, & ieiunium. Ingens profecto vis funiculi vittæque istius, maximum & robur orationis, quod creata cuncta & liget cum humana voluntate, & trahat quocunque libuerit humanæ voluntati: at multo fortius idem ipsum est eius robur, cum eodem pacto & increatum pariter, atque immensum Deum constringit, & trahit. In prosecutione sensus quarti expositionis tertiæ illorum verborum, vers. 4. cap. 1. *Trahe me, post te curremus*, &c. probatum iam est; quomodo oratio catena sit, quæ Deum trahat: At modo dicimus eamdem orationem, vt tenuis vitta est, & exiguus funiculus, quin vt & subtilissimum filum idem ipsum peragere; idcirco namque istud ei potissimum confertur encomij: *labia tua, sicut vitta*, seu iuxta Originales textus: *Sicut filum, vel sicut funiculus*, quia, cum tam tenuis res sit, tantas habet vires, vt cum ea anima sancta Deum suæ ipsius voluntati constringat, trahatque quocunque sibi libuerit; quod ex parabola illa manifeste deducitur, quam ipsemet Dominus ad orationis vires exprimendas attulit in Euangelio secundum Lucam, *h* Amici propter importunitatem obtinentis ab alio amico id omne, quod voluerit: Et ex generalibus verbis iis, quæ subinfert: *Et ego dico vobis, Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate & aperietur vobis: Omnis enim, qui petit, accipit, & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur.*

b 3. Reg. 17. 1.

c 3. Reg. 11. 44.

d 4. Reg. 6. 38.

Ibidem.

e Iob. 40. 20.

f Iob. 40. 24.

g Marc. 9. 29.

Oratione quasi funiculo constringitur, & trahitur etiam Deus à pia anima.

h Luc. 11. 5.

Verum ingens tum ex his generalibus Domini verbis, tum ex ipsa vittæ appellatione, aut similitudine iuxta prædictũ sensum exoritur difficultas. Experiẽtia etenim patet, complura à fidelibus per orationẽ peti frequenter; quæ nullo pacto iidem assequuntur; vt & ipsorum oratio haudquaquam hanc habeat vim Deum constringendi, atque trahendi.

7 *Oratio piæ animæ quomodo semper Deum constringat impetrando effectum petitionum suarum.*

Cui tamen difficultati satisfieri quidem potest per ea Apostoli verba, quibus ad Romanos ait: *i Spiritus adiuuat infirmitatem nostram. nam quid oremus sicut oportet, nescimus: Sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit, quid desideret spiritus, quia secundum Deum postulat pro sanctis.* Eodẽ quippe tempore quo nos ignorantes, quid nobis sit vtile, vel inutile petimus quidpiam, Spiritus sanctus qui intra nos est, adiuuat infirmitatem ignorantiæ nostræ, simulque id postulat pro nobis, quod conducibilius esse perspexerit: Nec quicquam aliquando petit, quod à Deo non obtineat; qui enim scrutatur corda, scit, quid ipse desideret Spiritus, nihilve est, quod illi aliquando neget: quia secũdum Deum postulat pro sanctis; sicque licet aliquoties videatur nobis oratio nostra haudquaquam suum consequi effectum: re tamen vera illum optime consequitur. Sed magis ad propositum huic ipsi difficultati ab ipsomet sponso satisfit, dum ad nomen *vittæ*, addit appositum istud *coccineæ*, dicens, *Sicut vitta coccinea labia tua.* Enimvero, quamuis cuiuslibet vittæ, & cuiuscunque funiculi id sit, vt cõstringat, & trahat: minime tamen cuiuslibet orationis id esse, censendum est, vt Deum constringat, trahatve: Sed orationis animæ illius, quæ Christi sit sponsa, & quæ vt Christi sponsa Deum precetur: atque adeo dum talis animæ oratio commendatur, non cuilibet vittæ similis ea dicitur, sed vittæ duntaxat coccineæ.

i Rom. 8. 26

Oratio, vt impetratoria sit, & Deum constringat, debet habere tres conditiones.

Porro si vim istius similitudinis expendamus, inueniemus, tres esse conditiones, quæ orationi necessariæ sunt ad hoc, vt prædictas habeat vires constringendi Deum; vitæ puritatem, ac innocentiam: charitatem flagrantem; & vnionem cum meritis passionis Christi: Vitta si quidem coccinea est vitta quædam, quæ, cum prius ex natura sua alba esset, in coccum ad ignem maceratum, atque feruentem immissa, tantum coccinei ebibit coloris, vt coccinea tam intrinsecus, quam extrinsecus facta, coccum ipsum præseferat. Eadem ergo ratione candida primum est puritate, atque innocentia piæ animæ oratio, qua illa Deo adstat, eleuans puras manus: tum feruore calefit charitatis: ad feruorem vero charitatis in Deum, ita in maceratum coccum sanguinis Christi immergitur, vt coccinea euadat, coccumque duntaxat sangunis Christi præseferat, & ipsum eumdem coccum solummodo repræsentet, in nomine Christi petens id, quod sibi concedi exposcit, & merita Christi proponens Patri.

Similę.

Quod autem istiusmodi oratio vim habeat cõstringendi etiam Deum ipsum, ex verbis Redemptoris colligitur manifeste, quibus ait: *a Vsque modo non petistis quidquam in nomine meo: Petite & accipietis, vt gaudiũ vestrum sit plenum.* Et: *b In illo die in nomine meo petetis: Et nõ dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis: ipse enim Pater amat vos: quia vos me amastis, & credidistis, quia à Deo exiui.* Amans enim Pater eum, qui Christum diligit, cõstringitur quodammodo, ac trahitur ad voluntatem ipsius qui petit in nomine Christi: ac propterea congruentissime encomio isto talis commendatur oratio: *Sicut vitta coccinea labia tua.*

a Ioan. 16. 24.

b Ioan. 16. 26.

Oratio piæ animæ dum patri offert coccinum sanguine Christi, candidior eidem Patri exhibetur, & meritis suæ innocentiæ.

Neque vero, quia huiusmodi vitta dicitur coccinea, existimandum est, per coccum quem vitta ista ebibit, & quo coloratur, candorem ab illa auferri: nam per coccineum colorem sanguinis Christi, quo vitta orationis pię animæ perfunditur, pulchrior potius redditur innocentiæ, ac puritatis candor, qui in eadem est oratione: coccus quippe iste, quamuis rubi-

Sanguis Christi rubedinem simul inducit, & albedinem.

rubicundus sit, vtpote sanguineus; rubedinem tamen simul inducit cum albedine: quod ex illo Isaiæ : *c Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur*, confirmat Tertullianus lib. 4. contra Marcionem ca. 10. Augustinus contra Faustum Manichæum 6. lib. 12. cap. 42. Basilius in Asceticis, interrogatione decima, & alii ex Patribus: quasi dicatur: Si peccata vestra sanguine Christi rubuerint instar coccini: si coccino Christi sanguine illa ablueritis, sicut nix dealbabuntur: Clariusve vim istam expressam habemus in libro Apocalypsis, vbi dicitur: *d Isti sunt, qui lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni.*

c Isa. 1. 18. Tertull. August. Basilius.

d Apoc. 7. 14.

Quod si sanguis Christi vim habet inducendi albedinem, vbi ea non est, quãto magis, eamdem vim habere dicendus est, vt in candida orationis vitta candorem conseruet, pulchriorem ve illum efficiat, dum coccineam eam reddit? Præclare autem in hoc suo encomio ex rubore potius, quam ex candore celebratur: Quia, etsi pia anima, quæ orationem illam facit, iustitiam inhærentem, vitæque innocentiã, atque candorem ex Dei dono in se habeat, quam cum sua iungit oratione: haud tamen candorem istum Deo spectandum in ipsa sua offert oratione, petens exaudiri propter propriæ innocentiæ merita. Sed coccum duntaxat exhibet sanguinis Christi, ac propter merita passionis eiusdem postulat, quicquid petit; atque adeo coccinea recte appellatur, dum coccum istum præsefert. Neque minus id necessarium est in spiritualibus labiis istis orationis, quam in labiis carnalibus.

B

Simile.

Nam quemadmodum in carnalibus labiis conspicimus, vt tam per liuorem, quam per albedinis speciẽ turpia illa censeantur: Ita & in oratione contingit, vt indecora reddatur tam per liuorem iniquitatis, iuxta illud: *e Non est speciosa laus in ore peccatoris*: quam per ostensionem candoris propriæ iustitiæ, quod in Pharisæi illius oratione animaduertere licet, qui dicebat: *f Ieiuno bis in Sabbatho, decimas do: Gratias tibi ago Domine, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, adulteri, velut etiam hic publicanus.*

e Eccl. 15. 9.

f Luc. 18. 12

C

D

8

Oratio non tam grata Deo est per se ipsam, quã per modum, quo fit.

Post prædictas piæ orationis laudes, quæ tribus allatis vocibus continentur, duo alia cœlestis sponsus in eiusdem orationis encomium adiicit verba ista: *Et eloquium tuum dulce.* Atqui, si eloquij nomine significatur non tam res ipsa, quæ petitur, seu sententiarum, & eorum, quæ dicuntur ornatus, quam dictionis, & pronuntiationis habitus, provt ex originalibus ostẽsum est in prima expositione: maximum certe pondus verbum istud hoc loco habere dicendum est: significatur quippe per illud, non tam orationẽ ipsam Deo gratam esse, quam modum, quo ea fit.

Simile.

Quemadmodum enim id, quod apud Rhetores maximi fit in Oratore, non tã eloquentia ea est, quæ adhibetur in compositione orationis, quam ipsius orationis pronuntiatio: ita vt propterea non inepte ex Demosthenis sententia Quintilianus & primas, & secundas, & vltimas Oratoris partes huic vni adscripserit pronuntiationi: Sic & apud Deum id, quod in anima orante maioris censetur momenti, modus est, quo ipsa pronuntiatur oratio. Hunc ergo modum in oratione piæ animæ commendat per similitudinẽ eloquij, seu pronuntiationis materialis, quæ gratiosa, dulcisve sit: vt videlicet quemadmodum ea dulcis est materialis pronuntiatio, quæ humili fit tono, cum vocis ac spiritus moderatione, & cum concinno quodam oris gestu: Ita & orationis eius, quæ hic laudatur, modus sit vsquequaque perfectus, vtpote cũ fiat humiliter, tono sane Deo præ omnibus iucundissimo: cum perfecta resignatione tum in petitionibus, quæ promuntur, tum in animo ipso, ac spiritu, quo voces illæ emittuntur postulationum: ac tertio cum recto cordis motu, directo scilicet ad cœlum corde, quod est internum animæ os.

Quintilian. lib. 11. c. 3.

Orationis modus debitus quis sit.

E

F

Orationis excellentia quam Deo unicas sit.

Denique id, quod totum hoc tam eximiæ orationis encomium concludit, maximam habet vim: Dicitur enim *dulcis* ea esse ob id in primis, quod debito modo fiat; dulcis autem cum dicitur, haud dubium, quin ei ipsi dulcis esse significetur, qui dulcem illam appellat.

Quis vero hoc in illa præ cæteris non admiretur, quod dulcis ea sit Deo, qui est ipsamet dulcedo, *a* & à quo *initium* est omnis *dulcoris*, multo verius quam ab ape, cui id tribuitur à Sapiente? Sed certe haud abs re factum est, vt cœlestis sponsus, quamquam sibi dulcem eam esse, testatus sit alibi, cum dixit: *b Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis*: hic tamen simpliciter dulcem appellarit, dicens: *Et eloquium tuum dulce.* Innuere namque voluit per istam loquendi formam, non solum id, quod in illa est præstantissimum, vt dulcis sit Deo, verum etiam, vnde tam eximiã habeat excellentiam: nimirum quod illa dulcis primo in se est, quia illius dulcedine perfunditur anima ipsa, quæ orat, dum per eam delectatur in Domino: Hoc siquidem hac in re maxime est mirabile, quod oratio ob id in se dulcis est, quod anima orãs delectatur in Domino, dulcedinem ipsam quodãmodo hauriens à Domino, quam is illi impertit: Et nihilominus dulcis eadem quoque est Domino, propterea quod ipsa dulcis primo in se sit. Quæ omnia egregie Dauid ille significauit, qui in huiusce modi oratione versatissimus erat, dicens: *c Iucundum sit ei eloquium meum: ego vero delectabor in Domino*: Æque enim est, ac si dixisset: Ego vero delectabor in Domino, perseuerans in oratione: ac per hanc delectationem, quam ex Domino orans percipiam, dulcedinem ipsi meæ impertiam orationi: id autem omne ideo conabor, vt iucundum sit ei, scilicet Domino, eloquium meum: vt per hanc orationem meam debito modo peractam, dulcedine ipsum reficiam, à quo & ego refectus sum in eadem.

a Eccl. 11. 3.

b Cant. 2. 14.

Oratio dulcis primo in se est ob dulcedinem à Deo in se derivatam, tum dulcis est & ipsi Deo.

c Psa. 103. 34.

Breuis, ac paraphrasticus, qui ex hisce, fusius pertractatis desumitur, sensus hic est.

Paraphrasis.

Oratio tua, quæ labiorum nomine ob id recte exprimitur, quod per illam mecum vniaris in osculo pacis, & charitatis: & quod per eamdem in te sanctum meum admittas spiritum, sanctorumque desiderio rũ, & ardentiũ affectuum ex præcordiis tuis ad me emittas flatum: quodve illa ipsa, etiã cum ore taces, meos oblectes oculos, non secus ac pulchra labia, etiam cũ clausa seruantur, intuentes oblectant: Ista, inquam, *labia tua*, oratio tua *sicut vitta* est; quia instar vittæ constringendi, & alligandi vim habet: constringit enim primo capillos cogitationum tuarum, ligatve illos in me capite tuo, ne diffluant ad terrena, & vana: Virtutumque omnium habitus cum charitate ipsarum capite ligat in te: Quin & creata omnia & Deum patrẽ meum increatum, & immensum cũ tua adstringit voluntate, trahitve, quo sibi libuerit: Trahit, inquã, & deuincit; quoniam instar vittæ coccineæ ad eum se habet, exhibens illi charitatem cũ innocentia vitæ, coccumve sanguinis mei; non propter merita tua, sed propter merita passionis meæ id omne petens, quod efflagitat.

Additur autem, quod eadem & modum debitum in omnibus seruat, humiliter nimirum facta, cum perfecta animi moderatione, ac resignatione, atque cum recto, ac cõcinno cordis, oriſque interni motu; & sicut concinnum eloquium, eleganſque pronuntiationis habitus, qui in tono suaui, & in debita vocis, ac spiritus moderatione, & in concinno est oris motu, dulcis esse probatur. Ita & hęc ipsa oratio tua debito modo facta dulcis primo in se est, ex me dulcedinem hauriens; quando tu ipsa in illa perseuerans delectaris in me: Tum & mihi quoque est dulcissima, maximeque iucunda.

Vers.

Vers. III. cap. IV. *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.*

Expositio. IIII.

De tertia Sponsa, quæ est Beata Virgo Maria.

Ardua adeo res est, in silētio labia concluſa ſeruare; vt non vnum duntaxat oſtium, ſed oſtia plura pluresve vectes ad hoc adhibendos ſuadeat Sapiens: *d Ori tuo facito oſtia & vectes*: (ſic legunt Græci, & quidam etiam ex Latinis) verens nimirum, ne verbum aliquod per labia aperta egrediatur, quod illas, quæ intrinſecus in anima ſeruantur, diuinarum gratiarum margaritas extrahat, deferatque ad hoſtes; Vel ne prauum aliquod item verbum egrediēs, defectionem ipſius animæ à Domino ad eius hoſtes faciat conteſtatam.

9 *Ad ſilentiū ſeruandum quanta cura ſit adhibenda.* d *Eccl.* 29. 28.

Quinimo tantum in his ipſis oſtijs compingendis, adhibendiſque vectibus ori ineſt difficultatis tātumve ineſt periculi, ni apponantur, vt quaſi homo id per ſeipſum efficere minime queat, à Domino id poſtulet Propheta Regius, dicens: e *Pone Domine cuſtodia ori meo & oſtium circunſtantiæ labiis meis*: Ac ſi dicat.

e *Pſ.* 140. 3.

Non valeo ego cuſtodire theſaurum quem in corde meo depoſuiſti, nec inſurgentes rebelles motus continere intrinſecus poſſum, ne extrinſecus per os prorumpant in verbis: operæpretiū eſt, vt tu ipſe ori meo cuſtodiam ponas, oſtia, & ſeras ac vectes. Quin haud quodlibet oſtium ad hoc ſufficiens eſt ſed neceſſe eſt, vt labiis ipſis meis, quæ pro oſtio mihi exhibuiſti, adhibeas oſtium circunſtantiæ, oſtium munitionis, oſtiū cuſtodiis, & excubitoribus munitum, quale ditiſſimis quibuſve oppidis, & iis adhibetur Ciuitatibus, quas hoſtium exercitus obſidet.

Hocque illud eſt, quod tantopere Sapiens ille optabat, cum diceret: f *Quis dabit ori meo cuſtodiam, & ſuper labia mea ſignaculum certum, vt non cadam ab ipſis, & lingua mea perdat me?* g *Sicut vrbs patens, & ſine murorum ambitu: Ita vir, qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum*, ait Salomon in libro Prouerbiorum. Capſulæ, in qua gēmæ ſeruantur regiæ, præter ſeras, & vectes, regium adhibetur ſignaculum. Cor Sapientis capſula profecto eſt, in qua pretioſiſſima Dei arcana repoſita ſunt: a *Vir* enim *eruditus* (vt dicitur in libro Prouerbiorum) *pretioſi eſt ſpiritus*; id eſt pretioſum in ſe depoſitum continet ſpiritum: atque adeo *ſignaculum* certum, vtpote diuinum, quo nil certius *ſuper* b *labia* ſua expetit Sapiēs ille citatus in libro Eccleſiaſtici.

f *Eccleſ.* 22. 33.
g *Prou.* 25. 28. *Simile.*
a *Prou.* 17. 27.
b *Eccl.* 22. 33.

Beata Virgo Maria vrbs ſane extitit opulentiſſima: vrbs, c de qua *gloriosa dicta* aſſerit Propheta: & in qua Rex ipſe cœleſtis, nedum theſauri depoſiti fuere cœleſtes, domus extitit, quam ædificauit ſibi ſapientia: vt in illa vniuerſos ſuos reponeret theſauros: & capſula eburnea plena gemmis diuinarum gratiarum. Vt tamen hos depoſitos ſeruaret theſauros, gemmaſve intra ſe incluſas cuſtodiret illæſas, haud multum laborauit in adhibendis oſtiis, vectibus, ſeris, cuſtodiis, atque ſignaculis ſuper os ſuum: ſed vnico duntaxat funiculo, tenuique filo coccineo. Sacculos illos ex corio, bulgas vulgari appellatos nomine Italice, in quibus à peregrinantibus pecuniæ deferuntur, aut libri, catenula ferrea, vel etiam funiculo aliquo obſerari conſpicimus: Maria certe ſacculus iſtiuſmodi extitit, in quo Saluator noſter, cum peregrinus aduēniſſet in mundum, ſuam detulit carnem: pecuniam ſane diuinitate impreſſam, & pretium redemptionis humanæ: in quo & diuinorum arcanorum librum recondidit, quando illi cognitionē præſtitit myſteriorum Dei. Nil mirum igitur, ſi funiculo extitit obſerata. Illud certe mirandum, maximeque eſt commendandum, quod ipſa ſemet obſeratam cuſtodiuit: quandoquidem de ea dicitur: *Maria autem conſeruabat omnia verba hæc conferens in*

10 c *Pſ.* 86. 3. *Maria quomodo cuſtodiuit os ſuum*

Maria fuit ſacculus pecuniæ, & ſcriptorum Dei.

Luc. 2. 19.

corde ſuo: Ita nimirum concluſis labiis obſeratum ſeruans os ſuum: vt labia ipſa eius funiculum coccineum repræſentarent: Idque illud eſt, quod hoc loco cœleſtis in ea commendat ſponſus, talia de illa proferens: *Sicut vitta coccinea labia tua*: ſeu iuxta Originalia: *Sicut funiculus coccineus labia tua.*

Quod ſi ſubtilius rem ipſam perſcrutemur, inuenie- *Maria obſeratum tenuit os ſuum funiculo virginalis pudoris.*
mus quiſnam iſte eſſet funiculus coccineus, in concluſis Mariæ labiis repræſentatus: haud enim aliud extitit, quam Virginalis pudor, ac verecūdia: quis enim ignoret, ruborem eſſe talis verecundiæ indicem? vnde admodum congruenter funiculus coccineus eſt nuncupatus.

Quomodo vero hoc verecundiæ funiculo os ſuum obſeratum cuſtodierit, ac propterea ad præſens labiorum ipſius encomium contexendū excitatus ſit Chriſtus, ex iis, quæ à Bernardo de hac eius virtute dicuntur in ſermone ſuper illud Apocalypſis: *Signum magnum apparuit, &c.* qui eſt poſtremus in feſto Aſſumptionis Beatæ Mariæ, facile intelliges: ex Euangelico ſiquidem textu colligit, quater tantum illam locutam, tūcque ſumma etiam ſeruata verecundia. Poſtmodum ſubiicit: Nunquid non ab initio veniſſe Paſtores, & primam omnium Mariam inueniſſe leguntur? Sic & Magi quoque, ſi recolis, nō ſine Maria matre eius puerum inuenerunt. Et inducens in templum Domini templi Dominum, multa quidem à Symeone audiuit tam de Deo, quam de ſe ipſa ad loquendum tarda, velox ad audiendum. Et quidem Maria cōſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo. Sed in his omnibus neque de ipſo Incarnationis Dominicæ myſterio quodcunque verbum feciſſe reperies. Toties denique Maria filium audiuit, non modo turbis loquētem in parabolis, ſed & diſcipulis ſeorſum Regni Dei myſteria reuelantem, vidit miracula facientem: vidit deinde in Cruce pendentem: vidit expirantem: vidit reſurgentem: vidit & aſcendentem: Sed in omnibus quoties verecundiſſimæ Virginis vox memoratur audita? hucuſque Diuus Bernardus. *Bernard.*

Porro dum ſimilitudine hac funiculi coccinei concluſa Mariæ labia extolluntur, non ob iſtud duntaxat commendantur, quod funiculo Virginalis pudicitiæ ea conſtricta ſint: ſed inſuper, quod hoc ipſo funiculo, dum in tāto ſilentio conuerſaret, intuentes quoſque tunc temporis ad ſui admirationem, amoremque pertraheret; quodve eodem in futuris etiam temporibus Virginum quarumcunque labia cōſtringit. Quæ enim fidelium virginum aperire iam audeat os, aperire & labia, intuens Virginum Reginam, diuinorum myſteriorum omnium conſciam, plenam gratiis vniuerſis, matremve eius, qui eſt vnus magiſter noſter, tanto verecundiæ ſilentio obſerata ſua retinentem labia, vt funiculo coccineo merito comparentur? *d* Paulus Apoſtolus mulieribus etiam nuptis, ac ſenioribus prohibet loqui in Eccleſia, turpeque illis aſſerit, ſi ibi loquantur coram populis: *Mulieres*, inquit, *in Eccleſiis taceant; non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe, ſicut & lex dicit, ſi quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent: Turpe eſt enim, mulierē loqui in Eccleſia.* Si turpe id eſt mulieri, quanto turpius Virgini? Si ſilentiū mulieribus à lege impoſitum eſt per id, quod ſubiectæ ſunt viris: quanto magis coccineo funiculo virginalis verecundiæ Beatæ Mariæ Virginis conſtringi, neceſſe eſt, fidelium Virginum labia, vt in ſilentio perſiſtant?

11 *Maria ſuo ſilentio homines ad ſui admirationem & amorem trahebat.*

Ex Mariæ ſilentio, & funiculo coccineo ipſius, conſtringuntur labia fidelium Virginum.

d 1. *Cor.* 14. 34.

Virgines in ſilentio debent labia ſua tenere conſtricta.

Virgines Veſtales refert Pomponius Lætus libro de Sacerd. Roman. id habuiſſe conſuetudinis, vt decem primis annis in ſilētio diſcerent, totidemque aliis decem annis in ſilentio item, quæ didiciſſent, executioni mandarent: poſt vigeſimum denique annum ſilentium ſoluentes, reliquas docerent iuniores Virgines. Si tantum apud Virgines illas, quæ verum Deum ignorabant, humana lex poterat, aut conſuetudo; vt per illam ad tam diuturnum conſtringerētur ſilentiū: quanto arctius fideles, & Chriſtianas Virgines ad idem ſilentium exemplo Reginæ Virginum, eiuſve funiculo coccineo conſtringi, credibile eſt?

Pomp. Lætus cap. de Veſtal.

Verum quia os ad hoc in humano constitutum est corpore, vt & compressum, ac constrictum detineatur, cum haud opus fuerit silentium frangere: & aperiatur ad loquendum, cum necessitas id exposcat. *a Est enim tempus tacendi, & tempus loquendi*, vt inquit Ecclesiastes, etiam B. Virginem pariter opportunis temporibus os aperuisse, & locutam esse, haudquaquam est negandum. At certe, cum id ea fecit, haud minus cõmendabile in illa apparuit os ipsum apertum, quam cum funiculo coccineo, labiisve constrictum id seruaretur: Virginali siquidem verecundiæ, quam coccineum funiculum esse dixi, adiunctam semper habuit Virgo benedicta modestiam, ac humilitatem, quam in locutione præsertim adhibuit, humili nimirum tono, suauique vocis, ac spiritus moderatione: & concinno, ac verecundo oris motu verba proferens necessaria duntaxat, atque vtilia. Idcirco ad ea, quæ iam exposita sunt: *sicut vitta*, seu, *sicut funiculus coccineus labia tua*: in eiusdem oris commendatione persistens cœlestis sponsus adiicit: *Et eloquium tuum dulce*: seu, *Et loquela tua gratiosa*: Ex humili namque loquela summam gratiam Mariæ Virgini conciliatam, exinde deducitur, quod per humiles illas voces: *b Ecce ancilla Domini, fiat mihi secũdum verbum tuum*: gratiarum auctorem concepit Saluatorem mundi. Dulcedinem vero in huiusmodi loquela esse, negare nullus profecto potest: quandoquidem & Salomon in libro Prouerbiorum dicit: *c Fauum mellis composita verba*. Et ad eandem dulcedinem explicandam in libro Ecclesiastici dicitur: *d Tibia, & psalterium suauem faciunt melodiam, & super vtraque lingua suauis*. Quod ergo hic dicitur, tale est.

Mariæ loquela dulcis, & gratiosa.

a Eccl. 3. 7.

b Luc. 1. 38.

c Prou. 16. 24.

d Eccl. 40. 21.

Os tuum vsquequaque pulcherrimum est: siue enim silentio obseratum illud serues, labia ipsa tua præseferunt funiculum coccineum, & bene: nam coccineo funiculo virginalis pudoris constricta illa retinens, eodem funiculo ad tui dilectionem simul, & admirationem trahis, quotquot te intueantur: constringisque quodammodo & virgines reliquas, vt sua obturata conseruent labia: Siue loquẽdo illud aperias, adeo humiliter, modeste, ac mansuete verba profers, quæ loqueris, vt loquela ipsa tua sit maxime dulcis.

Paraphrasis. *Tres Patr. Psellus. Richard.*

Vers. III. cap. IV. *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.*

Appendix expositionum, Ex antiquis Patribus collecta.

PAraphrasis Chaldaica: Et labia sacerdotis magni deprecabantur in oratione in die propitiationis coram Domino, & verba eius auertebant peccata Israel: quæ similia erant vittæ coccineæ, & dealbabant ea, sicut lanam mundam.

Prædicatorum sanctorum ingens vis persuasionis. Theodorit. Cassiodor. Greg. PP. Philo. Iust. Aponius. Beda. Anselmus.

Sensus, quem fere communiter Patres sequuntur, ille est, quo hic à cœlesti sponso sanctorum Prædicatorum ingens persuasionis vis, eorumdemque eloquentia commendatur. Quamuis autem communiorem hunc sensum sequantur Theodoritus, Cassiodorus, Gregorius Papa, Philo Carpathius, Iustus Orgelitanus, Aponius, Beda, Anselmus, & alij; in explicandi tamen ratione differunt eorum aliqui inter se: Nam Theodoritus, Philo, & Iustus existimant, fieri allusionem ad funiculum coccineum, quem Rahab meretrix suspendit in fenestra pro signo salutis suæ, vt habetur in libro Iosue; *e* quam allusionem ita explicant, vt videre est apud antiquiorem Theodoritum, qui, Signum hoc, inquit, sponsus in ore sponsę, tanquam in fenestra collocatum intuetur, dicens: *Sicut funiculus coccineus labia tua*: ac si dicat: Duxit colorem ex sanguine meo os tuum, & verba profert veritatis, quibus tanquam funiculo quodam capiuntur auditores, & vinciuntur: nam eloquium tuum eos demulcet, & retinet, nec discedere permittit, sed labiis tuis cogit inseruire.

e Ios. 2. 18. *Theodor.*

Ex maxima vi persuasionis prædicatorũ Ecclesiæ dignoscitur signum passionis Christi esse in illis.

Hos quoad rationem allatæ similitudinis coloris coccinei sequuntur Cassiodorus, Procopius Gazæus in Leuiticum, Beda, atque Anselmus: Tametsi Cassiodorus, Beda, & Anselmus alteram addãt rationem ardoris charitatis; quia vinculo charitatis, quam prædicant, sancti Prædicatores constringunt, & connectunt fideles inter se: quam rationem affert & Gregorius Papa nedum in Comment. in Cant. sed & lib. 2. moral. cap. 28. Porro ob id quoque vittæ similitudinem allatam inquiunt Gregorius Papa locis citatis, Cassiodorus, Beda, & Anselmus, quia ijdem prædicationibus suis constringunt cogitationes fidelium, ne diffluant, sicut vitta constringuntur capilli in capite. Adiici autem, ait Gregorius Papa, ad prædicatorum laudem: *Et eloquium tuum dulce*: non solum quia iuxta communem citatorum Patrum sententiam, ipsorum doctrina dulcis est auditoribus: verum etiam, quia, dum quæ dicunt faciunt, prædicationes suas hominibus, quasi sapidas escas apponunt.

Prædicatores sanctæ feruore charitatis, quam prædicant, constringunt fideles inter se. Cassiodor. Procop. Cassiodor. Beda. Ansel. Greg. Pap.

Aponius labia, seu Prædicatores Ecclesiæ vittæ coccineæ comparari inquit: quia quod prædicant, testimonio martyrum confirmant: sicque instar vittæ coccineæ incredulos constringunt testimonio, quod dederunt Martyres sanguine, quem pro Christo, ac pro veritate fidei illius fuderunt: Quos martyres amicitiam, quam cum Deo acquisiuerunt, in illum solum credentes, & meritorum magnitudine illos, qui verbum Dei ruminant, defendere, inquit, ab iniuriis malorum hominum, & dæmonum infestatione, vt labia dentes defendunt, idque & virtutibus signorum, & suis orationibus.

Prædicatores doctrinam quam dulcem reddit, dum faciunt, quæ dicunt. Aponius. Prædicatores Ecclesiæ vitta coccinea, dum incredulos constringunt testimonijs martyrum.

Addit, eosdem martyres funiculum coccineum dici, quia pro Christi nomine interfecti; viuant tamen, & mortis suæ auctores dæmones flagris, verberibusque agant, quasi funiculis quibusdam. Demum ostendens, quomodo eloquium Ecclesiæ dicatur dulce, ait: sicut de intra conclusione dentium, & labiorum spiramine vox resonans repercussa melodiæ dulcedinem reddit: Ita virtute signorum Martyrum, & gratia interpretationis mysteriorum per eos, qui vices dentium agunt, exponendo recte verba legis diuinæ, inspirante Spiritu sancto, dulce Ecclesiæ eloquium redditur.

Martyres labia Ecclesiæ. Martyres vitta coccinea flagellãt dæmones. Ecclesiæ eloquium quomodo dulce ex martyrũ testimonio.

Ad primum, & communiorem istum sensum referri possunt, quæ dicuntur ab Ambrosio serm. 18. in Psalm. 118. vers. 4. qui singulariter vt à sponsa hæc dicta ad sponsum accipiens: Primo, inquit, dici: *Sicut resticula coccinea labia tua*: quia in cocco species ignis, & crucis Dominicæ sanguis irrutilat: Coccinea labia Domini, quę passionem propriam loquebantur. Subiicit postmodum, postquam ostendit, coccum pro igne in Exodo vsurpatum, inter quatuor scilicet colores, provt alibi ex eodem explicatum est: Subiicit, inquam, hæc verba obscurissima. Per resticulam igitur vinculum persuasionis cognoscimus: per coccum vel cupiditatis ardorem, qui scintillat in animis audientium, vel indicium passionis. Quorum sensum hunc esse crediderim: vt significet, labia Christi hic commendari ex magna vi persuasionis, qua, cum loquebantur, constringebant instar resticulæ, ac funiculi: constringebant, inquam, vel quia prædicarent passionem suam, vel quia compescebant ardorem cupiditatis in audientibus.

13 Ambros. Christi labia coccinea, quia passionem propriã loquitur.

Labiorum Christi vis maxima in persuadendo.

Alio pacto Gregorius Nyssenus hom. 7. sumens quippe hæc in commendationem labiorum Ecclesiæ: Primo dicit, tunc florere labia Ecclesiæ specie coccinea, quando vniuersa Ecclesia est in boni concentu labium vnum, & vox vna: Declarans autem melius postmodum, quid per hæc significetur, duplicem, ait, per ea, quæ hic dicuntur, significari pulchritudinem ipsius Ecclesiæ, quæ est labium vnũ, & vox vna: alteram ex charitate resultantem; alteram ex fide sanguinis, & passionis Iesu Christi: sic enim ait: Non solum absolute funiculum dicit, esse labia, sed addidit

Greg. Nyss.

Ecclesia, quæ est os vnum & labium vnum, ex charitate, & fide laudatur similitudine vittæ coccineæ.

addidit etiam florē boni coloris; adeo vt per vtrumque ornetur os Ecclesię: funiculo quidem significatur concordia, & charitas, vt ea tota in funiculo sit vna & eadem catena ex diuersis filis contexta; per coccinum autem ad sanguinem Christi, per quem redempti sumus, respicitur, quatenus illa confessionem habeat in ore eius, qui nos suo sanguine redemit. Subdit denique: Coccineus funiculus est fides, quæ operatur per dilectionem; adeo vt fidem quidem significet coccinum; charitatem vero designet funiculus.

Coccineus funiculus est fides, quæ per dilectionem operatur.

Qui putant, hic laudari labia animæ, tripliciter ista exponunt. Primo, iuxta Catenam trium Patrum, vt laudetur illius sermo ex eo, quod ad mensuram proferatur, ac si dicatur: *Sicut funiculus coccineus labia tua*: Verum sermonem, instar funiculi dimensi, atque coccinei promunt labia tua: quamobrem *eloquium tuum dulce* est, & decorum. 14 *Tres Patres.*

Sermo piæ animæ ad mensuram profertur. Pfellus.

Secundum alios vero laudatur eadem anima & ex silentio, & ex loquela. Per funiculum, ait Pfellus, silentij dotem accipe; per eloquium vero decorum diuinam prædicationem, ac si dicatur: Tu gratia taciturnitatis sic excellis, vt nihil superfluum, nihil absurdum excidat è labiis tuis: si quid enim aliquando vis loqui, quæ ad fidei promulgationem, doctrinamque pertinent, loqueris.

Pia anima & cum silet, & cum loquitur commendabilis est.

At tertio Richardus, piæ animæ labia, inquit, dici esse sicut vittam: quia sicut vitta constringit crines, ne dissolute defluant: ita deuota anima labia sua ligat, & cohibet, ne mala, vel inutilia loquatur, & in perniciem propriam, vel aliorum defluant, & dissoluantur: Non qualicunque autem vittæ comparari, sed vittæ coccineæ, quæ pretiosior est: quia tanto disciplina loquendi sublimior, & dignior in ipsa est, quanto non habetur ex humana sapientia, & prudentia, & naturali dispositione, sed ex diuina charitate: per dilectionē namque Dei, & proximi reprimit verba, ne scilicet proferantur, quæ vel Deū, vel proximum offendant. Porro cum soleant vittæ, dum crines ligant, etiam caput ornare: Sic istiusmodi disciplina loquendi mentem decorat, quæ caput est hominis, & foris pulchram animam demonstrat. Merito autem, ait Richardus, denotæ animæ dulce est eloquium, & delectat, gratum est, & ædificat; quia procedit ex charitate, & profluit ex fonte gratiæ: *a* Gustat enim, *quoniam suauis est Dominus*: vnde dulcedinem, quam experitur, refundit, & plenitudinem, qua fruitur, eructat: quia repletum est cor spiritualibus deliciis, eructat foris verbum bonum dulcedinis, consolationis, institutionis, admonitionis: cordis promptuaria plena sunt his diuitiis, *b* eructantia ex hoc dono gratiæ in illud; ex hac meditatione spirituali in illam: ex vna plenitudine in aliam: ex abūdantia ergo cordis habet refectionem, ex gustu dulcedinem. Dulcia item habet verba, quia mundata est conscientia à vitiorum amaritudine, & carnalitatis fœce: Vnde non sapiunt rancorem, non indignationem, non iram, non inuidiam, non detractionem, non denique aliud, quod vel noxium sit, vel inhonestum, vel latentis in anima vitij, vel imperfectionis, vnde perferat iudicium. Per oris itaque custodiam seruat cordis munditiam, & ex eo cordis munditia foris format verba.

Richardus. Labia piæ animæ sicut vitta coccinea, quia ligata, ne mala loquantur, id que ex charitate.

Silentium ornat mentē.

Verba piæ animæ dulcia, quia ex corde profluunt pleno dulcedine.

a *Psal.* 33. 9.

b *Psa.* 143. 13.

Sermo piæ animæ dulcis est, quia illius conscientia munda est ab omni amaritudine.

Denique Rup. Abb. labia B. Mariæ, sicut vittā coccineam dici ait: quia illa ex charitate magnificauit Dominum mente ardentissima, voce suauissima: Hæc est enim, ait, vitta coccinea; quia charitas est ignea, qua bene cum Deo ligata, sic illi adhæsisti, vt vnus cum eo spiritus sis. Hinc eloquium tuum dulce: quia videlicet ex abundantia cordis os loquitur, & dulcedinem, quæ abundat interius, sapit sermo, qui redundat exterius. Addit, Ecclesiam istud Mariæ eloquium quasi pignus salutis suæ personare, & integra semper fide prædicare: sicque imitari *c* Rahab meretricem, quæ funiculū coccineum in fenestra sua ligauit, signum fidei suæ, quod nuntios Iosue susceperit, atque saluauerit.

Rup. Abb. Mariæ labia Deum magnificauerunt ex charitate: eiusque eloquium dulce ex interiori illius dulcedine.

c *Ios.* 2. 18.

Ex Vers. III. c. IV. *Sicut fragmen mali punici: ita & gena tua absque eo, quod intrinsecus latet.*

Expositio I.

Iuxta sonum litteræ.

TRiplicem quoad istius sententiæ expositionem, inter interpretes reperio dissensionem. Dissentiunt primo in principali membro, cuius hic contextitur encomium: Secundo in explicanda similitudine: Ac demum in intellectu eorum verborum: *Absque eo, quod intrinsecus latet.* 15

Hebræi enim fere omnes, quos sequuntur ex nostris Legionensis. Genebrardus in suis expositionibus super Cantica, Blasius Viega Comment. in Apoc. c. 12. sect. 8. de B. Virgine, Vatablus in sua versione, & alij, Sponsæ tempora proprius, quām genas hic laudari, inquiunt: quoniam Hebraica dictio רקה rakah, proprie tempus designet ob tenuitatē carnis, à verbo רקק rakak, attenuare, & tenue esse. Verum in contrarium est ex Hebræis quoque R. Salomon, qui super hunc locum ait, prædictam dictionem significare tumorem vultus, qui certe in genis potius est, quam in temporibus: sicut & verecundia, quam hic in sponsa laudari, inquit Rabbi doctissimus innominatus, in genis ipsis apparere conuincitur. Miror autem, cur nostri hac in re secuti sint Hebræos modernos, cum habeant & Sept. Interpretes antiquissimos Hebræorū, & Symmachum, ac B. Hieronymum Hebraicæ linguæ peritissimos, qui non pro temporibus Hebraicam dictionem accepere, sed pro genis: in quibus tenuissima æque ac in temporibus, ac delicatissima cutis est, in puellis præsertim, atq; in adolescentulis ephœbis. Quapropter indubitanter existimo, genas ipsas esse, quæ hoc loco commendantur post labia, atque dentes quibus adiacent, sicque & ordo panegyrici membrorum sponsæ congruentissimus est.

Legionenses. Genebrard. Viega. Vatablus.

Similitudinem ad florem mali punici rubore perfusi fieri existimat probabilius Rabbi Abraham Abē Ezdra: Nescio autem vnde hanc coniectarit sententiā, cum apud omnes Hebræorum Doctores pro constantissimo habeatur, dictionem פלח pelach significare fragmen, fructum, partem dissectā, à verbo פלח palach, scindere, diuidere, findere, & in frusta secare.

Alij igitur omnes in hoc significatu hanc accipientes dictionem, adhuc discordant in ipsa similitudine declaranda; nonnulli siquidem desumi inquiunt similitudinem ex granis, quæ in fragmine mali punici cōspiciuntur, pulcherrimo colore albo simul, ac rubicūdo, qualis is est, quo ornantur genæ perpulchræ: Ita ex nostris sensit Legionensis, & alij. Quidam è contra, non tam ad grana fragminis, quam ad ipsum fragmen ex ea parte, qua tuberosius est, & ad dimidiatum fragmen similitudinem respicere, inquiunt. Ita Rabbi Salomon cum multis aliis Hebræorum, & complures ex nostris.

Legionenses.

Et hanc sententiam censeo probabiliorem auctorque vulgatæ versionis hanc veram esse confirmat in capite sexto, vbi hoc ipsum encomium reperitur, & pro eo, quod hic vertit: *Sicut fragmē mali punici*: clarius similitudinis ipsius vim exprimens, alio pacto vertit: *Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ.* Quemadmodum etiam hoc loco verterunt Sept. ὡς λέπυρον, *sicut cortex.*

Porro adeo apta est similitudo genarum Sponsæ ad dimidiatum fragmen mali punici, vt nulla aptior reperiri potuisset. Genæ enim in primis tantam habent cum malis similitudinem, vt propterea & Græce μῆλα dicantur, sicut & poma, provt notat Gregorius Nyssenus, & à Latinis quoque mala ob eandem rationem nuncupentur. Genæ autem sponsæ illius, quæ semetipsam commendans in capite primo dixit: *Nigra sum, sed formosa*: cum nullo alio malorū genere

Vis ſimilitudinis corticis mali punici, ac pulchrarū genarum in quo ſita ſit.

maiorem habent ſimilitudinem, quam cum malo punico dimidiato, quod haud habent albedinem eam, quam mala habent, neque croceum illum colorem, quo mala perſica ſunt perfuſa; ſed ſubnigrum, aut ſubuiridem, qualem profecto agreſtes habere ſolent puellæ, quem Italice dicimus *oliuaſtro*, quodve cum ſuperne ſit tuberoſius, rubeatque molliter, inde deorſum deprimitur, ac minus rubet: id quod in quibuſcunque genis, quæ pulchræ ſint, ac bene ſeſe habeant, mulieribus præſertim, obſeruare fas eſt.

Per hanc ergo ſimilitudinem ex quinque conditionibus ipſas ſponſæ genas celebrari crediderim. Primo ex pinguedinis eleuatione inparte ſuperiori. Secundo ex depreſſione in parte inferiori. Tertio ex colore ſubuiridi, ſeu ſubfuſco. Quarto ex ſparſo circa earum medium colore rubro, ac roſeo. Quinto denique ex lenitudine, quod inſtar expoliti corticis mali punici lenes & ipſæ ſint abſque vllo tubere, abſque vlla aſperitate, & inæquabilitate.

Has vero omnes conditiones amplificat quam maxime id, quod ad allatam ſimilitudinem adiicitur: (*Abſque eo, quod intrinſecus latet.*) Circa quorum verborum intellectū multo magis, quam in intellectu ſuperiorum diſſentiunt expoſitores Hebræi ſimul, ac noſtri. Non eſt autem operæpretium, vt has in præſenti loco enumerem diſſenſiones: Videantur quæ in eorūdem verborum expoſitione dicta ſunt ſup. in verſ. 1. huius 4. cap. Illud tantum hic iterum replicandum, in triplici lectione: Hebraica, ſ. quæ habet: *Intra velum tuum*; Sept. Interpretum: *Extra taciturnitatem tui*; & Vulgatæ: *Abſque eo, quod intrinſecus latet*: vnam quidem eamdemque laudem in ſponſæ genas conferri: Quod intra velum, quo ea operta incedit, tranſparentes, fragminiſve mali punici ſpeciem præſeferentes, pulchritudine ſua reliquam ipſius ſponſæ ſuperent pulchritudinem, qua intuentes omnes præ ſtupore, & admiratione mutos efficit; idque pro eximio quodam gratiæ, & venuſtatis, quod in iis ipſis latet, nec explicari à quoquam poteſt: quamquam re vera hæc ipſa genarum laus, quam vnam dicimus, ex triplici titulo deſumpta eſſe videatur: Ex eo nimirum primū, quod velo coopertæ tranſparent: ex eminentia, atque præſtantia pulchritudinis illarum ſuper vniuerſam cæterorum membrorum pulchritudinem: ac tertio ex ſingulari venuſtatis, & gratiæ, quæ in ipſis latet, decore.

Atqui congruentiſſima ſane ratione factum eſt, vt tam in encomio oculorum, quam in genarum panegyrico hæc ipſa apponantur verba: *Abſque eo, quod intrinſecus latet*, ſeu, *Extra taciturnitatem tui*, vel, *Intra velum tuum*. Enimuero in his duobus præ cæteris membris eximium quid elucet venuſtatis, & ipſorum pulchritudo maiorem vim habet, quam reliquorum membrorum: Quin & pulchriora, & venuſtiora ambo hæc ipſa apparent, quando gratioſum pudorem, ac verecundiam comitem præſeferunt, quod certe tunc maxime in puellis euenire conſpicimus, quando velo operta facie incedunt; quantum enim minus illarum videtur, tanto maior è veli rimula earum apparet venuſtas, ac pulchritudo, tantoque vehementiorem ex tenui ipſa rimula ſuam emittunt vim. Vnde fit manifeſtum, quam apte ſimul, & efficaciter ſapientiſſimus ſponſus ad vtrumque encomium dicta appoſuerit verba.

Paraphraſis.

Ex his fuſius forſitan pertractatis, facile iam breuem eorum, quæ hic dicuntur, colligere licet ſenſum iſtiuſmodi. Genæ tuæ genarum pulchrarum pulchritudinem omnem habent: ſunt tumidulæ, & eleuatæ à parte ſuperiori, quamquam ex inferiori parte deprimantur, vnaque cum ſubfuſco iſto tuo colore, qua nigra es, & formoſa, ſimul perpulchre admixtum, ſparſumve habent colorem purpureum; ita vt iure optimo comparādæ ſint dimidiato fragmini mali punici, quod corticem habens ſubuiridem, rubrum item admixtum habet colorem, ex ea præſertim parte, qua à Sole aſpicitur è ſupernis quoque eleuātum conſpicitur, ſicut & inde deorſum deprimitur: Eo namque pulchriores ipſæ videntur, quo maiori verecundiæ rubore ſuffunduntur, dum intra velum latitantes conſpici aliquando contigerit: modicum illud, quod è veli rimula apparet earum, tantum profecto indicat decorem, vt reliquam omnem tuam facile ſuperet pulchritudinem, qua eam tui ingeris admirationem, vt obmuteſcant quotquot te intuentur. Porro eximium id pulchritudinis, quod in hiſce tuis emicat genis, inſigne eſt admirabilis modeſtiæ, pudoris ac verecundiæ virginalis, quod & merito commemorare prætereo: tum quia intrinſecus intra velum in eis latet: tum quia nec verbis exprimi poſſet.

Ex Verſ. III. c. IV. *Sicut fragmen mali punici: ita & genæ tuæ abſque eo, quod intrinſecus latet.*

Expositio II.

De prima Sponſa, quæ eſt Eccleſia ſancta.

EX iis, quæ dicta ſunt ſupra in ſecunda expoſitione illorum verborum primi capitis: *a Genæ tuæ ſicut turturis*: ſupponendū in primis eſt, genas Eccleſiæ haud alias eſſe, quam ordinem ſanctarum virginum, ipſaſue Virgines ſacras turturea pudicitia, ac ſolitudine illuſtres: Subtilius nihilominus appellationem iſtā modo perpendens non exigua pellicior admiratione: enimuero inter partes omnes vniuerſaque membra, quæ in humano ſunt corpore, nullum ſane reperire eſt, quod patentius intuentium obtutui ſit expoſitū, quam genæ, vtpote in patentiſſima facie à natura collocatæ, vnde omnis homo dignoſcitur: Ita vt ſi corpus aliquod & aliquem hominem diſcernere velit quis, & agnoſcere, virne ſit, aut femina, puer, an ſenior, in faciem, & in genas præſertim operæpretium ſit, primo coniiciat oculos: cum tamen è veſtigio conſtantiſſime pro confeſſo apud omnes habeatur, inter multiplices ſanctorum ordines, quibus quaſi diuerſis, ac perpulchris membris decorum Eccleſiæ corpus compactum eſt, nullum item eſſe cui id magis competat, vt in abſcondito detineatur, quam ordini Sacrarum Virginum: quibus ita proprie occultum competit, atque abſconſio, vt eæ demū verę, ac ſanctæ cenſeantur Virgines, quæ in abſcondito deliteſcunt, & publicum omne deuitant: Omnis quippe publicatio Virginis bonæ (inquit Tertullianus lib. de velandis Virginibus) ſtupri paſſio eſt: atque adeo Virgo rectiſſime in ſacro eloquio nomine iſto myſtico עלמה ngalemah, nuncupatur, quod (vt bene aduertit Hier. lib. 1. contra Iouin.) abſconditam Virginem deſignat, id eſt, non ſolum virginem, ſed cum epithaſi virginē: neque enim omnis virgo abſcondita eſt, & ab hominum fortuito ſeparata conſpectu: & ex vi vocis prædictum vocabulum abſconditam ſignificet, ex radice עלם ngalam, cuius ſignificatio eſt abſcondere, latere, & occultare.

16 a Cant. 1. 10

Virgines quomodo genæ Eccl. dicantur, cum genæ in patenti faciei loco ſitæ ſint & virgines abſconditū quærere debeant.

Tertull.

Hieron.

Huius admirationis motus omnis ceſſat illico, cum rationes perceptæ ſint, propter quas genarum locus Virginibus ſanctis aſſignatus eſt in Eccleſia: Pro nunc autem tres reperio rationes, treſve & congruentias inter genas faciei humanæ, ac ſacras Eccleſiæ Virgines.

Virginibus in Eccleſiæ corpore tribuitur ſublimis genarum locus ob ipſarum eminentiā, &c. Simile.

Harum prima ex ſitus ſublimitate deſumitur: Quēadmodum enim genæ in eminenti faciei loco collocatæ ſunt proximæ capiti, quod membrorum omniū ſublimiſſimum eſt, ſicque ipſi inhærentes ſunt capiti, vt illud ad omnem ſequantur motum. Ita & ſacrarū Virginum ordo celſiſſimum pariter locum in Eccleſiæ facie conuerſatione obtinet, proximum ſane Chriſto Eccleſiæ capiti, ſi eius ſpectemus puritatem, cuius & comites Virgines ſunt, ita vt illud, quocunque ſe mouerit, proſequantur. Quorum omnium probatiſſimum habemus teſtem Ioannem, propter ipſam Virginitatis

ginitatis prærogatiuam Christo maxime dilectũ, in libro Apocalypsis dicentem : *b Et vidi : Et ecce agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia.*

b Apoc. 14. 1.

Greg. Pap.

Bene in sublimi esse Virgines dicuntur, ait Gregorius Papa lib. 5. in lib. Reg. cap. 3. quia quod naturam humanam supergreditur, in altissimo virtutum culmine situm est : Vnde & Virgo dilectus Iesu locum virginum insinuans ait : *Vidi supra montem Sion agnum stantem, & cum eo centum quadraginta quatuor millia. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati ; virgines enim sunt:* in monte esse quidem cum Agno dicuntur, quia per meritum incorruptionis, quo à terrenis, & carnalibus delectationibus se diuidunt, in sempiterna Redemptoris gloria sublimantur. Subdit postea idem Ioannes : *c Hi sequuntur agnum quocunque ierit* : confirmans nimirum id, quod iam dictum est, quod iidem, instar genarum, motum capitis sui sequantur. Non est, cur ad hanc virginum sublimitatem comprobandam diutius laboremus : cum apud complures Sanctorum Patrum integros hac de re tractatus videre liceat.

c Apoc. 24. 4.

17

Ex virginũ ordine dignoscitur, Ecclesiam esse virginem, sicut ex genis, & facie vnusquisque cognoscitur qualis sit. d Eccl. 19. 26.

Secunda inter virgines, atque genas congruentia est: quia sicut per genas in primis vnusquisque dignoscitur, qualis sit, masculus, an femina, puer, an vir, modestusne, an impudens : vtpote, quasi imaginem quamdam intuentium oculis obiectantes eius, quem illi respexerint, iuxta illud Ecclesiastici : *d Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus.* Ita & per Virgines melius, quam per vllum alium sanctorum ordinem, qualis ipsa sit Ecclesia, intelligitur; ipsiusve imago quædam illis, qui eam considerarint, in eis repræsentatur.

Ex Virginum namque intuitu intelligere vnicuique licet id, quod proprius est Ecclesiæ, vt virgo sit, & Sponsa Christi. Enimuero cõstantissime patet, Christum proprie esse sponsum Virginum: atqui istum ipsum sponsum Ecclesiam sibi desponsasse, testatur Apostolus in Epistol. ad Ephes. vbi ait : *a Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ: vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata:* Virgo nimirum, prout apertius idem ipse Paulus asserit in ea, quæ est ad Corinth. *b Despondi vos,* Ecclesiam Corinthiorum alloquens, *vni viro Virginem castam exhibere Christo*: Adeoq; vnam ipsius Ecclesiæ imaginem præfert virginum ordo, vt & in Euangelio Dominus quoque per virgines eam repræsentari dicat sub hac parabola : *c Simile est regnum cælorum decem Virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obuiam sponso, & sponsæ*: quam parabolam Gregorius Papa cum aliis Sanctorum Patrum de Ecclesia præsentis sæculi sumendam affirmat, nomine Regni cælorum designata, iuxta frequentem sacrarũ litterarum consuetudinem.

a Eph. 5. 25.

b 2 Cor. 11. 2.

c Mat. 25. 1

Greg. Pap. hom. 12. in Euang.

Virginũ ordo ad hoc potissimum inseruit, vt Ecclesiæ decorem augeat, sicut & genæ id in primis præstant vt faciem ornent.

Terria demum inter genas, ac Virgines congruentia est; quod virgines ad id potissimum in Ecclesia corpore inseruiunt, vt illam honestent, exornent, venustatemque ac decus ei conferant ; sicut & genæ faciei hominis, humanoque corpori. Enimuero, si membra omnia, quæ in humana sunt facie, consideremus, quãquam vniuersa, cum debitam ad inuicem habent proportionem, debitisve constant conditionibus, ad humanam pulchritudinem suas conferant partes ; inueniemus nihilominus singula ad aliquem proprium vsum à natura condita, & vt aliquod peculiare exerceant munus: Aures quidem, vt sint organum auditus: frontem vt per illam tuto iter habeant spiritus atque species, & durities ipsius defendantur nervi sensuum omnium, per quos prædicti deferuntur spiritus, atq; species: Etenim subter ipsam frontẽ, iuxta naturalium sententiam, in prima cellula cerebri est sensus communis, à quo tanquã à fonte, & radice vniuersæ deriuant sensationes, omnesq; nervi qui descendunt ad organa sensuum exteriorum. Oculorum munus manifestissimum est, sicut & superciliorum, ac palpebrarum, quæ illos tuentur : Nasus Organum est olfactus, os locutionis, atque comestionis, ad quæ & labia deseruiunt, & dentes, atq; mãdibulæ, & sic de ceteris. Solæ ipsæ sunt genæ, per quas speciale nullum fit opus, nullaque sensatio particularis: ad hoc in primis à sapientissimo conditore factæ, vt faciei vacuum implerent, illamque sic ornarent, vt in ipsis præcipuũ decoris, ac venustatis totius faciei consisteretur; quamquam & interni quoque eius, qui in animo latet, decoris, ac probitatis sint indices haudquaquam mendaces, iuxta illud Salomonis : *d In facie prudentis latet sapientia.*

Simile.

d Pro. 17. 24.

Ex virginũ ordine secundat in Ecclesia decor Angelicus atque eorum diuinus.

Ecquodnam vero decoris per genas hasce spirituales, per virgines, inquam, in faciem redundat Ecclesiæ? Præstantissimum sane, & illud duplex: Alterum, quod est venustatis Angelicæ, ac cælestis curiæ; Alterum, quod diuinum quid, ipsamque refert diuinitatem, qua nil pulchrius, nil é est venustius: *e In resurrectione,* inquit Dominus, *neque nubent neque nubentur, sed sunt sicut Angeli Dei in cælo* ; super quæ Ambrosius lib. primo de Virginibus, virgines ipsas alloquens ait: Quod nobis promittitur, vobis præsto est, nostrorũque votorum vsus apud vos est : de hoc mundo estis, & non estis in hoc mundo : sæculum vos habere meruit, tenere non potuit. En decor Angelicus, en decus futuri sæculi. Decorem diuinum in eisdem genis conspici eleganter probat Cyprianus lib. de disciplina, & habitu virginum, his verbis: Hinc nobis ad virgines sermo est, quarum quo sublimior gloria, maior & cura est. Flos est ille Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritalis, læta indoles, laudis, & honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago, respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Quid gloriosius nomine Dei ac diuinitatis? Hoc venusta, & gloriosa reddit Ecclesia in Virginibus : hoc decoratur per Virgines, testante ipsomet Domino, idque pollicente per Isaiam Prophetam qui ait: *f Hæc dicit Dominus Eunuchis, qui custodierint sabbatha mea, & elegerint, quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum; dabo eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus, nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.*

c Mat. 22. 30.

Ambros.

Cyprianus.

In Virginibus Ecclesiæ ornatus decore diuino.

f Isa. 56. 4.

Quem locum, de Virginibus interpretantur Ambrosius lib. de instit. Virgin. cap. 6. Augustinus lib de Sancta Virginit. cap. 24. Hieronym. libro primo contra Iouinianum, & alij. Quis vero locus is est tam eximius in domo Dei, nisi sublimitas illa, ad quam in Ecclesia euectas vna cum Deo suo ostendi Virgines? nisi locus genarum in corpore Ecclesiæ, quem filij, & filiæ eiusdem Ecclesiæ ceterique fideles neutiquam obtinent? Nomen autem sempiternum, quod eis promittitur, ipsum est Dei nomen, quod palam eædem Virgines ferre dignatæ sunt, vt plane colligitur ex libro Apocalypsis, *g* vbi Virgines dicuntur habere *nomen Agni, & nomen Patris eius scriptum in frontibus suas.* Gloriam profecto tam grandem, quam nulli in antiqua Synagoga cõcessam nouimus, præterquam summo Sacerdoti, de quo in libro Ecclesiastici: *h Coronam auream super mitram eius.* scilicet Aaron, *expressam signo sanctitatis, & gloria honoris, opus virtutis, & desidevia oculorum ornata*: lumina nimirum illa, quæ fronti Pontificis imponebatur : & Exodi 29. dicitur Diadema, vel corona sanctitatis, quæ corona dicitur expressa signo sanctitatis, & gloria honoris, quatenus in illa, velut in sigillo insculptum fuit signum sanctitatis, & summæ gloriæ, id est nomen Dei sanctissimum, & glorioſissimum. Dicitur etiam opus fortitudinis, & desideria oculorum ornata, ob eximiam authoritatem & eminentiã, desiderabilis sane oculis hominum, valdeque ornata. Quanquam non absurdum forsitan sit, si vna cum Hugone Cardinale per citatum locum Apocalypsis, dicamus, nomen sempiternum promitti Virginibus, easdemque deferre nomen Dei scriptum in frontibus suis, ob nescio quid diuini superãtis naturam humanam, quod in illis conspicitur, propter quod, quoquo pacto Dei nomine nuncupentur, iuxta illud Psalmi:

g Apo. 14. 1.

h Eccl. 45. 14.

Exod. 29. 6. secundum Ie. Hebr.

Hug. Card.

i Ps.81.6. mi: *i Ego dixi: Dij estis, & filij excelsi omnes*: nimirum tanquam Regis sponsæ, quæ iisdem insignibus, eodem nomine, iisdemve titulis cum Regibus sponsisque suis decorantur. Cum itaque Virgines tantum Ecclesiæ conferant decoris; cumque tantas cum corporeis genis habeant congruentias, quis iam miretur, si in aperto faciei loco, vt genæ mystici Ecclesiæ corporis, constituantur?

Claustra Virginum se habet instar velaminis ad genas corporeas.

Neque vero occultum, & absconsio earumdem Virginum, qua secundum consuetudinem Ecclesiasticam eæ delitescunt in claustris, & publicum omne deuitant, repugnant quidquam ne in patenti Ecclesiæ facie sint, sublimemque genarum locum obtinentes, illius & venustatem denuntient, & virgineam qualitatem: Nam claustra, & abditum quodque sunt velum quoddam, quo genæ ipsæ operiuntur, & cum opertæ fuerint, illustriores redduntur, sublimiores, atque venustiores. Nec absurdum cuiquam videatur, si claustra Virginum dixerim velum, cum ea muris, ac vallis præfortibus circumdata sint: nam & Tertullianus lib. de velandis Virginibus, cap. 13. velum ipsum è contra murum appellasse reperitur, & vallum, vbi ad virginem hæc habet verba: Indue armaturam pudoris, circumduc vallum verecundiæ, murum sexui tuo strue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos. Velumque eadem appellauit & sponsus, qui, eo pulchriores illas esse conspexit, quo magis eas reperit opertas: atque adeo quasi accessionem maximam venustatis ex velamento ipsis factam, aduerterit, sic eas commendat, iuxta Hebraicam lectionem: *Sicut fragmen mali punici; ita genæ tuæ intra velum tuum.* Qua de re pluribus agam infra, cum singulas præsentis encomij partes examinabo.

Tertull.

19 Ablata admirationis causa, probatoq; simul, quam congrua sit genarum metaphora ad designandũ sanctarum virginum ordinem, accedamus iam ad explicandas egregias conditiones singulas, quibus earumdem Virginum ordo hic celebratur: ac primo quas allata indicat similitudo fragminis mali punici.

Virgines Christo quo ad superiora eleuatæ sint, ad inferiora vero deprejsæ.

Quinq; illas esse notaui in prima expositione: quarum duas priores quod in parte quidem superiori eleuetur, ac pinguiusculæ sint: in parte vero inferiori deprimantur, præclare ab Apostolo explicatas habemus in Epist. ad Cor. 1. vbi ait: *a Mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta & corpore, & spiritu: Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* At superna quidem virgo Christi eleuata est, & pinguior: eleuata, quia cogitat quæ Domini sunt: quia mentem suam ad cœlestia eleuat, cælestis & ipsa: pinguior vero est pinguedine sanctitatis, profectu nimirum virtutum, quo studium adhibet, vt sit sancta & corpore, & spiritu; pinguedine & deuotionis, qua se extendit ad Deum suum concinens cum Propheta: *b Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea.* Ad ima autem eadem Christi virgo deprimitur in humillima animi sui demissione, cum de terrenis haudquaquam solicita est nec quicquam de corruptibili isto mundo cogitans, sæcularia contemnit: nam quæ sæcularium curam habet, neque virgo est, neque honesta, vt bene ait Chrysostomus hom. 19. super citata Apostoli verba: &, iuxta eiusdem Apostoli *c* consilium, hoc mundo vtitur, quasi non vtatur.

a 1. Cor. 7. 34.

b Ps. 62. 6.

Chrysost.

c 1. Cor. 7. 31.

Tertia sanctarum virginum conditio per corticis mali punici similitudinem subindicata est; quod vna cum subuiridi, atque subfusco colore pulchritudinem adiunctam habeant, vnde aptissime dicere vnaquæq; earum potest, vt Christi sponsa: *d Nigra, leu, fusca sum, sed formosa.* Conditio porro ista duas illarum continet laudes, egregias ambas, ambas eximias. Prima, quod in nigrore corruptibilis, ac miserrimæ carnis angelicam contineant pulchritudinem: ita vt color ipse subfuscus, carnis corruptibilitas, & pugnæ continuæ, quibus pudicitia concutitur, virginitasque iugi subest periculo, ipsum castimoniæ decorem mirum in modum augeat, iuxta illam Bernardi sententiam. Quid castitate decorius, quæ mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, Angelum de homine facit? Differunt quidem inter se homo pudicus, & Angelus, sed felicitate, non virtute: etsi illius castitas felicior, huius tamen fortior esse cognoscitur. Sola est castitas, quæ in hoc mortalitatis & loco, & tempore statum quemdam immortalitatis gloriæ repræsentat. Altera vero laus est, quod, externo quidem corporis cultu subfuscum præferentes colorẽ, internum tamen simul seruant puritatis candorem. Quemadmodum enim malum punicum extrinsecus cortice operitur subuiridi, per quem candor, ac rubor, qui in internis granis est, nedum conseruatur, sed & accessionem capit non modicam: Ita & per neglectum corporis cultum, perque fuscum, & contemptibilem habitum externum candor internæ puritatis & cõseruatur, & augetur in Virgine: candor quippe extrinsecus, si exhibeatur in accurato corporis cultu, interno certe candori multum, multumque detrahitur: Quod in Posthumia Romana facto comprobatum legimus apud Titum Liuiũ, quæ cum esset ex virginibus Vestalibus, ob id dumtaxat infamiam sustinuit, incestique insimulata est publice, quod mundiori extrinsecus vteretur cultu. Vnde bene Cyprianus lib. de disciplina, & habitu Virginum cap. 3. ait: Virgo non esse tantum, sed & intelligi debet & credi: vt nemo cum virginem viderit, dubitet, an virgo sit; parem se integritas in omnibus præstet, nec bonum corporis cultus infamet. Et infra cap. 5. Redarguit te (inquit ad virginem bene comptam) cultus improbus, & impudicus ornatus, nec cõputari iam potes inter puellas, ac Virgines Christi, quæ sic viuis, vt possis adamari.

Virginem quã deceat neglectus corporis cultus. Simile.

Liuius li. 4.

Cyprian.

Præclare autem, tam externus, quam internus mali punici color ad externum virginis cultum, atque ad internum eiusdem candorem exprimendum assumptus est: Neq; enim color corticis mali punici turpis quispiam est color, ater, & admodũ niger, sed subuiridis: quia nec Virginem Christi sordes vllatenus decent, at mundioris cultus neglectus: talisve ei cõgruit cultus, qualem ea demum eligat, quæ Christo soli placere studeat in munditia, & sanctitate corporis, atque spiritus. Porro internus granorum mali punici cãdor ita sese habet, vt perpulchre viuo, & rubicũdulo quopiam colore sit admixtus: Ac profecto haud aptior reperiri posset color, quo virgineus càndor repræsentaretur; quandoquidẽ puritati virginali ita viua commixta est charitas erga Deum, quem vnum diligit, cui vni placere satagit, vt non immerito candida ea dici debeat simul, ac rubicundula: eoque magis id verum esse, comprobatur ex eo quod gloria, candorve iste, de quo in Psalm. dicitur: *a Omnis gloria eius ab intus*; de Christo est crucifixo: quia cum primum suam Deo dicarunt pudicitiam Virgines Christi, ardẽti affectu, magnisve præcordiorum vocibus id cum Apostolo professæ sunt: *b Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi*: atque cum Christi se sponsas profiteantur, iugi martyrio vna cum Christo carnem suã crucifigunt, iuxta illud eiusdem Apost. *c Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs suis.*

Virginis quas lis esse debeat cultus extern. & internus.

a Ps. 44. 14.

b Gal. 6. 14

c Gal. 5. 24.

Illud denique hic notandum, per hoc, quod internus Virginum candor dicitur similis interno candori granorum mali punici, designari, virginalem pudicitiam nedum esse florem, provt communiter à Sanctis Patribus appellatur rosæ, vel lilij, sed & fructum esse prædulcem; ita vt recte Virginibus sanctis verba illa Ecclesiastici accommodare liceat: *d Obaudite medi-* d Eccl. 39. *nini fructus, & quasi rosa plantata super riuos aquarum fructificate.* 17.

Virginalis pudicitia flos est, & fructus.

Virginitas in carne fortitudine præstantior.

Bernard. Epist 42.

Quarta sanctarum Virginum, & dimidiati mali punici conditio est glorioßissimus rubor extrinsecus apparens vna cum natiuo subuiridi ipsius corticis colore. Rubor vero iste haud aliud designat, quam commendabilem illum pudorem, cuius indicium rubor is est, quo honestarũ puellarum genæ summa cum venustate perfunduntur: propter quem ruborem simul, atq; pudorem duodecim tabularum edicto vetitũ est, ne ipsæ feminarum genæ raderentur, vt refert Plin.

20 *Virgines sãctæ decore pudoris ornãtur, quamlibet sit illarum pudor Plin. li. 11. c. 36.*

Porro

Porro rubor, ac pudor huiuſcemodi in Virgine ſancta haudquaquam ex peccato aliquo prouenit, ſed ex eius munditie, & pudicitia inſigni. Quemadmodum enim rubor, qui in cortice eſt mali punici, ex intimis eius erumpit, ex rubore videlicet, qui candidis admixtus eſt granis, attractus à ſolaribus radiis: atque adeo ex ea parte rubicundiora mala ipſa eſſe, obſeruamus, quam Sol reſpicit magis: Eadem ratione & pudoris rubor, quo extrinſecus Virgines Chriſti ſuffunduntur, ex inſigni ipſarum pudicitia erumpit, quã candidiſſimam intrinſecus ſeruant, puritate vna cum flagranti charitate erga dilectum ſuum ſimul admixtis: Cum enim tanta erga Chriſtum ſuum flagrent charitate, vt perfectiſſimo modo virgines caſtas ſe illi exhibere ſatagant, de puritate deque ipſamet charitate erubeſcunt, vnde magis à Chriſto vero iuſtitiæ ſole reſpiciuntur, ruborque huiuſcemodi pudoris à ſupercæleſtis illius ſolis radiis de interno earum rubore educitur, quatenus id quoque ex ſpeciali Chriſti gratia fit, vt eæ de ſuo erubeſcant bono quod ex diuina pariter gratia ſibi proueniſſe agnoſcunt. Hocque illud eſt, quod teſtatur Tertullianus libro de velandis Virginibus cap. 2. his verbis: Virginibus præter quod à Deo, non captanda gloria eſt, etiam in bonum ſuum erubeſcendum. Nec obſcure idipſum & Sapiens ille ſignificauit in libro Eccleſiaſtici, qui dixit: *e Gratia ſuper gratiam mulier ſancta & pudorata*: Æque eſt enim, ac ſi dixiſſet: Quod mulier aliqua ſit ſancta ſimul, & pudorata, eſt gratia ſuper gratiam: Eſt ſiquidem vna, ac prima gratia, quod decora ſit ſanctitate, & puritate: ac ſuper hãc gratiam eſt inſuper alia gratia, quod cum ſanctitate coniunctum habeat pudorem, quodve de ipſa puritate ſua erubeſcat. Ex hac verecundia, & pudore in eis fit, vt & quintam denique habeant conditionem corticis mali punici, lenitudinem abſque tubere vllo, vllave aſperitate, & inæqualitate, exhibendo ſe humiles, mites, atque æquabilis animi in vniuerſis, quæ illis contingunt; neque enim ſuperbia efferri de iis poſſunt bonis, ob quæ rubore ſuffunduntur: neque aſperitatem aliquam valent præſeferre: quæ præ pudore nec comparere audent: neque propter rem vllam dimoueri à ſuo queunt dilecto, vt vel tantillum ab eius diſcrepent voluntate, à quo tanta bona ſe ſuſcepiſſe agnoſcunt, & cui ſeſe in omnibus eodem rubore ſuffuſæ dediderunt, ac reſignarunt,

Poſt commendatas genas iſtas ſpiritales, ſanctaſque virgines ex his quinque conditionibus, quæ includuntur in allata ſimilitudine dimidiati fragminis, & corticis mali punici, addit cæleſtis ſponſus epiphonema encomij iſtius earumdem genarum ſane præclariſſimum: *Abſque eo, quod intrinſecus latet*; ſeu iuxta Sept. *Extra ſilentium tui*, vel ſecundum text. Hebræum; *Intra velum tuum*. Triplicem addens laudem illarum iuxta triplicem iſtam lectionem.

Ac primo adiiciens, *intra velum tuum*, per hæc verba duo ſimul effecit. Prius enim præallatas amplificat laudes; quia Virgines intra velum clauſtrorum concluſæ eorum omnium quæ per allatam ſimilitudinem indicata ſunt, illuſtrius exhibeant ſpecimen. Secundo edocet Virgines quaſlibet, quid agendum eis ſit, vt decoras Eccleſiæ genas ſeſe exhibeant, ac ſeruent: id vero eſt, vt velo ſeſe operiant; intra clauſtra concluſæ permaneant: hoc quippe præcipuum eſt, quod pudor Virginalis expoſcit: vnde apud Ægyptios tantam legimus extitiſſe ipſius pudoris curam, vt mulieribus interdictus eſſet calceorum vſus, quo prodire palam verecundarentur, ac veluti teſtudines intra ſua tecta ſe continerent: idcirco & pro pudicitiæ hieroglyphico vſurpare teſtudinem ipſam iidem conſueuere, vt refert Pierius Valeri. cap. de pudicitia lib. 4. Idcirco & apud Romanos, referente eodem Pier. ibidem, moris erat vt virgo, quæ nuper nupta eſſet, flammeo operta duceretur ad virum. Quem morem etiam apud antiquos, ſanctoſve Patres fuiſſe colligimus ex libro Geneſis, *f* vbi Rebecca ſtatim, ac conſpexit Iſaac virum ſuum aduentãtem, pallio, ſeu vela-

Similc.

Tertull.

e Eccl. 26. 19

21

Virgines ſãctas quam deceat clauſtris eſſe conclusas.

Mulieribus interdictus vſus calceorum apud Ægyptios, ne foras prodirent. Pier. Valer. lib. 4.

f Gen. 24. 65.

mine vultum ſuum operuiſſe dicitur, de qua Ambroſius lib. 3. de Virginibus paulo poſt initium, ait præclare, & vtique pulchra virgo non decori timuit, ſed pudori. Neque vero abs re factum eſt, vt, cum ſacræ virgines, & ſacratum velum ſuper caput habeant, & intra clauſtra concluſę ab Eccleſia ſeruentur: per velum, intra quod dicuntur eſſe ſicut fragmen mali punici, non tam ſacratum capitis velum, quam clauſtra ipſa deſignata ſint: nam per ſacratum velamen capitis non tam pudori conſulitur, quam ſubiectio deſignatur, qua eæ ſubiectæ ſunt Chriſto ſponſo ſuo, vt ex Apoſtolo collectum eſt ſupra in expoſitione quarta verſ. 1. huius capitis. At clauſtra ipſa ſunt, quæ ad hoc potiſſimum inſeruiunt, vt pudori proſpiciatur. Porro iſtud ipſum veli nomen cõgruentiſſima ratione hiſce competit clauſtris: tum quia per clauſtra quantumlibet concluſa, æque ac per tranſparens velum ſanctarum Virginum decor, ſingulæque decoris earum cõditiones ab ipſarum ſpõſo conſpiciuntur, quod ipſemet teſtatum voluit in hoc illarum encomio, dicens: *Sicut fragmen mali punici genæ tuæ intra velum tuum*. Tum quia clauſtra, etſi claudant virgines, liberas nihilominus illas relinquunt, ſunt quippe inſtar veli, quo mulier ſeſe operit, & ita ſeſe concludit, vt tamen liberam ſe ſeruet, adeo vt quandocunque ei libuerit, reuelare illud queat, nolit vero propter pudorem, cui operimentum id maxime confert. Nec eſt, quod quiſpiam cõtra hæc obiiciat ſeras, claues, ac vectes, quibus Virgines ſacræ in ipſis concluſæ ſeruantur. Quæ enim veræ virgines ſunt, haudquaquam à clauibus, & vectibus concluduntur, ſed à libera voluntate, quæ vectibus quibuſcunque eſt fortior: & idcirco, tametſi clauibus claudantur, liberrimæ nihilominus dici debent, vtpote quæ ex libera voluntate ſeras clauibus teneant obſeratas, quod in ſancto Virgine Ioſeph obſeruare fas eſt, qui cum in carcere concluſus detineretur: ita tamen liber erat, vt & claues haberet carceris, nec egrederetur: quinimo eos ipſos, qui ex familia Regis in eumdem carcerem intruſi fuiſſent, ſibi creditos cuſtodiret. Sic namque de illo legimus in libro Geneſis: *a Tradidit Ioſeph Dominus eius in carcerẽ, vbi vincti regis cuſtodiebantur, & erat ibi clauſus: fuit autem Dominus cum Ioſeph, & miſertus eſt illius, & dedit ei gratiam in conſpectu Principis carceris, qui tradidit in manu illius vniuerſos vinctos, qui in cuſtodia tenebantur; & quicquid fiebat, ſub ipſo erat. Nec nouerat aliquid, cunctis ei creditis: Dominus enim erat cum illo, & omnia opera eius dirigebat.*

Sicut autem verba iſta, *Intra velum tuum*, iuxta Hebraicam lectionem, non modicum pudori conſultum eſt Virginali: ita & per eadem vt reddita ſunt à Septu. ἐκτὸς σιωπήσεώς σου, ſi pronomen, σῆς, actiue ſumatur, & legamus; *Extra ſilentium tuum*: quam maxime eidem pudori conſulitur; ac ſi dicatur.

Virgines, quæ in te genarum obtinent locum prædictas omnes habent conditiones, quæ in fragmine mali punici conſpiciuntur: haud commemorabo ſilentium tuum (per Apoſiopeſim) quod ſcilicet in ipſis Virginibus præ iis omnibus maxime eſt neceſſarium ad tutandum præſertim pudorem. Quod quam verum ſit, ſententia Ambroſij confirmari ſat eſt: is quippe lib. 3. de Virg. paulo poſt initium hæc habet, digna, quæ hic notentur. Deeſſe ſermonem Virgini magis, quam ſupereſſe, malo: nam ſi mulieres etiam de rebus diuinis in Eccleſijs iubentur tacere, domi viros ſuos interrogare: de virginibus quid cautũ putamus, in quibus pudor ornat ætatem, taciturnitas cõmendat pudorem? Verum, cum dictum pronomen, σῆς, paſſiue potius accipiendum ſit, ac legendum: *Extra ſilentium*, ſeu, *taciturnitatem tui*. Iuxta eum, qué in prima expoſitione litteræ attuli ſenſum: præſtantiſſima Virginibus ipſis per hæc exhibetur decoris laus: nimirum quod tanta ſit ipſarum excellentia, vt decore ſuo vniuerſam Eccleſiæ Sanctorumque ipſius ſuperent pulchritudinem, tametſi alioquin ipſa Eccleſiæ pulchritudo eam vim habeat; vt intuẽtibus quibuſcuque admirationem ingerat, atque ſtuporẽ; adeo vt nec loqui quid-

Ambroſius. Virginum clauſtra eum veli nomine deſignentur.

Virgines & clauſtris clauſæ ſummam habent libertatem.

a Gen. 39. 20.

Silentium quam deceat Virgines Chriſti.

Paraphraſis.

Ambroſ.

Virginum decor excellit ſuper omnem alium Eccleſiæ decorem, & quomodo id intelligendum ſit.

quidquam de illa poſſint. Iſtam vero tam eximiam A de illa tractaret; hæc autem eſt demiſſiſſima animi
ſanctarum Virginum prærogatiuam exinde intelli- humilitas, quæ intrinſecus in ipſis Virginum præcor-
gere poterit quilibet, quod in libro Apocalypſis, vbi diis latet, quæve illam ipſam, quæ extrinſecus mani-
Virginum laudes à virgine item Ioanne enarrantur, feſtatur, præcedit erubeſcentiam, & inſeparabiliter
b Apo.14.9 Virgines dicuntur *b empti ex hominibus primitiæ Deo, & agno.* Enimuero per id, quod dicuntur primitiæ Deo, externam comitatur verecundiam: ſine interna nam-
& agno, ſignificatur, illas eſſe omniũ optimas, atque que hac humilitatis gratia pudor virginalis gratioſus
præſtantiſſimas, provt & primitiæ, quæ Deo offeruntur e terra, ſunt fructus optimi fructuum omnium. minime erit vnquam diuinis oculis: ſicut nec virgini-
Alluſio. Quin in iiſdem verbis videtur eſſe alluſio ad id, quod tas ipſa haudquaquam decora eſt ſine eadem humili-
fieri ab hominibus iis ſolet, qui fructuum munus ali- tate, provt alias fuſius oſtenſum eſt. Quod demum
quod Regi deferre volentes, per plateas obambulant, additur: *Et pro reuerentia accedet tibi bona gratia*: illud
diligentiamve maximam adhibent, vt præſtantiſſi- omne confirmat, quod dictum ſuperius eſt; in virgi-
mos quoſque & primos reperiant fructus, quos poſt- B nibus tam eximiam eſſe venuſtatem, tantaſque vires
modum Principi largiantur, Regia dignos perſona: propter iſtiuſmodi gratiam, vt à Deo extorqueant
ſic quippe & Dominus Ieſus feciſſe videtur, quippe quodammodo gratiam benedictionis ſuper homines,
qui cum in terras deſcendiſſet in carne, quando cum ex quibus eæ emptæ ſunt: nam nomine reuerentiæ
hominibus conuerſatus eſt, tametſi multiplex ſan- tam interna ſignificatur humilitas, quam exterior ve-
ctorum genus emerit, quod poſtmodum Patri obtu- recundia; nomine vero bonæ gratiæ, ſignificatur be-
lit; ſtudium nihilominus adhibuit ad hoc in primis, vt nedictio Domini, & beneficiorum collatio, in quam
eximium aliquod, & præſtantiſſimum hominum ge- reſoluitur ipſa Dei benedictio ſuper aliquos.
nus reperiret in terra, quod veluti primitias Deo of- Paraphraſticus igitur, qui ex hiſce, quæ fuſius per- Paraphra-
ferret: Inuenit virgines, quos terra ipſa protulerat, tractata ſunt, colligitur ſenſus præſentis genarum ſis.
poſtquam ipſe, virginitatis auctor de virgine natus encomij, iſtiuſmodi eſt.
eſt mundo. hoc ergo vt eximium quid ex hominibus Virgines ſacræ, quæ in te genarum obtinent locũ, Aponius.
pretio ſanguinis ſui emit, primitias ſane congruentiſ- tum propter ſtatus ſublimitatem, qua inſtar gena-
ſimas Deo, & agno, id eſt, & humanitati ſuæ primæ rum capiti tuo proxime inhærent Chriſto idemque
C ſequuntur ad omnem motum & quocumque ierit;
virginitatis radici. tum propter tui notitiã, qua ex illis dignoſceris, quæ-
22 Ex iſto ipſo primitiarum nomine, quo virgines in- nam ſis, virgo nimirum, æque ac per corporeas genas
Virginũ cor eam habet vim, vt Deũ quodammodo compellat benedicere, & propitiũ eſſe reliquis fidelibus. ſigniti ſunt, colligere forſitan poterimus in quonam in primis quis vnuſquiſque ſit, manifeſtatur, tum pro-
venuſtas illa ſita ſit, eaque vis, quam in iiſdem ſpiri- pter decorem, ac venuſtatem, quam ex illis potiſſimũ
tualibus Eccleſiæ genis, & in virginibus latenter in- habes, cum ad hoc maxime inſeruiant, vt te honeſtẽt,
eſſe, ſubindicauit cæleſtis ſponſus, cum iuxta noſtrã non ſecus ac genæ quoque id in primis efficiunt,
Vulgatæ lectionẽ dixit: *Alſque eo, quod intrinſecus latet.* quod faciem decoram reddunt. Genæ, inquam, iſtæ
Siquidem primitiæ eam in ſe continebãt vim, vt, cum tuæ decorem habent eximium: quem vniuerſum ex-
aliquid frugum oblatum Deo fuiſſet, quamuis exiguũ primit ſimilitudo, quam habent cum dimidiato frag-
illud eſſet, Dominum inducerent, ac quodammodo mine, & cortice mali punici. Sunt quippe in parte qui-
compellerent, vt fructus, frugeſue omnes benedi- dem ſuperiori eleuatæ, in inferiori vero depreſſiores:
D quia nihil, vel parum quid, & quantum neceſſitas ex-
ceret, & arbores, agroſque vniuerſos fœcundos red- poſcit, de mundo, ac de imis hiſce cogitantes, cogi-
deret, quod Salomon in libro Prouerbiorum conte- tationem omnem ſuam in me Deum tuum habent
c Pro.3.9. ſtatus eſt, cum diceret: *c Honora Dominum de tua ſubſtantia, & de primitiis frugum tuarum: & implebuntur horrea tua ſaturitate, & vino torcularia tua redundabunt.* Similem eleuatam. Habent quidem ſubuiridem, atque ſubfuſ-
itaque vim in Virginibus Sanctis tacite extollit ſpon- cum colorem, qualem & fragmen illud, ſed iunctum
ſus, quod eam latentem in ſe habeant venuſtatem, vt cum decore, ita vt vnaquæque dicere valeat: Nigra, &
Virginum preces quãtã vim habeant apud Deum. quam primum diuino oblatæ fuerint aſpectui, vim ſubfuſca ſum, ſed formoſa, quatenus in miſera, ac
quodammodo illi inferant, vt fidelibus reliquis bene- corruptibili carne ſunt virginitate decoræ: & exter-
dicat, hominibuſve, ex quibus emptæ ſunt de terra, no corporis cultu ſubfuſcum deferentes colorem, in-
beneficia conferat abundanter: & nihil omnino ſit, ternum tamen ſimul ſeruant candorem puritatis:
quod illis denegare queat, cum quidpiam ſuis expoſ- Rubro colore perfuſæ ſunt, pudore nimirum virgina-
cunt precibus; preces etenim ipſarum ex virginitate, li, qui ad Chriſti veri ſolis præſentiam ex interno pu-
E ritatis candore extractus eſt, non ſecus ac rubor ille
& virginali earum pudore maxime commendantur, qui in cortice eſt mali punici ex granis internis can-
maximaſve deſumunt vires, quod auctor libri Eccle- didis, rubriſue ſimul ad ſolis aſpectum dimanat:
d Eccl.32. 16. ſiaſtici non obſcure ſignificat, cum ait: *d Ante tonitruũ,* Lenes inſuper ſunt abſque externæ ſuperbiæ tubere;
(ſic habent Originalia Græca pro eo, quod Vulgata abſque vlla aſperitate mites, & abſque vlla inæquabi-
legit: *Ante grandinem*) *præibit coruſcatio, & ante verecun-* litate æquabilis animi in rebus quibuſcunque, ſicut
diam præibit gratia, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia. & cortex ipſe mali punici lenis eſſe conſpicitur. Eo
Dicens quippe: *Ante tonitruum præibit coruſcatio;* ſignifi- autem præſtantiora hæc vniuerſa in genis hiſce ap-
cat, ante orationem, & preces virginum præire ſo- parent, quod intra velum tuum concluſæ ſeruantur:
lere coruſcantem erubeſcentiæ pudorem. Siquidem quod abditæ detinentur intra clauſtra, quæ inſtar veli
ex libro Apocalypſis habemus aperte, tonitruo virgi- ſunt, cum haudquaquam diuinos, & Sanctorum pro-
e Apoc.14. 2. num preces cõparatas: *e Et audiui vocem de cælo tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni:* & bene. nam quemadmodum ex colliſione, & F
Simile. contritione nubis tria procedunt, coruſcatio, toni- hibeant oculos, quin intra ipſa virgineum decorem conſpiciant: & inſtar veli libertatem neutiquam ipſi tollãt. Parum dico, cum hiſce omnibus prærogatiuis virgines ipſas decoras aſſero intra velum. Tantus eſt illarum decor, vt vniuerſam quoquo modo ſuperent pulchritudinẽ reliquorum ordinum ac membrorum tuorum: quandoquidem primitiæ ſunt emptæ de terra, & ex hominibus, vt quid præſtantiſsimum. Taceo de eximia illa gratia humilitatis demiſſiſſimæ, quæ intrinſecus in illarum latet præcordiis, tantam eis impertiens vim, vt benedictionem vniuerſis fidelibus reliquis, totique agro tuo à me quodammodo extorqueant.

trum, atque imber aquarum; Ita ex animi contritione tria ad Deum emittunt Virgines ſanctæ; Coruſcationem verecundiæ, & pudoris Virginalis, quo ſuo ſe offerentes ſponſo erubeſcunt gratioſiſſime: Tonitrum orationum, ac laudum, tonitrum, inquam, magnum, cuius vox vſque ad altiſsima cælorum peruenit: Et imbrem lacrymarum multarum, quarum item vox nubes penetrat. Porro quod ſubijcitur; *Ante verecundiam præcedet gratia;* eam deſignare videtur gratiam, quam innuens prætermittere ſe velle ſponſus, multo magis extollit, quam ſi apertiſſime, & eloquentiſſime

Ex Vers. III. cap. IV. *Sicut fragmen mali punici: ita & gena tua absque eo, quod intrinsecus latet.*

Expositio III.

De secunda sponsa, quæ est Anima Iusti.

23 *Honesta conuersatio signum prudentiæ.*

Sicut prudentiæ vniuscuiusque index est non exiguus modus ille honestus, ac humilis, quo cum ceteris quis conuersatur extrinsecus: Ita & orationis studio non modicum exhibere adminiculi eumdem recte ac prudenter conuersandi habitum, & cautum modum, quem in conuersando adhibere debemus nemo est, qui nesciat. Hinc est, quod post prudentiæ, & orationis encomia, huius quidem sub labiorum metaphora; illius vero sub metaphora dentium, ordine sane non incongruo subijcitur in hac sententia encomium cautæ istius conuersationis, & modi, atque habitus, quo pia anima extrinsecus conuersatur: idq; sub metaphora genarum, quæ dentibus supereminēt, & labijs. Circa cuius encomij intellectum tria sunt perscrutanda. Primum, cur istiusmodi externus conuersandi habitus sub hac genarum metaphora exprimatur. Secundum, quid proportionis similitudo ista habeat fragminis mali punici cum his genis spiritualibus, vt per illam tam eximium contextum sit ipsarum encomium. Tertium, quid laudis eisdem piæ animæ genis conferatur per extrema verba, quæ adiecta sunt, iuxta triplicem lectionem, Hebræorum, Septuag. atque Vulgatæ.

Conuersationis habitus modestus, & cautus quantum decoris conferat piæ animæ.

Quoad primum. Sub genarum metaphora triplicē ob causam designatus est cautæ conuersationis modus, triplexque per hanc appellationem in illum confertur laus: triplicem enim ob causam genæ in humana facie constitutæ sunt à natura, & triplex exercent munus. Primum, quod & præcipuum, & potissimum est, quod faciem simul, ac totum corpus decorāt: sunt enim genæ quasi pallium quoddam perpulchrū, quo os operitur, quoue facies tota honestatur, & intuentium oculis spectandum obijcitur. Quid vero est, quod præ ceteris omnibus humano proponitur aspectui, nisi facies externæ conuersationis? sententia est vul-

a 1. Reg. 6. 7. gatissima, *a Homo videt in facie, Deus autē in corde*: Quid pulchrius modesta conuersatione? Modestia in habitu, modestia in actione, modestia in sermone quasi pallium & ipsa est: pallium, inquam, perpulchrum oris, & aspectus animæ piæ: atque adeo à Sanctis quibusque id quam maxime exposcit Apostolus, vt hoc pacto insignitos se exhibeant omnium oculis, di-

b *Phil.* 4. 5. *Simile.* cens: *b Modestia vestra nota sit omnibus hominibus*. Porro quemadmodum famuli illi à pedibus, quos Italice appellamus *Staffieri, & Paggi*, è penula externa in primis dignoscuntur, cuiusnam Domini sint, aut Principis, iuxta varietatem limborum diuersicolorum: atque adeo cum aliquos istiusmodi famulos cuiuspiam Domini præire conspicimus, talem Dominum, talemue Principem aduentare, proximumue esse intelligimus. Ita & ex hoc externæ modestiæ pallio, quo anima cooperitur, arguitur Christi Domini præsentia: ac propterea Paulus statim ac dixit: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus*: subintulit; *Dominus enim prope est*: Ac si dicat: Exhibete modestiæ, ac sanctæ conuersationis pallium quod est insigne, & (vt ita dicam) versicolori compositione consuta vestis illa, quam & Latini græco vocabulo synthesim appellant, Italice *liurea* Domini illius, cuius estis serui: quemue in medio vestri concluditis: ipse enim Dominus prope est: intra vos est, nec videri, aut dignosci potest à quoquam, nisi ex externo isto, quo operimini, pallio.

Ex conuersatione modestia dignoscatur Christi præsentia intra piam animam.

Atqui id, quod in synthesibus, seu liureis hisce mūdanorum Principum contingit, vt externæ penulæ ex panno, aut serico vnius eiusdemque coloris sint: cui tamē color alter vel in limbis, vel in medio superpositus appareat: & in hac quoque supercælestis Domini synthesi, & liurea animaduertere est: Enimuero istud modestiæ, ac sanctitatis pallium ex candido quidem colore est; sed & color rubeus pariter est candido illi superpositus: quod & in pulchris etiam genis obseruare fas est, tuncque præsertim, cum in puellis præ pudore erubescunt. Hæc namque secunda ratio est, propter quam genæ ipsæ in humana facie à natura sunt constitutæ; vt ex ipsarum erubescentia ingenuus animi pudor, internaque probitas intuentium oculis exhibeatur: siquidem in honestis, ac pudicis puellis, & in probis quoque viris id ex interna virtute inditum est, vt si quid mali, inhonesti, ac indecori audire, nedum facere eis contigerit, statim eorum genæ rubore suffundantur, in illas nimirum indignatione vna cum spirituoso sanguine contra id inhonesti erumpente. Cuius rei contrarium in prauis, ac impudentibus euenit: cum enim nulla indignatione cōtra vitium, quod perpetrant, accendantur; sed timore potius pœnæ, aut damni commoueantur, pro rubore pallorem habent in genis: quoniam sanguis ex toto corpore concurrit ad cor, vt illi scilicet pauido opem ferat: pessimis vero quibuscunque, nec rubor, nec pallor pro re quantumlibet turpi in genis conspicitur; nihil enim ij commouentur, cum nec Deum nec homines vereantur. Hanc autem esse Dei synthesin, & liuream in huiuscemodi pallio, egregia parabola probat Gregor. Nanzianzenus lib. aduersus mulieres, &c. dicens: Cum olim inter homines tanta esset perturbatio, vt probi à prauis nullo modo internosci possent, ac propterea omnium rerum ordo confusus esset, hanc Deum orationē habuisse: Haud quaquam æquum est, bonos ac malos eadem gloria frui, sic enim vitium in dies augeretur: quocirca præclarum signum imponam; quo perspicue dignosci queat, quis bonus, quis malus sit: Hac oratione habita, bonorum quidem genas rubore tinxisse, suffuso scilicet pelli sanguine, quoties turpitudo aliqua animum adoriri pararet: quem etiam ipsum mulieribus, quia & rariori cute, & molli pectore sunt, vberius infudisse: At vero mali sanguinem condensasse, immotumque intus tenuisse: eoque effici vt ad nullam turpitudinem erubescant. Clarius autem ruborem istum ab ipso Deo superpositum quodammodo isti genarum pallio ibidem paulo post relata, idem testatur Gregorius in hæc verba: Vnicus color in mulieribus amabilis est, nimirum rubor ille, quem pudor gignit, qui quidem à pictore nostro (Deo scilicet) pingitur. Atqui sicut in mundanis Principibus id moris esse solet, vt eadem synthesi & liurea sibi, sponsæque suæ præeuntes famulos induant, quo ex vno eodemque lacernarum genere, cum illi occurrerint cuipiam, arguere is statim queat, eum proximum esse Principem, qui tali liurea vtitur, vel in persona propria, vel in persona sponsæ quæpiam cum ipso insignita est dignitate: Ita quodammodo & in synthesi ac liurea ista spiritali vsuuenire solet: pallium namque externæ modestiæ, sanctæque conuersationis, rubore pudoris variegatum non solum Dei, sed & spōsæ, animæ nimirum, quæ per virtutem ipsi spōsata est, exhibet præsentiam. Vnde præclare Ambrosius lib. 3. de Virginibus, Virginem, inquit, (animam videlicet illam, quæ desponsata est vni viro, Virginem castam exhibere Christo) mihi prius grauitas sua nuntiet, pudore obuio, gradu sobrio, vultu modesto, & prænūtia integritatis anteeant signa virtutis. Quæ ijs cōsona sunt, quæ dicuntur in libro Ecclesiastici: c *Ab occursu faciei cognoscitur sensatus: amictus hominis, & risus dentiū, & ingressus hominis enuntiant de illo*. Facies quippe quasi famulus quidam est eorum, qui à pedibus præcedunt; atque adeo cum illa cuipiam occurrit pallio

Synthesis, & Christi liurea qualis.

Erubescentia in genis in externa conuersatione arguit internam animi probitatem.

Erubescentia faciei vnde proueniat.

Gregorius Nazianz.

Simile.

Modestia erubescentia synthesis est Christi, & animæ sanctæ.

Ambros.

c *Eccle.* 19. 26.

Erubeſcentia è verecundus color virtutis Diogenes.

exornata pudoris, ac ſanctæ, decoræque conuerſationis, denuntiat ſane illico eidem, eſſe ibi animã Chriſti ſpõſam atq; virtute præditam: Eſt ſiquidem huiuſcemodi facies pudore erubeſcens, quaſi ſyntheſis, & liurea quædam virtutis, ita vt propterea Diogenes Philoſophus (vt refert Diogenes Laertius lib. 6. in vita ipſius circa medium) cum vidiſſet adoleſcentem quemdam rubore perfuſum, dixerit: Confide fili, virtutis color huiuſcemodi eſt.

25 *Conuerſatio externa ſancta, atque cauta conſeruat, ac auget ſpiritũ, & promouet, adiuuatque ad orationem. Simile.*

Tertia inter externam conuerſationem modeſtã, cautam, ſanctamue, & genas congruentia exinde ſumitur, quod genas ipſas natura eo loco ſuper os effinxit binas, & in vtraque faciei parte protenſas: vt ſpiritum, qui ex præcordijs per guttur ad formãdam locutionem aſcendit, conſeruaret, ne illico euaneſceret, antequam oratio proferretur, quæ fit in temporis diſtantia: vtue aerem, qui extrinſecus intercipitur, tum ad vitæ ſuſtentationem, tum ad orationis prolationem neceſſarium, quaſi ſepta, & clauſtra quędam continerent, ne dilaberetur. Atque adeo habent ſe inſtar coriorum illorum, quibus duæ follis partes nectuntur, quæue cum dilatantur, externum aerem ſuſcipiunt, clauduntque, & ſeruant ſuſceptum: cum vero comprimuntur, illum eumdem aerem, flatumue in organa immittunt: vnde poſtmodum ad organiſtæ tactum harmonicus cauſatur ſonus. In eumdẽ enim modum prædicta conuerſatio ad hoc pariter inſeruit: cum ſancta, honeſta, cautaque eſt, vt adeptum conſeruet ſpiritum; vtue adiumento inſuper ſit, quo pia anima nouum deſuper ſpiritum ſuſcipiat, & illum ipſum conſeruet; atque etiam ad orationem per eumdem promoueatur. Enimuero ea eſt mortalis natura hominis, vt haudquaquam diutius in ſtudio perſeuerare queat contemplationis, ac meditationis, & orationis: in quo magis, quam in vllo alio ſtudio, maxima fit ſpiritus, ac deuotionis acceſſio, quin vel ex proprijs, vel ex proximorum neceſſitatibus complurimis ad extrinſecus conuerſandum compellatur. Porro, cum quis è ſtudio contemplationis ad externam accedit conuerſationem, non eſt dubium, quin & ſpiritus pariter ille, qui in prædicto ſtudio acquiſitus eſt, procedat cum anima, quæ extrinſecus conuerſatur. Quod ſi conuerſatio non ſit cauta, honeſta, ac ſancta, & talis, quæ, inſtar prædictarum genarum ſe habeat, vniuerſus is illico euaneſcit: quod quotidiana probamus experientia, & ex illa Prouerb. ſententia confirmari forſitan poteſt, qua Salomon ait: *a Totum ſpiritum ſuum profert ſtultus*: cuius contrarium euenit in ſapiente, vnde & ſubijcit: *Sapiens differt, & reſeruat in poſterum.* Qui enim vera præditus eſt ſapientia, cum ad extrinſecus conuerſandum compellitur, differt dilapſionem ſpiritus, quem acquiſiuit: quin & illum ſeruat, & auget: Atque hinc fieri videmus, vt qui in ſtudio verſati ſunt contemplationis, etiam cum extrinſecus eis conuerſari contigerit; promoueantur ad orationes Deo promendas, ad gratias ei agendas, atque ad laudes in illum conferendas ex ijs, quæ per ipſos fiunt: ex rebus, quibus vtuntur; ex vniuerſis, quæ vident; atque etiam ex illis cum quibus conuerſantur, ſicue Pauli conſilio obtemperent, quo inquit: *b Sine intermiſſione orate: in omnibus gratias agite; hæc eſt enim voluntas Dei in Chriſto Ieſu in omnibus vobis. Spiritum nolite extinguere*, id eſt ſpiritum, quem vel in ſtudio contẽplationis adepti eſtis, vel propter ſanctam conuerſationem veſtram deſuper ſuſcepiſtis, nolite conſumere, neue permittatis, vt illico euaneſcat; ſed per continuam mentis eleuationem non modo cum contemplationis & obſecrationis ſtudio indulgetis, ſed & etiam cum extrinſecus conuerſari operæpretium eſt, ſine intermiſſione orate: & in omnibus, quæcunque illa ſint, quæ in veſtra conuerſatione vobis euenerint, gratias agite Deo: hoc namq; ſummum eſt, atque præcipuum, quod à vobis omnibus ille expoſcit.

a Pr. 29. 11

b 2. Theſ. 5.

26 Ex his, quæ hucuſque dicta ſunt, patet, triplicem laudem collatam in externam piæ animæ conuerſationem per nomen, atque metaphoram genarum: Quod illius decori non modicum conferat, quod internam eius probitatem, Deique in illa exiſtẽtis præſentiam denuntiet: ac demum, quod ſpiritum conſeruet in ea, ipſamue orationem adiuuet.

Sed ex adiecta ſimilitudine fragminis mali punici plures in eamdem cumulantur laudes, ſimulq; modus ſubinnuitur, quo fideles quique extrinſecus debeant conuerſari: ex quinque etenim conditionibus fragminis mali punici ſponſæ genas commendatas oſtendi in prima expoſitione.

Conuerſatio piæ animæ eleuata ad cœlum & verſus ima depreſſior eſt.

Primo ex eo, quod in ſuperiori parte eleuentur. Porro & hoc in primis in ſancta conuerſatione conſpicitur: adeo quippe verſus ſuperiora eſt eleuata, vt in cælis illam eſſe, conteſtatus ſit Paulus, dicens: *c Noſtra cõuerſatio in cælis eſt*: Et bene: nam etſi pia quæque in terris anima cum hominibus conuerſetur; vniuerſa nihilominus, quæ viderit, quæque egerit ſibiq; contigerint, ad ſuperiora eleuat, vnde Saluatorem expectat Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis eius.

c Phil. 3. 20

Ex quo fit, vt, iuxta ſecundam fragminis mali punici conditionem, verſus infirma huius ſæculi deprimatur, *d* in timore (provt Petr. ſuadet) incolatus ac peregrinationis ſuæ tempore conuerſans: illudue implens Pauli conſilium, quo ait: *e Hoc itaque dico fratres: tempus breue eſt: Reliquum eſt, vt qui habent vxores, tanquam non habentes ſint: & qui flent, tanquam non flentes, & qui gaudent tanquam non gaudentes: & qui emunt, tanquam non poſſidentes: & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur: præterit enim figura huius mundi: volo autem vos omnes ſine ſolicitudine eſſe.*

d 1. Pet. 1. 17.

e 1. Cor. 7. 29.

Conuerſatio piæ animæ ſubfuſca eſt propter tribulationes, ſimulque & rubro charitatis colore decora eſt.

Iuxta tertiam quoque, & quartam fragminis mali punici conditionem ſancta piæ animæ conuerſatio ſubuiridis, ſeu ſubfuſci coloris eſt propter labores, afflictiones, ærumnas, ac perſecutiones, quibus anima ipſa conuerſans denigrari apud homines videtur: ſimulque & rubro colore conſperſa eſt propter charitatem, qua tribulationes illas ſuffert. Præclare autẽ charitatem iſtam per illum potiſſimum ruborem cæleſtis deſignat ſponſus, quo cortex conſperſus eſt mali punici, non ſolum ob eam cauſam, quæ iam tacta eſt, quia rubor iſte ſubuiridi, atque ſubfuſco colori permixtus eſt: verum etiam, quia is ex interno rubore procedit, qui & vnus dici poteſt, & plures: vnus reſpectu omnium granorum ſimul vnitorum exhibẽtium vnum rubrum corpus: plures vero reſpectu ſingulorum granorum particularium. Et quia ſic ab interno prouenit, vt à Solis aſpectu extrahatur in corticem, quatenus malum ipſum punicum ad ſolem conuerſum eſt: ſic namque & charitatis rubor, quo extrinſeca conuerſatio perfuſa eſt in tribulationibus, ex interna ſane eſt charitate, qua non ſolum erga Deũ flagramus, ſed & erga proximos omnes charitate cõnexos, & erga ſingulos quoſque proximorum. Externa, inquam, charitate, quæ extrinſecus quoque extrahitur à radijs Chriſti iuſtitiæ ſolis, ad quem conuerſa eſt anima, quæ intrinſecus conuerſatur, *a per patientiã currens*, iuxta Apoſtoli conſilium, *ad propoſitum nobis certamen*: aſpiciens *in auctorem fidei, & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta.* Exprimit præclare idem Apoſtolus, qua ratione pij quique dum intrinſecus conuerſantur, ſubfuſci ſint ſimul, ac rubicundo iſto colore decori, cum ait: *b Maledicimur, & benedicimus; perſecutionem patimur, & ſuſtinemus, blaſphemamur, & obſecramus*: In maledictione, perſecutione, atque blaſphemijs colore ſubnigro ipſa cooperitur conuerſatio; quæ tamen ſimul & rubro decoratur colore charitatis in benedictione, ſuſtinentia, & obſecratione: propter quem duplicem colorem audacter iam pia anima dicere poteſt: *Nigra ſum, ſed formoſa.*

a Heb. 12. 2

b 1. Cor. 4. 12.

Cant. 1. 4.

Conuerſatio piæ animæ decoratur quã maxime humilitate, & manſuetudine.

Per quintam denique fragminis mali punici conditionem, qua in cortice lenitatem habet, abſque vllo tubere, & abſque vlla aſperitate, quinta etiam externæ iſti conuerſationi adijcitur laus manſuetudinis adiunctæ.

adiunctæ. Hæc vero est, quæ præ omnibus enumeratis laudibus conuersationem ipsam sanctam ijs, apud quos ea habetur, reddit commendabilem: vnde & Iacob. Apostol. ait: c *Quis sapiens, & disciplinatus inter vos?* Ac si dicat: Quisnam est inter vos qui sapienter, atque disciplinate etiam extrinsece se habere queat: & tradens modum, quo id facere possit, subdit illico: *Ostendat ex bona conuersatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ*, id est, in sapienti, ac humili mansuetudine.

c Iac. 3. 13.

Conuersatio externa quãtum decoris suscipiat à custodia sui ipsius.

In tertia demum parte istius genarum encomij, post prædictas omnes adijcit sponsus tres alias laudes eiusdem conuersationis piæ animæ, idque iuxta triplicem lectionem notatam in expositione litteræ. B Iuxta primam enim lectionem, quæ est hebraici textus habentis: *Intra velum tuum*, significatur, eo pulchriorem dictam esse conuersationem externã, quod anima sancta intra velum custodiæ sui ipsius extrinsecus conuersatur: adeo vt, dum intra istiusmodi velum se exhibet intrinsecus, multo magis ad eam admirandam alliciantur homines quique præ raritate scilicet, & cautela istiusmodi conuersationis.

Conuersatio externa quomodo decore suo dicatur excedere decorem internæ sanctitatis.

Iuxta lectionem autem Septu. *Extra silentiũ tui*: extollitur eadem conuersatio, quasi excedat decore suo omnem reliquam pulchritudinem intrinsecus in ipsa pia anima existentem, ob id nimirum, quod interna illa pulchritudo, cum haudquaquam humanis oculis C conspici queat, silentij potius hominibus præstet occasionem, quam laudis: cum è vestigio decor ille externus eosdem prouocet ad laudes promendas, laudes, inquam, tum ipsius sanctæ conuersationis, tum etiam Dei, à quo tam eximius in illa prouenit decor: quamuis enim absque vlla dubitatione multo sit præstantior decor internus; maiori tamen laude apud homines celebratur externus, quem vident: magisue ijdem ad Deum laudandum, & glorificandum ex hoc promouentur, quam ex illo: Vnde decorem istum à fidelibus, qui inter Gentes conuersabantur, expoſcẽs Petrus Apostolus, ait: d *Conuersationem vestram inter gentes habete bonam, vt in eo, quod detrectant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis.* Id est cum Deus illos, vestra conuersatione conuersos visitare dignabitur.

d 1. Pet. 2. 12.

Conuersatio externa piæ animæ quem fructum intra se contineat, propter quem latentẽ maximam habet vim alliciendi.

Iuxta tertiam lectionem, quæ est Vulgatæ: *Absque eo, quod intrinsecus latet*: additur præstantissima omniũ laus, quod intra istiusmodi cõuersationem, seu intra piam ipsam animam, dum sic honeste, sancte, cauteq; conuersatur extrinsecus, quiddam latet eximium: id autem est prædulcis fructus, prout & intra corticem mali punici fructus latet dulcissimus. Qualis porro ille sit fructus intrinsecus in huiusmodi conuersatione latens, summamque vim habens ad alliciendos E quosque ad talem animam, prout & internus fructus malorum punicorum summam vim habet ad transeũtes quosque pertrahendos, vt mala ipsa punica arripiant, ex verbis Apostoli colligere licet, quibus in Epist. ad Eph. ad externam sanctamue conuersationẽ fideles promouens, ait: b *Vt filij lucis ambulate*: id est sancte ambulantes, per externam bonam vestrã conuersationem filios lucis vos exhibete: Et subdit: *fructus enim lucis est in omni bonitate, iustitia, & veritate*: ac si dicat: lucida, ac patens ista vestra conuersatio fructũ intrinsecus latentem habet, eumque prædulcem tum vobis, qui sic conuersamini in luce bonorum operum, tum ijs, cum quibus istam habetis conuersationem, is F vero est omnis bonitas, iustitia, ac veritas; bonitas vobis ipsis, iustitia proximis, veritas Deo.

e Eph. 5. 9.

Breuis, ac paraphrasticus horum omnium sensus hic est.

Paraphrasis. Theodor. Tres Patr. Psellus. Richard.

Externus cautæ, modestæ, ac sanctæ conuersationis tuæ habitus, qui genarum in te obtinet locum, tum quia per ipsum decora redderis, sicut per genas decoratur facies: tum quia per ipsum interna tua denuntiatur probitas: sicut per genas rubore suffusas intrinsecus latens denuntiatur virtus: tum quia per eum Dei in te conseruatur spiritus; sicut per genas spiritus conseruatur sensibilis, atque materialis, quæ vti septum, & quoddam aeris, ac spiritus claustrum super os à natura inditæ fuere. Genæ, inquam, istæ tuæ spirituales, sunt sicut fragmen mali punici dimidiatum, ijs ipsis profecto conditionibus commendabiles, quibus istiusmodi commendatur fragmen: Sunt quippe è supernis eleuatæ, quoniam conuersatio tua in cælis est: deorsum sunt depressiores propter terrenarum rerum contemptum, & quia conuersans super terram, sic vteris hoc mundo, tamquam non vtaris: subuiridem, seu subfuscam te exhibes in conuersatione tua propter ærumnas, ac tribulationes, quibus quodammodo denigraris: sed etsi propterea subfusca sis; es tamen simul formosa; quia rubro insigni conuersatio tua decora est charitatis: lenis insuper eadẽ est ipsa tua conuersatio, humilis absque superbiæ tubere, & absque asperitate mansueta: Eoque est venustior, quo tu intra velum custodiæ tui ipsius te continues etiam dum conuersaris. Quin & ipse egregius conuersandi habitus apud homines pulchrior quodammodo proclamatur, quam internus, qui in te latet, decor, quiue, cum non videatur, silentij potius, quam commendationis eisdem præbet occasionem. Nihil dico de fructu illo prædulci ac præstantissimo, qui intrinsecus intra habitum istum sanctæ conuersationis tuæ latet.

Ex Vers. III. cap. IV. *Sicut fragmen mali punici: ita & genæ tuæ absque eo, quod intrinsecus latet.*

Expositio IV.

De tertia Sponsa, quæ est Beata Virgo Maria.

VIrginali pudore B. Mariam os suum cõstrictum tenuisse. ita vt silentium quam maxime excoquerit, maximeque per hoc & labia, & os ipsum suum commendabile reddiderit, ex præcedenti labiorum eius encomio satis perspicuum factum est. Nunc idẽ ipse sponsus, qui silentium tantum Virginis, à pudore causatum commendauit, cum dixit: *Sicut vitta coccinea labia tua*: nouam locutionis formam per eumdem pudorem in eadem virgine habitam commendat his verbis: *Sicut fragmen mali punici: ita & genæ tuæ absque eo, quod intrinsecus latet.* Enimuero genæ labijs proximæ, labijs ipsis tacentibus, quodam visibili verbo mentis arcana loqui consueuere, vocisue & ipsæ vsum habent, officiumque oris aut supplent, aut amplius exornãt. Vox autem illarum ex colore potius percipitur, quam ex sono; ex colore, inquam, purpureo, quo pudor in virgine virginalem commendat pudicitiam. Vnde fit, vt iure optimo virginitas sub genarum exprimatur metaphora: quandoquidem cum rubore perfusæ apparuerint in virgine virginitatem ipsam visibilibus protestantur verbis.

Mariæ genæ locutionis exhibuere officium.

Peculiari autem ratione virginitas Dei genitricis Mariæ in hoc encomio extollitur per similitudinem fragminis mali punici: per eam quippe duplex in illam confertur laus. Prima, quod ita super omnem aliam virginitatem emineat, vt propterea quasi diademate quodam insignita videatur, quod certe diadema illa designat corona, quæ in culmine cernitur mali punici. Quidni vero Mariæ virginitas super virginitates vniuersas aliarum virginum emineat, si ipsi soli id datum est, vt fructum in se contineret quem intra se concepisset, quemue per partum & mundo exhibuisset? Hæc porro secunda est laus, quæ ex prædicta colligitur similitudine: nam fragmen mali punici ex parte quidem corticis rubrum exhibet colorem, illi omnimodo similem rubro, quo verecundæ perfusæ sunt virginum genæ: ex altera vero

Mariæ virginitas præ antisima virginitatum omnium, quia cum fructu partus.

parte rubrum quoque profert colorem, sed in fructu, quem intra se genuit; fructusve ille, quem profert, est charitatis hieroglyphicum aptissimum tum propter colorem ardenti igni similem, tum propter arctam plurium granorum vnionem, fructum profecto illum repræsentantē, quem virgo benedicta protulit mundo Christum Iesum, quemue superius *a* charitatem propter filias Ieruſalem appellatum nouimus.

a Cant 3. 10

Mariæ virginitas eo præstantior quod fuit cū plenitudine gratiarum.

In ijs denique verbis (*Absque eo, quod intrinsecus latet*) tertiam laudem eidem virginitati Dei genitricis tribuam crediderim: adiunctionem videlicet cumuli gratiarum omnium, seu plenitudinem gratiæ, quæ intrinsecus in tali virginitate, seu in tali virgine lateret: quæ tantam habuit vim, vt Deum è summis cœlorum in virgineum vterum traxerit, atq; deduxerit.

Paraphrasis.

Breuis itaque huius encomij sensus hic est.

Rup. Abb.

Virginitas tua, quæ per genas rubore perfusas designatur, regiam coronam super omnem aliam virginitatem obtinet, qualem & in fragmine mali punici videre est: Eminet autem cuicunque virginitati aliarum virginum: quia fructum sibi adiunctum, & ex se probatum continet Christum, quem tu ipsa peperisti virgo benedicta: atque adeo fragmini mali punici simillis est, quod ex vna parte ruborem exhibet virginalis verecundiæ symbolum, ex altera vero fructum offert, charitatis hieroglyphicum. Nihil est, quod dicam de eo, quod intrinsecus in te latet eidem Virginitati tuæ adiunctum, de gratiæ plenitudine, gratiarum omniū cumulo, ac gratia in primis singulariſſimæ humilitatis, propter quam gratiosa facta es in oculis diuinis: cuius & tanta vis extitit, vt me ad te traxerit Deum, sponsumque tuum.

Vers. III. cap. IV. *Sicut fragmen mali punici: ita & genæ tuæ absque eo, quod intrinsecus latet.*

Appendix Expositionum, Ex antiquis Patribus collecta.

29 *Genæ animæ sunt eius pudor, pudicitia, aut modestia.*

PAraphrasis Chaldaica: Et rex, qui erat Princeps eorum, plenus erat præceptis, sicut malogranatum, exceptis Prępositis, & Principibus, qui accedunt ad Regem, qui sunt iusti, in quibus non est quidquam mali.

Duo sunt præsentis sententiæ sensus, quos communiores appellare licet. Primus Græcorum, atque etiam nonnullorum Latinorum, secundum quem sub genarum metaphora honestus sponsæ pudor, pudicitia, aut etiam modestia celebratur. Alter Cassiodori, Gregorij Papæ, Philonis Carpathij, Bedæ, atque Anselmi: Secundum quem eadem metaphora Sancti cōmendantur Ecclesiæ Prædicatores: vel etiam perfectiores, qui in eadem sunt Ecclesia. Inutroque autem sensu non modicum diuersitatis apud ipsos reperitur Patres, quoad modum explicandi.

Cassiodor. Greg. Pap. Phil. Carp. Beda. Anselmus. Genæ Ecclesiæ sunt eius Prædicatores, aut qui in ea perfectiores existunt.

In primi siquidem sensus explicatione Greg. Nyssenus homil. 7. pudorem hic laudari ait: At per Ecclesiæ genas illius temperantiam designatam existimat: laudari vero eam ex decore pudoris sub ænigmate mali punici: vt quemadmodum cortex mali punici nūtrit, & conseruat dulcedinem fructus, qui in ipso continetur: Ita austera, continensque & aspera vita fiat custos bonorum temperantiæ.

Gregorius Nyssenus. Temperantiam commendat pudor.

Duplicem vero hic afferri, inquit, laudem virtutis: nempe & per ea, quæ apparent in vita honesta, & per ea, quæ occulto geruntur intra animam.

Temperantiæ fructus conseruantur per vitam austeram.

Theodoritus sponsæ ruborem illum commendatū hic affert, quo eius perfusæ sunt genæ ex verecūdia, propter quam tempestiua vtitur taciturnitate, celās opportune arcanas mysteriorum rationes: quemadmodum cortex mali punici grana contegit: Alluſum porro existimat Theodoritus ad id, quod erubescentia causare solet, vt vix verba promere sinat; & nota expositionem istam esse allatam huic sententiæ iuxta versionem Septuaginta.

Theodor. Virtutis duplex laus.

Erubescentia animæ ob silentium commendabilis.

Psellus.

Psellus apud eumdem Theodoritum, modestię, atque silentij animæ sanctæ encomium istud esse, affirmans, Geminam, inquit, hic protulit laudem pulchritudinis: genis enim vultus eius à purpureo modestiæ decore collaudatis, animæ quoque commendat pulchritudinem, vt taceam, inquiens, silentij decus animæ tuæ.

Modestia ac silentium piæ animæ commendatur.

Tres Patr. Conuersationis grauitas commendatur.

Catena trium Patrum apud eumdem, grauitatem conuersationis commendatam existimans, ait: Cortici mali punici similes sunt genæ tuæ vt seueritatis amantes, atque ab omni dissolutione remotæ, quādo etiam non taces. Licet in cōgressibus, mutuisque sermonibus iucunditas inesse soleat; tu tamen propter tuam in illis temperantiam, quod profusum, ac dissolutum est reprimis.

Iustus.

Iustus Grg. Illi, inquit, in facie Ecclesiæ decorem efficiunt, qui comitante verecundia, castitatem obseruant.

Aponius. Animæ pudicæ genæ sunt Ecclesiæ.

Aponius in genarū pulchritudine virginitatis pudorē commendatum accipiens, qua nihil speciosius in ipsius est facie: fragmini mali punici assimilari eā ait, quatenus virginitas imitatrix est operum Christi, de quo supra dictū est: *a Quasi malū punicum inter siluas, sic dilectus meus inter filios:* Quæ arbor profert ex se pomum & visione pulcherrimum, & sapore dulcissimū, & satis commodam languentibus medicinam: quia qui pro hominum salute per virginem mundo ostensus est, integritatis, ac castimoniæ flores toto orbe sparsit: Cuius pulchritudinis partem, id est fragmen, virginitatem, & continentiam ostendit habere, in quibus Ecclesiæ facies intacti sanguinis conseruati pulcherrima demonstratur.

Virginitas in genis commendatur, & cur similis fragmini mali punici.

a Cant. 2. 2.

Addit duas potissimum genas commendari: quia duæ extiterunt Principes Virginum Ecclesiæ, altera in veteri testamento, altera in nouo, duæ Mariæ, sororMoysi, & Aaron, & electa mater Domini, quæ primæ cœperunt Ecclesiæ genas mirandas efficere, integritatem seruando.

Per duas ecclesiæ genas significantur duæ principes Virginū.

Rupertus Abbas, verecundiam virginalem B. Mariæ celebratam asserit, dicens: Fragmen mali punici & rubet, & amplius, quam integrum malum, redolet: sic & tu singulariter verecunda es, & multis per bonam opinionem in bono exemplo proficies: Quid est autem dicere: *Absque eo, quod intrinsecus latet*; nisi, ac si diceret, & illud, quod intus in cōscientia latet, amplius laudabile est? Ouere laudabilis verecūdia, & vbi intus cōscientia munda, & foris facies verecūda est; nam vbi est aliquid, quo mens erubescat, non adeo laudabile est, si conspectam faciem rubor perfundat.

30 *Rup. Abb. Mariæ virginalis pudicitia, religiositas & silentium laudantur similitudine fragminis mali punici.*

Porro per verecundiam Virginis illius religiositatem summam, quæ in silentio sita est commendari, ait Rupertus: Hæc quippe, inquit, virtus sine dubio malo punico debuit assimilari, quia gratiosa est intuētium oculis, & interdum suo silentio non minus ædificat, quam sermo prædicationis: Vnde *b* in tunicę Pōtificis limbo mala punica intermixta sunt tintinnabulis aureis. Malum etenim punicum in medio tintinnabulorum, religiosum, atque operosum est silentium, maxime sexus feminei in societate fidei, vel doctrinæ Prædicatorum: Qualis tu fuisti Virgo virginum in adiutorio Apostolorum: cuius etsi verba non legūtur, vel audiuntur, vbi prædicauerunt; opera tamen & merita non ignorantur, non minora, imo maiora tinnitu prædicantium.

b Exod. 28. 33.

Mariæ silentium commend.

Richardus Erubescentia de peccatis commissis, & humilitas similes fragmini mali punici.

Denique Richardus de sancto Victore duplici ratione verecundiam animæ celebratam existimat: Primo enim ait, commendari verecundiam, qua anima erubescit de peccatis commissis, per corticem mali punici intelligens humilitatem, qua conseruantur virtutes. Fragmini vero potius, quam integro

gro malo punico assimilari dicit has genas, quia fragmen ipsum partim granis abscondit, & partim detegit: & boni quamuis virtutes suas occultent, vt Domino tantum notæ sint, aliquando tamen eæ ex parte deteguntur, & hominibus apparent. Non enim ita deuotus aliquis latere potest, quin aliquoties ex aliquo virtutis opere deprehendatur, quid sit.

Pia anima cum non fugit erubescentiam tribulationũ pro Christo similis fragmini mali punici non integro.

Secundo, habere inquit ruborem in genis animam, cum erubescentiam non refugit pro Christo abiectionis, paupertatis, contumeliarum, afflictionum, & laborum: Omnem autem electorum afflictionem, quam pro Christo, vel Christi exemplo pertulerunt, fragmini tantum mali punici comparari: quia respectu eorum, quæ pertulit ille, parua sunt quæ pati possunt, & modica tantum illorum pars: Christum vero solum integro malo punico assimilari posse in patiendo: quia plenus extitit gratia, sicut integrum malum punicum plenum est granis. Et totus in pœna rubuit, quia non parua pro nobis, vel partem dolorum, & laborum sustinuit: sed tanta, & tam grauia, vt nullus vnquam dolor fuerit, sicut dolor eius.

Greg. Pap. Prædicatores sunt genæ Ecclesiæ & cur. Cassiod. Beda. Prædicatores cur similes fragmini mali punici.

In explicatione autem secundi sensus affert rationem Gregorius Papa, cur Prædicatores per Ecclesię genas signentur, quia dum in populis, vt eis proficiant, eminent, quasi in facie Ecclesiæ manifesti apparent. Similitudinem eorum ad fragmen mali punici Cassiodorus, & Beda ita explicant, vt dicto fragmini comparentur; quia, cum passionem Christi annuntiant, quasi ruborem exterius exhibent: cum autem demonstrant, quanta vtilitas nostræ redemptionis inde prouenerit, & quod homo per passionem Christi non solum iustificari à peccatis, sed etiam diuinum consortium adipisci meruerit, quasi candidum est, quod intrinsecus latet. Malum quippe punicum cum frangitur, exterius rubet, interius autem candor apparet, & quoniam isti venerabiliter agunt memoriam passionis Christi, nec erubescunt crucem eius, iuxta consilium illud Apostoli: *c Noli erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctũ eius*, pro rubore enim verecundiæ, qui ex proprio sanguine in genis perfunditur, ipsi perfusi sunt rubore Redemptoris sui.

c 2. Tim. 1. 8.

Greg. Pp.

Gregorius vero Papa fragmen ait, mali punici Sancti Prædicatores existunt, quia se in seruitio diuino cæteris fortius adstringunt: dum omnia mundana contemnunt: dum voluntates suas abnegant, & vitia sua omnino mortificant, cæteros excellunt: & dũ per exempla sua cæteros nutriunt, quasi fracti, & aperti se cibos offerunt: sed quamuis magna sint, quæ extrinsecus apparent; maiora tamen in occulto retinent, quæ diuini oculi soli vident.

Anselmus.

Perfectiores comparãtur fragmini mali punici.

Sanctos perfectiores fragmini mali punici assimilatos ait Anselmus: quia, instar talis fragminis, quod exterius rubrum est, interius vero candidum, exterius triti sunt multis persecutionibus, & sunt viles mũdo; interius vero cogniti inueniuntur candidi. Per verba illa (*Absque eo, quod intrinsecus latet*) intentionem asserit commendari, quæ longe pulchrior est.

Cassiodor. Iust. Beda Martyres sunt genæ Ecclesiæ, similes fragmini mali punici. Io. Chrys. tom. 2.

Ad Sanctos Martyres hæc referunt Cassiodorus, Iustus Orgelitanus, & Beda. Hos quippe similes dici, ait Cassiodorus, fragmini mali punici, quia rubicũdi sunt effusione sanguinis sui, veluti malum punicum: sed fracto malo punico candor interius apparet: quia post mortem miraculis coruscant.

Eleemosynæ occulte faciendæ.

Singulariter ex hoc loco Ioannes Chrysostomus colligit, eleemosynam occulte faciendam; siquidem homil. 8. varijs locis in Matthæum, quod hic dicitur iuxta versionem Sept. ἐκτὸς τῆς σιωπῆς σου, *extra taciturnitatem tuam*, de eleemosyna exponit, dicens: Huius fidelis operis eleemosynæ sub religiosæ taciturnitatis silentio Salomon Ecclesiam collaudans, olim protestatus est, dicens: *Speciosæ sunt genæ tuæ sicut turturis propter taciturnitatem tuam*: hanc scilicet taciturnitatem, de qua ita Dominus; *a Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.*

a Matt. 6. 3.

Non desunt, qui allatam similitudinem fragminis, aut corticis mali punici ad vniuersalem applicent Ecclesiam: Vnde Ambrosius libro secundo Hexaemeron cap. 13. Mali punici species non immerito, inquit, comparatur Ecclesiæ, sicut habes in Canticis; *Vt cortex mali punici genæ tuæ.* Ecclesia enim bonum fidei fulgorem, confessionisque prætendit, tot martyrum sanguine speciosa, & quod est amplius, Christi cruore dotata, simul plurimos intra se fructus vsu illius pomi sub vna munitione conseruans, & virtutum negotia multa complectens. Sapiens spiritu celat negotia.

Ambros. tom. 4. Ecclesia similis malo punico.

Philo Beda. Ecclesia cur non integro malo punico sed fragmini illius comparetur.

Ambrosium sequuntur Cassiodorus, Philo Carpathius, Gregorius Papa, & Beda, qui tamen addit, non integro malo punico, sed fragmini eius Ecclesiã comparari: Quia quo amplius illam frangi contigerit, eo clarius, quot virtutum grana vnius fidei tegmine complectatur, refertur. Integro quippe adhuc malo grana videri nequeunt: sed eodem fracto, quam sint innumera, clarescunt.

C Vers. IV. cap. IV. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.*

Expositio I.

Iuxta sonum litteræ.

QVamuis ex communi antiquorum expositorum omnium sententia definitum sit, particulare illud sponsæ membrum hic commendari, quod immediate post faciem subsequitur, caputque sustentat, ac reliquo connectit corpori, quodve proprio vocabulo collum appellari solet: non defuere nihilominus, qui communi huic sensui refragarentur: nam ex Hebræis Rabbi Salomon, & ex nostris Legionensis, Ludouicus Soto, & alij, haud encomia colli hic celebrari asserunt, sed totius corporis, & staturæ erecta. Collum nominat figurate, inquit Legionensis, & apte corpus totum, aut certe totius corporis elegantis, atq; erecti habitum colli nomine, & appellatione significat; nam Hebraica proprietate collum sæpe in proceritatis significatione ponitur, quemadmodum & in Hispano sermone, *descollados*, vocamus eos qui alto, & procero sunt corpore. Comparari vero, inquit, sponsæ corpus cum turri Dauid, quæ ea tempestate spectabilis admodũ, & celebris erat: ac si dicatur, non minus ipsum esse spectabile, quam illa esset turris: vt quantum illa turris præstabat cæteris, tantum hæc fœmina habitu corporis eleganti, atque procero reliquas superaret.

Verum quicquid sit de phrasi linguæ Hispanæ: haud certe talem phrasim in sacris litteris vsquam obseruatam reperio, vt colli vocabulo elegantis, atque proceri corporis habitus significetur: id tantum in eis reperitur, vt sub metaphora erecti colli fastus, atq; superbia designetur, vt patet ex illo Iob de superbo, insurgente contra Deum: *b Cucurrit aduersus eum erecto collo, & pinguedine cernice armatus est*: & ex illo Isaiæ de superbia filiarum Sion: *c Pro eo, quod elcuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo.* Miror sane valde tantum virum, reliqui enim ipsum secuti sunt, à communi sententia recessisse propter vnius Hebræi Doctoris auctoritatem; præsertim cum ipsemet infra in capite septimo, vbi dicitur, *d Collum tuum sicut turris eburnea*; eademque est similitudo colli ad turrim, collum ipsum, vt membrum particulare est, non totum corporis habitum commendari inquiat.

b Iob. 15. 26.

c Isa. 3. 16.

d Cant 7. 4

Adde, quod multo congruentius videtur, vt post

laudatos oculos, crines, dentes, labia, atq; genas, quæ A
sunt capitis, & faciei partes, collum ipsum, quod im-
mediate sequitur, caputque cæteris vnit corporis
partibus, laudetur, quam vt illico descendatur ad ge-
neralem totius corporis commendationem; præser-
tim cum statim sequenti versu particularium mem-
brorum encomia subsequantur.

Iuxta communiorem igitur sensum, hoc pro cer-
to, & indubitato statuendum, vt collum hic com-
mendetur post genarum laudes: commendatur autē
istud sponsæ collum ex triplici capite: ex pulchritu-
dine naturali, ex pulchritudine adscititia ornamen-
torum, atque etiam ex vi, ac potentia, quæ illi inest
ad conciliandos animos, deterrendosve ipsius sponsę
æmulos: quæ omnia vnica exprimit similitudo turris
Dauid cum propugnaculis, clypeis, omnique arma-
tura fortium.

Vt autem & totius encomij istius, & allatæ simili-
tudinis, & singularum eius partium vis percipiatur,
singula perpendam exactius. Ac primo quidem verti
forsitan posset in controuersiam: quænam ea sit tur-
Genebrar. Turris Dauid quæ. ris, ex qua hoc loco desumitur similitudo: Genebrar-
dus enim cum alijs, illam esse indicat, cuius fit mētio
in 2. libro Esdræ cap. 3. vers. 25. vocatam turrim, quæ
Michææ 4. 8. eminet de domo Regis excelsam, & de qua in pro-
phetia Michææ dicitur, *Turris gregis nebulosa filia Sion.*
Quidquid tamen sit de hac Genebrardi sententia: ne-
que enim est præsentis loci disputationem hac de re
texere: præsertim cum parum id cōferat ad præsen-
tis similitudinis intelligentiam: Supponendum, tur-
rim istam ædificatam esse à Dauid, quando abstulit
Ierusalem à Iebusæo, cuius implicite fit mentio in li-
a 2. Reg. 5. 9. bro 2. Regum, vbi dicitur. *a Habitauit autem Dauid in arce Sion, & vocauit eam ciuitatem Dauid, & ædificauit per gyrum a Mello, & intrinsecus.*

Extitisse vero turrim hanc maxime spectabilem,
& eminentem, vtpote à Rege opulentissimo, ac ma-
gnificentissimo erectam, eo magnificentiæ ædificio,
vt ab eius nomine appellaretur Turris Dauid, eoque
robore, vt ab expulsis Iebusæis, alijsve insurgentibus
aduersarijs tutam seruaret arcem Sion, & Ciuitatem
Dauid: atque adeo & clypeorum numero maximo,
& omni armatura fortium ab eodem Rege instruc-
tam.

2 Hoc suppositō: notandum primo, similitudinem
istam colli sponsæ ad turrim Dauid haud niti in pro-
portione mathematica, quasi æquis palmis metienda
esset altitudo colli, atque turris: stultissimum nam-
que id esset, vel mente concipi: Sed in proportione
morali, sita in ijs tribus, quæ ad fœminei colli pul-
chritudinem naturalem apprime sunt necessaria; in
altitudine, seu proceritate congruenti: in rectitudine,
atque in rotunditate: quibus addi potest & quartum,
nempe in forma eleganti ob colorem: Vt videlicet,
quemadmodum in illa nobilissima turri hæc vniuersa
spectabantur ad amussim elaborata: ita & in sponsæ
collo congruenti proportione eadem conspicerentur: atque adeo perpulchrum, maximeque spectabile
& illud esset.

Notandum secundo pro eo, quod noster vertit,
Cum propugnaculis: in Hebræo esse dictionem valde an-
cipitem לְתַלְפִּיוֹת lethalpioth: quæ ab Hebræorum
Doctoribus quatuor modis explicatur: Aliqui enim
deducunt illam à verbo אָלַף alap, docere, seu dis-
cere, ac si significet, *ad doctrinas*, seu, *ad disciplinas*,
quod duobus modis exponunt.

R. Salomon & alij. Primo, vt inde artifices doceantur, & discant, ali-
quid egregij ædificare, tanquam à magnificentissimo
ædificiorum exemplari: ac si dicatur: Ea eximia pul-
chritudine extructa, vt illam omnes contemplaren-
tur ad comprehendendam formam, & superbiam
operis eius.

Genebra. Secundo, vt inde viam doceantur viatores, tan-
quam è Pharo aliqua. Alij vero eamdem dictionem
à verbo תָּלַל thalal, id est, eleuare instar tumuli, &
in altum attollere, veluti ex duplici dictione com-
positam accipiunt: Quidam ex תַּל thal, id est altum,
& eleuatum, & פִּיוֹת pioth, id est orium, eo sensu, vt
significetur, lapides turris excisos fuisse ad similitudi-
nem oris, prout fieri solet in turrium ædificijs. Ita
Rabbi Dauid in libro Radicum. R. Dauid.

At vero Rabbi Abraham Aben Ezdra in Commēt. R. Abraham.
super hunc locum ex opinione aliquorum ait, identi-
dē esse, ac si diceretur לִתְלוֹת פִּיוֹת lithloth pioth,
id est ad suspendenda ora, & acies scilicet gladiorum,
id est, gladios.

Quicquid tamen sit de Hebræorum opinionibus,
noster Interpres bene ab eadem radice eodemque
verbo תָּלַל thalal, id est, in altum attollere, & eleuare
instar tumuli, vertit, *Cum propugnaculis*, quæ nimirum
B in altiores turrium, ac mœnium partes eleuantur, se-
cutus & Aquilam, qui vertit, εἰς ἐπαλξεις, *In propugnacula*: & Symmachum etiam, qui vertit, εἰς ὑψη, *In altitudines*: nec discordat versio Sept. quæ Hebraicam vocem
seruans legit, εἰς Ταλπιώθ, *In Talpioth*, quam vocem etiā
secundum Hebræos altitudinis, & eleuationis cuiusp-
piam significatum continere, ostensum est: Atque Greg. Nyss.
adeo bene Gregorius Nyssenus hom. 7. in Cant. pro-
pugnacula ipsa per hanc vocem significata accipit;
etiam in hac versione Sept. sic enim ait: Meminit
turris, quæ nominatur Dauid, cognoscitur autem ex
propugnaculis: nominantur autem propugnacula
C Talpioth. Quamquam communiter existimetur Se-
ptuag. Interpretes prædictam vocem sic reliquisse,
quia locum quemdam designaret, ita nuncupatum
Talpioth.

Cuius tamen loci nusquam vel in sacris litteris,
vel in Iosepho, vel in aliqua terræ sanctæ descriptio-
ne comperio fieri mentionem, nisi forte dicere veli-
mus, per hanc vocem descriptum fuisse locum illum,
in quo turris ista ædificata fuit à Dauid: ait enim Bor- Borchard.
chardus in prima parte descriptionis terræ Sanctæ
capit. septimo, §. 43. turrim istam erectam in quodam
colle præruptæ rupis satis eminenti in monte Sion
D prope Mello inter duas voragines, nimirum in quo-
dam angulo voraginis, quæ secabatur in duas pro-
fundas valles, vt quodammodo inter duas voragines
dici posset: quod recte exprimitur per dictam vocem
Talpioth, iuxta significatum illum, qui ab aliquibus
Doctorū Hebræorum (vt supra dictum est) assigna-
tur, vt idem sit, ac tumulus, seu collis orium.

Porro propugnaculorum nomine secundum litte-
ram pinnas illas significari crediderim, quæ in cul-
minibus murorum, turrium, aut mœnium ciuitatum
erigi solent ad pugnandum contra aduersarios, quas
Italice appellamus *Merli*. Secundum allegoriam, per
propugnacula ista, cum quibus ædificata dicitur tur-
E ris Dauid, cui comparatur sponsæ collum, collaria
designari videntur, quibus & colli culmen ambitur,
instar pinnarum prædictarum erectis.

Notandum tertio, id moris fuisse apud antiquos 3
Principes, vt ad decorem, atque etiam ad munitionē
suarum turrium, & arcium suspenderēt in illis mul-
tos clypeos aureos, multaque alia armorum genera:
Sic 2. Regum legimus de Dauid Rege; a *Et tulit Dauid* a 2. Reg. 8. 7.
scuta (vel iuxta versionem Vulgatæ) *arma aurea, quæ ha-
bebant serui Adar Hezer, & detulit ea in Hierusalem.* & 3.
Regum de Salomone: b *Fecit quoque rex Salomon ducenta* b 3. Reg. 10.
scuta de auro purissimo, & trecentas peltas ex auro probato, 16.
posuitque eas in domo saltus Libani.

F Ad hoc autem alludit id, quod hic dicitur: *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*: Respondent-
que allegoriæ satis præclare: laudatur siquidem per
istorum metaphoram sponsæ collum ex adscititijs
ornamentis torquium aureorum, atque monilium
margaritarum, quæ ex illo penderent, æque ac com-
plures clypei illi, & reliqua armorum genera ex ea
pendebant turri.

Porro quod vltimo loco dicitur: *Omnis armatura fortium*: duobus modis intelligi potest. Vel iuxta com-
muniorem sensum, sumendo illud vt quid distin-
ctum à mille clypeis; vt significetur, non modo

clypeos

clypeos è turri illa pendere: ſed & inſuper omne aliud armorum genus, quo vti ſolent fortes quique, ſic Septuag. *pro omni armatura* verterunt, πᾶσαι βολίδες: *Omnia iacula*: Vel ſumendo illud ipſum vt quid appoſitum mille clypeorum: quaſi innuatur, clypeos illos eſſe omnem armaturam fortium: ſeu, omnem armaturam fortium iſtis in clypeis poſitam eſſe, atque collocatã: Id, quod ſpiritualibus ſenſibus aptiſſime congruet: quamquam & à litera quoque non ſit alienum: Quin & Hebraicus textus huic ſenſui fauet: dictio quippe שלטי ſcilthe, etſi anceps ſit, & ab aliquibus Hebræorũ hoc loco ſumatur poſita pro pharetris: proprius tamen ſcuta ipſa ſignificat, & peltas, atque adeo in ſecundo libro Paralipomenon cap. 23. vbi hæc ipſa duo ſunt nomina, quæ hic habentur, ſic vertit noſter interpres: *c Deditque Ioiada ſacerdos centurionibus lanceas, clypeos, & peltas Regis Dauid*, & cet. ac ſi dicatur. Mille, id eſt magnus numerus clypeorum ex illa pendent, omnia ſcutorum genera, quibus ſeſe operiunt fortes.

c 2. Par. 23. 9.

Notandum quarto, egregiam eſſe ſimilitudinem turris ad explicandam inſignem pulchritudinem colli: ſed & multo præſtantiorẽ eandem ex eo eſſe, quod per ipſam nedum commendatur pulchritudo; verum etiam ſubindicatur vis, ac robur illius in contuenda arce pudicitiæ ſponſæ, ac ſimul in deuincendis, ac ſuperandis iutuentium cordibus. Turris enim Dauid præterquam quod pulcherrimo, ac magnificentiſſimo opere ædificata erat (vt dictum eſt) erat inſuper robur totius arcis Sion. Congruit quoque & metaphora clypeorum, reliquorumque armorum ad deſignandam vim, atque effectus ornamentorum eiuſdem colli, quod ſcilicet ea tanquam aurea ſcuta appẽſa intuentium alliciant, perſtringantue oculos: ac veluti iacula, & gladij peracuti eorumdem corda penetrent, & tranſfigant amore. Id vero maxime omnium congruit, ſi per omnem armaturam fortium intelligamus ſcuta ipſa, tanquam in eis ſita cenſeatur omnis armatura fortium, quatenus ſub ſcutorum, ac clypeorum metaphora, colli deſignantur ornamenta: ſiquidem clypei id ſunt armaturæ genus, vt haudquaquam offendant, ſed arment, muniantque geſtantem, operiendo duntaxat: & ornamenta pariter colli ſponſæ neminem lædunt, ſed pulchrum tantummodo muniunt collum operiendo, ornando, atque cingendo illud.

Ex his fuſius annotatis colligitur iam facilis, ac paraphraſticus totius huius encomij ſenſus: eſt autem iſtiuſmodi.

Paraphraſis.

Collum tuum adeo rectum, adeo rotundum, adeoque debita, & congruenti proportione procerum eſt: necnon & elegantiſſima forma perpulchris circundatum collarijs intuentium ſeſe exhibet oculis; vt non immerito ei aſſimilandum ſit turri, quam magnificentiſſimus Rex Dauid ædificauit cum propugnaculis ambientibus ipſius culmen inſtar collarium quorumdam, ſic propter altitudinem ſpectabilem: vt à longe conſpecta viam quaſi Pharus quædam doceret, ſicue, non ſolum rectitudine, & rotunditate, ſed & egregia forma, ſuperboque opere ædificatam: vt ex ipſa quotquot egregij aliquid ædificare vellent, tanquam à præſtantiſſimo ædificiorum exemplari, formam diſcerent ædificandi. Ac ſicut è turri illa complures ſuſpenſi pendent clypei vna cum omni genere armorum, quibus vti conſueuerunt fortes, ad ornamentum ſimul, ac munimentum ipſius: Ita & è collo ipſo tuo pretioſiſimi pendent torques, ac monilia, quibus valde ſpecioſius id redditur: adeo vt ex huiuſmodi ornamentis, & tanquam ex clypeis aureis mei alliciantur oculi, & tanquam ex iaculis, alijsue armorum generibus meum, eorumque omnium, qui collum ipſum tuum intueatur, penetretur cor. Quin & præter vim iſtam, quam ex hiſce ornamentis deſumit, propter pulchritudinem ipſam ſuam naturalem, ob id quoque ſimile illud eſt turri Dauid prædictæ, quod eam vim habet, tantique eſt roboris: vt arcem pudicitiæ tuæ, ciuitatemque humilitatis item tuæ muniat, ac tueatur; æque ac turri illa munitur arx, & Ciuitas Dauid. Quantum enim amoris mihi inijcit, tantum pariter terroris, & pauoris noſtris illud incutit æmulis: non ſecus ac turris illa Iudæis quidem ſpectabilis admodum eſt, hoſtibus vero horribilis.

Verſ. IV. cap. IV. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.*

Expositio II.

De prima Sponſa, quæ eſt Eccleſia ſancta.

TRia ſunt, quæ Principem quemlibet ac cuiuſcunque Reipublicæ caput in primis ſuſtentant in terris, homines, ijque præſertim, quorum curæ demandata eſt Regni gubernatio: turrium atque arcium munimentum: & magna, multiplexue armorũ copia: Tria hæc in Eccleſiaſtica Repub. ij tantum exhibent Prælati, qui vniuerſis ſanctorum Præſulum conditionibus decorati ſint: atque adeo validiſsime Chriſtum ipſius Eccleſiæ caput ſuſtentant: cum nedum plebi præſint fidelium, ſed & inſtar fortiſsimarum turrium ſe exhibeant, & maximam clypeorum aliorumue armorum copiam in ſe contineant.

4 *Prælati ſancti id omne exhibent quod neceſſarium eſt ad Reipub. Chriſtianæ ſuſtentationem.*

Hinc eſt, quod, cum illos cœleſtis ſponſus commẽdat ſub metaphora colli, quo caput in humano corpore ſuſtentatur, ea vtitur ſimilitudine, quæ robur præ ſe fert, arcium, atque armorum, dicens: *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ, &c.*

Pro quorum explicatione tria diſcutienda ſunt. Primum, cur Prælati ſub colli metaphora deſignentur, quaſue cum ipſo collo ijdem habeant congruentias. Secundo, quid in illos laudis conferatur per allatam ſimilitudinem turris Dauid; quibuſue in rebus ſita ſit vis eius ſimilitudinis. Ac tertio, quanam ratione ijs ipſis eadem ſint arma robur conferentia, quę ſimul ſunt & ornamenta decorem præſtantia.

Quoad primum, aptiſsimam ſane eſſe colli metaphoram, nequaquam ambigendum: neque enim vna duntaxat proportio eſt inter collum, atque Prælatos, ſed complures, quarum aliquas attingit Gregorius Nyſſenus ſuper hunc locum.

Gre. Nyſſ. homil 7. in Cant.

Prima autem, atque potiſsima, iudicio meo in eo ſita eſt, quod Prælati ita Chriſtum ſuſtẽtant Eccleſiæ caput, vt tamen vim ipſam ſuſtentandi ab ipſomet Chriſto deriuatam ſuſcipiant, adeo vt in eo ipſo, quod Chriſtum ſuſtentant in Eccleſiæ corpore, à Chriſto pariter ipſi fulciantur. Enimuero collum in humano corpore magna ex parte conſtat ex neruis, quos certe neruos ex capite originem trahere, capitique innixos, & ex capite animales ſpiritus deſumere, probabilior tenet ſententia Hippocratis, Galeni, ac medicorum omnium, quicquid dicat Ariſtoteles. Quod vero Prælati ita Chriſtum ſuſtentent, vt à Chriſto pariter ſuſtententur, quatenus illi innituntur, à quo & principium, & ſpiritum quoque deſumunt, vnde motus eſt omnis, omnisue & ſenſus, ex duobus ſacræ Scripturæ locis ſimul iunctis colligere licet: Siquidem apud Matthæum de Eccleſia ſub metaphora ædificij loquens Dominus noſter cum Petro Prælatorum omnium Principe, ſic ait: *a Tu es Petrus, & ſuper hanc petrã ædificabo Eccleſiam meam*: quibus verbis proteſtatus eſt, Petrum, eiuſque ſucceſſores, atque Prælatos futuros fundamentum, quod totum Eccleſiæ adificiũ ſuſtentet. In libro autem Apocalypſis Ioannes ait, *b* ſubleuatum

Prælati Chriſtum ſuper Eccleſiæ corpus ſuſtentant, ſuſtentati à Chriſto & ipſi.

a Matth. 16. 18.

b Apoc. 21. 10.

uatum ſe ſpirituin monte excelſum & altum, & oſten- A
ſam ſibi, *Ciuitatē ſanctam Ieruſalē, deſcendentem de cœlo à Deo*: Eccleſiam nimirum, habentem in cœlo fundamentum ſuum, Deum, ac Chriſtum Dominum, qui
c *Iſa.* 28. 16 eſt caput eius, & lapis angularis: *c lapis probatus, pretioſus, & in fundamento* deitatis fundatus.

Porro, cum Chriſtus Petrum, atque eius ſucceſſores Prælatos fundamentum inſtituerit, quo vniuerſa Eccleſia ſuſtentaretur, haud profecto ambigendum, quin vna cum reliquo corpore, & ſeipſum pariter per eoſdem ſuſtētari voluerit, vt caput huiuſcemodi corporis. Quamobrem, cum Ioanni eadem Eccleſia oſtenſa eſt, deſcendens de cœlo à Deo, in quo primo fundata eſt, à quo primo ſuſtentatur, dicendum indi- B
catum id, quod & hoc loco per colli metaphoram deſignatum dixi.

Explicatque hæc omnia ſub eadem ædificij metaphora Apoſtolus Paulus in Epiſtola ad Epheſios vnica ſententia, dicens ad fideles, quibus Eccleſiæ cor-
d *Eph.* 2. 19 pus conſtruitur. *d Eſtis ciues Sanctorum ſuperædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu.*

5 *Prælati Chriſtum ſuſtentant, quatenus eius fidem in fidelibus ſuſtentant Chriſto vniti per charitatem.*

Præclare autem colli metaphora non ſolum prædictam deſignat mutuam ſuſtentationem, ſed modū, & rationem ſubindicat, qua Prælati Chriſtum ſuſtentant: ſiquidem eatenus Chriſtum ij ſuſtentare dicun- C
tur, quatenus fidem ſuſtentant Chriſti, prout & Apoſtolus, e per fidem pariter eundem Chriſtum in fidelium cordibus aſſerit habitare: & eatenus à Chriſto ſuſtentantur, quatenus per charitatem Chriſto vniti, in illo radicati ſunt, & fundati, prout ab
e *Eph.* 3. 17 eodem Apoſtolo ſubindicatum eſt, vbi dixit: *Vt det vobis ſecundum diuitias gloriæ ſuæ virtutem, corroborari per ſpiritum eius in interiori homine, Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris, in charitate radicati, & fundati.*

At profecto collum caput ſuſtentans hanc vnionem cum ipſo capite perfectiſſime indicat: Neque e- D
nim illi inhæret, illudue ſuſtentat vt extrinſecus adhibitum fulcimentum aliquod ab illo diſiunctum, ſed vt illi vnitum, ex quo & deriuat per omnem iuncturam: *Simile.* atque adeo quemadmodum ſi quando contingat, vt caput è collo amputatum ſit, tametſi amputatum caput ſuper idem collum apponatur, tametſi & collo inhæreat, nihilominus ſuſtētari illud nequaquam poteſt, quin vel ad quemlibet minimum cadaueris motum decidat: ac propterea ſublata ipſa colli, atque capitis vnione, deſinit illico & vita in corpore: quia videlicet deſinit vera capitis ſuſtentatio.

In eundem quoque modum, ſi per ſchiſma aliquod à vera Chriſti fide Prælatos diſiungi contingat, qui in E
Eccleſiæ corpore colli vices gerunt: quamuis per aliquod temporis ſpatium extrinſecus Chriſtum profiteri, eumdemque ſibi inhærentem ſeruare videantur, vna cum morte eius Eccleſiæ, cui illi præſunt, quæ ad talem diſſectionem neceſſario ſequitur, ni opportune prouideatur, ſequitur etiam, vt ijdem Prælati Chriſtum ipſum, eiuſue fidem ſuſtentare minime valeant; quin & ad quamcumque vel minimam commotionem deficientis populi operæpretium eſt, vt Chriſtus ab illis decidat.

6 *Prælati Chriſti fidē ſuſtentant in prædicatione verbi, atque doctrinæ.*

Ratio, ac modus, quo collum ſuſtentat caput erectum, maxime conformis eſt & modo, quo Prælati Chriſtum, atque illius fidem ſuper corpus ſuſtentant F
Eccleſiæ: Etenim, ſi ſubtilius rem perſcrutemur, inueniemus, ea potiſſimum ratione collum ſuſtentare caput ſuper vniuerſum corpus erectum, quo cibos in ſtomachum immittens, illis ipſis cibis totum nutrit corpus, vires auget, roboratque & ſpiritus: obſeruare namque licet cuilibet, quod quando collum munus iſtud non exhibet, vt cibos immittat, ſtatim vna cum virium defectu nutare, & inclinare incipit caput.

Quis vero eſt, qui ignoret, doctrinæ cibis Prælatos in Eccleſiæ corpore Chriſti fidem ſuſtentare? Vide autem quam congruenter à natura prouiſum ſit, vt in vno collo duæ ſimul eſſent fiſtulæ ſibi inuicem cohærentes, quarum altera gula, altera guttur dicitur: gula, vt per ipſam cibi traijcerentur in ſtomachum: guttur, vt per illud ſpiritus traheretur, & redderetur, vtue eſſet inſtrumentum non tantum reſpirationis, ſed etiam & vocis, atque locutionis: quandoquidem futurum erat ſymbolum Prælatorum, quibus hæc duo ſimul agenda eſſent, cibos in Eccleſiæ ſtomachum traijcere, ac vocem, & verba prædicationis emittere: in quibus tamen vna duntaxat eſt fiſtula; quia vnum idemque eſt, & prædicare verbum Dei, & ſpiritales cibos in fidelium mentes traijcere.

Quin & ad hoc in primis collum ipſum in longum & altum protractum eſt à natura: vt gutture quod in ipſo eſt, reſpiratio fieret, atque locutio, quæ abſque longitudinis interuallo fieri nequaquam poſſent, vt bene notat Ariſtoteles libro 3. de partibus animalium capite 3. quo videlicet exinde pariter confirmaretur id, quod dictum eſt: Prælatos, qui colli munus in Eccleſia exercent, ad hoc in primis in altum à Domino prouectos, vt per ipſos prædicationis opus exhiberet fidelium plebi, quam inſuper eadem prædicatione poſtmodum enutrirent.

Quod ſi intimius iſtam colli metaphoram penetremus, particularem quoque rationem reperiemus, quam in ipſa ſua prædicatione ijdem ſeruare debent Prælati: vt ſcilicet primo diuinum è cœlis attrahant ſpiritum in oratione: tum attractum è cœlis ſpiritum intra ſua admittāt præcordia mente verſantes ea, quæ à Spiritu ſancto reuelata perceperint; ac demum ex ipſis intimis præcordiorum ſuorum, vna cum ſuſcepto è cœlis ſpiritu verbum Dei proferant. *Prælati quomodo habere ſe debeant in prædicatione verbi Dei.*

Sic quippe & Apoſtolos, primoſue Eccleſiæ Prælatos feciſſe legimus in actibus Apoſtolorum, *a* immiſſum è cœlis Spiritum ſanctum prius ſuſceperunt, cum eſſent in cœnaculo vnanimiter perſeuerantes in oratione: tum eodem ſpiritu repleta ſunt corda eorum: ac tandem cœperunt loqui magnalia Dei, ſuſceptumue Spiritum protulere. a *Act.* 2.

Sic & in carneo collo carnaliue gutture fieri obſeruamus: nam prius ad primam oris apertionem ſpiritus & aer extrinſecus attractus deſcendit: dein iſto ipſo ſpiritu refrigeratur cor: ac demum pulmonis miniſterio idem ſpiritus per idem guttur, idemue & collum ex intimis emittitur, vnaque cum emiſſo ſpiritu iſto emittitur ſimul & ſonus, formaturue & vox.

Præter hanc, quæ potiſſima eſt inter collum, atque 7
Prælatos congruentiam, alias inſuper tres inſpicere eſt, quæ & ipſæ è prima iſta deriuant, quod collum eſt capiti inhærens, caputue ſuſtentans; & Prælati ſunt Chriſto inhærentes, Chriſtumue ſuſtentantes. Sicut enim collum medium quoddam eſt inter caput, ac reliquum torum corpus: Ita & Prælati inter Chriſtum Dominum, plebemue fidelium medij ſunt ac mediatores: quod aperte Paulus conteſtatur in Epiſtola ad Hebræos, dicens: b *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in ijs, quæ ſunt ad Deum.* Sic & de ſemetipſo Moyſes ad populum Iſrael ait: c *Ego ſequeſter, & medius fui inter Dominum, & vos in tempore illo, vt annunciarem vobis verba eius: timuiſtis enim ignem, & non aſcendiſtis in montem.* *Prælati medij ſunt inter Deum ac ſubditos ſuos. Simile.* b *Heb.* 5. 1. c *Deu.* 5. 5.

Sic & facto idem Moyſes per Pontificem Aaron comprobari, idipſum voluit, *d* quando ſæuiente ira Domini in commotam multitudinem poſt ſeditionē Coræ, præcepit Aaron, vt tolleret thuribulū & hauſto igne de altari mitteret incenſum deſuper, pergenſque illico ad populum, inter illum, ac Dominum ſtaret medius, rogans pro eis, iramue Dei placans: notatque Beda ſuper hunc locum, idem oſtenſum & in Apoſtolis per id, quod dicit Matthæus, *e* Ieſum dediſſe diſcipulis panem, diſcipulos vero dediſſe eumdem turbis. d *Num.* 16. 46. *Beda.* e *Matth.* 14. 19.

Inſuper ſicut collum capiti inhærens toti ſupereminet corpori: Ita & Prælati toti ſupereminent populo, quod & eorum nomen ſignificat: atque adeo præeſſe dicuntur *Prælati cur ſic appellati.*

dicuntur aliquando ab Apostolo: *Rogamus vos fratres*, A
f 1. Thess. 5 12. ait ad Thessalonicenses, *f vt noueritis eos, qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino*: aliquando Præpositi ab eodem vocantur: g *Obedite Præpositis vestris.*
g Heb. 13. 16.

Verum, si radicalem inuestigemus rationem, ob quam collum non modo superemineat toti corpori, sed & erectum superemineat, ac eleuatum sit, instar turris, intelligemus, aliam supereſſe congruentiam inter ipsum, atque Prælatos, eamque omnium præstantissimam. Enimuero collum haudquaquã supereminere posset erectum per id, quod habet ex parte anteriori: illud enim omne, siue gulam accipias, siue gutturis arteriam, siue etiam operientem sumas carnem, molle est: nerui quoque, qui in eadem sunt parte, molles sunt, sed per id erectum, ac supereminens conspicitur, quod est in parte eius posteriori, osseũ nimirum, ac validum: vbi & proprius est iugi, atque onerum locus. Quaquidem ex colli proprietate deducitur, quanam ex re celsitudinem, supereminentiam, atque erectionem suam sanctus quisque Prælatus arbitrari debeat sibi prouenire: non ex ijs nimirum, quæ manifesta sunt, & obiecta sensibus hominum, ex prædicationis munere egregie exhibito: ex eo, quod reliquis de populo emineat: ex candore externi habitus, vel etiam ex adscititijs diuitiarum ornamentis: sed ex eo, quod nequaquam tam grandi oneri succumbat, quodue tantum habeat roboris, vt grauissimum Prælaturæ, & curæ animarum iugum sustinere queat, ita vt neutiquam ab illo demittatur tantillum.

Prælati supereminentiam suam ex subiectione sua ad onera ferenda sibi prouenire debent arbitrari.

8 Porro in his ipsis ossibus, quæ sunt à posteriori colli parte, aliud est considerare, vnde & alia pariter deducatur proportio colli, ac Prælatorum. Quamuis enim collum per dicta ossa fulciatur erectum, nihilominus ossa illa eo pacto sunt in modum verticulorum fabrefacta, atque inter se inuicem compacta: vt per ea facillime collum flecti, ac erigi possit: facileque vel ad superna, vel ad infima, vel ad dexteram, vel ad sinistram, verti valeat. Quæ sanctis quibusque Prælatis quam maxime necessaria sunt, vt nouerint se aptare personis, locis, atque temporibus, prout oblatæ exegerint occasiones. Nam licet in sublimi erecti sint dignitate: eo tamen pacto habere se debent, vt faciles, ac prompti sint ad se flectendum humilibus, & erigendum discolis, atque superbis: ad vacandum vitæ actiuæ, sicut & vitæ contemplatiuæ: ad respiciendum denique necessitates omnium subditorum, siue à dextris ij sint in ordine electorum, siue sint à sinistris in ordine reproborũ. Sit Rector (inquit Greg. Papa secũda parte Pastoralis curæ) singulis cõpassione proximus, pro cunctis contẽplatione suspensus: vt & per pietatis viscera in se infirmitatem cæterorum transferat, & per speculationis altitudinẽ semetipsum quoque, inuisibilia appetendo, transcendat, ne aut alta petens, proximorum infirma despiciat, aut infirmis proximorum congruens, appetere alta derelinquat. Sit bene agentibus per humilitatem socius: contra delinquentium vitia per zelum iustitiæ erectus: vt & bonis in nullo se præferat, & cum prauorum culpa exigit, potestatem protinus superioratus agnoscat: quatenus & honore suppresso æqualem se subditis bene viuentibus putet, & erga peruersos iura rectitudinis exercere non formidet.

Prælati multi quomodo vnum Ecclesiæ collum constituant, quo vnum cap. Christus sustentatur. Simile.

Greg. PP. Cur. p. 5. Cap. 6.

Vnum denique quoad hanc colli metaphoram supereſt notandum, aptissimam istam hoc loco à cælesti sponso vsurpatam esse metaphoram ad Prælatos Ecclesiæ designandos, non solum propter eas, quas hucusque perpendi, congruentias: Verum etiam propter hoc quod dixit, *collum tuum*, in singulari; per id quippe significauit, quod sicut in humano corpore vnum duntaxat est collum, quod vnum sustentat caput, & fieri non potest, ni monstruosum quid appareat, vt caput vnum à pluribus sustẽtetur collis: Ita & in Ecclesiastico corpore vnum solummodo spirituale est collum, vnus summus Pontifex, qui Christi sustentet fidem orthodoxam, vtpote è cuius sententia canones pendeant Catholicæ fidei, pro quo & rogasse, testatus est Dominus, cum dixit: *a Rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*: Eatenus vero & reliqui etiam totius Ecclesiæ Prælati idem caput Christum, eiusue fidem sustentant, quætenus ita summo Pontifici inhærent vniti, vt vnum simul cum illo validius constituant eiusdem Ecclesiæ collum: Adeo vt, si quando Prælati aliqui sint, qui summo Pontifici non sint vniti, & quasi distinctum collum, seu etiam distincta colla se exhibere conentur, professentes, se pariter orthodoxam Christi fidem fulcire, atque tueri; monstrum ingens videre arbitremur constantissimeque pro certo teneamus, fieri non posse, vt qui vnus est Dominus noster Iesus Christus, vnumque caput vnius Ecclesiastici corporis, à pluribus sustentetur collis inter se disiunctis.

a Luc. 22. 32.

Quoad secundum, Similitudo aptissime ex turri Dauid potius, quam ex alia turri desumpta hoc loco est: quoniam turris illa à Dauid erecta est in Sion. Nemo est autem, qui ignoret, Dauid typum Christi gerere in sacris litteris, sicut & Sion typus est Ecclesiæ: atque adeo congruentissime turri illi comparantur Prælati, quos verus Dauid manu fortis Christus Dominus noster in Ecclesia erexit: vt videlicet in Sion, quæ specula interpretatur, Επισκοπη, id est, speculatoris munus ex ipsa altitudine sua exercerent. Porro triplex laus per hanc Turris Dauid similitudinem in sanctos Ecclesiæ Prælatos confertur in præsenti illorum encomio. 9

Prælati tanquam pharus erecti, vt ex eorum conspectu subditi discant viam, qua tendere debeant ad cœlestem patriam.

Prima, quod in altum instar illius turris erecti, tanquam Pharus quædam subditis præpositi sint: vt ab ipsis ij edoceantur viam, qua sibi tendendum sit ad cœlestia. Quam laudem etiam in Euãgelio in eosdem contulit Redemptor noster sub duplici metaphora, Ciuitatis supra montem ædificatæ, & lucernæ positæ super candelabrum, dicens: b *Vos estis lux mundi: Non potest Ciuitas abscondi supra montem posita: neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum: vt luceat omnibus, qui in domo sunt*: declaratque, quanam ratione instar lucis se habeant, subijciens: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona: & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.*

b Matth. 5. 14.

Ex quibus apparet, Domini intentionem in hisce duabus metaphoris vnam eamdemque esse: nimirum vt designet, Prælatos ad hoc in altum constitutos, vt operibus suis bonis magis, quam verbis cœlestem doceant viam, non secus ac Ciuitas, quæ supra montem est posita, ipsis suis ædificijs in altum erectis, & sese manifestat, & viam pariter docet, qua petendum sit iter agentibus, vt conquiescant: Et non secus ac lucerna, quæ super candelabrum est posita, radijs suis, quos de se emittit, ostendit pretiosa, quæ in domo sunt.

Quod si quis quærat, quanam ratione per similitudinem turris Dauid exinde commendentur Prælati, quod exemplo doceant viam, qua ad cœlestem patriam tendendum sit: Respondendum, cum Prælati, instar turris illius, quæ supra montem Sion ædificata, atque in altum versus cœlum erecta erat, supra montem perfectionis cœlum versus erectos se exhibeant subditis, erudire profecto eos viam perfectionis per ardua montis, & versus cœlum capessendam.

Prælati vita sua perfecta, & exemplo bonorum operum magis, quam prædicatione viam perfectionis docere debent.

10 At multo clarius perfectionem ipsam eosdem docere per ipsam suam, quam exhibent, vitam perfectam prædictæ turris rotunditate designatam, quæ certe rotunditas secunda est pulchri colli laus. Enimuero orbicularis figura, atque rotunditas perfectionis typus est præstantissimus: quandoquidem vel tantillum inæqualitatis ipsam destruit rotunditatem: & figura circularis, quæ rotundum ambit corpus, reliquis figuris omnibus perfectior definitur ab vniuersis.

Quod vero Prælati, atque Episcopi in primis, quorum hoc loco contexitur encomium, perfecti esse debeant, atque in statu perfectionis, tum apud antiquissimos,

simos, tum apud recentiores Theologos pro indubitato supposito reperitur, vt videre est apud Sanct. S. Thomas. Thomam secunda secundæ quæst. 185. artic. 1. ad secundum, vbi id colligit ex illis Domini verbis apud Ioannem: c Simon Ioannis diligis me plus his? & ex Dionysio capit. sexto Eccles. Hierarch. idipsum confirmat. c Io. 21. 15. Dionysi. His igitur duobus suppositis, manifestum plane fit, quam recte collum spirituale Ecclesiæ & quotquot in Ecclesia sunt Prælati, & Episcopi sanctiores ex ipsa rotundiate commendati sint, eaue rotunditate, quæ similis sit rotunditati turris Dauid: quam propterea, iuxta Hebraicam textum, תלפיות *ad talpioth*, id est, ad disciplinas, seu ad documenta ædificatam inquiunt nonnulli, quasi ad hoc in altum erecta eo loci, tam rotundo, ac perfecto opere ea esset, vt ab illa singuli, qui aliquid præclari ædificare vellent, tãquam à perfectissimo exemplari docerentur, ita vt ex hoc ipso prædictæ turris appositio manifestum reddatur id, quod probandũ supereſt, Prelatos idcirco in altum euectos in Ecclesia, sanctitate, ac vitæ perfectione affabre rotundos, atque præclaros; vt ipsa sui perfectione pro exemplari sanctitatis deseruiant; vt quotquot virtutum ædificium construere vellent, in illos conii-cerent oculos, & ab ijs docerentur. Quod aperte Petrus Apostolus ab illis exposcit, dicens: a ne sint *dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo*: operibus ipsis multo melius ipsam edocentes perfectionem, quam verbis: habent quippe & opera bona os suum, imo ipsamet os quodammodo sunt, quod clara, & eleuata loquitur voce, iuxta illud Domini: b *Opera, quæ ego facio, ipsa testimonium perhibent de me*, & c *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*. Atque adeo congruentissime iuxta aliorum expositionem, turri Dauid comparantur ijdem Prælati, *quæ ædificata est ad Talpioth, ad tumulum orium*, id est, lapidibus ijs erecta, atque constructa, qui excisi essent ad instar orium.

a 1. Pet. 5. 3 Opera habent os, sunt immo os loquens, & clamans. b Ioan. 10. 25. c Mat. 7. 16

11 Orationis & meditationis studia Prælatis sunt tamquam collaria ipsos exornantia, & tanquam propugnacula turrium.

A quibus haud valde discrepat sensus lectionis nostræ Vulgatæ, quæ pro *ad Talpioth*, id est, *ad disciplinas*, seu, *ad tumulum orium*, habet, *cum propugnaculis*. Ipsa siquidem propugnacula, quibus in culmine ambiuntur Prælati instar illius turris Dauid, sunt præstantissima ea illorum opera, quæ in culmine mentis ipsorum fiunt, quibus, quatenus ijdem collum Ecclesiæ sunt, instar erectorum collariorum perpulchre exornantur: Ea vero sunt orationes, obsecrationes, gratiarum actiones, meditationes, ac supercælestium rerum contemplationes: Collaria sane, totum ambientia collum, summumue illi decorem conferentia: quia nil sacerdotibus, atque Pontificibus gloriosius, quam vt in omnibus gratias agant iugiter orationi instantes sint, mentisue intentionem ad cælestia referant in ijs etiam, quæ agunt super terram. Propugnacula vero cadẽ sunt tutissima, atque peroptima: quia per ea, & in ijs confisi subditi, & infirmiores quique propugnánt contra aduersarios suos: propterea siquidem tam frequenter ad Aaron, & filios eius replicat Moyses, vt orent pro populo: propterea & populum ipsum frequentius idem admonet Moyses, vt ad sacerdotes cõfugiant, qui orabunt pro ipsis: Propterea Iudæorum populus, cum quæpiam insurgeret vel Ægyptiorum, vel aliorum hostium, vel etiam ignitorum serpentũ persecutio, ad Moysem, & Aaron Prælatos suos decurrebant, efflagitantes, vt pro ipsis preces Deo funderent, vnaque cum virgæ, vel manuum eleuatione, mentem pariter ad Dominum eleuatam ostenderent: vnde existiusmodi propugnaculis, & Ægyptios in mare demersos debellabant, & Amalecitarum exercitum profligabant, & serpentum virus deuitabant. Præclare autem vox ista *Talpioth*, qua in isto encomio vtitur sponsus, dum prædicta designat propugnacula, significat quoque & documenta, & tumulum orium, vt dictum est: Nam ea ipsa studia orationis, meditationis, & contemplationis, cum quibus quasi cum propugnaculis quibusdam ædificatam turrim Dauid, Prælatosue Ecclesiæ erectos ostendi, simul etiam documenta sunt, ac orium tumulus: quatenus ita propugnacula sunt è quibus pugnatur, vt tamen & subditos ipsos orare doceant, & ad oratio- *Orationi non tam aliena, quam propriæ fidendum.*
nem quasi multiplici ore promoueant: vt, non modo in ipsorum orationibus confisi pugnam arripiant, sed & orationibus proprijs, quas ab ipsis fundere didicerint, quoscunque hostes tentent propugnare: sic ex propugnaculis apostolicarum orationum Chananeam in Euangelio orare edoctam legimus, quippe quæ statim ac Apostolos pro se orasse intellexit, quando accedentes ad Dominum rogabant pro ea, dicentes: c *Dimitte eam, quia clamat post nos*: ab illis edocta venit & ipsa, accedens ad Dominum, illumue adorans supplex orauit, dicens: *Domine adiuua me*: atque adeo ex prædictis propugnaculis pugnans, dæmonem à filia sua profligauit. c Matth. 15. 23.

Supereſt tertia laus, quæ in sponsæ collum, atque in Ecclesiæ Prælatos confertur per hanc turris Dauid similitudinem: Ea vero est rectitudo insignis. Decorum enim collum numquam quis illud dixerit, quod, cum erectum, ac rotundum sit, rectitudine tamen caret, & in alteram partem magis deflectitur: Nec prælatum quempiam quis sanctum, bonumque appellabit eum, qui vel affectu cognationis, vel timore potentium, vel reuerentia diuitum, vel amore, aut odio à rectitudine deflecti se sinat, quantumlibet dignitate præstantissimus ille sit, quantumlibet virtutum celsitudine sit sublimis: quantumlibet quoad vitæ probitatem perfectus alioquin videatur. Notandum autem, quam præclare ista rectitudinis laus in sanctos conferatur Prælatos: cum enim sub metaphora colli laudentur, atque adeo instar colli, quod & ad superna erigitur, & ad ima demittitur: nuncue ad dexteram, nunc ad sinistram partem conuertitur, prout necessitas exquisierit: & ipsi pariter, prout occasio exegerit, & necessitas subditorum, ita habere se debeant, (vt supra dictum est) vt superbis erectos se exhibeãt, humilibus vero se demittant: facileue nunc ad vitam contemplatiuam, nunc ad actiuam se vertant. Ne quis propterea perpetuæ rectitudinis expertes illos censeret, egregie turri illos comparat sponsus, & turri, quæ ad amussim, & ad perpendiculum in rectum à magnificentissimo Rege Dauid exstructa est: vt intelligeremus, ita coniunctam sanctis Prælatis rectitudinem immotam, sicut & turri illi coniuncta esse: sicue fieri non posse, vt bonus Prælatus ab ista deflecti se sinat rectitudine, quin illico eius, ac subditorum subsequatur ruina: Sicut fieri non poterat, vt turris illa Dauid vel parumper à sua rectitudine deflecteret, quin statim ruina pariter illius sequeretur, vna cum illorum omniũ excidio qui vel intra ipsam, vel subter ipsam essent. Porro quemadmodum haud quaquam distortum collum id appellamus, quod huc, illucue ob necessitates flectitur, aut vertitur: sed id, quod propter aliquid distillationis, seu propter nerui cuiuspiam contractionem, aut propter alium morbum in alteram partem ita declinans est: vt ab illa dimoueri nequeat. Ita & illos distortos dicimus Prælatos, & absque rectitudinis gratia, qui propter ea, quæ supra numerata sunt in fauorem aliquorum se deflectunt: non autem illos, qui ad hoc, vt subditorum necessitatibus occurrant, iuxta consilium Apostoli, omnia omnibus fieri studeant. *Prælati quo modo recti esse debeant, quamue eis sit necessaria rectitudo.* *Simile.* *Simile.*

12 Prælatis sanctis duplex inest decor, gratiæ gratum facientis, & gratiarum gratis datarum.

Quoad tertium: supponendum primo, sicut in materiali colloduplex conspici potest decor, naturalis alter, & intrinsece innatus: alter vero extrinsecus, adscitus ex adhibitis torquium, ac monilium ornamentis: ita & in Prælatis, quos spirituale esse collum, ostendi, duplicem pariter reperiri decorem, alterũ prouenientem ex virtutibus infusis, ex interna, ac omnimoda sanctitate, & ex gratia gratũ faciente: alterum vero in aliorum vtilitatem, ex gratiis gratis datis resultantem: hisce enim quasi pretiosis quibusdam ornamentis ante subditorum oculos mirum in modum decorantur.

Porro, cum gratiæ gratis datæ, iuxta doctrinam sancti Thomæ, ordinentur ad fidei, & spiritualis do- 3. p. q. 7. ar. 7. in corp.

ctrinæ

ctrinæ manifestationem, decori ijs potissimum reduntur prælati, quibus doctis se exhibent in spirituali sacrarum litterarum doctrina, interpretatione sermonum, gratia fidei, scientiæ ac sapientiæ; quæ ad vnam reduci possunt sacræ Scripturæ notitiam, eiusdemue verum intellectum, & germanam interpretationem ex speciali Dei auxilio exhibitam. Hoc supposito duo nobis in præsentiarum sunt agenda: Primo ostendendum, qua ratione istiusmodi scientia scripturarum, instar torquium se habeat: Tum probandum, quomodo simul clypeorum vicem gerat, & omnis armaturæ fortium. Quod torques ea sit, ac monile pretiosissimis è margaritis compactum, ex libro Prouerbiorum deducimus, vbi Sapientissimus Salomon ait: *a Audi fili mi disciplinam patris tui: & ne dimittas legẽ matris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.* Disciplina.n. Patris nostri cælestis sacra Scriptura est, eademque est & lex Ecclesiæ matris nostræ. Auctor quoque libri Ecclesiastici de huiusce modi loquẽs notitia scripturarum, quæ vera sapientia est, *b Inyce*, inquit, *in torques illius collum tuum*: An non monile speciosissimum interpretatio scripturarum ex tot constans margaritis, quo attingit sacrorum librorum sententias? *c Ne mittatis*, ait Dominus, *margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis*: Congruentissime quoque vel sacra Scriptura, vel ipsius notitia, atque interpretatio torques, ac monile dicuntur: quia id præcipue ab eis præstatur, vt Prælatos cingant, atque exornent, ad quos spectat loqui sermones Dei, pastũque præbere Ecclesiasticæ plebi: sicut & torques, atque monilia id muneris exhibent, vt cingant, & exornent collum, per quod, & cibi traijciuntur in stomachum, & spiritus ad loquelam formandam necessarius transmittitur.

Striptura sacra, & eius interpretatio est torques & monile sanctorũ prælatorum

a Pro.1.8.

b Eccl.6.25

c Mat.7.6.

13 *Scriptura sacra, eiusque notitia & interpretatio est clypeus, & mille clypei,* d *Pro.* 30.5 e *Ps.*90.1.

Quod autem eadem Scriptura sacra, eiusue interpretatio, nedum sit torques, & monile, sed insuper & clypeus, ex libro item Prouerbiorum colligitur manifeste, vbi dicitur: *d Omnis sermo Dei ignitus clypeus est sperantibus in se*: Et bene clypeus, quia dum instar torquis circundat, instar clypei pariter protegit, item circundans. Vnde in psalm. ad summum Antistitem dicitur: *e Scuto circundabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris: ab incursu, & dæmonio meridiano.* Veritas quippe Dei verus est sermo eius. Porro non solum vnus est clypeus, sed & mille ac tot numero clypei, quot constat sententijs: quod ipso earum vsu comprobatum nouimus ab eodem Antistite summo Christo Iesu, *f* quando contra tria tentationum genera, quibus in deserto fuit impetitus à dæmone, triplicem obiecit clypeum, tres sacræ Scripturæ sententias: *Non in solo pane vivit homo*, &c. *Dominum Deum tuum adorabis*, &c. atque *Non tentabis Dominum Deum tuum*, &c. pluresue obiecisset clypeos, si pluribus eum diabolus aggressus esset iaculis.

f Mat.4.4.

Scriptura sacra eiusque interpretatio est omnis armatura fortium.

g Eph.6.13

Quin, nedum vnus clypeus est, & mille clypei, sed & simul est *omnis armatura fortium* idem ipse sacrarum litterarum sermo, eiusue scientia; quod valde mirabile est, & præclare declaratur ab Apostolo in Epistola ad Ephesios: *g Propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparationem Euangelij pacis: In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumite, & gladium Spiritus, quod est verbum Dei.* Pro quorum intellectione, animaduertendum primo, pro eo, quod noster Interpres simpliciter vertit, *armaturam Dei*: in Græco esse dictionem πανοπλίαν, quæ explicat id ipsum quod dicitur hic, *Omnis armatura fortium*: πανοπλία namque proprie significat omne armorum genus, & com-

h Cant.3.7

pletam armaturam, armatura vero fortium, id est, Prælatorum, de quibus supra dictum est, *h* quod *fortes* sint *ex fortissimis Israel*, ista ipsa est, quam omnem armaturam fidei appellat Apostolus: quæ, etsi pluribus constare videatur armorum generibus: vnico nihilominus re vera tali constat genere, quod πανοπλίαν constituit validissimam, ac pro reliquis omnibus armorum generibus satisfacit. Quod vero istud est, nisi id, quod pendet è turri Dauid, de quo dicitur: *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium?* Post enumerata enim aliquot armorum genera, cingulum veritatis, thoracem iustitiæ, & ocreas præparationis Euangelij pacis, quibus armandus esset Dux Christiani exercitus: subijcit Apostolus: *In omnibus sumentes scutum fidei*: & adijcit postea duo alia genera armorum, *Galeam salutis, & gladium spiritus.* Præclare autem Chrysostomus & Theophylactus super citatum Apostoli locum, ponderantes verbum illud (*in omnibus*) seu, vt est in Græco ἐπὶ πᾶσι, id est super omnia: In omnibus, inquiunt, nempe in veritate, & iustitia, & præparatione Euangelij. Quid est autem in veritate, & iustitia, & præparatione Euangelij, nisi ad veritatem, & iustitiam, & Euangelij prædicationem contutandam? seu etiam, pro veritate, &c. sicut & pro galea, & pro gladio spiritus: quod apertius idem Chrysostomus indicat his verbis: Quemadmodum galea caput vndique diligenter obtegens, non permittit mali quidquam pati, sed seruari: ita & fides & pro scuto est, & pro galea salutari: & paulo infra: & non hanc solam, scilicet galeam, cum fide accipiemus: sed & gladium Spiritus: vt non solum deinceps immissa iacula propulsemus: sed & diabolum ipsum percutiamus.

Chrysost. *Theoph.*

Theophyl.

Porro si subtilius inquiramus, quodnam id sit scutum fidei, cui tantum tribuit Apostolus, etsi communiori sententia fides ipsa illud esse censeatur, crediderim tamen commodissime dici posse, notitiam sacrarum litterarum id esse, seu etiam ipsam sacram Scripturam, de qua intelligendum ostendi, quod hic dicitur: *Mille clypei pendent ex ea*: hac quippe tanquam durissimo clypeo omnia tela nequissimi ignea, atque præfortia propulsamus, prout exemplo suo ostendisse dixi Dominum in deserto. Scutum sane potissimum fidei dicitur Scriptura sacra, & scientia illius, milleque clypei ob innumeras illius sentẽtias, quibus Prælati tanquam præfortibus clypeis fidem tutantur simplicium subditorum: scutum, quod & lumbos, id est, animi virtutem, iuxta intellectum Theophylacti, cingit, & roborat cingulo veritatis. Ecqua enim re melius veritas exhibetur: ac patefit, quam verbis ac sententiis scripturarum? Lorica iustitiæ ipsamet est, dum ijdem Prælati illa non tantum fidei tutantur dogmata, sed & præcepta insuper veræ iustitiæ illæsa defendunt: quid de ocreis dicam pedum? Prædicatio certe Euangelij pacis, ipsa est sacrarum litterarum prædicatio, & ipsius scuti fidei vsus: Menti, quæ caput animæ est, vnde proueniunt salutares cogitationes, nisi ex ipsa sacræ Scripturæ meditatione, & ex eiusdem prædicatione, quæ è mentibus quoque subditorum prauos arcet cogitatus, pro galea salutis inseruiens? Et quo iaculo, quoue acutiori gladio vniuersos hostes facilius, tutiusue confodimus, quã ijsdem sacræ Scripturæ sententijs, quæ & mille clypei sunt, & scutum fidei dicuntur, atque etiam gladij Spiritus munia præstant? Quod tandem patefacit Apostolus, dum, postquam dixit: *Gladium Spiritus assumite*, subijcit. *Quod est verbum Dei*: æque enim est, ac si dicat: quod haud aliud est, quam illud ipsum verbum Dei, quod scutum fidei est, & πανοπλία Dei, atque omnis armatura fortiũ.

14 *Prælatie esse debent tanquam armamentarium sacrarum Scripturarũ.*

Notandum hoc loco discrimen formæ locutionis Apostoli, & Sponsi: nam etsi vterque ducem, ac Præsulem Ecclesiæ clypeis, & omni armatura Dei, ac fortium instructum esse oportere, significet; Paulus tamen ita ea armatura ipsum instructum vult; vt facto illa vtatur, exercens nimirum sacræ Scripturæ sententias in militia, qua continue sibi in hac militanti Ecclesia dimicandum est, vtens ijs pro clypeis, pro cingulo, pro lorica, ocreis, galea, atque etiam pro gladio. Sponsus vero cælestis id potius in Prælato Ecclesia-

cleſiaſtico commendat, quod ſacræ Scripturæ ſcientia, & interpretationis diuinorum ſermonum gratia exornatus eo pacto eſt, vt ex ipſo tanquam è pleno armamentario vnuſquiſque è ſubditis paratum, ac ſibi neceſſarium clypeum habeat fidei, & πανοπλίαν ac armaturam quamcunque, dum ſcilicet ab illo ſacrorum voluminum exponuntur myſteria, proponunturque ſententiæ. Ideo tanquam torquibus, collum ambientibus, ac exornantibus, talibus ſententijs Prælatos decorari ſignificat: Ideo & hac vtitur forma loquendi: *Mille clypei pendent ex illa*, ſcilicet turri Dauid, *Omnis armatura fortium.*

Prælatorum ſanctorum panoplia eſt nomen Domini, quod & pro mille clypeis deſeruit eiſdem.

Præter iſtud eruditionis ſacræ Scripturæ ornamentum ſimul ac πανοπλίαν, alterum quoque reperio, quod & ornamentum pariter eſt, & pro mille clypeis, & pro omni item armatura fortium eiſdem ſanctis deſeruit Prælatis, ſpiritualeque decorat Eccleſiæ collum: Iſtud vero ſanctiſſimum, ac glorioſiſſimum eſt nomen Domini: de hoc namque Dauid ad Goliath ſuperbiſſimum illum Philiſtæum ait: *a Tu venis ad me cum gladio, & haſta, & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum Dei agminum Iſrael, quibus exprobraſti hodie: & dabit te Dominus in manu mea, & percutiam*, &c. Quid vero id ſignificat, quod in Exodo legimus præceptum à Domino, *b* vt ſuper tiaram Summi ſacerdotis aurea lamina poneretur, in qua idem Dei nomen inſculptum eſſet; niſi vt Pontificibus, ac vniuerſis, qui in illos oculos conijcerent, perſpicuum ex adhibito iſto ornamenti genere fieret, gloriam, ac decorem omnem, quo illuſtres apparent in medio populi, haud prouenire ex ſublimitate gradus, vel ex dignitate Pontificia, ſeu etiam ex virtute operum mirandorum, quæ ab ipſis fiunt, ſed ex ipſo Dei nomine, quod prædicant laudabile, & glorioſum in ſæcula, in quo, & ex cuius virtute cuncta, quæ agũt, ab eis patrantur. Egregie autem cæleſtis ſponſus ex hoc ornamento ſimul, ac armatura Prælatos ipſos efferens laudibus, hac vſus eſt forma loquendi: *Mille clypei pendent ex ea*, ſcilicet turri Dauid, *& omnis armatura fortium*: Indicans, ex benedictione Sacerdotum, quæ fit in nomine Domini, atque ex prædicatione eiuſdem nominis, quæ per eoſdem exercetur quaſi pendentes clypeos, omnemque armaturam fortium ſubiectis populis exhiberi, quibus & ab inſultibus Dæmonum ſeſe protegant, & contra aduerſa omnia ſeſe inſtruant: atque eatenus ab eiſdem ſubditis ipſos veneration haberi, quatenus Dei nomen, quaſi pretioſi torques, & quaſi pendentes clypei ex illis emicantes conſpiciuntur, & quatenus intelliguntur eſſe ſacerdotes Domini.

b Exo. 28. 30.

Nomen Dei quomodo ex Prælatis pendere dicatur, inſtar clypeorum & torquium.

Ex dictis Paraphraſticus ſenſus præſentis Prælatorum encomij colligitur huiuſmodi.

Paraphraſis. Greg. Nyſſ. Caſſiod. Greg. Papa. Phil. Car. Aponius Beda. Anſelmus.

Summus Pontifex, ceteriue Prælati, qui ſimul cum illo vniti vnius in te colli locum obtinent; propterea quod inſtar colli me, qui caput tuum ſum, meamque fidem in te ſuſtentant, à me ſuſtentantur & ipſi per charitatem, qua mihi vniti, & in me radicati ſunt, qui colli etiam locum obtinent, ob id, quod inter me caput tuum, ac fidelium plebem mediatores conſtituti ſunt, ac intermedij: & ob id, quod toti emineant populo, æque ac collum toti ſupereminet corpori: indeque eminentiã habeant, vnde vim habent, ne ſuccũbant oneri prælationis, prout & collum inde habet erectionem, vnde & vim habet tollendi oneris, *Collum* inquam, iſtud *tuum* ſpirituale, quod ita erectũ eſt, vt tamen promptum ſit ad ſe flectendum humilibus, ad vacandum vitæ actiuæ, ſicut & contemplatiuæ; ad reſpiciendum proximorum neceſsitates, & altiſsima cœli myſteria; eſt *ſicut turris Dauid, quæ ædificata eſt cum propugnaculis*. Siquidem hoſce Prælatos, ego ipſe verus Dauid manu fortis erexi inſtar illius turris, quæ in Sion extructa eſt, vt ſpeculatores eſſent in te. Erexi quoque illos in altum inſtar illius turris: vt hoc pacto eſſent tanquam pharus quædam ſubditis, è qua docerentur viam per fectionis ſcandendam per ardua montis, ac cœlum verſus: adeo vt propterea habeant primam pulchri colli conditionem, qua erectum id eſſe debet. Sed & rotunditatem quoque præ ſe ferunt inſtar eiuſdem turris, quæ ædificata eſt ad Talpioth, id eſt, ad documenta, ſeu ad tumulum orium: vitam namque perfectam, qua propoſiti quaſi pro exemplari ipſius perfectionis, per rotunditatem deſignatæ, & operibus edocent, & orationibus ſuis. Neque vero ijſdem tertia deeſt pulchri colli conditio rectitudinis: Ita enim firmi in ipſa tum fidei, tum etiam iuſtitiæ ſunt rectitudine: vt nec affectu quopiam, nec indignatione, aut metu, vel aliquo propriæ, aut humanæ ratiocinationis errore ab illa vmquam declinent: quemadmodum nec turris Dauid à ſua deflecti poteſt rectitudine, quin illico ſubſequatur ruina. Porro, ſicut collum perpulchrum haud tribus hiſce dumtaxat conditionibus, ſed & adſcititijs torquiũ, ac monilium ornamentis magis decorum redditur: Ita & ſancti iſti, qui colli in te vices gerunt, Prælati non ſolum ijs, quæ enumerata ſunt, decorem præ ſe ferunt, ſed & inſuper gratijs quoque gratis datis illuſtrantur: ijs præſertim, quibus doctos ſe exhibent in ſpirituali ſacrarum literarum doctrina. Quod autem admirandum quam maxime eſt in ſanctis hiſce Prælatis, illud eſt, quod vna eademque notitia iſta ſacrarum litterarum, & earumdem prædicatione, & interpretatione, tanquam aureis torquibus, ac pretioſis margaritarum monilibus exornantur: & tanquã perpulchris, atque præfortibus clypeis, omniq; armatura fortium armantur: ſimulque & ſubditis arma exhibent, quibus aduerſus inuiſibiles hoſtes ſeſe tueantur, dimicentque audacter.

Verſ. IV. cap. IV. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.*

Expositio III.

De ſecunda Sponſa, quæ eſt Anima Sancta.

SI colli metaphoram cum adiuncta turris Dauid ſimilitudine prima facie conſideremus, tantum abeſt, vt encomium aliquod in præſenti contineatur ſententia, vt vituperatio potius ingens in animam conferri videatur: eaque duplex, ſuperbiæ altera, altera perũicacis obſtinationis, & contumacis inobedientiæ: Enimuero elationis, atque ſuperbiæ haud aptius in ſacris litteris eſt hieroglyphicũ collo ipſo erecto & turri ſuper montem erecta, qualis ea eſt, quam Dauid ſupra montem Sion extruxit, ipſa altitudine ſua elationis item eſt typus: quam eamdem vna cum maximo faſtu multiplex ſcutorum armatura deſignat, prout ex vna Eliphaz ſententia colligitur, qua eleganter in libro Iob ſic deſcribitur ſuperbus: *a Cucurrit aduerſus eum erecto collo, & pingui ceruice armatus eſt*: pro quibus vltimis verbis in originali lectione Hebraica magis ad propoſitum ſic habetur: *In denſitate altitudinis ſcutorum eius*: quæ præclare expreſſa ſunt à Septuag. dum enim ea ſic reddiderunt: *Cucurrit contra eum in iniuria, in craſsitudine dorſi ſcuti ſui*: indicarunt profecto, ipſam ſuperbi elationem, ac temeritatem eſſe & clypeos, & omnem armaturam illius, iuxta illud Iſaiæ: *b Audiuimus ſuperbiã Moab: ſuperbus eſt valde: ſuperbia eius & arrogantia eius, & indignatio eius pluſquã fortitudo eius*. Quod & noſter Interpres ſignificare voluit, legens: *Et pingui ceruice armatus eſt*. *c* Turrim quoq; illã

Collum tum erectione typus ſuperbiæ, & elatæ animi.

a Iob. 15. 26.

b Iſa. 16. 6.

c Gen. 11. 5.

Babel

Babel in illorum, qui eam erigebant, ſuperbiæ monumentum in ſacris litteris deſcriptam eſſe voluit Dominus. Peruicaciæ vero, contumacis inobedientiæ, atque obſtinationis typum eſſe eam, quæ hic à ſponſo vſurpatur, colli metaphoram, eadem ipſa ſimilitudo turris Dauid cum propugnaculis, atque armis ſuadere videtur: Turris quippe illa tam fortis nullatenus flecti poterat, & ad peruicacem, rebellem, & inobedientem populum Israel dictũ nouimus apud Iſaiam: *d Sciui quia durus es, & neruus ferreus ceruix tua:* Multoque magis hæc vera videntur, ſi ſequamur lectionem Ambroſij pro collo ceruicem ita habentem: *Sicut turris Dauid ceruix tua quæ*, &c.

Collum turri comparatum typus peruicacis contumaciæ, & inobedientiæ.

d Iſa. 48. 4.

e Ambroſ. Serm. 4. in Pſal. 118. verſ. 1.

Nihilominus cum certum ſit, & indubitatum, in toto hoc capite quarto contextum eſſe encomium virtutum piæ animæ, nec in mentem quidem cuiuſpiam, qui ratione polleat, tale quid venire fas eſt: vt vel ſuperbiæ, vel peruicacis inobedientiæ ea hic inſuſetur, quæ ſponſa eſt Chriſti. Quin illud maxime admirandum in hac eſt ſententia, quod illarum virtutum laudes in ea celebrantur, quæ oppoſitæ ſunt ſuperbiæ, ac peruicaciæ, & propter quas anima ipſa ad ſponſalitiam dignitatem eſt euecta, & in eadem perſeuerat dignitate, humilitatis nimirum, atque obedientiæ illius.

Vt autem vniuerſa, quæ in iſto colli encomio continentur, dilucide explicentur, omniſve abigatur confuſio: Explicemus primo deſignatas humilitatis eius laudes: Tum ſecundo loco eruemus & laudes obedientiæ eiuſdem. Quia vero ſingula, quæ in hoc verſu habentur, egregias continent humilitatis prærogatiuas: videndum primo, quid laudis in illam redundet ex metaphora colli, ſub qua ea extollitur, quaſve cum femineo collo habeat congruentias. Secundo, quid eidem addatur per ſimilitudinem allatam: Ac demum tertio, quo pacto ijſdemmet rebus exornetur ſimul, & armetur: quæve ea ſint, quę ornamenta ſunt, & arma illius.

16 *Humilitas eminentior reliquis virtutibus. Simile.*

Quoad primum: Multæ ſunt inter virtutem humilitatis, atque collum congruentiæ, multæque per hanc colli metaphoram humilitatis ſubindicantur laudes: ac prima quidem, atque potiſſima laus eſt celſitudinis, atque eminentiæ ſuper virtutes reliquas. Quemadmodum enim collum vniuerſo corpori eminens, membris quoque omnibus ſublimius eſt, vtpote quod capiti, ac totius corporeæ fabricæ faſtigio proxime inhæret, illudve ſuſtentat. Ita & humilitas vniuerſis ſublimior eſt virtutibus, quibus quaſi diſtinctis membris fabrica conſtat animæ ſanctæ. Quam vero ſublimis ea ſit, intelligitur ex eminenti loco, quem Dominus eum, qui vere humilis ſit, obtinere teſtatus eſt, celſiſsimum nempe locorum omnium, qui in altiſsimis ſunt cœlorum, dicens: *a Quicunque humiliauerit ſe ſicut parvulus iſte, hic maior eſt in Regno cœlorum*: vbi ponderandum verbum (*eſt*) in præſenti. Quod enim in futuro humilitas paritura eſſet exaltationem, & eminẽtiam, alias idem ipſe aſſeruerat, cum diceret: *Qui ſe humiliat, exaltabitur*: iuxta illud Sapientis: *b Humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria*: At in præcitata ſententia, id quoque nobis perſuaſum voluit, quod à Sapientibus mundi nequaquam percipi poteſt; eo ipſo temporis momento, quo quis eſt humillimus, eumdem ſimul eſſe & celſiſsimum: & eam, quæ maxime demiſſa eſt, humilitatem eſſe ſimul & ſummam celſitudinem. Nec paradoxum id cuiquam videri debet: quia ſenſus perſuadeat contrarium: neque falſum: quia ex Theologorum doctrina conſtet, eminentiſsimum locum in regno cœlorum tenere cœleſtes illos ſpiritus, qui ob flagrantiſsimum diuinæ charitatis incendium Seraphim appellantur, & præ reliquis Altiſsimo Deo proximi ſunt. Enimuero imaginari debemus, Deum, qui in altiſsimis habitat, ſicut cum condidit ſenſibilem mundum iſtum, in figura circulari illum condidit, prout apud omnes pro confeſſo haberur: Ita & cum nobilius item ſeſe communicauit creaturis rationabilibus, ſeu ſpiritualibus, ac rationalem, ac ſpiritualem effinxit mundum, quaſi circulum quemdam illum eſſe voluiſſe, à ſe tanquam ab indiuiſibili, & imperceptibili puncto dimanantem, & in ſe pariter terminantem. Porro ſicut in ſenſibili circulo ſunt duo altiſsima, principium, & finis, quatenus æque proxime punctum illud attingunt, è quo circulus deriuauit; cum tamen re vera alterum altiſsimum ſit, nempe principium ex altiſsimo exortum: alterum vero, quod circulum concludit, maxime demiſſum, quatenus maxime ab altiſsimo illo recedit principio: idem tamen, quod hac ratione eſt maxime demiſſum, eſt pariter & maxime altum, quatenus & primum attingit punctum, eique æquiparatur in celſitudine. Ita & in ſpirituali circulo contingere exiſtimandum eſt: vt, etſi ſublimes illi cæleſtes ſpiritus altiſsimum in cælis obtineant locum, & ij, qui humillimi ſunt, maxime ſint demiſſi, quatenus ab illorum excellentia, & ſanctitate longiſsime ſe abeſſe ſentiunt intrinſecus, & certo extrinſecus affirmant præ extrema animi demiſsione; verum nihilominus ſit dicere, quod quanto magis hoc pacto ab illis recedunt, tanto magis ad Deum accedunt, vnde & qui maxime recedunt per maximam humilitatem, maxime etiam proximi Deo fiant per gratiam; æque ac præſtantiſsimi cælites eidem proximi ſunt per naturam ſimul, & gratiam, quæ celſiſsima in ipſis eſt, ac nobiliſsima, vnde id confirmatur, quod colligebam ex prima proportione, quam cum humano collo habet humilitas, eminentiſsimam eam eſſe, quæ reliquis virtutibus, ſicut & collum membris vniuerſis eſt eminentior, ex eo, quod inſtar eiuſdem colli proxime inhæreat capiti.

Simile.

a Mat. 18. 4

b Pro. 29. 23

Humilis celſiſsimum locum obtinet.

17 *Humilitas ſuſtentat Deum ſuper molem virtutum omnium.*

Augetur laus iſta eminentiæ exinde, quod eadem humilitas inſtar colli capiti inhærentis, illudve ſuſtentantis Deum, cui proxime inhæret, & à quo tantam habet celſitudinem, ſuper totum virtutis corpus ſuſtentat: ad quod confirmandum non incongrue adduci poſſet id Eccleſiaſtici: *c Sapientia humiliati exaltabit caput illius*: quamuis iuxta literam alius ſit eorum verborum ſenſus. Quæ eſt enim ſapientia humiliati, demiſsique animi, niſi ipſa eius humilitas, atque demiſsio, per quam ſtulta facta eſt ſapientia ſapientum, & prudentia prudentum reprobata? hæc porro ſapientia veri humilis eatenus caput ipſius dicitur exaltare, quatenus Deum in illo exaltat, exaltatumque ſuſtentat; quatenus is, qui vere humilis eſt ſuper totam virtutum ſuarum fabricam Deum exaltat, nil ſibi adſcribens eorum, quæ in ſe præclara reperiuntur, quicquid in ſe boni, quicquid & virtutis extiterit, Deo capiti ſuo ferens acceptum: quod non obſcure idem auctor libri Eccleſiaſtici hiſce explicauit verbis in cap. 3. *d Magna potentia Dei ſolius, & ab humilibus honoratur*: quorum iſtiuſmodi poteſt eſſe ſenſus: Exaltatio maximæ potentiæ, quæ ſoli Deo competit, ab humilibus eſt: quoniam ab humilibus duntaxat ea ſuſtentatur in hoc mundo: dum illam honorant virtutum ſuarum omnium gloriam in illam conferentes: Et bene: nam quemadmodum in eo humilitas eſt ſimilis collo, quia Deum ſuſtentat, æque ac collum caput: Ita & in eo pariter eidem ſimilis eſt, quod ita ſuſtentat Deum, vt ſimul & ipſa ſuſtentetur à Deo, quia idcirco ſuſtentat Deum quod ſuſtentatur à Deo: ſicut & idipſum in collo euenire, oſtenſum eſt in præcedenti expoſitione ſecunda, ob id quod neruos à capite deriuantes in ſe habet, ex quibus & fortitudinem habet vna cum ſpiritibus animalibus: quod Rex Dauid qui de ſemetipſo dixit: *e Ero humilis in oculis meis*, optime agnouit, ac proteſtatus eſt, ſuum ipſum alloquens caput, & dicens: *f Fortitudinem meam ad te cuſtodiam: quia Deus ſuſceptor meus es*: Ac ſi dicat: fortitudinem, qua & ipſe fulcior, & te quoque ſuper corpoream virtutis molem ſuſtento, à te deriuatam intelligo: eamdemque tibi ſemper acceptam referam, à quo vti à capite meo vniuerſi deriuant nerui roboris mei, vniuerſus

c Eccl. 11. 2.

d Eccl. 3. 21.

Simile.

Humilitas animæ piæ ſuſtentatur à eo capite, quod ſuſtentat.

e 2. Reg. 6. 22.

f Pſ. 58. 10.

Humilis qua ratione quo eſt demiſſior, eo ſit excellior.

ſus motus ad bonum, vniuerſus & ſenſus eiuſdem boni.

Mutua ſuſtentatio quam neceſſaria ſit inter humilitatis collum, & Deum caput piæ animæ. Simile.

Atque adeo neceſſaria mutua iſta eſt ſuſtentatio, vt nec Deus virtutum corpus, ipſamve humilitatem ſuſtentet: ni ſimul expoſito modo ab humilitate ſuſtentetur: nec humilitas illum valeat ſuſtentare, ni ab eo & ipſa pariter fulciatur, prout res quoque ſe habet inter humanum collum, & caput: vnde fit, vt neceſſe ſit, ambo eſſe ſemper vnita: atque adeo quemadmodum cum caput à collo præciditur, ceſſante mutua iſta ſuſtentatione, ceſſat ſimul & vita omnium membrorum corporis; vnde conſequitur, vt cadauer fœtorem de ſe emittat, vermeſve producat; & membra ſingula in puluerem redigantur. Eadem ratione, quando quis virtute præditus permittit, vt Deus à collo præcidatur humilitatis, ceſſante prædicta mutua ſuſtentatione, ita vt, qui gloriatur, non in Domino glorietur, ſed ſeipſum commendet; efficitur illico, vt quantumcunque eximijs virtutibus inſignitus is eſſet, vna cum defectu eius ſuſtentationis deficiat illico & vita in toto virtutum corpore: adeo vt virtutes, quæ præſtantiſſimæ alioquin erant, fœtidiſsimum diuinis naribus reddant odorem, iuxta illud: *a Incenſum abominatio eſt mihi*: atrociſsimoſve ex ſe proferant ſuperbiæ, iactantiæ, atque ambitionis vermes.

a *Iſa.1.12.*

Enimuero exinde præcipue in virtutis corpore prouenit vita, quod Deus ita inhæret humilitati, vt actu ab ipſa ſuſtentetur. Quod ſub alia metaphora expreſsit Iſaias Propheta, dicens: *b Hæc dixit Excelſus, & ſublimis habitans in æternitatem, & ſanctum nomen eius in excelſo, & in ſancto habitans, & cum contrito, & humili Spiritu: vt viuificet ſpiritum humilium, & viuificet cor contritorum.* Quibus in verbis tria tanguntur, quæ ad rem noſtram faciunt: Primo id quod notum eſt vniuerſis, Deum excelſum eſſe, atque ſublimem, & in excelſo habitare: ſicut videlicet caput excelſum, ac ſublime eſt in humano corpore, & excelſo quodammodo habitat in collo, dum illi innititur: Secundo, illum ipſum, qui adeo excelſus eſt, & in excelſo habitat, reſidere ſimul cum eo, qui humillimus eſt, cum contrito, & humili ſpiritu, ac ſi humilitas quoque excelſa ſit, & quaſi eminens collum ſuſtentans caput ſibi inhærens: Tertio, dum hoc pacto iſtiuſmodi caput in tali eſt collo; dum Deus ſic humilitati innititur, reſidetque cum contrito, & humili ſpiritu ſuſtentatus ab eadem humilitate, id ipſi humili exhibere, vt eum viuificet, vitam & gratiam ei conferens, atque conſeruans.

b *Iſa.57.15*

18

Humilitas quæ fortiſſima eſt in ſuſtentando Deo, inclinat facile ſe, & Deum ipſum ad ima. Simile.

Tertia, quæ ex colli metaphora in humilitatem redundat laus, ea eſt, quæ ex ipſa colli ſtructura deſignatur. Collum enim ex fortiſsimis quidem oſsibus conſtat: at ijs eo modo inſtar verticulorum fabrefactis, atque inter ſe compactis, vt ijſdem fortiſsimum ſit, caputque ſuſtentet, & facilitatem quoque maximam habet ad ſe ipſum flectendum, & in diuerſas partes vertendum: necnon & ad flectendum illud ipſum, quod tam fortiter ſuper ſe ſuſtentat caput. Humilitas quoque eadem ratione ſe habet, quæ tamen præſtantiſsima eſt, qualis ea eſt, quæ hic commendatur; eſt ſiquidem fortiſsima in eo, quod animam Deo ſubiectam conſeruat, caputque ſuum Deum ipſum eo modo, quem explicaui, ſuper vniuerſas virtutes ſuas ita ſuſtentat, vt quantumlibet ab innumeris ſuperbiæ, & inanis gloriæ ventis concuti ſe ſentiat, à prædicta ſuſtentatione nullatenus dimoueri ſe ſinat: Atque adeo bene cæleſtem ſponſum ad iſtud eius robur confirmandum ſimilitudinem fortiſsimæ turris Dauid adhibuiſſe, crediderim: verumtamen ita erga proximos diſpoſitam eandem reddit animam, vt cuilibet illa ſeſe deflectat, infimiſve de plebe ſeſe demittat: id vnum contendens, vt tanquam omnium vilior omnibus ſeruiat, prout Apoſtolo Paulo contigiſſe legimus, qui de ſeipſo ait: *c Cum liber eſſem ex omnibus, omnium me ſeruum feci, vt plures lucrifacerem.* Quin quod maxime mirandum eſt, maxime-

c *1.Cor.9.19.*

que laudandum in humilitate, Excelſum ipſum, quem tam fortiter ſuper totam virtutum machinam ſuſtentat, Deum caput ſuum flectit quocumque voluerit, inclinatque ad ima: quod è tempore Incarnationis patefactum eſt, quando in collo humilitatis B. Mariæ ita ad imum demiſſum eſt, vt cum primum humillima ea completa ſunt verba: *d Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum*: ille in viliſsimam carnem è ſublimi cælo deſcenderit: confirmatque id & Deus ipſe apud Iſaiam, dicens: *e Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos?* Ac ſi dicat: Vndenam fieri poteſt, vt de ſublimi cælorum habitaculo deflectat, & inclinet, niſi ex humilitatis natura, quæ id habet proprij, vt me ad ima deflectat? ita vt illos potiſsimum reſpiciam, quos maxime demiſſos intelligo: Id quod admiratur & humillimus Dauid, cum exclamat: *f Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit?* in altis namque habitat, cum in ſublimi, & celſo capitis loco à collo ſuſtentatur: humilia vero reſpicit, cum ab eodem collo, quod tam fortiter illum ſuſtentat, ad humilia deflectitur, & conuertitur, vt illa reſpiciat. Manifeſtius autem tam admirandam deflexionem, & inclinationem Dei ab humilitate factam idem ipſe in Pſalm. indicat Dauid, cum ait: *g Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me: quoniam inops, & pauper ſum ego*: Æque eſt enim, ac ſi dicat: Noui Domine celſitudinem tuam: at noui pariter, te item ſublimem, atque excelſum inclinari ab eo ipſo, quo valide ſuſtentaris, collo humilitatis; quapropter id fieri in me velim, quod in alijs fieri intelligo: Inclinatus ab humilitate mea, velut caput à collo, inclina modo tu Deus aurem tuam ad me miſerrimum, inopem, atque abiectiſsimum.

d *Luc.1.38.*

e *Iſa.66.2.*

f *Pſ.112.5.*

g *Pſ.85.1.*

19

Per humilitatem tanquam per collum cibus diuinorum myſteriorũ, & panis verbi Dei trajicitur in mentis ſtomachum. Simile.

Quarta inſuper laus ex colli metaphora in eamdem piæ animæ humilitatem exinde prouenit, quod ſicut per collum in ſtomachum trajiciuntur cibi, quibus vniuerſum corpus nutritur, & illud quoque robur cauſatur, quo caput fortiter ab eo fulcitur erectum, quatenus in collo fiſtula gulæ eſt: Ita & per humilitatem, quæ ſpiritale eſt animæ collum, cibi diuinorum myſteriorum, & panis diuini verbi in mentis ſtomachum trajiciuntur, quibus nutritur anima cum ſingulis virtutum ſuarum membris: & robur pariter deſumit, quo Deum ſuper ſe erectum ſuſtentat. Laudem iſtam egregio artificio extulit Redemptor noſter, quando apud Matthæum dixit: *h Confiteor tibi Pater: quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Ita Pater, quoniam ſic placitum eſt ante te*: Lucas *i* vero Euãgeliſta addit, antequam hæc diceret, *exultaſſe* illum *in ſpiritu*: Tantam ſiquidem humilibus, quos ipſe præ omnibus diligebat, per reuelationem diuinorum myſteriorum à Patre exhibitam norat celſitudinem; vt ad huius rei conſiderationem præ gaudio exultauerit in ſpiritu: ac tum pro eximia, quæ illis præſtita erat gratia, Patrem ſuum laudarit, eidemve gratias egerit, ſimulque indicauerit, tantum laudis ex hac reuelatione in ipſam humilitatem prouenire, vt pro hac potiſsimum humilibus ſummopere ſit exultandum, maximæque æterno Patri referendæ ſint gratiæ. Porro reuelatio myſteriorum cæleſtium fiſtula quodammodo eſt gulæ exiſtentis in collo humilitatis: vnde factum eſt, vt humilibus creditum ſit Euangelium, & exhibitio verbi Dei ad fideles pariter, & ad infideles: quod aperte ſignificauit Apoſtolus, cum diceret: *a Quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, vt confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non ſunt, vt ea, quæ ſunt, deſtrueret, vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius*: ac de ſemetipſo loquens, qui præ humilitate aliquando dixerat, *b ſe minimum Apoſtolorum, & indignum vocari Apoſtolum*, ait *c vocatum ſe per Dei gratiam, vt reuelaret filium ſuum in ipſo, vt euangelizaret illum in Gentibus*: illudque *Euangelium*, quod quaſi cibos in ſtomachum Gentium trajiciebat, *d* haud eſſe *ex homine, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti*: innuens profecto,

h *Mat.11.25.*

i *Luc.10.21.*

a *1.Cor.1.27.*

b *1.Cor.15.9.*

c *Gal.1.15.*

d *Gal.1.12.*

fecto, per reuelationem sibi præstitam, quasi per gulam à se Apostolorum minimo Euangelij verbum diffundi in Gentes: Atque adeo bene vniuersis, qui istis diuinorum verborum cibis animam suam, aliosve nutrire peroptent, suadet, vt primo humiles sint; quo intra collum humilitatis prædictam habere queant reuelationem, ac veram sapientiam, per quam cibi illi trajiciuntur, dicens: *e Nemo se seducat: Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, vt sit sapiens*: ac si dicat: Nemo sit, qui se in errorem abduci sinat, existimans, nutriri se posse cibis cælestium mysteriorum, ac pane verbi Dei per scientiam illam, quæ inflat, atque per sapientiam mundi: quinimo si istiusmodi sapientia inflatus videatur in hoc sæculo, necesse est, vt præ humilitate stultum sese exhibeat, ad hoc, vt intra hoc humilitatis collum gulam habeat veræ sapientiæ, per quam prædicti trajiciuntur cibi. Quod sub alia metaphora in illis verbis Psalm. *f Educens nubes ab extremo terræ*, significatum censuit Origenes homilia quinta in Ieremiam Prophetam, dicens, nubium nomine illos in sacris litteris designari sanctos, per quos verbum Dei prædicatur, quive diuinorum mysteriorum notitia præditi sunt, qualis erat Moyses, qui quasi nubes loquebatur: *g Attende cœlum, & loquar, audiat terra verba oris mei*: si enim non fuisset nubes, numquam dixisset: *Expectentur vt pluuia, & descendant vt ros eloquia mea*. Quod si sancti isti sunt nubes, inquit Origenes, cum dicitur Deus educere nubes ab extremo terræ, illud designat, vt si velimus nubes fieri, ad quas perueniat veritas Dei, & per quas descendat pluuia diuinorum eloquiorum, nouissimi omnium fiamus, & tam affectu, quam opere dicamus: *h Puto enim, nos Deus Apostolos nouissimos ostendit*. Id vero omne necesse est; quia reuelatio non est, nisi vbi est humilitas.

20 *Per humilitatem impetratur diuina gratia, ardentesve ex intimis emittuntur affectus, & preces.*

Quinta denique eiusdem humilitatis laus ex ipsa colli metaphora designata exinde sumitur, quod collum per arteriam, & guttur, quod intra se habet externum aerem ad intima demittit, quo refrigerantur præcordiorum æstus, & internum item spiritum ex ipsis præcordijs emittit per respirationem, & exspirationem, eodemque spiritu est præcipuus vocis, ac locutionis effector. Enimuero id in primis humilitas habet proprij, vt è cælis diuinæ gratiæ attrahat auram, qua æstus concupiscentiæ in anima refrigerantur: ideoque Dominus apud Isaiam, in humilibus duntaxat, ait, requiescere spiritum suum, quem norat per humilitatis collum ab illis attractum, atque demissum. Quin & per eamdem humilitatem, per quam Spiritus sancti aurea refrigerantur animæ præcordia, efficitur pariter, vt ex ipsis præcordijs diuino amore feruentibus ardentissimi cælum versus mittantur affectus contritionis, reuerentiæ, dilectionis, ac sanctorum desideriorum, tamquam æstuantes spiritus. Hos spiritus, è corde suo emissos per humilitatis collum suscipi à Domino exoptabat puer ille sanctus Azarias, vnde & dicebat: *i In spiritu humilitatis, & in animo contrito suscipiamur à te Domine*: de huiusmodi quoque spiritu loquebatur & Regius Propheta, cum diceret: *k Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non despiciet*: Hoc denique spiritu, hisce ardentibus affectibus ex intimis præcordiorum per collum humilitatis emissis efficitur, vt eadem ipsa humilitas vocis, ac orationis sit causa. Enimuero, si rem ipsam perscrutemur, reperiemus haud aliam potiorem orationum, quas Deo fundimus, esse causam, quam istam: quia agnoscentes miseriam, egestatem, ac vilitatem nostram, preces ad Deum fundimus, à quo auxilium omne speramus, & cui nos præ humilitate subjicimus, spiritum emittentes contritionis, prout aperte in præstantissima illa Danielis oratione, quæ habetur in cap. nono Prophetiæ illius, obseruare fas est. Atqui quemadmodum tunc vehementior è gutture prouenit vox, quando vehementior ex eodem gutture emittitur spiritus: Ita & quando vehemens spiritus contritionis ceterorumque æstuantium affectuum ex humilitatis collo emittitur, tam magnus est precum sonus, tamque vehemens orationum vox, vt altissimos penetret cœlos, iuxta illud Ecclesiastici: *l Oratio humiliantis se penetrat cœlos*.

Quoad secundum: Per adhibitam turris Dauid similitudinem non modo amplificatur cœptum humilitatis piæ animæ encomium, aliæque insuper in eamdem conferuntur laudes: sed etiam docetur, qualis demum sit vera humilitas, propter quam humilis dici quis debeat. Turrim porro Dauid, ad quam humilitatis collum comparatur, duobus modis hoc loco accipere possumus. Primo proprie eam turrim, quam in prima expositione ostendi, magnificentissime à Rege Dauid erectam super montem Sion. Secundo metaphorice pro humanitate Christi, quam nouimus eumdem Dauid in Sion, atque in Ecclesia construxisse, quando Christus ipse *m factus est ex semine Dauid secundum carnem*: quando filius Dei *n* factus est nobis *turris fortitudinis à facie inimici*: quando & in medio vineæ *o* domus Israel, ac domus Iuda Paterfamilias turrim ædificauit, turrim profecto ædificatam ad Talpioth, id est, ad documenta, seu ad disciplinas: Vnde & de seipso dixit aliquando Redemptor noster filius Dei, & filius Dauid: *p Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*.

Turris Dauid duplex.

Si similitudo de propria turri Dauid sumatur, quinque aliæ ad præexpositas adjiciuntur laudes, quibus mirum in modum amplificatur encomium humilitatis animæ illius, quæ sponsa est Christi.

21 *Humilitas perfecta nititur virtutibus super quas fundata est.*

Prima est, quod sicut turris illa Dauid haudquaquam in loco demisso, sed super altum montem Sion extructa est. Ita & ipsa talis animæ humilitas nequaquam super abiecta, ac detestabilia peccata, aut super naturalium rerum vilitatem fundata est; sed super celsitudinem virtutum eximiarum. Enimuero duplex esse potest humilitas: Altera, quæ ex ijs oritur, quæ in nobis vilitatem, abiectionem, & deformitatem præ se ferunt, quam Bernardus humilitatem veritatis appellat: id est, quam veritas parit miseriæ, quæ in nobis est: & hæc haud certe multum eminens est; quamuis & bona tunc sit, cum illam ante Deum erigimus ex nostri cognitione: non multum tamen eminens est, quia est ex necessitate. Eminens vero maxime est altera humilitas, cui nos adscribere possumus nomen affectionis, ab eodem Bernardo vbi supra vsurpatum, licet in sensu aliquantulum à sensu Bernardi diuerso, quæ super virtutum celsitudinem fundata est: quatenus qui in excelso virtutum culmine reperiuntur, ex affectu ardentis charitatis Deo se, suasve virtutes subjiciunt, in quo sita est veræ humilitatis essentia, fatentes, se nullius esse meriti, virtutesve suas ante Dei oculos esse, *a* tanquam *pannum menstruatum*, vt dicitur apud Isaiam Prophetam. Talis extitit humilitas Pauli, qui, cum per specialem Dei gratiam segregatus fuisset à Domino in Euangelium, & in Apostolatum, in quo & plus ceteris Apostolis laborauit, bonum certans certamen in agone virtutum, super has nihilominus gratias, super & celsissimas virtutes ita turrim extruxit humilitatis, vt diceret: *b Nouissime omnium tanquam abortiuo, visus est & mihi: Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus: quia persecutus sum Ecclesiam Dei*: Super quæ verba egregie Chrysostomus: Vide, inquit, extenuandi verbis quam large sit vsus: visus est, inquit, mihi veluti abortino, minimo Apostolorum, & ipso nomine Apostoli indigno. Nec his est contentus: ne enim verbis humilis tantum videretur, causas etiam, & rationes adducit, quod abortiuus quidem sit, quia Iesum posterius vidit: quod Apostoli nomine sit indignus, quia Ecclesiam sit persecutus. Talis est sponsæ humilitas, quæ instar pulchri colli super altum virtutum corpus

elata eſt: quæve inſtar turris Dauid ſuper excelſum item virtutum mõtem exædificata eſt: ita vt iure optimo de ea id pſalmi intelligere fas ſit, quo dicitur:

c Pſa.86.1. *c Fundamenta eius in montibus ſanctis:* fundamenta ſiquidem, quæ ſunt eæ cauſæ, & rationes, è quibus ſponſa ſeſe demittit, nituntur, & ſunt in montibus ſanctitatis, atque in virtutum celſitudine.

22 Ex hac prima humilitatis laude ſequitur & ſecunda per eamdem turris Dauid ſimilitudinem deſignata. Sicut enim per hanc ſimilitudinem ex prima pulchri colli conditione, ex eo nimirum, quod erectum ſit ſuper altum corporis buſtum, commendatur ſponſæ collum. Ita & hoc quoque in piæ animæ humilitate celebratur, quod, cum ſuper ſanctitatis, ac virtutum montem fundata ſit, in altum pariter inſtar illius turris erecta eſt, quo ab omnibus conſpici poſſit: vt etiam ijs, qui eſſent à longe, conſpicua redderetur: prout & turris Dauid adeo in altum erecta eſt, vt per multa paſſuum millia ab iter agentibus videretur. Sunt enim nonnulli, qui cum ſint virtute præditi, humilitatem ſuper ipſam virtutis celſitudinem fundant, ſeſe demittentes, ſuamque vilitatem, & abiectionem prædicantes: At hanc, quam ipſi prædicant, ſuam abiectionem, & vilitatem, nequaquam alijs ita conſpicuam volunt, vt opinionem de ea certam concipiant: atque adeo ſæpius obſeruare eſt, complures ex ijs, qui ſanctitatem profitentur, humilia quidem de ſe proferre, peccatores, atque ſceleſtos ſe prædicare, & indignos, qui coram Deo inter ſanctos conuerſentur: quę tamen ab alijs obiecta audire nequeunt, quin excandeſcant: de quibus profecto dici haudquaquam poteſt, quod eam ipſam humilitatem ſuam, quam fundarunt ſuper montes ſanctitatis, in altum quoque erexerint, vt ipſa erectione ſua ſimilis ea eſſet turri Dauid, quę ſuper montem Sion fundata nedum, & ædificata, ſed & in altum pariter erecta eſt ad hoc, vt vniuerſis conſpicua eſſet. Humilitas, quæ commendari ſolet à ſponſo, quæve eſt vera humilitas, iſtiuſmodi habet erectionem, vt in alios quoque ſui ingerat opinionem: vt is, qui huiuſmodi conſtruit humilitatem, facto ipſo ita ſe gerat, vt alij quoque credant, in eo idipſum eſſe abiectionis: idemve & ei objiciant, quod intrinſecus ipſe de ſe ſentit, & prædicat etiam extrinſecus: vtue hoc maxime appetat, & in hoc præcipuum ſuum collocet ſtudium. Talis extitit humilitas Regis Dauid, qui de ſpontanea ſua vilitate illuſus, protinus reſpondit:

d 2.Reg.6.21. *d Ludam, & vilior fiam pluſquam factus ſum, & ero humilis in oculis meis:* Ludam, inquam, vt illudar: Talis fuit & præſtantiſſima B. Mariæ humilitas, ad inſtar turris Dauid erecta, cum, inſtar feminarum reliquarum, *e* purificationis legem ſeruans, poſt Chriſti partum per quadraginta dies ab ingreſſu templi abſtinuit, factoque ipſo ceteris pariter perſuaſum voluit, ſe inſtar ceterarum mulierum peperiſſe, atque adeo purificatione indigere. Talis denique & eius animæ, quæ ſponſa eſt Chriſti, eſſe cenſenda eſt humilitas: & idcirco bene ob hanc erectionem celebratur, dicitur-ve propterea ſimilis turri Dauid.

e Luc.2.22.

Humilitas perfecta rotunda. i. continua, & abſque vlla ceſſatione, & in quouis tempore. Simile.

Tertia quoque laus rotunditatis, quæ & ſecunda conditio eſt pulchri colli, ex hac ipſa ſimilitudine in eamdem humilitatem collatam intelligere debemus: vt & collum iſtud ſpirituale omnimoda rotunditate deſignetur inſigne, ſicut excelſa illa turris Dauid ob iſtud etiam maxime ſpectabilis erat, quod ad amuſſim erat rotunda.

Porro queamadmodum id rotundum dicimus, quod continuata circulari linea menſuratur, quodve & perfectum eſt, quatenus figura circularis perfectionis eſt ſymbolum. Ita & ſpiritalis humilitatis collum in Chriſti ſponſa laudatur ex rotunditate ob id, quod perfecta, continua, & abſque vlla ceſſatione, aut intercapedine ſit. Verum enimuero inueniuntur plerique, qui in aliquibus quidem actionibus humiles ſe exhibent, in alijs vero non item: Sunt qui huic humiliari ſe volunt, illi vero nequaquam: ſunt qui temporibus quibuſdam humilitatem profitentur, alijs vero minime: Sunt denique & complures, qui ſpeculatiue quidem humillimi ſunt: practice autem neutiquam tales eſſe comprobantur, plane ſimiles *f* Nabuchodonoſor, qui, cum in ſomnis ſtatuam illam ingentem vidiſſet, agnouiſſetque vilitatem pedum fictilium, in quos exigua petra decidens, totam ſtatuam in puluerem redegit: vix tamen euigilans tantæ recordabatur eius ſtatuæ vilitatis. Ita enim & iſti, etſi propriam vilitatem intrinſecus agnoſcant, & fateantur, dum eam mente reuoluunt; cum tamen aliqua ſeſe obtulerit occaſio, vt iſtiuſmodi cognitionis indicia exhibeant, vtve coram alijs vilitatem ſuam profiteantur, illius omnis obliti videntur. Horum plane humilitatis collum haudquaquam rotundum eſt. Rotunditatis perfectæ laus ei competit humilitati, qua ſponſa decora eſt, quæ in omni loco, & tempore, in qualibet actione, & coram quibuſcunque continuata exhibetur ſerie: quæve, & vndecunque poteſt, demittendi animi arripit occaſionem, prout ſanctum Abraham feciſſe legimus, qui cum non haberet, vnde ſe humiliandi anſam arriperet è vita, quam vndique diuinis beneficijs, & gratijs decoratam intelligebat, ad naturam confugit, vt coram Deo, atque etiam coram vniuerſo orbe ſeſe demitteret, dicens, *a* puluerem ſe eſſe, ac cinerem: quæ eius verba expendens Chryſoſtomus homil. 23. in epiſtolam ſecundam ad Corinthios: Quoniam, inquit, non habebat peccata, quæ diceret, ſed vndique bonis operibus fulgebat, circumcurſans, & nihil contra ſe inueniens, ad naturam ipſam confugit: & quoniam terræ nomen videtur quodammodo honeſtum eſſe, cineris addidit: Et bene (annotant aliqui) ſimul, & cinerem, & terram coniunxit, ad maiorem ſui vilitatem oſtendendam: ea enim duo coniuncta ad nil boni inſeruiunt: quæ tamen ambo ſeparatim multis rebus vſui ſunt.

Humilitas duplex, ſpeculatiua, & practica.

f Dan.2.

a Gen.18.23

Chryſoſt.

23 Quartam inſuper pulchri colli conditionem, nempe rectitudinem præſtantiſſimo modo in ſpiritali hoc piæ animæ collo humilitatis reperiri per eãdem turris Dauid ſimilitudinem, comprobatur. Siquidem contingere poteſt, vt collum aliquod ſit erectum; ſed vel ex natura ſua, vel ob ſuperuenientem aliquam fluxionem ſit diſtortum. Eademque ratione euenit frequentius, vt animæ collum ſit ſuper virtutum actus fundatum, & erectum in altum per humilitatis exhibitionem externam, videaturque rotundum, & continuata humiliationis frequentatione perfectum: quod tamen diſtortum ſit, vel ex primæ intentionis principio, vel ex ſuperueniente ſuperbiæ ſtimulo. Neque enim omnis, qui ſe humiliat, humilis eſt, vt ait Bernardus: Quanti, inquit, humiliantur, & humiles non ſunt? Alij cum rancore humiliantur, alij patienter, alijque libenter. Primi rei ſunt, ſequentes innoxij, vltimi iuſti. Qui dicere poteſt: *b Bonum mihi, quia humiliaſti me*; is vere humilis eſt, non poteſt hoc dicere, qui inuitus tolerat, minus qui murmurat: *c Eſt qui nequiter ſe humiliat* (dicit auctor libri Eccleſiaſtici) *& interiora eius plena ſunt dolo:* & hi ſunt, qui tantum exterius humiles ſunt, non interius, vbi proprie humilitas reſidet in affectu: horum certe interiora plena ſunt dolo, ſimulata nimirum nequitia, & hypocriſi, de quibus Saluator noſter ait, *d* quod veniant *in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Superbia quoque frequenter in ipſa ſe interſerit humilitate. Adeo glorioſa res humilitas, dicit Bernardus tractat. de gradibus humilitatis; qua & ipſa quoque ſuperbia palliare ſe appetit, ne vileſcat. Iſtorum profecto omnium humilitas turri Dauid comparari minime poteſt: quæ nedum diſtorta non eſt, ſed ita eſt recta, vt nec tantillum diſtorſionis ferre queat, quin illico ruina proſternatur, & corruat: atque adeo egregie huic potiſſimum turri cæleſtis ſponſus ſolidiſſimam animæ dilectæ ſuæ comparat humilitatem, vt hanc illi inter

Humilitas vera recta eſt, id eſt ex recta intentione procedens.

Humilitas multiplex. Bernard. ſerm. 34. in Cant.

b Pſal.118.71.

c Eccl.19.23.

d Mat.7.15

Bernard. Gradu 9.

alias

alias conferat rectitudinis laudem : quippe quæ ad ipsum vnum tota directa sit: neque vllatenus ferat, vt vel ad dexteram inanis gloriæ, vel ad sinistram hypocrisis ea detorqueatur.

Humilitas vera efficit piam animã exemplar humilitatis.

Quod denique in hac turris Dauid similitudine adjicitur : *Quæ ædificata est cum propugnaculis*: vel iuxta alias lectiones : *Quæ ædificata est ad Talpioth*, id est, ad documenta, seu, ad disciplinas, vel, in altitudines orium : quintam exprimit eiusdem rectæ, ac perfectissimæ humilitatis, collive spiritualis laudem: ea vero sita est in eo, quod pia anima non modo in se humilis est : at & alijs quoque documenta præbet eiusdem humilitatis, idque non verbis duntaxat, sed & factis. Qui enim vere humilis est, is demum optimus est doctor humilitatis, in omnibus & dictis, & factis suis tanquam quoddam illius exemplar se exhibens, dans operam, vt vniuersa, quæ agit, aut dicit, sint altitudines orium, ex alto scilicet humilitatem prædicantia. Quæ certe documenta recte comparantur & propugnaculis turris Dauid, & collaribus pulchrum puellæ collum ambientibus : nam & instar collarium ipsum exornant humilitatis collum, & tanquam propugnacula super eamdem humilitatis turrim erecta ad hoc potissimum inseruiunt, vt ex eis contra spirituales nequitias, & aereas potestates, contra spiritus superbiæ, & inanis gloriæ propugnetur.

24

Humilitas & humanitas Christi, quomodo turris Dauid.

Quamquam autem laudes istæ omnes eximiæ admodum sint, quę, & per colli metaphoram, & per similitudinem turris Dauid, quatenus turris illa proprie sumitur, in tantæ sponsæ humilitatem conferuntur : multo tamen earum omnium præstantior illa est vna, quæ per eamdem similitudinem designatur, quatenus eadem turris Dauid symbolice sumitur pro humanitate Christi Iesu, prout supra notatum est : Cum vero dico, turrim Dauid symbolice appositam pro humanitate Christi, illius humilitatem designatam intelligo, quæ in illa apparuit.

Ambros. serm 14. in Psal. 118. vers 3.

Bona humilitas, inquit Ambrosius, quæ etiam in Christo laudem virtutis inuenit. Hanc in illo plus veneror, quam creationem : quia creati ad laborem sumus : redempti ad quietem : Bona humilitas, quæ nihil appetendo, totum, quod contemnit, adipiscitur. Ipse Dominus *Iesus se humiliauit*; vt nos eleuaret : *e* & humiliauit *vsque ad mortem : propter quod exaltauit illum* (inquit) *Deus, vt in nomine eius omne genu flectatur*. Quanta fecit Dominus, audeo dicere, & non flexi ei genu : Sed flexi ei, postquam se humiliauit : sic enim hoc est per humilitatem, per crucem sibi Ecclesiam congregauit. Turris porro ista, hæc vera humilitas Christi Iesu quoad prænumeratas omnes humilitatis prærogatiuas, primum exemplar extitit omnis humilitatis, quin & ad hoc in primis hæc turris constructa videtur, teste ipsomet Redemptore nostro, qui cum multa de virtutibus vniuersis, multa de beatitudinibus, multa de Regno cælorum: multa denique & de diuina docuisset maiestate; humilitatis nihilominus magis, quam prædictorum omnium doctorem se exhibuisse asserit, dicens : *a Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde* : non cuiuscunque humilitatis præbens documenta, sed internæ, & veræ humilitatis affectionis, & cordis. Quid dico doctorem? primum quoque eiusdem humilitatis exemplar exhibuisse se innuit, quando post lotionem pedum iterum recumbens, dixit : *b Si ego laui pedes vestros Dominus, & magister vester: & vos debetis alter alterius lauare pedes : Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci ita & vos faciatis*. Si primam vis prærogatiuam fundationis super excelsum virtutis, & sanctitatis montem : Quid anima ipsius sanctius, quem vidimus plenum gratiæ, & veritatis? Quid diuinitate sublimius, cui eadem humanitas vnita est hypostatice? Si secundam item quæras erectionis in hac sublimitate, audi Apostolum, eam tibi digito propemodum indicantem, cum ait : *c Qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo : sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*: æque est enim ac si diceret. Qui eamdem habens cum Patre naturam, cum posset sibi connaturalem cum Patre æqualitatem vendicare, & sine iniuria, ac rapina tribuere; quo humilitatis nobis præberet exemplum; exinaniuit semetipsum, & vsque adeo deiecit, vt nostra causa hominis, atque serui naturam assumpserit. Si rotunditatem in eadem turri, perfectamque eiusdem humilitatis continuationem quis exposcat, audiat eumdem Apostolum : *d Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis* : Quod enim addit, *Vsque ad mortem*, talem vim habet : In tota vita sua, singulis momentis, coram quocunque genere hominum, & in vniuersis actionibus suis humiliauit semetipsum vsque ad mortem : Quod vero dicit : *Factus obediens* : postquam dixit, *humiliauit semetipsum* : quartam in ea ipsa eius humilitate innuit extitisse prærogatiuam rectitudinis : nam ob id humiliasse se illum significat; vt humilitas sua ad Patrem tota directa esset : propter cuius obedientiam se humiliabat, vsque ad humillimam, & ignominiosissimam mortem Crucis : Cum ergo piæ animæ dicitur: *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis* : exinde illius humilitas extollitur, quod primo humilitatis exemplari, humanitati, seu potius humilitati Christi ea maxime sit similis : in ijs præsertim prærogatiuis, quę iam expositę sunt, & per quas præstantissimæ in ipsam redundant laudes. Sed si præallatam Apostoli prosequamur sententiam, summam omnium laudem per hanc ipsam similitudinem in eamdem sponsæ humilitatem collatam reperiemus : Immediate enim post verba illa, *Vsque ad mortem crucis*, quæ profundissimam omnium demissionem in Christi humilitate designant, subjicit Apostolus : *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen; vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris*. Per quæ quidem verba præclarus ob oculos nostros proponitur circulus in Christo exhibitus, à summa celsitudine initium habens, per infimum demissionis habens processum, ac demum in summam æque celsitudinem desinens. Quantum habuit celsitudinis, tantum humilitatis (ait Chrysostomus) vicissim subijt : E throno Dei, in quo æqualis erat Patri, ad abiectissimam se demisit crucis mortem: ex infimo isto humilitatis gradu, & propter demississimam istam abiectionem, iterum vna cum ipsa humilitate sua is ipse, qui formam serui acceperat, vnaque cum hominis habitu ad diuinum honorem euectus est; ita vt in ipso eius humilitatis nomine Iesu omne genu flectatur, latriæ adoratione illum adorans : omnisve & lingua confiteatur, illum in gloria esse Dei Patris, vtpote *e* sedentem à dextris Dei, vt dicitur in Euangelio secundum Marcum : & ad illum ipsum diuinitatis thronum, vnde circulus cœptus fuerat, per eamdem humilitatem redijt, prout Angelorum illorum voce significatum est, qui, vt habetur in libro Apocalypsis, in circuitu throni, & animalium voce magna clamarunt : *f Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem*, &c. Dum itaque spiritale piæ animæ collum, eiusve humilitas per similitudinem ad turrim istam Dauid, ad humanitatem, & humilitatem Christi extollitur, ex simili etiam circulo illa celebratur, & asseritur, esse quodammodo illi similis & in summa demissione, & etiam in summa exaltatione : quin & proportionem seruari in exaltatione humilitatis animæ, iuxta illius demissionem; sicut & proportio seruata est in exaltatione humilitatis Christi, iuxta eius demissionem. Quia enim humilitas Christi cœpit à demissione ex diuinitate, forma, & æqualitate Dei ad formam serui, & in similitudinem carnis peccati : ideo debita proportione ex forma serui, & peccatoris, ad celsitudinem

Similis. In humilitate Christi præclarus exhibitus est circulus.

Chrysost. hom. 7. in epist. ad Philip.

Humilitas piæ animæ laudatur ex circulo facto ab humilitate Christi.

a *Mat.11. 29.*

b *Ioan.13. 14.*

c *Phil. 2.6.*

c *Mar.16. 19.*

f *Apo.5.12.*

dinem diuinitatis, & throni Dei euecta eſt, & proportionatus concluſus eſt circulus. Pari ratione, quia humilitas piæ animæ, ac ſponſæ Dei è maximo virtutum culmine, in quo ingentem cum Dei ſanctitate habebat ſimilitudinem, ad id imi ſeſe demiſit, vt coegerit animam, ſe fateri iniquam peccatricem, pœnarumque omnium dignam: idcirco debita pariter proportione ad confeſſum cum Chriſto euehitur, & ad celſitudinem gloriæ, illi plane ſua proportione ſimilem, prout ipſemet pollicitus eſt in
g Ioã.14.3. Euangelio, dicens: *g Vado parare vobis locum, & iterum veniam, & accipiam vos ad me ipſum, vt vbi ego ſum, & vos ſitis*, & magis ad rem noſtram, in
h Apoc.3.21 libro Apocalypſis, vbi ait: *h Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno, ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno eius.* Quo loco particula, *ſicut*, non dicit æqualitatem, ſed ſimilitudinem participationis: Victoria vero, quæ tantam exaltationem meretur, victoria eſt ipſius humilitatis contra ſuperbiam, quam *i* initium omnis peccati prædicat auctor
i Eccl.15.15 libri Eccleſiaſtici.

Tertium ſupereſt explicandum, quod in principio propoſitum eſt: Quomodo eadem ſint, quæ tam glorioſam exornant humilitatem, inſtar torquium, atque monilium, eamdemque inſtar clypeorum, & omnis armaturæ fortium exarment, dum ea ictibus impellitur ſuperbiæ, & inanis gloriæ: Quis enim explicet, quantis impulſibus iactetur anima, quæ ad turrim confugit humilitatis? Cetera vitia, ſeu perturbationes vniformes, ac ſimplices eſſe noſcuntur, (ait Caſſianus) ſuperbia vero, & vana gloria, quæ humilitatem ipſam impugnant, multiplex, multiformis, ac varia, vndique bellatori, & ex omni parte victori occurrens: Nam & in habitu, & in forma,
» in inceſſu, in voce, in opere, in vigilijs, in ieiunijs, in
» oratione, in remotione, in lectione, in ſcientia, in
» taciturnitate, in obedientia, in humilitate, in lon-
» ganimitate militem Chriſti vulnerare conatur. Et
Cap. 2. paulo ſuperius. Hic morbus, (inquit) cum pro elatione carnali pulſauerit mentem, & fuerit reſponſio-
,, nis ſcuto repulſus, rurſus & quædam multiformis
,, nequitia, priore habitu, perſonaque mutata, ſub
,, virtutum ſpecie victorem confodere, & iugulare pertentat. Quæ cum ita ſe habeant; quis dubitet optime inſtructam turrim ipſam humilitatis eſſe oportere; non vno quidem, ſed multiplici ſcuto, vt contra varios, ac multiplices ictus humilis anima congruentem, promptumque in illa habeat clypeum, quem arripiat, quouе & ſe tueatur, & contegat: Vnde præclare admodum ad ſubiectam turris Dauid ſimilitudinem, adjicitur: *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Omnis quippe armatura eorum, qui fortes in ipſa ſunt humilitate, in clypeis ſita eſt: neque enim qui humilis vere eſt, offendere quempiam poteſt vmquam: neque aliud quærit armaturæ genus, quam clypeos, qui ad hoc potiſſimum inſeruiunt, vt operiant, & protegant: quamquam, dum pendent ad turrim, ad id pariter ijdem inſeruire conuincantur, vt ornamento ſint turri, non ſecus ac torques collo. Tota difficultas hac in re ſita in eo eſt, vt inueniatur, & explicetur: quinam ſint iſti mille clypei: ac quomodo ijdem & ornamentum ſint colli ſpiritualis, & armatura pariter turris etiam ſpiritalis, vnius nimirum humilitatis. Ac facile id eſt inue-
Deus pendere dicitur è turri humilitatis, quaſi mille clypei, & omnis armatura fortium, & quaſi monile, ac torques. nire, cum facillimum ſit explicare, quonam ornamento decoretur humilitas: quodve ſit decus, & gloria animæ humilis. Porro vniuerſa humilitatis gloria in Deo ſita eſt, *a* in quo vno gloriatur frater humilis in exaltatione ſua: *b Qui gloriatur*, inquit Paulus, *in Domino glorietur: non enim, qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt: ſed quem Deus commendat*, id eſt cui decus glorioſiſsimum Deus eſt, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum. Quin Deus ob id potiſsimum eſt ornamentum, & gloria humilitatis, quod ita ipſum exornat, vt ſalutem, tutelam, ac protectionem animæ conferat humili, pro ſcuto ei

a Iac.1.9.
b 2.Cor. 10.17.

A deſeruiens, & pro mille clypeis contra quoſcunque incurſationum impetus: Quod non obſcure fatetur Dauid humillimus in Pſalm. deſcribens primum violentos impetus, his verbis: *c Quouſque irruitis in hominem* (infirmum me ſcilicet, ſimplicem, atque humilem:) *interficitis vniuerſi vos, tamquam parieti inclinato & maceriæ depulſæ*: exiſtimantes nimirum, me humilitate contegi tamquam pariete inclinato, & macerie depulſa; cum tamen ea, inſtar fortiſsimæ ſit turris Dauid, è qua mille clypei pendent, omnis armatura fortium? Hoc namque explicat, cum ſubjicit: *Verumtamen Deo ſubiecta eſto anima mea*: quod idem eſt, ac ſi diceret:
c Pſ.61.4.
Perſiſte in turri humilitatis; quando in hoc eſſentialiter humilitas ipſa ſita eſt, quod per illam anima ſubiecta ſit Deo, (vt docet Auguſtinus in libris de Ciuitate Dei) & ſubjicit modum, dicens: *Quoniam ab ipſo patientia mea*, id eſt ſpes omnis, & exſpectatio ſalutis meæ ab eo pendet. Hoc namq; proprium habet, quæ vera eſt humilitas, vt quantum in ſe dejicitur, tantum in Deum ſpe firma ſubleuetur; quantum deficit deſperatione ſui, tantum proficiat confidentia Dei. Affertque rationem, quare tam tuto in prædicta humilitatis turri permanſurus ſit: *Quia ipſe Deus meus, & Saluator meus, adiutor meus, non emigrabo*, id eſt non mouebor de meo ſtatu, non vacillabo, ne labar: Et ſubdit immediate, eumdem Deum, & pro mille clypeis è turri humilitatis pendentibus ſibi inſeruire, & pro torquibus collum eiuſdem humilitatis decorantibus, dicens: *In Deo ſalutare meum, & gloria mea* Quod ſi quis velit apertius, ſcuti appellatione ſignificatum illum ipſum videre, quem Dauid & ſalutare, & adiutorem & protectorem ſuum dicit: legat in libro ſecundo Regum carmen quod cecinit idem Dauid, & reperiet eum ſic huncupatum primo, vbi dicitur: *d Deus fortis meus, ſperabo in eum: ſcutum meum, & cornu ſalutis meæ*: & altera vice inferius: *Scutum eſt omnium ſperantium in ſe*: Si etiam afferri quis optet locum ex ſacris litteris, vbi Deus, qui inſtar clypeorum ſalutis animam humilem operit, & inſtar quoque monilium eamdem exornare dicatur, manifeſtus ille eſt apud Iſaiam, vbi humilis hac de re exultans, ait: *e Gaudens, gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circundedit me, quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis*: Animæ quippe humili, vt propriæ ſponſæ Deus & corona eſt, & monilia.

Humilitas quid ſit. Auguſt. lib.14.6.3.

d 2 Reg.22 3.& 31.

e Iſa.61.10

Itaque huius humilitatis encomij paraphraſticus, breuiſque ſenſus, iuxta ea, quæ hucuſque expoſita ſunt, is eſt.

Paraphraſis. Rup. Abb.

Humilitas tua, quæ ſpiritale collum tuum eſt; quia toti virtutum tuarum corpori ſupereminet, celſiſsimoque Deo capiti tuo proxime inhæret, eumdemque Deum ſuper virtutum corpus ſuſtentat, id omne acceptum illi referens, quod in ſe virtutis extiterit, quamquam idipſum quod Deum ſuſtentat, exinde habeat, quod à Deo ſuſtentetur & ipſa, à quo deriuatos accipit totius roboris neruos; ſicut & collum item à capite quoque ſuſtentatur, dum neruis conſtat, qui à capite deriuant, dumve ſpiritibus animalibus mouetur, & ſentit, quos certum eſt, ex capite prouenire: Collo item ſimilis, quia eius naturæ eſt, vt quamquam in ſuſtentando Deo ſit fortiſsima; ita tamen ſe habet, vt ad ima quęque ſeſe deflectat facillime, quin & quod maius eſt, Deum ipſum, dum eum tam valide ſuſtentat, ad humillima deflectit: Et quia per ipſam in mentis ſtomachum cibi trajiciuntur diuinorum myſteriorum, & panis verbi Dei per diuinam reuelationem, quæ locum in ea obtinet gulæ intra collum exiſtentis: Ac demum, quia per eam ſancta è cælis ad cor demittitur aura gratiæ, qua intima refrigerantur præcordia; ſimulque è corde ipſo eminus contritionis, & charitatis ſpiritus cælum verſus producitur, per quem loquela cauſatur orationis. Spiritale, inquam, *collum* iſtud *tuum* humilitatis omnibus decorum eſt conditionibus ijs, quibus decorum eſt & collum carneum

atque

atque adeo pulcherrimum dici debet: cuius pulchritudo ex similitudine *Turris Dauid* percipitur: Super montem enim virtutum fundatum id est, sicut turris illa super montem Sion: superque prædictum montem æque ac eadem turris, in altum erectum vniuersis conspicuam efficit vilitatem tuam, cui nititur. Nec solum erecta hæc tua est humilitas, sed & rotunda est, instar eiusdem turris, & recta; rotunda ob continuatam humiliationis perfectionem; recta vero ob rectã, quæ eam comitatur, intentionem: Ac sicut illa turris *ædificata est cum propugnaculis, & ad documenta*: Ita & collum istud tuum quasi cum quibusdam est & collariũ pinnaculis, & propugnaculis, humilibus nimirum verbis & factis, tamquam exemplar quoddam propositum, virtutem edocens humilitatis. Sed & multo præstantior, ac pulchrior eadem ipsa humilitas tua esse conuincitur per id, quod mysticæ illi turri Dauid similis quoque est humilitati Christi, similis enim suo modo & illi est in erectione, in rotunditate, atque in rectitudine, & doctrina: Similis plane & in celsitudine, sicut & in demissione. Ac merito tamquam fortissimam turrim collum illud, humilitatemque erectam detines, cum innumeri sint eius aduersarij, qui ipsam compellere, & conquassare validissimis tentationum ictibus nituntur: Quos certe minime times; quandoquidem, sicut è turri illa Dauid *mille clypei pendent, omnis armatura fortium*: Ita & tu Deo protegeris, quem loco mille clypeorum, omnisque armaturæ fortium ex ipsa humilitatis turri pendentem habes: in quo & gloriaris, gloriam tuam ipsum reputans, decusve illud omne ex eo desumens, quod collum è pendentibus desumit margaritarum monilibus.

A

B

C

De Obedientia vt spirituale est animæ collum.

25 Alter sensus.

QVIA non humilitatem duntaxat, sed & obedientiam quoque piæ animæ in hac sententia commendari, dictum est in principio huius tertiæ expositionis, postquam ea exposita sunt, quæ ad humilitatis encomium pertinebant, reliquum est, vt & illa breuiter explicentur, quæ in eius obedientiæ laudem redundant. Ac primo notandum, quam recte vno eodemque encomio & Prælati commendentur (vt probatum est supra in expositione secunda) & subditorum obedientia: quandoquidem nec obediens esse quis potest, qui primum sibi ipsi præesse nesciat: nec prælaturam bene exercere quis valet, qui in obedientia non sit apprime versatus.

Collum typus aptissimus & Prælatorum, & obedientiæ.

D

E

Obedientia quam apte designetur per metaphoram colli. a *Cant.* 1.10

Ad rem itaque venientes: Quod per sponsæ collum illius obedientia designetur, quatenus collum est, quod iugo subijcitur, satis iam in primo capite explicatum est, in tertia expositione alterius encomij eiusdem sub eadem colli metaphora, quo dicitur: *a Collum tuum sicut monilia*: Verum, cum encomium istud, quod hoc loco in illius laudem contextum est, multo sit eo, quod iam relatum est, & præstantius, & efficacius, exactius singulæ explicandæ sunt dictæ obedientiæ laudes, quæ vel per colli metaphoram, vel per allatam designentur turris Dauid similitudinem.

Obedientia quomodo eminentior dicatur ceteris virtutibus.

F

Ex colli igitur metaphora, prima quæ colligitur eius laus, summa est eminentia super virtutes, omnes, illi propemodum similis, quam collum super omnia habet humani corporis membra. Eminentia porro ista exinde conspicua redditur: nam tanto eminentior est aliqua virtus, quanto præstantius bonum quis ex illa contempserit propter Deum, & quanto nobilius donum per eam Deo confertur: at cum ex tribus bonorum generibus, quæ ab homine propter Deum cõtemni queunt, queve eidem Deo exhiberi possunt, bonis exterioribus, bonis proprij corporis, ac bonis propriæ item animæ, præstantiora bona sint animæ, inter quæ supremum locum tenet voluntas, ac intellectus: profecto absque vlla dubitatione inferendum est, ipsam obedientiam eminentiorem ceteris esse vniuersis virtutibus, qua voluntas propria vna cum captiuatione etiam proprij intellectus & contemnitur propter Deum, & Deo pariter offertur: eminentior, inquam, moralibus virtutibus iis, quæ veluti in corporis busto sunt, non iis, quæ tanquam in capite ipso sunt fixæ, ac propterea Theologicæ nuncupantur.

Obedientia quam proxima sit Deo. Simile.

Hæc vero eminentia multo fit euidentior per id, quod in secundam illius laudem redundat ex eadem colli metaphora: Sicut enim collum ita eminentius est toto corporis busto, vt celsissimo iunctum sit capiti: ac proinde idcirco etiam reliquis membris est eminentius; quia præillis proxime eidem inhæret capiti: Eadem ratione & piæ animæ obedientia ita virtutibus reliquis est eminentior, vt altissimo Deo iuncta sit, illive vt capiti totius animæ inhæreat proxime, idque per vnionem propriæ voluntatis cum voluntate eiusdem Dei: quin & propter hoc ipsum tantam ea habet eminentiam, vt in ea vnione voluntatum, quæ per ipsam fit, ad Dei celsitudinem proxime accedat, compleaturque id, quod per Apostolum dicitur: b *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est cum eo*: id quod æque per celsissimam fit charitatem.

b 1. *Cor.* 6. 17.

26 *Obedientia connectit cũ Deo omnes actiones virtutis faciitque illas meritorias.*

Tertia laus est, quod eumdem Deum sustentat super vniuersa virtutum, ac bonarum operationum mole: ipsa vna est, quæ quasque virtutum operationes cũ Deo connectit, seruatque connexas, æque ac collum cetera membra capiti connectit, quod sustentat super vniuerso corpore. Ecquæ enim virtutis operatio Deo accepta esse potest, quæ per obedientiam illi non sit annexa? Quid actibus Religionis, oratione, & sacrificiis Deo potest esse acceptius, cum per ea is adoretur, ac veneretur? Et nihilominus, ni per obedientiam ei iungantur, illa ipsa ingratissima ei sunt, & instar membrorum, quæ à capite sunt disiuncta, flaccida, mortua, atque etiam fœtidissima, prout aperte contestatus est Samuel, cum Sauli dixit: c *Nunquid vult Dominus holocausta, & victimas: & non potius, vt obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia, quam victimæ, & auscultare magis, quam offerre adipem, quoniam quasi peccatum ariolandi, repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.* Quid fœtidius idololatria? obedientia bonum opus quodlibet meritorium reddit; quia dum illud cum Deo nectit, vitam à Deo vt à capite collatam ei defert.

c 1. *Reg.* 15. 22.

Obedientia Deum sustentat caput animæ quatenus subiicit illam iugo Prælatorum.

Porro si attentius inspiciamus, qua ex parte collum potissimum sustentet caput: animaduertemus, ea ex parte id ab eo fieri, quæ posterior in ipso est, & ignobilior esse videtur, qua nõnihil dedecoris ei inferri videtur, cum impositum defert iugum. Sic autem spirituale istud obedientiæ collum ea ex parte, qua Prælatorum imperijs subditum est, & iugo subiectum, quod primo aspectu minorationis, ac vilitatis cuiuspiam indicium præ se fert, Deum ipsum suum sustentat caput, illud semper stabile obtinens, quod ad Prælatos dictum à Deo est: a *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit*: adeo vt caput ipsum suum abiicere Deum tunc se existimet anima obediens, cum Prælatorum iugum ex obedientię collo quoquo modo deijci contingat: quod Dominus Samueli exploratum voluit, cum ei dixit: b *Non te abiecerunt sed me, ne regnem super eos.*

a *Luc.* 10. 16.

b 1. *Reg.* 8. 7.

Obedientia quomodo simul & durissima sit, & maxime flexilis.

Id vero, quod quintam eiusdem laudem designat, ea est carnalis colli natura, qua cum fortissimum alioquin id sit in capite sustinendo: facillime nihilominus ad quodlibet mentis imperium & se deflectit ad ima, & eleuat ad excelsa, & ad partem quamlibet flexibile est: quin & caput ipsum in eam secum inclinat, vel erigit partem, in quam mouetur. Sic quippe & vera obedientia fortissima est & in Prælatorum iugo ferendo, & in Deum, eiusve legem sustentando: adeo vt propterea audacter pia anima dicat: c *Et custodiam legem tuam semper in sæculum, & in sæculum*

Ps. 118. 44.

d Et 60. c Et 51. *lum sæculi: d Parata sum, & non sum turbata, vt custodia mãdata tua.* & alias: *e Superbi inique agebant vsquequaque* (vt te scilicet caput meum è meo deijcerent obedientiæ collo) *a lege autem tua non declinaui.* &: *f Funes peccatorum circumplexi sunt me* (ad ipsum videlicet) *& legem tuam non*

g Et 87. *sum oblitus.* &: *g Paulominus consummauerunt me in terra: ego autem non dereliqui mandata tua: Multi, qui persequuntur me, & tribulant me: a testimonijs tuis non declinaui.* At vero, quæ tam fortis hac est in sustentatione; promptissima nihilominus est ad nutum quemlibet superioris, ac Prælati, in quo tanquam Dei capitis sui mẽtem obaudit loquentem, vt se vel per studium erigat contemplationis: vel ad ima demittat vitæ actiuæ: vel ad ea, quæ à dextris, vtpote ipsi animæ suæ placentia, se deflectat; vel ad ea se inclinet, quæ sunt à sinistris, eidem animæ ingrata, ad ardua, & quæ propriæ contraria sunt voluntati. Quin & eadem facilitate, qua se ad prædicta omnia mouet, & caput quoque suum sibi defert vnitum, ad eadem Deum secum erigens, atque inclinans, vtpote cooperatorem, adiutorem, ac inspectorem singulorum, quæ ab se fiunt.

28 Sexta denique laus eiusdem obedientiæ designata item per colli metaphoram exinde deducitur, quod collum ipsum est instrumentum vocis, ac locutionis per arteriam, quam vocant asperam, & per guttur, quod intra ipsum est. Sic quippe & per spiritale collum obedientiæ causantur voces, atque loquelæ, eæque grandes, elatæ, & cum iubilo, & exultatione, vtpote de insignibus, & frequentibus victorijs, ac proh Prou. 21. 28. pterea in libro Prouerbiorũ dictum reperimus: *h Vir obediens loquetur victorias*: non vnam, sed innumeras, quas in singulis actibus consequitur, contra multiplices sibi vel consilio, vel actu ipso obsistentes, quasve de se ipso in primis defert, atque illas pariter, quas de Deo reuehit; provt alias hac de re pertractatum est sæpius in superioribus, ac præsertim in expositione verborum illorum vers. 4. cap. 2. *Tenui eum, nec dimittam*, &c.

Obedientia causa est vocum victoriarum multiplicium.

Obedientia quomodo sit turris.

Quidni vero iugiter victorias loquatur, & habeat vir obediens, cum in fortissima obedientiæ depugnet turri? Idcirco enim obedientia ipsa, quæ spiritale est animæ piæ collum, *sicut turris* esse asseritur: quia re vera obediens quisque quocumque in opere, quod sibi aggrediendum sit, præsertim cum anceps aliqua in re est, ad obedientiam confugit tanquam ad validissimã turrim, intra quam simpliciter id, quod sibi iussum est vel à Deo, vel à Prælato, opere perficiens, summa tutissimus est confidentia: ita vt in se id experiatur, quod i Pro. 10. 9. per Sapientem dictum est: *i qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter.*

Nec abs re factum est, vt talis obedientia sponsæ non cuicunque turri comparata sit hoc loco, sed vni *turri Dauid, quæ ædificata est cũ propugnaculis*, siue, *ad Talpioth*: id est, *ad disciplinas*, seu, *ad documenta*, vel, *in altitudines*, aut, *tumulum orium*: Per hanc namque specialem turrim sex aliæ in eam, quæ extollitur, conferuntur laudes, ita vt, etsi breue istud videatur eius encomium, maximum tamen illud sit, & efficacissimum, duodecim complectens eiusdem præconia.

29 Prima laus erectionis est, & celsitudinis. Enimuero ex eo, quod turris illa Dauid super excelsum montem Sion extructa, adeo euecta est in altum, vt conspicua vniuersis, & spectabilis vndequaque esset vel etiam à longe: designatur, sanctæ animæ obedientiæ turrim ita super sanctum virtutum monte exædificatam per mandatorum impletionem; vt in altum quoque valde erecta sit per promptitudinem, & hilaritatem, ac celeritatem, qua omnium oculis sit spectabilis, vt maxime excelsa: siquidem, quæ sponsa Christi est, anima sancta, non simplici imposito operis impletione contenta est, sed altius hanc euehit obeditionem; vt nec verbis contradicat: quin & promptitudine, & hilaritate ac celeritate, qua Prælati implet præceptum, manifeste vniuscuiusque oculis patefacit, se & subiectione voluntatis, & captiuatione intellectus, vt rem optimam illud opus existimare, quatenus imperatum

Obedientia perfecta proptitudine & hilaritate omnibus sit conspicua.

A sibi est. Talis obedientiæ erectionem egregie describit Bernardus libro de præcepto, & dispensatione post initium, in his verbis: Perfecta obedientia legem nescit, terminis non arctatur, neque contenta angustiis professionis, largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis, & ad omne, quod iniungitur, spontanea, vigore liberalis, alacrisque animi modum non considerans, in infinitam libertatem extenditur. *Bernard. tom. 2.*

Secunda laus est perfectæ rotunditatis, qua & turris illa Dauid maxime spectabilis erat, & pulchro puellæ collo insignis confertur decor. Porro in spiritali obedientiæ collo rotunditas, quæ egregio decore insignitur, continuata, ac perfecta perseuerantię est. Anima enim sancta cuicumque obtemperat Prælato, tametsi discolus aliquis sit, iuxta Apostoli consilium: *a* cuicunque eorumdem præcepto iugiter obsequentem se præstat; siue id aperum sibi videatur, siue videatur suaue. Rotunda vero dici haud potest obediẽtia, quam circulus non ambit, nulla interruptione disiectus, qualis illa eorum est, qui suauia iubentibus obtemperant: iubentibus vero aspera, & iniucunda, nequaquam: de qua idem Bernardus vbi supra. In ipsa, inquit, obedientiæ via tibi fortassis aliqua dura, & aspera occurrere possunt, vt accipias interdum præcepta nonnulla, quæ, licet salubria sint, minus tamen suauia esse videntur: Hæc, si moleste cœperis sustinere, si diiudicare Prælatum, si murmurare in corde; si etiam exterius impleas, quod iubetur, non est virtus obedientiæ, sed velamen malitię: Non est rotunda (dic tu) obedientia ista, sed distorta.

Obedientia perfecta cõtinua est, & cum tugi perseuerantia.

a 1. Pet. 2. 18.

Tertia laus est rectitudinis: Neque enim solum rotunda erat turris Dauid, sed & ad amussim recta, quale & pulchrum collum debet esse. Rectitudo obedientiæ in rectitudine est intentionis, qua obeditur non propter metum, aut humanum aliquem respectum; sed propter Deum dũtaxat, ad illum sic directa; vt, etsi homo sit is, qui præcipit, non ad hominem tamen distorta ea fit, sed ad Deum tendens, cui in illo homine præstatur obsequium: sic enim rectitudinem in obedientia intelligendam declarat Paulus, cum ait: *b Obedite Dominis carnalibus cũ timore, & tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate seruientes sicut Domino, & non hominibus.* b Ephes. 6. 5

Obedientia quomodo recta debeat esse.

30 Quarta laus per id designatur, quod de turri Dauid dicitur: *Quæ ædificata est cum propugnaculis.* Quod enim propugnacula sunt turri illi: quodve collaria puellæ collo præstant, hoc obediẽtiæ & turri & collo lex humana præstat, atque diuina: hoc mandata sunt Domini: ea namque sic super obedientiam eleuata vir habet obediens, vt ex illis tamquam ex præfortibus propũgnaculis depugnet, consternatque impedientes quoslibet: ijsdemve sic, tamquam collaribus, quasi pulchrũ ambitur collum, vt ab illis exornata, intra illa concluſa seruetur, non egrediens illorum limites: eademq; ipsa præcepta sunt, & disciplinę illæ, & illa documenta, ad quæ ædificata dicitur turris Dauid: in ijs quippe ediscendis, & docendis anima Christi sponsa totum suum collocat studium, obedientiam suam exhibens exemplar veræ, ac perfectę obeditionis: adeo vt de hac quoque eius obedientiæ turri dici id possit, quod secundum aliquos de turri Dauid asseritur in ijs verbis, iuxta Hebraicam lectionem: *Quæ ædificata est ad Talpioth*, id est in altitudines, seu ad tumulum orium, id est, quæ ædificata & erecta in altum est lapidibus in formam orium excisis: quatenus singulæ actiones, quas diuinis, vel humanis præceptis obtemperans exhibet, & ex quibus quasi lapidibus turris ipsa erigitur, oris formam habent, ita vt suo more loquantur, æque ac si ora haberent.

Obedientiam exornant fortemque reddunt lex diuina, & humana.

Vir obediens exemplar est obedientiæ.

Per id denique, quod vltimo loco adijcitur; *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortiũ*, quinta eiusdem designatur laus: laus, inquam, copiæ armorum, quibus

Obedientia animæ obedienti deseruit pro tor quibus, pro mille clypeis & omni armatura fortium.

bus instructa est, quatenus turris fortissima est : laus & torquium, atque monilium pretiosissimorum quibus exornata est, quatenus spirituale est collum sponsæ. Porro quemadmodum ipsa sibi ornamentum est, mille, ac plurium monilium, prout aperte ab eodem significatum est sponso, cum in cap. primo, in altero eius encomio dixit: *c Collum tuum sicut monilia:* vt latius ibi explicatum est in tertia expositione: ita pariter intelligendum est, ipsam sua sibimet esse arma, clypeos præsertim, in quibus est omnis armatura obedientium, qui recte & fortium vocabulo designantur, quoniam præforti hac armati sunt armatura, quæ certissimas eas ipsas obtinent, *d* quas loquuntur victorias: quoniam & tanta pollent fortitudine, vt *e* merito fortissimo expugnatori Vrbium præferantur in libro Prouerbiorum. Præclare autem, cum de hisce armis fit mentio, hoc pacto dicitur: *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*: nam re vera vir obediens in Turri obedientiæ obedientiam ipsam, quasi mille pendentes clypeos habet paratam, quam arripiat pro defensione cuiuslibet operis sui: quamve, instar durissimorum, atque fulgentium scutorum contra quoscunque obijciat, qui sibi obsistere enitantur obtemperanti. Si enim quis eum impedire tentauerit, ne mandatum impleat opus, reijcit subito illum clypeo obedientiæ. Sic Petrus, cum reliquis Apostolis; Principi sacerdotum conanti ipsos impedire, ne impositum prædicationis Iesu Christi munus exercerent, respondit: *f Obedire oportet Deo magis, quam hominibus*. Si quis de eius ambigat operatione, haud aliam validiorem habet rationem, qua illam, ac se defendat, quam scutum obedientiæ. Sic filij Ionadab, cum propinatum sibi vinum à Sanctissimo Propheta bibere nollent, clypeo isto suam defendere actionem, dicentes: *g Non bibemus vinum, quia Ionadab pater noster præcepit nobis*, &c. *Obediuimus ergo voci patris nostri in omnibus, quæ præcepit nobis, ita vt non biberemus vinũ nos, & filij nostri, & mulieres nostræ cunctis diebus nostris.* Quæ ratio ita sanctum conuicit Prophetam: vt & ea ipsa eorum obedientia, qua illi pro scuto vsi sunt, accepto nimirum è turri obedientiæ, è quo mille tales dependent clypei, ipse pro iaculo, pro gladio, ac pro omni armatura fortium vsus sit ad viros Iuda, & habitatores Ierusalem conuincendos, prout videre est in loco citato: & etiam de Deo ipso per eamdem victoriam eos reuexisse, ostenderit, dicens: *h Pro eo, quod obedistis præcepto Ionadab patris vestri, hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.*

c Cant. 1. 10.

d Prou. 21. 28.

e Prou. 16. 32.

f Act. 5. 29.

g Ierem. 35. 6. & 8.

h Ierem. 35. 18.

31

Super enumeratas istas omnes obedientiæ laudes animæ illius, quæ sponsa est Dei, sexta, atque vltima est eiusdem laus, quæ etiam per allatam designatur similitudinem, quatenus turris Dauid mystice sumitur pro obedientia Christi filij Dauid seu etiam pro ipsomet Christo, qui recte & turris Dauid dicitur, quatenus factus est Dauid secundum carnem: & prima obedientię turris, quatenus ex obedientia carnem ex Dauid sumpsit, seque instar turris erexit veniens in mundum, provt in illius persona Dauid ipse testatus est in his verbis, quæ sic referuntur ab Apostolo: *a Id- b Heb. 10. 5 eo ingrediens in mundum dicit, b Hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi, holocaustomata & pro peccato tibi non placuerunt, tunc dixi: Ecce venio: In capite libri scriptum est de me: vt faciam Deus voluntatem tuam.* Laus igitur ista in eo sita est, quod ad id perfectionis euecta sit, vt primæ sit plane similis obedientiæ Christi in erectione, in rotunditate, atque in rectitudine. Erexit enim Christus Dominus illam super excelsam Crucem: rotundam quoque atque in summa perfectione continuatam, ac perseuerantem eamdem exhibuit ibidem, quando circulum continuatæ obedientiæ, quam in vniuersa vita haud æterno Patri duntaxat, sed & Matri quoque carnali, & Ioseph præstitit, conclusit in morte. Rectitudinem vero illius in eo patefecit, quod quicquid per obedientiam à se peractum est, propter cœlestem Patrem factum est,

Obedientia perfecta piæ animæ similis obedientiæ Christi.

a Ps. 39. 7.

b Heb. 10. 5

Obedientia Christi vsquequaque perfecta extitit, estque exemplar veræ obedientiæ.

A ad illumve directum ipsa sua est obedientia: hoc namque significauit, cum & in citato Psalmo dixit: *Vt faciam voluntatem tuam, Deus meus, volui*, id est ad te vnum semper obedientiam meam direxi: Et in Euangelio: *c Nõ sicut ego volo, sed sicut tu.* Quæ omnia breuiter Paulus expressit in his, quæ sæpe retuli, verbis: *d Christus factus est pro nobis obediens* (haud dubium quin Patri intelligat, cui moriens is dixit: *Consummatum est*: id omne scilicet, quod præcepisti, quod & signo euidenti testatus est, *e* inclinando caput, cum eidem obeuntem tradidit Spiritum) *vsque ad* 30. *mortem* (en rotunditatem) *mortem autem Crucis* (en erectionem.) Bene autem de mystica turri ista Dauid B dicitur, & quod *ædificata* fuerit *cum propugnaculis*: & quod *mille clypei pendeant ex ea, omnis armatura fortium.*

c Mat. 26. 39.

d Phil. 2. 8.

e Ioan. 19.

Enimuero propugnacula, cum quibus ea ædificata est turris obedientiæ Christi, passionis ipsæ sunt flagella, spinæ, persecutiones, de quibus Apostolus dicit: *f Et quidè cum esset filius Dei, didicit ex ijs, quæ passus est, obedientiam*: atque adeo bene pro propugnaculis in Originalibus Hebr. & Sept. est dictio, Talpioth, quæ disciplinas sonat, vel etiam documenta. Neque enim Christus Dominus per ea, quæ passus est, didicit ipse tantnmmodo obedientiam: sed & alios quoque C eamdem docuit, tamquam obedientiæ exemplar in cruce ante omnium oculos propositum, quod & Paulus in præcitato loco subiecit, cum addidit: *Et consummatus* (per consummatam videlicet, ac perseuerantem obedientiam, quam Patri exhibuisse se, passus est, cum moriens dixit: *Consummatum est*) *factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ*, id est factus est causa salutis ijs, qui obedientiam suam obedientiæ ipsius conformare studerent: iuxta id, quod clarius fortasse significauit & Petrus, cum in principio primæ Epistolæ suæ ait, se scribere *g electis ex præcognitione Dei Patris, in sanctificationem spiritus*, (sic habent Græca) *in obedientiam, & aspersionem sanguinis Iesu Christi*, id est vt Iesu D Christo, è cruce per obedientiam pendenti, tanquam vero obedientiæ exemplari adstantes, illiusve sanguine aspersi, obedire & ipsi discerent: sicque obedienter Magistri vestigia sequerentur, vt prorsus etiam ipsi, si opus esset, non abstinerent, quin proprium sanguinem pro illo effunderent, qui suum pro totius mundi salute, factus obediens vsque ad mortem, effudit in Cruce. Vnde clarius ipsemet Petrus, hoc explicans alias dixit: *h Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Porro clypei & omnis armatura fortium, quæ ex hac turri obedientiæ Christi pendere dicuntur, ipsa E sunt Christi vulnera ipsa eius flagella, opprobria, alapæ, spinæ, & singula, quæ is tunc præsertim passus est, cum turrim ipsam erexit in Cruce: quos clypeos promptissimos certe habet vnaquæque anima obediens, vt contra insultantes quoslibet obijciat pro defensione, & sui ipsius, & eorum omnium, qui ex obedientia ab se fiunt: ijsdemve ita armatæ stant fortiter contra eos vniuersos, qui obedientiam impugnant, vt & pro gladio, & pro iaculis, & pro pharetra, sagittisve sibi inseruiant, adeo vt non egeant armatura alia, iuxta illud Petri: *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini, vt iam non desideris hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vitatis.* F

f Heb. 5. 8.

g 1. Pet. 1. 1.

h 1. Pet. 2. 21.

Vulnera, & passiones Christi sunt clypei & omnis armatura fortium animæ obedienti.

1. Pet. 4. 1.

Paraphrasticus istius obedientiæ sponsæ breuisque eorum omnium, quæ in eius explicatione dicta sunt, sensus hic est.

Obedientia, quæ *collum tuum* spirituale est, tum quia, instar colli carnei toto corpore virtutum est eminentior, vt mihi Deo capiti tuo præ virtutibus reliquis proxime inhærens per vnionem voluntatis tuæ cum voluntate mea, quam & super vniuersa virtutum mole sustentas, vitam ac meritum ad virtutes singulas ex me deferens: tum quia exinde me ipsum sustentat, quod iugo subiecta est Prælatorum,

Paraphrasis.

in Præ-

in Prælatis me venerans ; æque ac collum ex ea parte caput ſuſtentat, qua ingo ſubjicitur : tum quia inſtar eiuſdem colli, etſi fortiſſime ſe habeat in ſuſtentando me caput ſuum ſuper virtutum corpus, flexibilem tamen ſe exhibet, & paratiſsimam, vt ſe inclinet, quocunque Prælati ſuadeat iuſsio, inclinans pariter me Deum, quem ſecum defert ſemper comitem, & adiutorem : tum quia per eam æque ac per collum cauſatur loquela multiplicium victoriarum ſuarum. Obedientia, inquam, iſta tua, quæ tibi, quatenus ſpiritale collum eſt, victoriarum ſuggerit voces, eſt tibi ſicut firmiſsima turris, in qua tuto te ſeruas, & ad quam confugis quocunque in opere: atque adeo iure optimo, *ſicut turris Dauid* dici debet : tum quia non ſolum inſtar pulcherrimi colli erecta, rotunda, ac recta eſt; ſed & inſtar turris Dauid, quæ ſuper montem Sion in altum erecta eſt, maximeque ſpectabilis, & rotunditate, ac rectitudine inſignis, ſuper virtutum montem & ipſa fundata, per alacritatem, quam in obſequendo exhibet, erecta eſt, omnibuſue conſpicua : per continuatam perſeuerantiam rotunda; recta eſt per intentionem, quam ſemper in obſequendo directam habes in me.

Quod ſi turris illa Dauid *ædificata eſt cum propugnaculis*, multoſque clypeos, omnem armaturam fortium pendentes habet ex ſe: turris pariter obedientiæ tuæ legem habet diuinam, atque humanam, quibus inſtar propugnaculorum circundatur: ac inſtar collarium, collum exornantium ambitur, quas cum & diſcat, & doceat ſemper, ad diſciplinas, ſeu ad documeta quoque vt turris illa ædificata dici debet. Ipſaque ſibi ipſi eſt & pro mille clypeis, & pro omni armatura fortiũ; ſicut & quatenus collum ſpiritale, ipſa quoque ſibi eſt & monilia : Ex ea enim tu, quæ obedientiſsima es, promptos arripis clypeos, quibus vnamquamq; tuam defendas actionem. At, quod his omnibus præſtantius cenſendum eſt, eadem adeo inſignis eſt, vt ſit valde ſimilis, accedatque quam maxime ad myſticam etiam turrim Dauid, obedientiam Chriſti filij Dauid ſecundum carnem, quæ ſuper excelſam crucem erecta, omnibuſve ſpectabilis facta, perfectiſsimam rectitudinem in eo exhibuit, quod ille propter me cœleſtem patrem ſuum obediens factus eſt, & obediens vſque ad mortem, quo rotundiſsimum in ipſa turri conſummauit circulum ; quam turrim tibi pro obedientiæ exemplari aſſumpſiſti, depugnans per documenta, quæ ibi tradita habes perfectæ obeditionis: paratuſve ex illa aſſumens pendentes mille clypeos, vulnera, flagella, & opprobria illius, quibus te, tuaſve defendas actiones; atque etiam vniuerſos tibi obſiſtentes confodias, ac ſi eſſent iacula, gladij, & omnis armatura fortium.

A

B

C

D

E

Verſ. IV. cap. IV. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis : mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.*

Expositio IIII.

De tertia Sponſa, quæ eſt Beata Virgo Maria.

32 a Pro. 18. 10. QVod de nomine Domini ſapiens inquit Salomon : *a Turris fortiſsima nomen Domini; ad ipſam currit iuſtus, & exaltabitur* : idipſum & de B. Virginis oratione dici veriſsime poſſe, ea, quæ in præſenti eiuſdem orationis encomio affertur turris Dauid ſimilitudo ſuadet: Nomen quidem Domini turris fortiſsima eſt quatenus inuocatum : oratio vero B. Virginis turris & ipſa eſt, ſed quatenus inuocat, & deprecatur : At tam ad iſtam, quam ad illud accurrens exaltatur, & quaſi in alta turri ſublatus, à ſuis hoſtibus protegitur : quamquam nonnihil ſit diſcriminis in ijs, qui ad vtramque harum turrium confugiunt.

Oratio B. Mariæ turris Dauid.

F

Enimuero ad turrim nominis Domini iuſtus accurrere dicitur, vtpote qui dignus ſit inuocare illud. *b Nemo enim poteſt dicere*, vt decet, *Dominus Ieſus*, ait Apoſtolus, *niſi in Spiritu Sancto*, id eſt niſi is ſit in gratia, atque adeo iuſtus. & : *c Quicumque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit*. Ad alteram turrim iſtam non modo iuſti, ſed & peccatores confugiunt, & fortaſſe multo magis peccatores, quam iuſti; quia ipſi Virgini peculiariter hoc præſtitum in cœlis eſt, vt apud filium Aduocata ſit peccatorum, ſicut Ieſus filius eius Aduocatus eſt apud Patrem. Et fortaſſe haud à veritate aberrabimus, ſi dixerimus, idcirco ad turrim Dauid potius, quam ad turrim aliam eius orationem hoc loco aſſimilatam: cum è veſtigio ad turrim in genere comparatum videamus nomen Domini, quia Dauid, à quo turris illa erecta eſt, peccator extitit, & ſanguinarius, vt Dauidis nomen fiduciam peccatoribus præberet ad iſtiuſmodi turrim confugiendi, tamquam ad proprium Aſylum.

b 1. Cor. 12. 3.

c Rom. 10. 13.

Maria aduocata peccatorum.

Vt autem tota iſtius tantæ turris encomij vis percipiatur, ſingula exactius diſcutienda ſunt, id quod eſt moris noſtri in tam inſignibus enucleandis encomiis. Primo itaque videndum, quid congruentiæ hæc Beatæ Mariæ Virginis oratio habeat cum puellæ collo: Tum, quanam in re ſita ſit vis allatæ ſimilitudinis. Tertio, quæ ſint huius turris propugnacula, qui clypei, & armatura fortium.

Ac quoad primum quidem, quatuor reperio inter collum ac Virginis orationem congruentias. Prima eaque cæteris manifeſtior, quod per ipſam, æque ac per collum emittũtur voces precum, quas Virgo benedicta promit ad Deum: Secunda, quod per orationis ſtudium, quatenus continet orationem non tantũ vocalem, ſed & mentalem, quæ & quædam cordis loquela eſt, Glorioſa Virgo meditationi indulgens ſe pauit, dum iſtam præſentis ſæculi degeret vitam, & ſe nunc quoque paſcit in cœlis : quemadmodum per collum pariter paſcitur & corpus, dum per gulam, quæ eſt colli pars, in ſtomachum tranſmittitur cibus. Tertia, quod ſicut per collum ſuſtẽtatur caput, quod & erectum vniuerſis exhibetur ſpectandum : Ita & per orationes, quas Deo pro hominibus promit, ſuam charitatem, quæ caput ipſius eſt, caput, inquam, totius corporis virtutum eius, Virgo ſancta ſic erectam ſuſtentat, vt cunctis manifeſtam eam reddat: quandoquidem in hoc potiſſimum hominibus ſuam erga illos exhibet, & oſtendit charitatem, quod iuges etiam pro peccatoribus effundit preces : Quarta demum, quod inſtar colli ad cuiuſcunque animæ deuotæ inclinatur neceſsitatem, & in quamcumque partem ſimiliter flectitur: ad excelſa quidem, filium cõpellans regnantem in cœlis; id ima pariter ea, quæ is in terris paſſus pro peccatoribus eſt, eidem repræſentans: ad dexteram, & ad ſiniſtram, dexteram, ſiniſtramve mammam illi oſtendens, quem iis lactauit vberibus.

Oratio B. Mariæ quas congruentias habeat cum collo.

Quoad ſecundum autem, haud dubium, quin aptiſſima ſimilitudo turris, & ſpecialiter turris Dauid ad extollendam eamdem Mariæ orationem: Porro iſtius ſimilitudinis vis in eo ſita mihi videtur : quod ſicut turris illa ſuper montem Sion in Ieruſalem, ac prope templum Domini erecta erat, vt omnes, qui ad templum accedere voluiſſent, à longe illam aſpicerent, ac tamquam à pharo viam ab illa edocerentur qua tenderent. Ita & ipſa B. Virginis oratio in ſancta, cœleſtive Ciuitate Ieruſalem, ac ſuper cæleſtem illum montem Sion prope Deum erecta eſt, quem Ioannes *d* ait eſſe templum Ciuitatis illius, vbi exaltata ſuper choros Angelorum celſiſſimas Dei genitrix, & iuges ad Deũ ipſum ſuũ directas pro nobis erigit preces, quæ tamquam pharus & ipſæ viam nos edocent, qua ad illud ipſum templum tendendum ſit : Atque adeo bene & de hac quoque ſpirituali turri id dicitur, quod, iuxta Hebraicam lectionem de turri Dauid aſſeritur : quæ ædificata eſt ad Talpioth, id eſt ad diſciplinas, ſeu ad documenta (vt in prima expoſi-

33 *Oratio B. Mariæ quomodo turris Dauid.*

d Apoc. 21. 22.

expositione) ex ipsa enim discimus, & docemur, per ipsam ad Deum nobis tendendum per spem orationum tantæ Virginis, ac meritorum eius, ad quæ tamquam ad excelsam turrim oculos conijcere, per eademque transire debeant, quotquot ad cœleste illud templum accedere velint.

Mariæ merita sunt propugnacula turris & orationis eius.

Quæ profecto merita sunt propugnacula illa cum quibus eadem Virginis oratio, instar turris Dauid, ædificata dicitur: sublimioribus.n. illis existentibus, & tãquam collaria quædam pulcherrime illam, vt collum spiritale est, exornant; & tamquam propugnacula eidem sunt, & vt est pariter turris spiritalis: Propugnacula sane erecta, atque præfortia, è quibus quotquot ipsius Virginis deuoti sunt, contra quoscunque aduersarios propugnent; & contra Deum etiam sanctissimo deuotionis dimicent prælio.

Præsidia multiplicia sunt clypei pendentes è turri orationis Mariæ, & torques eiusdem orationis, vt collum esset. In turri orationis B. Mariæ tot clypei pendent, quot votorum monumenta in illius templis appensa conspiciuntur.

Mille clypei, qui ex hac turri *pendent*, mille sunt, atque innumera præsidiorum genera, quæ ab oratione tantæ Virginis parata nobis accipimus, quibus qualibet in tentatione, & in emergenti quacunque occasione, & necessitate nos ipsos quasi fortissimis protegimus clypeis: quibus & quasi omni armatura fortium instruimur: quibus demum & quasi pretiosis torquibus, ac margaritarum monilibus eadem exornatur oratio Mariæ, vt collum illius est.

Possent per mille clypeos, & omnem armaturam fortium, quæ pendere dicũtur ex prædicta turri, multiplicia illa intelligi armorum genera, linteamina, & vincula alia huiusmodi, quæ pro diuersis gratiis acceptis appensa videmus in celeberrimis B. Mariæ templis, quæve communi, ac vulgari nomine Vota nũcupari Italice solent, pendentia ex turri ista orationis eiusdem Virginis, quæ instructa est ad disciplinas, seu ad docendum transeuntes: quoniam quicunque ad hanc turrim aspexerint, viderintque tam multa intercessionis eius monumenta, cognoscunt facile quantum spei sit in Virginis præsidio collocandum.

Vers. IV. cap. IV. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cũ propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.*

Appendix Expositionum, Ex Antiquis Patribus collecta.

34

Prælati, & Doctores sancti sunt collum Ecclesiæ. Greg. Nyss. Psellus. Cassiodor. Greg. PP. Philo. Aponius. Beda. Anselmus. Richard.

PAraphrasis Chaldaica: Et Princeps scholæ, qui erat magister tuus, fortis in iustitia, & magister operum bonorum, sicut Dauid Rex Israel, & per verbum oris eius ædificatum est sæculum, & in doctrina legis, in qua laborabat, confidebat populus domus Israel, & vincebat in bello, quasi essent tenentes manibus suis omnia genera armorum fortium.

Communiori sensu sub Ecclesiastici colli metaphora commendantur in hoc versu sancti eiusdem Ecclesiæ Præsules, atque Doctores. Ita Greg. Nyssenus homil. 7. Psellus, Cassiodorus, Greg. Papa, Philo Carpathius, Aponius, Beda, Anselmus, atque Richardus de Sancto Victore. Discrepant hi fere omnes inter se in modo explicandi hunc ipsum sensum adhibitasve similitudines. Siquidem Gregorius Nyssenus homil. 7. post allatam peregregiam carnei colli descriptionem,

Greg. Nyss.

Paulus Apostolus, & qui illi similes sunt Prælati, ac Doctores sunt collum Ecclesiæ.

per Ecclesiæ collum Paulum Apostolum intelligit, ilosve, qui Paulo sunt similes, vt sunt sancti quique Prælati, atque Doctores: Si quis, inquit, in se portat caput vniuersi, quod est Christus, ex quo omne corpus compingitur, & coniungitur, is in se proprie fert hoc colli nomen. Præterea si est caput spiritus, qui cor nostrum reddit igneum, & calefacit, & si per sonoram vocem deseruit orationi, habeat autem & nutriendi operationem, doctrinam, inquam, per quam toti corpori Ecclesiæ conseruatur virtus: imiteturque concinnam vertebrarum posituram, eo quòd singulis, qui sunt in populo, per ligamentum, ac vinculum pacem efficiant, ac dirigant. Tale collum erat Paulus, qui portauit quidem nomen Domini factus Domino vas electionis; & ei adeo accurate adaptatum fuit caput, vt & quæcunque diceret, non amplius esset ipse loquẽs, sed caput eius loqueretur, provt indicauit Corinthiis, *a* Christum esse, qui in se loquebatur, & qui spiritu verbum dirigebat veritatis. Ita diuinis illius eloquiis omnino dulces fiebant fauces, vt qui per se totum nutriret corpus diuinis illis documentis. Quod si etiam quæris de vertebris, quis ita omnes compegit in vnum corpus in vinculo pacis, & charitatis? quis sic docuit caput inclinare in ijs, quæ sunt humilia, & abiecta, & se in omnem simul partem versare, & rursum cogere ea, quæ supra sunt, cogitando, & in obliquum circunspiciendo, se immobiliter conuertere in declinandis, & cauendis variis diaboli insidiis?

a 2. Cor. 13. 3.

Sancti præsertim Prælati, ac Doctores, quomodo sint sicut turris Dauid.

Eos, qui tales sunt, turri à Dauid ædificatæ comparari, inquit Nyssenus, per Dauid Regem Deum intelligens Patrem Regis: quia is ab initio constituit hominem, vt esset turris, & non vt caderet: & rursus per gratiam eum ædificauit multis munitum clypeis, vt inimicorum insultibus non facile amplius posset inuadi: Latentes enim, ait, clypei in huiusce modi collo, ac turri, non in terra siti, sed aerei, ac appensi in ipso considerati, & cum eis etiam hastæ potentium afferunt terrorem hostibus: adeo vt ne omnino quidem audeant turrim inuadere. Existimo autem, eam clypeorum multitudinem in orbem circundatam, significare Angelorum præsidium: ostenditque idipsum iaculorum mentio: non enim absolute dixit *Iacula*, sed *fortiũ* adiectione designat eos, qui pro nobis depugnant: ita vt, quod dicitur, congruat cum eo, quod est in Psalmis: *b Castra metabitur Angelus in circuitu timentiũ Deum, & liberabit eos.*

b Psal. 33. 8. secundum Sep.

Collũ spirituale Ecclesiæ nititur studio bene operandi.

Collum Denique animaduertimus niti super humeros: per humeros autem, quibus spirituale hoc Ecclesiæ nititur collum, intelligimus studia agendi, & operandi, per quæ nostra brachia ad suam operantur salutem.

Cassiodor Prædicatores cur Ecclesiæ collum dicantur, & cur sicut turris Dauid.

Cassiodorus, triplicem ob causam Prædicatores commendatos hoc loco sub colli metaphora, ait: Primo, quia cibos verbi Dei transmittunt in corpus. Secundo, quia vocem diuinæ prædicationis auditoribus proferunt. Tertio, quia quasi mediatores sunt inter Christum & reliquos quos instruunt fideles, & quasi Christum caput corpori suo, id est, Ecclesiæ coniungunt. Turri Dauid hos comparari inquit, quia quasi semper in bello sunt, pro defensione sanctæ Ecclesiæ pugnantes. Per turrim Dauid, id est, Christi manu fortis, vel visu desiderabilis (hæc enim duo significat, interpretaturque nomen Dauid) illos significatos esse ait, qui vel scientia, vel operationis perfectione cæteris præeminent: Per propugnacula, diuinarum scripturarum sacramenta, de quibus veluti iacula procedunt, quibus aduersariæ repelluntur potestates: Per mille clypeos, innumera intelligi, inquit, diuinæ defensionis præsidia, quibus sancta vallatur, ac defenditur Ecclesia: Per omnem armaturam fortium, omnem institutionem vel sanctæ operationis, vel diuinæ prædicationis.

Greg. PP. Prædicatores cur colli Ecclesiæ adiudicatio: Cur ve turris Dauid, &c.

Gregorius Papa ob id pariter eosdem Prædicatores per Ecclesiæ collum designatos dicit, quod collum extendimus, quando hostes à longe prospicimus: sicque illi procul venientes hostes sanctæ Ecclesiæ speculantur: Sicut autem turris dicuntur, ait, propter fortitudinem, & propter excelsam cœlestium gaudiorum contemplationem, quæ turris recte Dauid esse dicitur, quia Dauid manu fortis interpretatur, per quod Christus significatur, cuius est quicquid forte, & excelsum operantur. Cum propugnaculis turris Dauid ædificata dicitur: quia sancti Prædicatores contra aduersarios homines, si necesse est, miraculis armantur; contra autem vitia clypeis se muniunt: quia, ne spiritualibus hostibus succumbant, virtutibus se defendunt, in quibus omnis armatura

tura fortium pendet: quia quiſquis hoſtium cuneis fortiter reſiſtere vult, in eis exempla videt, quibus armatus hoſtes ſtrenue ſuperare valeat. Mille autem hic pro perfectione ponitur; quia in millenario numero omnes numeri perfecte cumulentur.

Phil. Carp. Pari ratione & Philo Carpathius per turrim Dauid, cui ſancti Doctores aſſimilantur, Chriſtum ſponſum ſignificari, eo quod ex Dauid ſecundum carnem natus, ad genus humanum protegendum huc venerit. Cunctos enim, ait Deus ad ſe confugientes, & ſuam opem implorantes, turris inſtar ab omni malo defendit: atque adeo *a Turris fortitudinis à facie inimici* dicitur in Pſalm. Hæc porro turris Dauid in Thalpioth, quod interpretatur altitudo, ædificata aſſeritur. Ac ſi quis eius noſſe cupit altitudinem, non modo in Deipara Maria humaniter eam ædificatam cõtempletur: verum etiam ſupra cælos in dextera Patris ſedentem videre tandem ſibi dari deprecetur. Ex electis illis mille clypeos pendere, inquit, & omnia iacula fortium: quia ipſi fidei inuiolabili clypeo tecti contra hæreticos, & vitioſos omnes acerrime pugnantes, & in hoſtem ipſum, & veritatis oppugnatores iacula ſalubriter intorquent: ſanctis enim actionibus muniti, intrepide certant, fortiter iaculantur, & inuicto animo mũdum ſuperant, ac carnem: nec vmquam vitijs libera colla ſubmittunt, ſicque vere fortes, & ſcutum fidei, & lanceam charitatis venientibus aduerſarijs opponunt.

Turris Dauid eſt Chriſtus.

a *Pſ.60.4.*

Electi quomodo clypeos, & iacula habere dicantur.

Addit his Beda, Primum, aſſimilatum turri collum ſponſæ, cum Dominus primos Eccleſiæ magiſtros, data Spiritus ſancti gratia, hoſtibus ſuis fecit inſuperabiles: Addidiſſe eidem turri propugnacula, cum aperuit illis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas, & ſuæ verba prædicationis precedentium Patrum dictis vera eſſe, probarent: Et etiam cum eiſdem faciendorum ſignorum dona contulit: vt nouis virtutum operibus diuina eſſe, quæ noua prædicabant, aſtruerent, ſanatiſque morbis corporalibus ad ſalutem animæ facilius, quos erudiebant, attraherent.

35

Beda. Apoſtoli, & Prædicatores electi inſtar turris Dauid, &c.

Secundum: Bene vbi ſpiritualis belli fit mentio, turrim Dauid in exemplo poni, inquit: quia Dauid manu fortis, ſeu deſiderabilis viſu interpretatur: Recte hoc nomine deſignatur, ibi eſſe Dominum, vbi bellare contra hoſtes Eccleſiæ docetur anima; vt eo imperterrita ad certamen procedat, quo ab illo ſe, qui vinci nequit, adiuuari meminit, eoque inſtãtius vincere ſatagat, quo deſiderabilem nouit eſſe faciem eius ad quem deuicto hoſte ſit peruentura.

In certamine cõtra hoſtes imperterrita eſſe debet pia anima ob Chriſti præſentiam.

Aponius quoque per Eccleſiæ collum ſanctos eius intelligit Prædicatores, eoſve omnes, qui per ſanctam vitam inter caput Eccleſiæ Chriſtum, & cætera membra conſiſtunt, ſimiles Moyſi, per quem Deus ad populum Iſrael, & ipſe loquebatur cum Domino: qui nõ recta ceruice ſuperbiæ, ſed inclinato collo humilitatis incedunt ante Deum, & homines; ſicut de Moyſe ſcriptura teſtatur, *b Erat mitis, & manſuetus ſuper omnes homines.* Per id quoque, quod huiuſcemodi collum dicitur ſicut turris Dauid, eidem Moyſi ſimiles eoſdem deſignari, inquit, quem turrim Dauid appellatum inquit, propterea quod Chriſtum verum Dauid, ac manu fortem, in ſe velut in turre requieſcentem, legemque populo promulgantem habuit. Quis enim, ait, alius manu fortis poteſt intelligi, niſi ille, qui ex ſemine Dauid, quaſi de turre oſtenſus hominibus per carnis aſſumptionẽ verum ſe brachium Patris vniuerſa creantem probauit? Quicunque ergo rectam fidem tenuerit de Domini Incarnatione, & manſuetudinem poſſederit beati Moyſi, qui dignus ſit à Deo ſuſceptam gratiam reuelationis myſteriorum hominibus impertire, hic mihi, inquit, videtur Eccleſiæ collum intelligi, adtracta in ſe ſimilitudine illius turris, quæ per manum fortem ædificata eſt de materia carnis ex Virgine. Quibus in verbis clare Aponius per turrim Dauid intelligit Chriſtum ipſum. Per propugnacula, cum quibus hæc turris eſſe dicitur, exempla intelligit eiuſdem Chriſti de dilectione, de miſericordia, & reliquis virtutibus. Per mille clypeos, & omnem armaturam fortium ſanctam intelligit Chriſti crucem, deducens id ex myſterio numeri millenarij, vt exprimitur per litteras. Non eſt autem, cur hoc loco explicationem, talis myſterij referam: videatur apud ipſum: eſt enim nimis ſubtilis, atque perplexa. Quod crux ſit omnis armatura fortium, ſic confirmat. Cum enim, inquit, maledictos trucidabat, proferentes in ſe mortis iudicium, infirmiorum erat armatura pœnalis: vbi vero ſuſpenſus, mortificatuſque in ea eſt benedictus, fortium, & ſemper viuentium armatura effecta eſt: adeo vt nemo ſit fortis, niſi is, qui pro ſcuto Cruce Dominica tutus mentis affectu protectus incedit.

Aponius

Doctores ac Prælati ſunt collum Eccleſiæ, & cur dicantur ſicut turris Dauid.

b Nu.12. 3.

Turris Dauid Moyſes.

Turris Dauid Chriſtus.

Exempla Chriſti ſunt propugnacula turris Dauid.

Chriſti crux eſt omnis armatura fortium, & mille clypei.

Addit denique idem Aponius, Chriſtum ad ſimilitudinem Regis Dauid, qui propter hoſtium inſidias in arce Sion turrim legitur fabricaſſe, vbi arma, & cuſtodia Regis eſſent, cum ad cælos aſcendit nobis in arce Sion turrim carnis ſuæ, cibum animarum noſtrarum corporis, & ſanguinis ſui, & crucis arma defenſionis noſtræ poſuiſſe.

Euchariſtiæ ſacramẽtum turris Dauid eiusve arma.

Anſelmus ideo per collum Prædicatores deſignatos aſſerit, quia per ipſos tanquam è collo deſcendunt Scripturæ ad inferiores: dici vero illos, ait, ſicut turrim: quia ſint defenſio aliorum ad eos confugientium, in qua habitat, & militat verus Dauid: Quam turrim ædificatam inquit cum propugnaculis. i. firmis, & optimis ſententiis, quibus procul pellant inſultantes inimicos. Per mille clypeos, qui pendere ab ea dicuntur, eaſdem ſententias ſignificari inquit, quas inferiores prodeuntes ad bella accipiunt ab illis, quibus ſe protegant: accipereque eoſdem alias ſententias, quibus deuincant alios, & ſibi attrahant: ac propterea adijci, *Omnis armatura fortium.*

Anſelmus Prædicatores collum Eccleſiæ & ſicut turris Dauid, quæ ædific. &c.

Denique Richardus de Sancto Victore, Turri, inquit, comparatos Prædicatores, vel alios deuotos, qui conuerſioni aliorum intendere ſtudent: quia firmi, & excelſi per meritum debent eſſe, qui alios ad ſuprema ſtudent erigere. Hæc turris non tam ipſorum, quam Chriſti veri Dauid, & manu fortis eſſe dicitur ex eo, quod Chriſti potius, quam ipſorum virtute perficitur: in Chriſto enim omnis ædificatio conſtructa creſcit, & proficit. Habet autem hæc turris propugnacula, diuerſa ſcilicet ſcripturæ loca, quibus ſe & contra hoſtes defendat, & ex quibus hoſtes impugnet, & feriat: *Mille* quoque *clypei pendent* ex hac turri, cum omnes virtutes homo obtinuerit, & perfecte aſſecutus fuerit, vt nulla parte vitiis, ac tentatori locus pateat: Ac demum in eadem turri *omnis armatura fortium* eſſe adiungitur, id eſt ſublimes operationes Sanctorum, & eorumdem exempla virtutum, quæ miles Chriſti penes ſe habet, quibus vtitur, armatur, munitur contra hoſtes animæ, contra mundum, contra ſeipſum.

Rich. Vict. Doctores ſancti cur comparantur turri Dauid, quæ ædific. &c.

Præter communiorem iſtam colli acceptionem, ſunt inſuper & aliæ quædam apud Patres. Quidam enim, vt Eucherius lib. de ſpiritalibus formulis cap. 7. & Iuſtus Orgelitanus per idem Eccleſiæ collum atque per turrim Dauid intelligunt Scripturam ſacram, ex qua teſtimonia tanquam mille clypei pendeant. Explicat autem hunc ſenſum egregie Gregorius Papa homil. 15 in Ezechielem, vbi ob id per Eccleſiæ collum ſacra eius eloquia intelligit: quia in collo guttur, in gutture vox eſt. Ex quibus dum mille clypei pendere dicuntur, vniuerſam noſtram munitionem in ſacro eloquio contineri inquit deſignatum: ibi quippe ſunt præcepta Dei, ibi exempla iuſtorum. In collo, ait, Eccleſiæ, id eſt, in ſacri eloquii prædicatione, quæ pro ſua munitione, & altitudine turri Dauid ſimilis dicitur, mille clypei dependent: quia quot illic præcepta, tot ſunt etiam pectoris noſtri munimina: Ecce enim contra aereas poteſtates feſtinantes fortes exiſtere, in hac turri armaturas noſtræ mentis inuenimus, vt inde præcepta conditoris, inde ſumamus exempla præcedentium, per quæ contra aduerſarios noſtros inexpugnabiliter armemur. Et notandum, quia ædificata cum propugnaculis ſuis

36

Eucherius Iuſt. Org. Scriptura ſacra collum Eccleſiæ & turris Dauid.

Greg. Pap. Verba Dei ſunt collum Eccl. & turris Dauid, quæ ædific. &c.

dicitur:

dicitur: hoc quippe agunt propugnacula, quod clypei, quia vtraque pugnantem muniunt: sed inter vtraque distat, quia clypeum pro nostro munimine quocumque volumus, mouemus, propugnaculis autem defendi possumus, sed ea mouere non possumus: Clypeus in manu est, propugnaculum vero non tenetur. Quid ergo inter hæc distat, nisi quod in sacro eloquio partim præcedentium & miracula legimus, & virtutes bonorum operum audimus? Hi itaque quam vera de Deo dixerint, testantur miracula: quia talia per illum non facerent, nisi vera de illo narrarent: Et quam pij, quam humiles, quam benigni extiterint eorum testantur operationes. Quid igitur illorum miracula, nisi nostra sunt propugnacula? quia & muniri per illa possumus, & tamen hæc in manu nostri arbitrij non tenemus: nam talia facere non valemus. Clypeus vero in manu est, & defendit: quia virtus patientiæ, virtus misericordiæ, præcedente nos gratia, & in potestate est arbitrij, & à periculo protegit adversitatis.

Ambros. Anima sancta Christi iugum deferens, collum & turris Dauid est.

Animam sanctam, seu illius mentem, ac rationem sub eadem colli metaphora laudatam existimant alij: Vnde Ambrosius serm. 4. in Psalmum 118. vers. 1. legens: *Sicut turris Dauid ceruix tua, quæ ædificata est in Talpioth: mille ostia pendent in ea: omnia iacula potentium*: Erecta, inquit, ad Deum ceruix, & iugo Christi habilis, quæ nulla in terratum illecebras inflectione curuetur, sicut Christi regalis est turris, cum iugum suum Nabuchodonosor non possit imponere: condidit enim turrim illam Dauid ille manu fortis, & supra murorum ædificauit excelsa, vt subsidio pariter, & decori sit: Subsidio, quia hostem præuidet, & repellit: decori, quia non solum inter humilia, sed etiam inter excelsa supereminet: Ita tamen subsidio, vel decori, si habeat in se verbi dogmata, velut quædam phalerarum monilia, habeat etiam iacula potentium Prophetarū, quæ aduersus omnem extollentem se altitudinem, lacertis quibusdam fidei diriguntur.

37 *Theodorit. Ratio collum piæ animæ quomodo sic ut turris Dauid, &c.*

Theodoritus, tametsi haud clare explicet, quid per istud colli encomium commendetur in ipsa pia anima, videtur tamen per sancti viri collum illius intelligere animam, seu rationem. Notans enim quod pro *Talpioth*, Aquila posuit, *Propugnacula*, & Symmachus, *altitudinem*, in hunc modum præsentem exponit sententiam: Quemadmodum turris à Dauid ædificata superat propugnacula, in quibus constructa est, sublimisque constat, atque conspicua: Ita collum tuum excelsum est, & sublime, altaque circunspicit, & contemplatur: Neque enim brutorum more pronum in terram respicit, neque in ventrem vergens sues imitatur; sed erectum, ac forte est, & mille clypeos gerit, atque fortium omnium iacula.

Habet collum tuum, quod caput tuum, & faciem sustinet, omnes aliorum doctrinas, quibus tanquam iaculis cunctos aduersarios transfigis. Habet item clypeos multos, quibus protegeris, & ignita hostis tela extinguis: munita enim es armatura spiritus, & facile hostes vulneras, cum omnibus fortium sagittis abundes: eosque modo per Prophetas, modo per Apostolos redarguis, atque ipsorum retegis imbecillitatē.

Tres Patr. Collum piæ animæ est mentis eius ratio, quæ est sicut turris Dauid, &c.

Apertius Catena trium Patrum apud eumdem Theodoritum, piæ animæ rationem celebratam sumens: Sicut turris, inquit, Dauid est interior mentis tuæ tum in actione, tum in contemplatione maxime præstantis ratio, quæ per virtutem diuinis mandatis ædificata est super propugnacula, id est super aduersarij tentationes: tollitur autem per scientiam in altitudinem contemplationis: Dauid enim significat manu strenuus, & acer visu. Id vero, quod dictum est; *Quæ ædificata est in Talpioth*: Aquila quidem vertit: *Super propugnacula*: Symmachus autem: *In altitudine*. Quapropter significatur, sponsæ rationem actione quidem hostis consilia superare, contemplatione vero tolli ad veræ cogitationis sublimitatem. *Mille clypei pendent super eam*: horum videlicet actiones decies diuina præcepta multiplicantes, quæ rursus per naturalem legem decies multiplicatæ numerum explent millenarium, & tanquam clypei, quibus ab hostium sagittis inuulnerabilis conserueris ab ea parte quæ in te est ratione prædita, tanquam è collo dependente. Neque vero clypei tantum pendent super eam, verum etiam omnia fortium iacula, quæ quidem sunt disciplinæ à sanctis, & cælestibus virtutibus sponsæ per contemplationem subministratæ, quæ contra spiritus nequitiæ tanquam iacula conijciuntur, ad eorum machinas aduersus sponsam instructas euertēdas. Sed quia rationis quæstionibus à sanctis Angelis docta est quomodo insidiantes sibi debeat iaculari, ideo hæ disciplinæ, tanquam ex collo, ex ratione ipsius dicuntur dependere.

Phil. Car. Fides est collum Ecclesiæ.

Singulariter Philo Carpathius per Ecclesiæ collum fidem intelligit, & humanæ rationis formam: Vt enim, inquit, longius visuri collum extendimus, sic per fidē, & rationis vsum futura præuidemus, & longe posita præstolamur: Non aptat tamen Philo huic sensui similitudines.

Rup. Abb. Humilitas B. Mariæ collum eius, similis humiliatiDauid, quæ turris Dauid dicitur. a 1. Reg. 24. 15.

Rupertus quoque Abbas singulariter per B. Mariæ collum, eius humilitatem commendatam censet, idque per similitudinem ad humilitatem Dauid, quæ turris nomine designata sit: quia per eam Dauid coram Deo fortis, & contra homines stetit inexpugnabilis, vt patuit ex eo, quod Sauli dixit: *a Quem persequeris, Rex Israel, quem persequeris? canem mortuum, & pulicem vnum?* Turrim istam humilitatis Dauid ædificatā, ait, dici cum propugnaculis, & mille clypeos pendere ex ea omnem armaturam fortium; quia eam ceteræ virtutes consecutæ sunt, maximeque fortitudo, & sapientia. Ita *collum tuum*, inquit ad B. Virginem, & vltra quam *turris* illa collum tuum, id est humilitas tua, quæ sedet vel patet in collo tuo non extento, *ædificata est cum propugnaculis, & mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*: Nil enim illi deest omnium, quæ continentur in scripturis veritatis, & neque inuisibilis diabolus, neque visibilis homo hæreticus è contra potuit vnquam, vel poterit. Adde illud, quod maximum est, quia Verbi, cuius mysterij consecuta est, vt caneret, humilitas Patris tui Dauid, Verbi, inquam, eiusdem substantiam concepit, & incarnatam peperit humilitas tua, ô filia Dauid.

Vers. V. cap. IV. *Duo vbera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis.*

Vers. VI. cap. IV. *Donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.*

Expositio I.

Iuxta sonum litteræ.

POst colli encomium prosequens sponsus cœptam pulchrorum membrorum sponsæ panegyricum cōgruentissimo ordine descendit ad pectus eiusdem, in quo cum elatiora duo emineant vbera, quæ ad primum conspectum intuentium ad se alliciunt oculos, eorum in hoc versu cōtexit encomium sane præstantissimum, laudans illa agresti quidem sed peregregia ipsius similitudine.

Vt autem & vis allatæ istius similitudinis, quæ non modicum in se continet obscuritatis, patefiat: & laudes vberum, quæ per ipsam designantur, innotescant: Tria prænotanda sunt quoad tres partes similitudinis.

Primo, incipiendo ab vltima: Partem illam, *Donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ*: quamuis ea vbera ex distinctione Masoretarū cum subsequentibus iungan-

tur, atque adeo vna cum ſubſequentibus in verſ. 6. A ponantur: Communi nihilominus antiquorum Patrum noſtrorum ſententia ad allatam in hoc verſu 5. referri ſimilitudinem. Quapropter, ne vel tantillum à ſanctorum Patrum veſtigijs elongari mihi contingat, ipſe quoque cum hinnulorum ſimilitudine coniunxi; etſi poſtmodum etiam alteram diſtinctionem in expoſitione ſubſequentium, vt maxime probabilem ſequar: Vtraque enim diſtinctio æquæ bona eſt, æque & congruens, vt videbimus. Porro pro intellectu horum verborum, *Donec aſpiret dies*, &c. multis agendum eſſet, ni alias dicta fuiſſent: Videatur expoſitio prima verſ. 16. cap. 2. notabili 3. Id pro nunc ſupponamus B ibi probatum per ea veſperam ſignificari; ac ſi dicatur qui paſcuntur in lilijs, donec adueſperaſcat: vt ſit circunſcriptio temporis veſpertini ex duobus, quæ id concomitari ſolent, inclinatione vmbrarum & ſpiratione auræ lenis.

Circa aliam etiam partem, & verba illa, *Qui paſcuntur in liliis*, complura dicenda pariter forent, niſi exactius in loco ſupracitato capitis ſecundi notabili ſecundo explicatum fuiſſet, quid ſit, paſci, ſeu paſcere in lilijs: Videantur, quæ ibi dicta ſunt. Pro nunc ſupponamus tres hinnulorum conditiones per hæc deſignari, ſuculentiam, fragrantiam, atque munditiē: C fragantiam, & candorē talem, qualem haberent, ſi paſcerentur inter lilia, qualem & congruum eſt habere cum in lilijs candidiſſimis paſtum ſumant. Succulentiam vero, atque pinguedinem: quia in vberrimis paſcantur paſcuis: lilia enim in paſcuis naſcentia vbertatem indicant ipſorum paſcuorum.

Tertio demum notandum, haudquaquam inter Doctores conſtare, in quonam proprie vis ſita ſit allatæ ſimilitudinis: Legionenſis. n. quem recentiores fere ſequuntur, exiſtimat, ſimilitudinem proprie deſumi ex capitibus hinnulorum, in quibus ipſorum vberum quædam, inquit, ineſt imago: nam caput eorum magnitudine, & figura, inſtar vberum eſt: paruula autem eorum ora ex rubro, & pallido modice ſubrubentia ipſorum vberū imitantur capitula: Commendari vero eadem per hinnulorum ſimilitudinem, propterea quod inſit in capreolis feſtiuum quid, & lætum, quod alliciat eos, qui intuentur, ad propius accedendum, & manibus ipſos contrectandum, quæ ſimiliter inſunt in vberibus feminarum. Communiori tamen ſententia pro conſtanti habetur, ſimilitudinem duci ex ipſiſmet hinnulis, non ex illorum capitibus, idque eſt & litteræ magis conſonum, Hebræi quidem, vt R. Abraham Aben Ezdra, R. Innominatus, & alij cenſent, ex duabus proprietatibus ſponſæ vbera per iſtam commendari ſimilitudinem, ex æqualitate, atque ex odore. Coſmas Damianus Hortolanus lib. 3. Cant. ex multis alijs commendata ea aſſerit conditionibus, ijs nimirum omnibus, quæ neceſſariæ ſunt ad femineorum vberum pulchritudinem: ex paruitate, rotunditate, ſoliditate, contractione, æqualitate, nitore, ac ſuculentia: Ex hiſce omnibus notis, inquit, hoc loco ſponſæ laudantur vbera per eorum aſſimilationem ad gemellos capreæ hinnulos, electa carpentes paſcua: Hinnuli namque capreæ ſua paruitate placent, præſertim cum ſe colligunt, & in orbem contracti erumpere velle videntur, & exilire: placent & inde plurimum, cum non macilenti ſunt, F ſtrigoſi, aut lutulenti: ſed nitidi, ac ſuculenti: tales vero ſunt, qui in pratis floridis, minimeque paludoſis inter lilia ibidem creſcentia, ſua carpunt paſcua: placet denique in gemellis, quod vno partu editi, compares ſunt, & quam ſimillimi.

Mihi ex hinnulis quidem ſimpliciter, non ex eorum capitibus (id enim textui repugnat) neque ex illis, vt in orbem contractis (id namque voluntarie dictum apparet) ſimilitudo ducta videtur: Per eam vero ex quinque conditionibus pulchrorum vberum, vbera ſponſæ commendata crediderim: Ex æqualitate, quam indicat conditio gemellorum: Ex ſuculentia, & tumore iucundo, grataue pinguedine, quæ ſpectatur in hinnulis, qui iugiter in vberrimis paſcuntur paſcuis: Tertio ex candore, ſeu nitore quodam eleganti: Et quarto ex fragrantia etiam ſuaui, quas duas conditiones illa præcipue indicat hinnulorum conditio, qua dicuntur paſci in lilijs candidis atque odoratis: Quinto denique ex iucundo quodam, feſtiuo, ac læto, quo intuētium oculi attrahantur, quale in exiguis, ac decoris hinnulis eſſe ſolet, blandiens, attrahenſue intuentes quoſque.

Quod ergo dicitur tale eſt.

Duo quoque *vbera tua* vſquequaque pulcherrima Paraphra- ſunt, pulchritudine quippe ſua attrahunt intuentes æ- ſis. que, ac pulcherrimi *hinnuli capreæ*: Succulenta ſunt ambo inter ſe æqualia, eximio candore nitida, ſuaueque etiam olentia: ita vt iure optimo ſimilia dici debeant talibus duobus hinnulis, qui ſunt *gemelli*, ſuccipleni, vtpote paſti in vberrimis paſcuis, nitidi, ac mūdi, necnon & ſuauiſſime fragrantes, ac ſi iugiter inter candida, & fragrantia paſcerentur lilia.

Verſ. V. cap. IV. *Duo vbera tua, ſicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui paſcuntur in lilijs.*

Verſ. VI. cap. IV. *Donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ.*

Expositio II.

De prima Sponſa, quæ eſt Eccleſia Sancta.

PRæſtantiſſimo (vt viſum eſt in præcedenti ſententia) ſanctos Eccleſiæ Prælatos cæleſtis ſponſus euexit encomio ſub colli metaphora, ac per ſimilitudinem ad turrim Dauid maxime erectam, atque ſpectabilem, multiſue clypeis, & omni armatura fortiū, ac propugnaculis munitam, & inſtructam. Addit inſuper nihilominus & in hac quoque ſententia alterum eorumdem encomium; vt nimirum eas ſuppleat illorū laudes, quæ in ipſis maxime elucent, eas & explicet conditiones, quas in iiſdem admirari ſolemus: quas laudes, atque conditiones haudquaquam, ita ſaltem explicite, in ſuperiori expreſſerat encomio. Enimuero, tametſi per colli metaphoram ea deſignata ſit eorum conditio, quæ & ingētem illis conciliat laudem, quod ſubditos paſcant: ex dicta tamen metaphora id tantum colligitur, quod eos paſcant, qui Eccleſiaſtico vniti ſunt corpori: per collum namque ea duntaxat paſcuntur membra, quæ corpori vnita ſunt, & ad quæ tranſmitti poteſt nutrimentum à ſtomacho, vel ab hepate: ea nimirum, in quibus ob fluxionem, aut morbum aliquem venarum non ſint præcluſi meatus; per collum ſiquidē cibi comeſti in ſtomachū traijciuntur, è ſtamacho poſtmodum ad hepar; ab hepate ad membra reliqua. At vero Prælatorum munus eſt, idque præcipuum, vt non modo eos, qui corpori Eccleſiæ vniti ſunt, nutriant: Sed & illos pariter, qui vel propter infidelitatem, vel propter hæreſim quampiā, & propter ſchiſma aliud ab illo diſiuncti ſunt; quin & infirmiores quoſque multo magis, quam eos, qui validiores exiſtunt. Quod eorum munus, quamue eorumdē conditionem ad viuum ſane explicat, quæ in hoc verſu aſſumitur, metaphora vberum. Vbera quippe ad hoc potiſſimum inſeruiunt, vt infirmiores, paruuloſue nutriant, qui neutiquam corpori nutricis ſunt vniti. Porro, quia paruuli, & infideles deterreri forſitan potuiſſent, ne cibum ab ipſis Prælatis acciperent, ob ſimilitudinem turris allatam in encomio ſuperiori, & ob armorum magnam, quæ eidem ſimilitudini adiuncta eſt, inſtructionem, metuentibus ſcilicet infidelibus arma ipſa, & non valentibus infirmioribus ad ſublimem accurrere turrim: Præclare Spiritus ſanctus in præ-

2 *Prælati ſancti ſunt vbera Eccleſiæ.*

Prælatorum eſt paſcere infirmiores & illos quoque qui à corpore Eccleſiæ diſuncti ſunt.

Legionenſis.

R. Abraham
R. Innominatus.

Hortolanus.

præsenti altero eorumdem encomio & tali eos commendauit similitudine, qua absque vllo metu ad illos allicerentur infideles, hinnulorum videlicet capreæ, quibus nulla à natura indita sunt arma; & vberũ metaphora eosdẽ designauit: vt persuasum vnicuique fieret vniuersos, qui re vera paruuli essent præ simplicitate, infideles, quiue haudquaquam vires haberent, vt effugerent vel dimicarent aduersus Sanctorũ Prælatorum doctrinã, ab ipsismet Prælatis, atque Doctoribus sanctis eleuandos ad sacræ doctrinæ vbera æque ac infantes ad vbera item eleuantur à matre, vel à nutrice, quæ lacte exinde eos pascit, iuxta id, quod apud Isa. 66. 12. Isaiam pollicitus est Dominus: *Ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis.* Egregie quoq; sub duorum vberum metaphora Prælatos sanctos hoc loco commendat sponsus cælestis: nam quemadmodum in præcedenti encomio ita illos laudauit, vt vnum illorum principem commendans Petrum Apostolum, qui immobiliter, ac solidissime orthodaxam sustentauit fidem, quæ in Petrum conferebantur laudes, eædem in eos omnes, qui Petro similes essent, redun- *Petrus, & Paul. sunt duo vbera Ecclesiæ Romanæ.* darent: Atque adeo aptissime sub vnius colli metaphora, illorum contexuit panegyricum. Ita & in altero hoc eorumdẽ encomio laudibus celebrans duos Apostolorum Principes, Petrum, & Paulum, per quos in Romana vrbe Euangelium prædicatum est Christi eiusdem Vrbis patres, veros que Pastores (vt Sanctus *Leo Papa ser. 1. in festo Apost. Petr. & Pauli.* Leo Papa ait,) qui eam regnis cælestibus inserendam condiderunt: vniuersos, qui illis similes essent, commendaret Prælatos, quales ij omnes existunt, qui sancte, ac fideliter munus istud in Catholica Ecclesia studeant exercere. Ac bene sub duorum vberum metaphora Petrus commendatur & Paulus: ambo enim, quasi vbera Gentibus se exhibuere ante reliquos A- a *Act.* 10. postolos: *a* Petrus in domo Cornelij Centurionis, vnde alij exemplũ sumpsere: & Paulus ad hoc in pri- b *Act.* 9. 15 mis vocatus, vt *b* portaret nomen Domini Iesu coram Gentibus, dictusque propterea Apostolus Gentium. Ambo instar pulchrorum vberum æquales, prout eleganter his verbis asserit Leo Papa loco citato: De quorum meritis atque virtutibus, quæ omnẽ loquendi superant facultatem, nihil diuersum, nihil sentire debemus discretum: quia illos & electio pares, & labor similes, & finis fecit æquales: Ambos denique in fortissima totius Ecclesiæ parte, in Romana scilicet vrbe æqualiter & in vita, & post mortem constitutos æque, ac duo vbera carnea in pectore fortiori totius corporis parte sita esse conspicimus. Vnde nil mirum, c 1. Cor. 3. 2. si & Paulus Corinthiis, *c lac potum* dedisse se, inquiat: d 1. Pet. 2. 3. & Petrus *d* pariter, *lac vt concupiscerent*, suadeat ijs, quos tanquam recenter genitos infantes rationabiles, & sine dolo esse peroptabat. Quamquam haud alienum forsitan sit à veritate, si dixerimus duobus vberibus potius, quam vberibus simpliciter, sanctos comparatos esse Prælatos, propter duplex genus spiritualis lactis, & eruditionis, quod ex se ipsis æque, ac ex duobus vberibus proferunt, dogmaticum scilicet, atque morale: Seu id, quod veteri nititur testamento, & id, quod nititur testamento nouo.

Hoc itaque supposito, quod recte, & congruenter, & in hoc quoque versu Prælatorum, qui sancta in Ecclesia præsunt, alterum contineatur encomium: Vt tota etiam istius encomij vis percipiatur, duo exactius perpendenda sunt.

Primum, quid laudis in huiusmodi Prælatos conferatur per vberum metaphoram, idque ex congruentiis colligendum, quas ij cum vberibus habent.

Secundum, quid item laudis eorundem per allatam designetur similitudinem: Et qua ratione singulæ quę in dicta similitudine adiectæ sunt conditiones in ipsis reperiantur, per quas & complurimum laudis illi sibi conciliant.

Quoad primum: Tres pro nunc, inter corporea vbera, atque Prælatos reperio congruentias, easue admodum insignes.

3 Prima, quæ & potissima est, summæque & laudis, ex situ vberum colligitur: Constat enim vbera in pectore sita esse, ac super cor, vitæ, vitalisque caloris vniuersi fontem & principium: atque adeo calorem non exiguum ea ex illo suscipere: quamquam (vt bene notat Galenus) vicem quoquo pacto hac in re eidem rependant cordi, non secus ac pannus, atque pelles corpus operientes: Vt enim (ait Galenus) ea frigida corpori circumposita, deinde ab ipso calefacta, paulo post recalefaciunt: ad eumdem modum mammarum substantia glandulosa operimentũ simul cordi est, calefactaque ab eo, ipsum recalefacit. Quin & ad hoc potissimum illa super cor à natura erecta, asserit Aristoteles, & Galenus vbi supra, vt ipsius cordis propugnacula essent quædam, illud continentia. Cor Ecclesiæ haud aliud esse, crediderim, quam Deum, & Christum filium eius, quem & caput item eiusdem esse, supposuimus in expositione secunda præcedentis sententiæ. Caput quidem, quia influit in membra citra cognitionem omnem, omnemque sensationem, & motum, & instar capitis primum inter obtinet locum; Cor vero, tum quia instar cordis fons est, & principium vitæ, iuxta id quod dicitur in Psal. *e Quoniam apud te est fons vitæ*: quin & vita omnis is ipse est, vnde in alio Psalmo dicitur: *f Apud me oratio Deo vitæ meæ*: & de semetipso Dominus Iesus: *g Ego sum via, veritas, & vita*: Tum etiam, quia, sicut vita est, & principium omnis vitæ, ita etiam est ignis charitatis, charitas ipsa, & principium charitatis vniuersæ in Ecclesia atque in singulis animabus, atque adeo medium iure optimo in eiusdem Ecclesiæ corpore sibi vendicauit locum; non secus ac cor, à qua vniuersus est calor vitalis, quodve & dilectionis omnis est sedes. Quæ omnia apertissime testatus est Spiritus sanctus in capite tertio huius Cantici, vbi dixit: *h Media charitate constrauit*, seu, vt alios iuxta hebraicum textum legere, notatum est supra; *Medium eius ignitum*, seu, *combustum*, scilicet tenet: Atque adeo bene, & congruentissima ratione ab ipsamet Ecclesia, & à piaquaque anima, secundũ quosdam, cor suum dictum eum videbimus in subsequentibus, vbi dicet: *i Ego dormio, & cor meum vigilat.* *Prælati sancti ardentissima charitate flagrant, quia sunt sicut vbera sita super cor* Gal. l. 7. *de vsu part.* c. 22. *simile.* Arist. lib. 4. *de part. animalũ* c. 10. *Deus est cor Ecclesiæ & animæ sanctæ Christus quomodo sit simul & caput & cor Ecclesiæ atque piarum animarum.* e Ps. 35. 10. f Ps. 41. 10. g Io. 14. 6. h Cant. 3. 10.

Notandum autem præclarum discrimen, quo duæ præstantissimæ laudes Sanctorum Præsulũ sub duabus metaphoris colli, atque vberum designatæ sunt: Per colli namque metaphoram significatum vidimus, illos subiectos esse Deo æque, ac collum suo subiectum est capiti: at modo è contra per metaphoram vberum innuitur, illos ipsos super eumdem esse Deũ. Et bene vtrũque de illis verificatur; sunt quippe subtus Deum respectu cœlestis sapientiæ, quam à Deo reuelatam accipiunt: respectu autem vitalis caloris, & charitatis, quam ab eodem suscipiunt, supra illum collocati esse reperiuntur. Subtus Deum siti asseruntur respectu sapientiæ, qua à Deo honestantur. Enimuero sapientia hæc cælestis, quæ ex ore Altissimi prodit, cum hominibus datur, id proprium habet, vt descendat: atque adeo humilibus, & ijs, qui demissioris animi sunt, abundantius eam tribui; superbisve, & elatis corde eamdem negari à Patre, asserit Dominus Iesus, cum gratias agens, ait: *a Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis*: Et propterea Sapientissimus Salomõ, quo illa donaretur, summa se studuit demittere humilitate; quæ in altissimis residebat, ad ipsum descenderet, & dicebat: *b Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis: quoniam seruus tuus sum ego, & filius ancillæ tuæ: homo infirmus & exigui temporis, & minor ad intellectum iudicij, & legum.* & infra: *Mitte illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ*: ac propter eamdem rationem aptissime quoque imbri, pluuiæ atque rori, in terram, atque in valles præsertim defluenti ex alto eadem assimilata sæpius reperitur in sacris litteris, vt, *c Expectetur vt pluuia doctrina mea*, & cetera, quæ superius etiam exposita sunt: Vnde haud commodiorem sane locum sapientibus Prælatis assignare quis posset in Ecclesiastico corpore, dum illos ob tam *Prælati sanctissima charitate quomodo subiecti Deo vt collium capiti, & simul etiam sunt super Deum vt vbera superuelatam per cor.* i Cant. 5. 4. a Mat. 11. 25. b Sap. 9. 4. & 10. c Deut. 32. 2. iuxta Septuag.

eximiam ſapientiam celebrare vellet, quam iſtum; vt inſtar colli Deo ſubiecti eſſent capiti Eccleſiæ, vt ſubtus Deum exiſtentes cæleſtis reuelationis defluxus exinde ſuſciperent. At è veſtigio non minus apte, vt alia illorum laus explicetur charitatis, ſuper Deum inſtar vberum ſuper cor collocati iidem eſſe innuuntur: quandoquidem caloris, igniſve proprium eſt, vt aſcendat; & etiam amor idem habet proprij, vt notat Ariſtoteles, & pro confeſſo apud omnes habetur; ita vt propterea inferant, id quod experientia patet, parentes multo magis amare filios, quam à filiis viciſsim amentur: multoque magis ſuos item nepotes diligere eorumdem filiorum liberos, quam ipſoſmet filios.

Prælati quatenus charitate flagrant ſuper Deum eſſe dicuntur. Arist. lib. Moral. ad Eudem. c. 10

Amor aſcendit. Auctor op. imperf. ſup. Matth.

Atque adeo auctor operis imperfecti ſuper Matthæum apud Chryſoſtomum homil. 32. in cap. 19. Matthæi, amorem egregie comparat humori aſcendenti per radices herbæ in fuſtem, folia, & flores, & nequaquam deſcendenti de herba ad radices ipſius. Quapropter bene de dilecto Chriſti diſcipulo dicitur in Euangelio, *d* quod in cæna, quando maiora exhibita ſunt amoris indicia, recubuerit ſuper pectus, atque adeo etiam ſuper cor Ieſu: quo ſignificatur ingens eius diſcipuli ſtudium proficiendi in charitate: quippe qui cum noſſet, tunc potiſsimum temporis maiores è Chriſti corde eleuandos charitatis calores ardentioreſque dilectionis flammas, quod ipſemet his verbis teſtatus eſt: *e Cum dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos*, id eſt, tunc, cum ad vitæ finem appropinquaret, maiora dilectionis argumenta erga illos exhibuit: quo aſcendentes æſtus iſtos melius in ſe ſuſciperet, & quo magis iis accenderetur flammis, ſuper ipſum recubuit eius pectus, ſuperque ipſum ſe poſuit flagrantiſsimum illius cor: adeoque ardentibus ex iis flammis, quæ ex eodem Chriſti corde aſcendebant, incaluit charitatis æſtibus; vt nil aliud in eius ore reſonaret, quam charitas, nihil aliud ſcriberet, quam charitatem, & nil aliud facto ipſo magis exhiberet, quam charitatem. Quod & in ſanctis quibuſque Prælatis animaduertere eſt, quibus & charitas pariter in ore ſemper eſt, & in factis: quod in præſtantiſſimam eorum redundat laudem: quia charitatis calorem ex ipſo ſuſcipiunt Eccleſiæ corde, ex Deo, ſuper quem inſtar vberum fixi permanent.

d Io. 13. 25

e Io. 13. 1.

Prælati ſancti quomodo à Chriſto cale. facti Chriſtũ recalefaciant

Inſtar vberum, inquam, quia ſuo modo & ipſi Deũ recalefaciunt æque ac vbera cor: Nam cum ex charitatis calore, quem ex Deo ſuſcipiunt, ipſorum coquatur doctrina, ita vt in lac conuertatur, quo infirmiores paruulos, atque tenellos enutriunt in fide, & charitate, ipſiſſimum Dei ſui calorem confouent charitatis, ita vt propterea ad maiora charitatis indicia in Eccleſiam ipſam conferenda is promoueatur. Quod ſi vbera ſuper cor in pectore collocata, pro ipſius cordis propugnaculis inſeruiunt; & ſpiritalia quoque vbera iſta, ſanctiue Præſules, dum ſuper Deum Eccleſiæ cor & charitatem fixos ſe ſeruant fortiter, tanquã validiſsima ipſius charitatis propugnacula exiſtunt, cuilibet ſe obiicientes periculo, & quibuſcumque quorumlibet amorum ictibus in defenſionem charitatis Dei: quod de ſemetipſo aperte proteſtatus eſt Paulus in iis, quæ ſæpe retuli: *f Quis nos ſeparabit à Charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia?* &c. *Sicut ſcriptum eſt: Quia propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis: ſed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos: Certus ſum enim, quia neq; mors, neque*, &c. *poterit nos ſeparare à Charitate Dei; quæ eſt in Chriſto Ieſu.*

Simile.

Prælati ſancti quomodo ſunt propugnacula diuinæ charitatis

f Rom. 8. 35.

Hæc igitur prima laus ſanctorum Prælatorum eſt, qua per hanc vberum metaphoram in præſenti commendantur encomio: quod charitate ardentiſsima flagrent, quatenus ſuper Deum Eccleſiæ cor requieſcunt.

5

Secunda vero laus ex alia colligitur congruentia, quæ inter ipſos eſt, atque corporea vbera. Quemadmodum enim vbera matrum, quamdiu infantulis lac exhibendum ſit, ipſum intra ſe continent lac, ita vt paruulis paratum ſuper ſe habeant cibum, quod quidem & à corde deriuat, & eiuſdem cordis ope intra ipſa perficitur: quatenus ſanguis è corde ad illa tranſmiſſus, eius caloris ope concoquitur in lac. Ita exinde, quod ſancti Præſules ſuper Deum, modo iam expoſito, ſiti ſunt, atque adeo charitate flagrant non tantum erga eumdem Deum, ſed & erga proximos, ac præſertim erga infirmiores, & paruulos, fit, vt quamdiu erga tales affecti ſunt, lac ſemper in ſe promptum contineant affectiuæ, & amoroſæ eruditionis, ita vt haudquaquam periculum ſit, vt eueniat id quod alias eueniſſe deplorat Ieremias Propheta, cum ait: *g Adhæſit lingua lactentis ad palatum eius in ſiti*: quamquam & doctrinam ipſam, & eruditionem huiuſmodi in lactis puriſsimi, ac ſuauiſsimi formam ex Deo ipſo attractam contineant, provt aperte de Ioanne Theologo, quem ſupra cor Chriſti recubuiſſe notauimus, canit Eccleſia: *Fluenta Euangelij de ſacro Dominici pectoris fonte potauit*. Ac bene iſtud potandi verbum & carnalibus vberibus congruit, & ſanctis Eccleſiæ Prælatis: Neque enim duntaxat inſtar colli hi ſunt, neque inſtar gulæ tantum ſe habent, per quam æque, ac per canalem quemdam cibus ſic tranſit, & potus, vt nihil ex illis in illa remaneat: ſed inſtar vberum ita lac affectiuæ, & amoroſæ doctrinæ ex Deo attrahunt Eccleſiæ corde: vt non modo dictum lac in ſe ſuſcipiant, ac contineant; ſed per modum potus, & potus lactis illud ſuſcipiant: per modum, inquam, potus lactis, quo infantium corpora nutriuntur. Nutriuntur quippe & ipſi dulci ea doctrina: quemadmodum & vbera lacte pariter illo nutriuntur, quod è cordis fonte per venas in ſanguine hauriunt, quove potant infantulos, iuxta vulgatam illam Philoſophorum ac Medicorum regulam, qua dicitur, vnumquodque humani corporis membrum ex humore, ac materia illa nutriri, quæ intra ipſum fiat aut contineatur ſicut ventriculus chilo, hepar ſanguine craſsiori, cor ſanguine magis purificato, &c.

Prælati paratum ſemper in ſe habent lac doctrinæ, quod ex Deo attrahunt.

g Thr. 4. 4.

Prælati ſancti eo ipſo nutriuntur lacte doctrinæ effectiuæ quo nutriunt infirmiores ſubditos. Simile.

6

Tertia denique laus exinde ſumitur, quod Prælati ijdem eo pacto infirmiorum, ac paruulorum, qui in fide, ac moribus inſtruuntur, quaſi turres quædam ſunt, & propugnacula, ad quæ illi confugiant, vnde propugnent, illæſique ſeruentur: quomodo vbera ſunt infantium propugnacula, turres, atque confugium. Enimuero, ſi formam, ac ſitum obſeruemus carnalium vberum, animaduertemus, ita illa hinc, & inde in pectore eleuata, vt re vera quaſi duæ turres, duoque propugnacula videantur: vnde inferius in capite octauo, & ornamenta, quæ vberum depreſsionem in fortis ſponſæ pectore ſupplere deberent, propugnacula appellata reperiemus, vbi in reſponſionem ad illa verba: *a Soror noſtra paruula, & vbera non habet, quid faciemus*, & ceter. dicitur: *Si murus eſt, ædificemus ſuper eum propugnacula argentea*, id eſt, Si vbera non habeat, habeat autem pectus inſtar muri eleuatum, ſicut ſuper murum ædificantur propugnacula: ita ſuper dictum eius pectus apponamus ornamenta argentea, quæ vberum expleant locum, inſtar propugnaculorum argenteorum in candido puellæ pectore ſe habentium: & congruenter ſponſa de pectore, vberibuſve propriis ſubiicit: *b Ego murus, & vbera mea quaſi turris*, id eſt, Ego elato corpore murus ſum, & vbera mea, quæ ſuper meum pectus erecta ſunt, turres repræſentant: quamquam commodiores fortaſſe eorum verborum ſint ſenſus, vt videbimus in poſterioribus. Hoc pro nunc ſatis ſit, vbera ipſa mulierum eſſe quaſi turres, & propugnacula: propugnacula inquam non ſolum cordis, vt oſtenſum eſt ex Ariſtotele, verum & infantium; dum ij è matris pectore pendent: dum ad medium materni pectoris, atque ad ipſa portantur vbera. Hinc eſt, quod puerulus naturaliter hoc vnicum vberum agnoſcens confugium, quacunque inſurgente neceſſitate, ad illa vt ad paratas ſibi turres ſeſe conuertit: quin & quandocunque mali aliquid ei contigiſſe appareat, vt in fletus prorumpat, ad vbera illico à nutrice extollitur quaſi ad propria propugnacula.

Prælati ſunt turres ac propugnacula infirmiorum eo modo quo & vbera turres ſunt, & propugnacula infantium.

a Cant. 8. 8.

b Cãt. 8. 10.

Porro,

Simile.

Simile.

Porro, ſicut infantulus in vberibus æque ac in turituto conquieſcit, propugnatque ex iſdem quaſi ex propugnaculis, quatenus lac fugit ex illis, quo malum omne propellit: Ita ſancti pariter Eccleſiæ Prælati inſtar vberum ſuper validiſſimum ipſius Eccleſiæ Catholicæ pectus ſuper Romana ſede fundati ſimul, atque erecti, & inſtar turrium, ac propugnaculorum ſuper eamdem ſedem, quaſi ſuper fortiſſimum murum eleuati, lacte eruditionis ſuæ adeo tutos paruulos quoſque reddunt: vt dum illi quaſi infantes materno pectori Apoſtolicæ inhærent ſedi, per ipſam, quæ eis propinatur, doctrinam & metum omnem ſedatum in ſe aduertant, & vniuerſos inſultantium impetus propellant, ipſa iſtiuſmodi lactis perceptione ex talibus vberibus ſimul, ac propugnaculis ſuo more pugnantes.

7 *Prælati ſancti amabiles ſunt ac benigni.*

Quoad ſecundum: Adiecta duorum hinnulorum ſimilitudine præclare eorumdem Prælatorum amplificatur encomium: complures quippe ſub ſimilitudine iſta indicantur aliæ illorũ laudes. Ac primo, quod amabile quid & blandiens infirmioribus præſeferant: adeo vt ſicut hinnuli capreæ amabili illo, feſtiuo, ac blandienti, quod in ſe habent, intuentes, ac paruulos in primis ad ſe alliciunt, efficiuntque, vt propius accedant, & ipſos contrectent: Ita & ipſi infirmiores quoque amabilitate ſua ad ſe pertrahant, dantes illis anſam, vt cum fiducia interrogationibus ſuis ipſos contrectent, ac premant: vt nimirum ex huiuſcemodi compreſſione lac illis proferant neceſſariæ eruditionis: non ſecus ac vbera etiam lac emittunt, cum comprimuntur, & plena exiſtunt.

Prælati quot quot ſancti ſunt æqualitatem ſeruãt humiliatis, atque doctrinæ.

Neque vero modicum laudis exinde iiſdem confertur Prælatis, quod inſtar duorum hinnulorum gemellorum æqualitatem inter ſe conſeruent maxime concinnam; æqualitatem, inquam, non in honorabilis gradus præeminentia, non in honoris, & dignitatis elatione: ſed in puſillitate, & in exiguitate, ac in humilitate: Quamuis enim alter ſit altero doctior, ac gradu ſublimori præſtãtior, in eo tamen ſinguli ſuum collocant ſtudium, vt, cum infirmiores erudiendi munus exercent, alijs haudquaquam ſe præferant, & vna cum eruditione, atque doctrina, congruentem etiam exhibeant humilitatem: idcirco puſillorum hinnulorum æqualitas in ſimilitudinem aſſumpta eſt, non magnorum aliorum animalium, ad iſtiuſmodi eorum conteſtandam æqualitatem. Quamquam & alteram quoque æqualitatem maxime item commendabilem in ſanctis quibuſque Prælatis aduertere liceat, dum puſillos erudiunt, & infirmiores, quatenus ſinguli, & vniuerſi æqualiter ſeſe habent, non tantum in huius eruditionis actu: ſed & in eruditione ipſa, ac in doctrina.

8 *Prælati ſancti quomodo doctrinæ lacte ſuccipleni fiant dum lac illud communicant.*

Tertia laus eſt ſucculentiæ. Porro haud aliunde commendabilis iſta vel ſanctorum Prælatorum, vel carnalium vberum ſucculentia prouenire cenſenda eſt, quam ex ingenti, qua referta ſunt, copia lactis. At, ſi ex copia lactis vbera hic commendentur carnalia ſimul, ac ſpiritualia, nec hinnulorum capreæ ſimilitudo, nec verba illa (*Qui paſcuntur in lilijs*) quibus ſucculentia eorum deſcribitur, ad propoſitum videntur: quin & contrarium potius tam ex ſimilitudine, quam ex citatis verbis deducere licet: quod vbera depreſſiora ſint, lactis nimirum inopia, quod ex ipſis exprimitur iugiter. Enimuero hinnuli capreæ, nedum non habent, quod ex ipſis exprimatur lac, ſed fugunt potius illud ex capreæ vberibus: & quod paſci dicuntur, repugnat ſane vberibus, quorum paſcere propriũ eſt, non paſci. Nihilominus dicendum, aptiſsimam eſſe ſimilitudinem, congruentiſsima & vbera, quibus talis ſucculẽtiæ explicatur prærogatiua: Neque enim ex eo quod exprimuntur vbera, propterea lacte deſtituuntur: Neque ex eo, quod ſancti Eccleſiæ Præſules infirmioribus abundanter lac præbent piæ eruditionis, propterea vel tantillum in eis minui exiſtimanda eſt doctrina affectus, atque amoris: quin potius maximam in illis per hoc ipſum doctrinæ talis acceſsione fieri, aſſerendum eſt: prout & experientia conſtat, in mulierũ vberibus lactis exinde prouenire copiã, quod lac infantulo exhibent; adeo vt, ſi aliquãdo contingat vt vbera à nullo fugantur, deficiant illico lactis fluenta: iſque vnicus eſt fluxum lactis ſtagnãdi modus, vt vbera lac minime communicent. Atque adeo quamuis vberibus id proprius competere videatur, vt paſcant, dum tamen paſcunt, lac exhibendo, paſcuntur ſimul & ipſa, lactis adipiſcendo copiam; quæ omnia & in vberibus quoque ſpiritualibus, in pijs Eccleſiæ Prælatis pari eueniunt ratione: Vnde *a* Paulus ad Theſſalonicenſes: *Facti ſumus paruuli in medio veſtrum, tamquam ſi nutrix foueat filios ſuos,* id eſt, dum vobis lac doctrinæ exhibuimus nutrientes, ac fouentes vos æque, ac nutrix fouet filios ſuos, facti ſumus ſimul & ipſi paruuli in medio veſtrum, inſtar paruulorum & nos quoque lac à Deo attrahentes affectiuæ eruditionis: Vnde & congruenter ſubdit: *Ita deſiderantes vos cupide, volebamus tradere vobis non ſolum Euangelium, ſed etiam animas noſtras, quoniam chariſsimi nobis facti eſtis:* Quibus ingentem ſubindicat prædicti lactis copiam, qua ſucciplenum ſe ſentiebat. Et Romanos alloquens, ait: *b Deſidero videre vos, vt aliquid impertiar vobis gratiæ,* id eſt, doctrinæ, & eruditionis, *ſpiritualis ad confirmandos vos.* En quomodo, cum vnum ex Eccleſiæ vberibus eſſet lac ſpiritualis doctrinæ infirmioribus, & ijs, qui confirmatione indigerent communicare optabat. Vt vero, & hoc etiam teſtatum faceret, quod eo ipſo, quod lac illis exhibiturus erat, lacte pariter replendus eſſet, ſubijcit: *Id eſt, ſimul conſolari in vobis per eam, quæ inuicem eſt, fidem veſtram, atque meam.* Et clarius auctor lib. Sapientiæ loquens ex perſona vnius iſtorum Prælatorum, de ipſo huiuſce eruditionis lacte, deque ſpirituali ſapientia, inquit: *c Quam ſine fictione didici, & ſine inuidia communico, & honeſtatem,* id eſt diuitias, *illius non abſcondo*, paſcens nimirum paruulos hoc lacte inſtar vberum: atque vt omnibus conſpicuum fieret, inſtar eorumdem vberum, illo ipſo tempore, quo hoc lacte paſcere ſtudebat, eiuſdẽ lactis copia refertum ſe eſſe ac ſucciplenum, vtpote ſimul paſtum, ſubdit: *Infinitus enim theſaurus eſt hominibus:* ac ſi dicat: Tanta eſt enim eius copia in hominibus, è quibus huiuſmodi lac ſugitur, vt quo magis ſugitur, eo magis augeri videatur, non ſecus ac theſaurus, qui ſit infinitus.

a 1. *Th.* 2. 7

b *Rom.* 1. 11

c *Sap.* 7. 13

9 *Prælati ſancti in lilijs vitæ & paſſionis Chriſti quomodo paſcuntur.*

Egregie autem, vt & laudem iſtam in ſanctos prælatos cenſerret, & huius quoque laudis fundamentum indicaret, quod & ipſum maxime commendabile eſſet, hac loquendi forma vſus eſt ſponſus cæleſtis: *Qui paſcuntur in lilijs*, id eſt, in paſcuis vberrimis, in corde nimirum Eccleſiæ, ſicut carnalia vbera in carneo corde paſcuntur, vnde & ſanguinem ſuſcipiunt, & calorem, quo ſanguis in lac cõcoquitur. Oſtenſum eſt ſupra, quomodo inſtar vberum à Deo tamquam è corde paſtum deſumant, ſed per modum potus: At vero, quod hoc loco paſci ijdem dicuntur in lilijs, aliam inſuper deſignat paſtus rationem, qua illi è Deo paſcuntur; in vita nimirum Chriſti Ieſu, agri ſane illius pleni, cui benedixit Dominus, pleni, inquam, lilijs cãdidiſsimis, atque odoratiſsimis virtutum, eximiarum actionum, miraculorum, ac paſsionum: Ex his quippe vniuerſa deſumitur horum ſcientia: ex lilijs hiſce ſuccipleni exiſtunt lacte ſalutifero eruditionis, quibus paſti, inquiunt cum Apoſtolo: *d Nihil arbitrati ſumus nos ſcire, niſi Chriſtum, & hunc crucifixum*: Hinc & lac quoque, quo ſubditos paſcunt, iſtorum liliorum redolet odorem; vnde cum eodem Apoſtolo dicunt: *e Nos prædicamus Chriſtum crucifixum.* Et quod in duplicem illam eorum laudem redundat, quam allatam ſimilitudinem ſubindicare, oſtendi in 1. expoſitione, propter huiuſmodi paſtum in lilijs hiſce virtutum, & exemplorum Chriſti, talium liliorum odorem in ſe ſic deferunt, vt propterea dicere audaceter queant: *f Chriſti bonus odor ſumus in omni loco*: Vnaque cum ſcientia Chriſti, virtutum, ac paſsionum illius nitidos pariter,

d 1 *Cor.* 2. 2

e 1. *Cor.* 1. 15.

Odorem, ac nitorem Prælati ſancti habent per hoc quod paſcuntur in lilijs vitæ, ac paſsionis Chriſti.

f 2. *Cor.* 2. 15.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA ROMA

ac Chriſto, eiuſue virtutibus plane ſimiles exhibere ſe ſtudent; dicentes ea, quæ de ſemetipſo aſſerebat Paulus: g *Exiſtimo, omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam, & inueniar in illo non habens meam iuſtitiam, quæ ex lege eſt: ſed illam, quæ eſt ex fide Chriſti, quæ ex Deo eſt iuſtitia in fide, ad cognoſcendum illum & virtutem reſurrectionis eius & ſocietatem paſſionum illius, configuratus morti eius.*

g *Phil.* 3. 8.

Prælati ſancti paſcuntur in liljs ſacra rum ſcripturarum. Scrip. ſacra paſcua liliorum plena.

Poſſumus etiam per agrum iſtum vberrimum, lijſue refertum paſcua intelligere ſacrarum litterarũ, in quibus ijdem Eccleſiæ Prælati, dum inſtar vberum ſuper ipſius Eccleſiæ cor requieſcunt, inſtar hinnulorum capreæ paſcuntur: è quibus & lac deſumunt puriſſimæ, fragrantiſque doctrinæ: conſtat enim tale demum vniuſcuiuſque mulieris eſſe lac, qualis eſt & paſtus illius: atque adeo bene à medicorum peritis cauetur, ne inutilibus cibis paruulorum nutrices paſcantur; quia nimirum lac, quod ex prauis fit cibis; illorum in ſe contrahit qualitates, quas poſtmodum & in infantes refundit, qui eius paſtu nutriuntur. Porro iſta ſacræ Scripturæ paſcua, cum plena ſint lilijs exmplorum Sanctorum, multiplicium virtutum, ac diuinorum præceptorum, lac certe iſtorum liliorum odorem redolens proferunt: vnde fit, vt & Prælati nil aliud doceant, niſi diuinorum præceptorum, virtutiſue doctrinã, & quæ ex paſcuis hiſce decerpſerint exempla Chriſti Saluatoris noſtri, ac reliquorum Sanctorum diuinæque bonitatis myſteria.

Prælati ſancti quomodo in præſenti vita tantum paſci dicuntur in liljs.

Bene autem in iſtis paſcuis paſci dicuntur, *Donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ*: id eſt donec adueſperaſcat; ſiue vitam Chriſti Ieſu, ſiue Scripturam ſacram ſumamus per huiuſmodi paſcua, in quibus tot lilia diximus eſſe: Nam re vera vſque ad vitæ præſentis exitum, & vſque ad diem mortis, & in ſanctis Prælatis, & in alijs quibuſcunque perdurat ſtudium imitationis Chriſti, & ſtudium ſacrarum Scripturarum: quia in hac vita duntaxat lac in eis producitur eius doctrinæ, qua paruuli lactandi ſint, & infirmiores. Poſtquã aſpirauerit dies vitæ præſentis, & inclinatæ fuerint vmbræ mortis, paſcentur quidem, at non amplius in agro vitæ Chriſti, laboribus, ac paſſionibus plenæ, vel in agro ſacrarum Scripturarum: ſed in agro gloriæ, vbi Chriſto ipſo perfruentur, gloriæ lilijs exornato, vbi præmium percipient impletorum mandatorum Dei, vbi in vnico diuinæ eſſentiæ lilio id omne intuebuntur clare quod obſcure modo in ſacris continetur paginis: vbi denique nec lacte amplius erit opus; cum nulli in futuro ſæculo exiſtant paruuli, qui lacte nutriendi ſint, ex quo augmentum deſumant in fide, & in dilectione.

Paraphraſticus, qui ex dictis colligitur ſenſus, hic eſt.

Paraphraſis.

Non modo colli inſtar Sancti iſti, qui in te ſunt Prælati membra tua paſcunt; fideles illos, qui tibi ſunt vniti, & ſani ſunt in fide, & charitate: Sed eos quoque nutriunt, qui à te diſiuncti ſunt, infideles hæreticos, atque ſciſmaticos: quin & quoſcunque infirmiores, atque ignorantia paruulos, inſtar vberum, quibus infantes nutriri ſolent. Enimuero Præſules iſti vberum quoque in te locum obtinent, ſuper Deum ſiti æque, ac vbera ſuper cor, & è Deo charitatis calorem attrahentes, illive vicem eiuſdem caloris reddentes, non ſecus ac vberibus euenire ſolet reſpectu cordis: Quin & Dei pariter, eiuſque charitatis propugnacula iidem ſunt, ſicut & vbera cordis inſtarue eorumdem vberum, propugnacula, ac quaſi turres quædam ijs ſunt puſillis, quos cordi tuo Deo approximatos habent: Et ex hoc ipſo, quod ſuper Deum ſiti calore flagrant charitatis, è Deo lac habẽt affectiuæ, & amoroſæ eruditionis, quod pro puſillis ipſis paratum intra ſe continent ſemper: Atque adeo iure optimo hinnulis capræ aſſimilantur, qui, cum in vberrimis paſcantur paſcuis lilijs vndequaque redundantibus, ſucculenti ſunt, nitidi, odorati, atque amabiles; dum ſiquidem lacte puſillos paſcunt, ſucculenti & ipſi exiſtunt ob ingentem prædicti lactis copiam, cum & ipſi ſimul paſtum è Deo ſuſcipiant abundantiſſime, in vberrimo vitæ meæ agro paſti inter lilia virtutum, actionum, paſſionumque mearum, necnon & in altero item agro, in ſacra nimirum ſcriptura, vbi in liliis paſcuntur cæleſtium myſteriorum, exemplorum virtutis, ac mandatorũ Dei, quamdiu in hac vita perdurant: Simulque propterea, inſtar liliorum, & puritate ſunt nitidi, & ſuauiſſimo boni nominis odore ſunt fragrantes. Quin adeo vniuerſi æquales inter ſe ſunt tum in humilitate ſectanda, tum in pari eruditionis modo, quo paruulos ipſos erudiunt, & infirmiores: vt nedum hinnulis capreæ ſimiles dici debeant, ſed duobus hinnulis capreæ gemellis omnino inter ſe æqualibus, qui & æqualiter paſcuntur liliis, donec aduesperaſcat.

Verſ. V. cap. IV. *Duo vbera tua, ſicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui paſcuntur in liljs.*

Verſ. VI. cap. IV. *Donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ.*

Expositio III.

De ſecunda Sponſa, quæ eſt Anima Iuſti.

10

Vberum metaphora deſignatur duo amores, in Deum, & in proximum a Cant. 1.

AMorem ſub vberum metaphora in ſacris litteris deſignari ſolitum, ſatis ſuperque in principio huius Cantici oſtenſum eſt, cum exponerẽtur ea ſponſæ verba: *a Quia meliora ſunt vbera tua vino.* Quapropter haud alienum forſitan à cæleſtis ſponſi exiſtimandum erit intentione, ſi dixerimus, eum & hoc quoque loco amoris dilectæ animæ encomium per hanc ipſam metaphoram contexere. Eoque probabilius id eſſe videtur, quod non vbera ſimpliciter commendantur, ſed & binarius numerus adijcitur, tam ad metaphoram, quam ad ſimilitudinem, dicitur quippe: *Duo vbera tua, ſicut duo hinnuli capreæ*, cum conſtet, duos pariter eſſe & piæ animæ amores, alterum erga Deum, alterum erga proximum, in quibus vniuerſa ſita eſt eius perfectio.

Neque vero exiguum cenſendum eſt encomium iſtud, vel ob id, quod vbera pro paruulis efficta ſint à natura, vel ob id, quod exiguorum hinnulorum ſimilitudo in eorum allata ſit commendationem, nam reuera, tam ex vberum metaphora, quam ex ipſa hinnulorum ſimilitudine inſignes in eos conferuntur laudes.

Amores piæ animæ in vnum Deum directi.

Primo enim per vberum metaphoram exinde laudantur, quod vni Deo affixi ambo ſint, à quo vniuerſa deriuat vita vel gratiæ, vel meriti, quamquam diſtincti ij inter ſe ſint ob diſtincta obiecta, ſicut & vbera, etſi diſiuncta extrinſecus ſint inter ſe, ambo tamen ſita ſunt ſuper vnum, idemque cor principium vitæ omnis. Nec modica eſt laus iſta in anima Chriſti ſpõſa: nam etſi plures fortaſſe reperire ſit fidelium, qui & Deum ament, & proximum: tam Deum tamẽ, quã proximũ amore vt plurimum amant concupiſcentiæ, ſeipſos nimirum habentes pro primario obiecto taliũ amorum, adeo vt haudquaquam affixos eos teneãt in vno Deo, ſed in vno duntaxat proprio pectore. Animę ſolũmodo cæleſtis Regis ſponſæ, id merentur laudis, vt in externo pectore, & reſpectu ſui diſtinctos eos habeãt amores, quos tamẽ in interno corde, & reſpectu

Simile.

Dei

Dei vnitos habent, nullam in amando sui habentes rationem, nullam proprij commodi, sed tam amoris Dei, quam amoris proximi, vnum tantum Deū pro primario tenentes obiecto. Siue enim Deum diligūt, ob id vnum diligunt eum, quia est summum bonum, siue diligunt proximum, propter eumdem Deum illum diligunt, vtpote quia impertitam in illo diuinam cognoscunt bonitatem.

Charitas piæ animæ ex Deo vniuersa est.

Porro, si ex calore etiam philosophandum sit, quem carnalia vbera è corde suscipiunt, cui affixa sunt: cum calor sit etiam amoris hieroglyphicum, intelligemus, ita istos piæ animæ amores in Deo radicatos, vt illud ipsum, quod vel Deo, vel proximo exhibent charitatis, ad vnum Deum relatum sit: nam quamuis vbera cor quoquo pacto calefaciant, & paruulis vna cum lacte calorem præbeant naturalem, nec cor tamen calefacerent, ni prius calorem ab illo susciperent, nec caloris quidpiam exhiberent paruulis, nisi calore è corde suscepto in lac sanguis esset concoctus: Sic igitur siue Deum diligat pia anima, siue in proximum amoris exhibeat indicia, exinde id omne in illa est, quod Deus prior dilexit nos; quod diuinæ charitatis prius in se suscepit calorem. *b In hoc est charitas*, inquit Ioannes, *non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos. Nos ergo diligamus Deum, quoniā Deus prior dilexit nos.* Et: *Si sic Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere.*

b *Ioan. 4. 10. 19. & 21.*

Simile. Charitas piæ animæ quomodo tenera simul, & fortissima.

Congruit insuper vberum metaphora cum duplici piæ animæ amore: quia sicut vbera etsi tenerrima per se sint, & maxime mollia, in fortissima tamen corporis parte, in pectore collocata à natura sunt, in quo præcipuum corporeæ fabricæ robur situm esse constat: ideoq; & ipsa pariter vna cum teneritudine fortitudinem, ac robur maximum habere videntur: Ita & duplex iste amor, etsi tenerrimus sit, vtpote instar amoris muliebris, atque materni erga vnicum filium suum: fortissimo nihilominus simul est robore obduratus in præforti ipsius animæ sanctitate: adeo vt de illo id proferatur: *a Fortis est, vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.*

a *Cant. 8. 6*

Charitas instar vberum turris est, & propugnacula Deo, ac proximis.

Quinimo tam ingens in illo est robur: vt non modo infirmiorem protegat, & adiuuet proximum, vires ei exaugens: sed & fortissimum quoque Deum, eiusve gratiam in anima conseruet, ac tueatur: in qua Dei gratia spiritualis vita vniuersa sita est; adeo vt propterea bene à Ioanne dictum sit: *b Qui non diligit, manet in morte.*

b *1. Ioan. 3. 15.*

Simile.

Amor enim & charitas turres fortissimæ existunt, ad quas pia anima proximum quemque eleuat intra se, propugnacula sunt quædam, vnde eadem anima pugnat pro proximo illum defendendo, ac adiuuando: vnde & proximus pariter propugnat, adiutus contra hostes quoslibet. Propugnacula etiam, ac turres sunt, quibus eadem anima intra se seruat Deū cor suum, ac vitam suam: non secus atque vbera in corpore propugnacula & turres cordi, atque infantibus exposita ostendi, iuxta Aristotelis sententiam: Sicut enim vbera propugnacula, & turres infantium sunt, dum lac porrigunt illis, qui ad ipsa eleuantur; Ita & amor validissimum se egentibus exhibet propugnaculum, dum operis exhibitione illis succurrit.

Simile.

Et sicut eadem vbera eatenus propugnacula afferunt cordis, quatenus impediūt, ne frigus adeat cor, neve vitam in corde existentem penetret frigus, eamque à toto extrudat corpore: Sic & charitas propugnaculum Dei, ac diuinæ est gratiæ, frigus ab anima arcens peccati, quod generat mortem, mortiferamque tepiditatem.

11 *Charitas piæ animæ dum pascit pascitur.*

Quoad allatam similitudinem: Admiretur fortasse aliquis, quanam ratione ad celebrandos piæ animæ amores, prout vbera quædam in ipsa anima ij esse videntur, hinnulorum similitudo afferatur, cum hinnuli nec vbera habeant elata, nec lac propinent, sed ex vberibus pendeant potius, è quibus lac sugunt. Cessetamen, operæ pretium est, admiratio omnis, si recolantur, quæ per Salomonem in libro Prouerbiorum de amore item spōsæ dicta esse, comperiuntur: c *Cerua charissima, & gratissimus hinnulus: vbera eius inebrient te, in amore illius delectare iugiter*: ibi enim clarius amantem sponsam duplici proponit similitudine, ceruæ nimirum charissimæ, & gratissimi hinnuli, cumque amorem illius per vberum item metaphoram designet, & vberum inebriantium, atque vbertim affluentium lac delectationis, mysterium sane aliquod indicat latere sub allatis similitudinibus, nimirum, quod amor, ac metaphorica vbera duo simul efficiant, quæ contraria inter se videntur, & quod instar ceruæ, lac in se habeant, communicentque, & quod, instar hinnuli, lac pariter sugant.

c *Pr. 5. 19.*

Hocque illud est, quod & hoc quoque loco cœlestis sponsus significare voluit, dum piæ animæ amores celebrans sub vberum metaphora, vna cum vberibus hinnulos iunxit, quasi amores prædicti ita vbera essent, seu instar vberum se haberent, vt simul etiam se haberent instar duorum hinnulorum, & non tam lacte pascerent, quam pastum ipsi susciperent similes duobus hinnulis, *qui pascuntur in liliis*: re vera enim amans proximum anima, lac illi exhibet opis, & consolationis: Sed & ex eo ipso, quem diligit, pastum pariter accipit iucunditatis, & delectationis: pascitur quippe in lilijs virtutum illius, quas iucundissime in eo satagit obseruare; dumque charitate item sua Deum diligere contendit, pascit quidem illum dulcissimo gaudij lacte; ita vt propterea id ei competat Isaiæ Prophetæ: d *Et gaudebit sponsus super sponsam, & gaudebit super te Deus tuus*; Sed multo vberius ab illo reficitur ipsa gaudijs, & consolationibus, instar hinnuli gratissimi sugens, ac e repleta *ab vbere consolationis eius*, amans quippe illum, sic instar hinnuli pascitur in lilijs considerationum bonitatis eius, vt simul quoque mulgeat, & delicijs affluat ab omnimoda gloria ipsius, idque non vna hora, vel vno die: *Sed donec aspiret dies* vitæ huius, *& inclinentur vmbræ* mortis.

d *Isa. 62. 5.*

e *Isa. 66. 11.*

Tanta vero vbertate in prædictis pascitur liliis: vt exinde succulentiam, puritatem, atque fragrantiam maximam ipsi eius contrahant amores: hocque illud est, quod per allatam similitudinem cœlestis intendit sponsus; vt triplicem hanc in illos conferat laudem, cuius omnino expertes sunt amores mundani, quippe qui impurissimi existunt, depressi, atque sordidi, præque impuritate, quam semper habent annexam, fœtidissimum olent odorem.

Charitas piæ animæ læta, atque amabilis.

Atqui ex grata dulcedinis succulentia, ex iucunda, qua renitent, puritate, & ex suaui, qua redolent liliorum fragrantia, quarta in eisdem piæ animæ amoribus subinnuitur laus amabilitatis, læti, atque festiui, quæ & in pulchris vberibus, & in decoris est hinnulis capreæ, qui pascuntur in lilijs. Ecquid enim amabile magis, quam amor ipse, qui est prima, ac potissima amoris causa? Quid amore iucundius, in quo lætitiæ omnis est sedes?

12 *Charitas in Deo atque in proximo æqualis esse debet in pia anima, & tanquam duo gemelli.*

Denique & quinta pulchrorum vberum laus æqualitatis, quæ per appositam illam gemellorum conditionem in hinnulorum similitudine designata est, optime & duobus hisce piæ animæ amoribus congruit, in quo diuina bonitas maxime elucet: nam tametsi vt primum esse quis cœperit, ob innumeras rationes Deum teneatur amare: ea nihilominus est ipsius Dei in humanum genus benignitas, atque propensio: vt vna cum amore in se, velit semper & comparem adesse amorem in proximum: cumque ambo per eius gratiam in pia gignantur anima: instar gemellorum æquales sic illos esse velit, vt neuter commendabilis foret, si alter sine compare esset. Nec enim proximum quis bono diligere potest amore, qui charitatis erga Deum sit expers: Nec charitate vera Deum amare quis valet, qui proximi destitutus sit charitate, iuxta illud Ioannis: a *Si quis dixerit quoniam diligo Deum, & fratrem*

a 1. Io. 4. 20. *ſuum oderit: mendax eſt: qui enim non diligit fratrem ſuum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo poteſt diligere?* Vt hanc æqualitatem inter duos amores iſtos neceſſariam eſſe comprobaret Dominus Ieſus, ad legis doctorem eum interrogantem, quodnam eſſe mandatum magnum in lege, ait, b *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua: Hoc eſt maximum, & primum mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic, Diliges proximum tuũ, ſicut te ipſum.* Quid enim eſt, ſimile eſt huic niſi æquale eſt huic? Ac ſi dicatur, ſecundus amor, qui primi eſt gemellus, & compar perpetuus, eſt amor in proximum.

b Matt. 22. 37.

Paraphraſis. Iuxta hanc igitur acceptionem vberum, quæ hoc verſic. commendantur, ſic breuiter horum piæ animæ amorum explicandum eſt encomium. Tuus in Deum amor, alterque quo tuum proſequeris & proximum inſtar duorum vberum, quamquam diſtincti inter ſe videantur; vni tamen Deo affixi ſunt cordituo, è quo calorem, & vitam ſuſcipiunt. Et quamuis tenerrimi per ſe ſint; nihilominus ingens quoque in illis eſt robur, adeo vt præ robore ipſo ſuo, quaſi turres quædam, & propugnacula tam proximo ſint, quam etiam & Deo: non ſecus ac vbera mollia, cũ ſita ſint in pectore, quod robur eſt totius corporis, fortitudinem ſimul habent tantam; vt & infantibus, & cordi pro tutiſsimis deſeruiant propugnaculis.

B

C

Porro duo iſti amores tui, qui vberum in te obtinent locum, inſtar duorum hinnulorum capreæ gemellorum, qui paſcuntur in lilijs, donec adueſperaſcat, & congrua æqualitate, & ſuaui boni odoris fragrantia, & puritatis candore amabiles quam maxime ſunt: dumque vberum munus explent in exhibendo lacte opis, & conſolationis, inſtar hinnulorum pariter voluptatis lac ſugunt & ipſi, paſtum in lilijs ſumentes vberrimum diuinæ bonitatis, ac virtutum proximi illius, quem diligunt; adeo vt propterea ſucculenti ſint ſimul & inſtar pulchrorum vberum lacte redundantium & inſtar hinnulorum pinguium.

D

13 Alter ſenſus. Etſi ſenſus iſte non ſit à ſponſi intentione alienus; arbitror tamen, alium aſſerri poſſe commodiorem, & intentioni eiuſdem ſponſi magis congruentem: vt videlicet, non tam duos prædictos amores commendare hoc loco voluerit per duorum vberum metaphoram, quam duo operum miſericordiæ genera, quæ ab vna proueniunt radice charitatis. Id autem mihi perſuadeo exinde, quod ſi cæleſtis ſponſus amores ipſos laudare intendiſſet, propriori ſane vſus eſſet voce hebraica דודין dodaich: דוד dod enim ambo hæc ſimul denotat, & vber, & amorem, qua voce vſus eſt in capite primo, vbi dixit; c *Meliora ſunt vbera tua vino*: & in hoc etiam capite 4. verſic. 10. vbi dicet: d *Quam pulchræ ſunt mammæ tuæ ſoror mea ſponſa; & pulchriora ſunt vbera tua vino.*

E

c Cant. 1. 2.

d Cant. 4. 10.

At, cum altera potius vſus ſit dictione שדיך ſciadaich, quæ amorem minime ſignificat, aliud potius, quam amores in ſponſa, piaque anima celebrare, cenſendus hic eſt. Id vero eſſe ipſa eiuſdem animæ opera miſericordiæ, & charitatis, ipſa indicat vberum natura, quorum illud eſt maxime peculiare, ac proprium, vt vbertim lac ex ſe proferant; vnde ſecundum Iſidorum huius deriuata eſt etymologia nominis vberum; quin & Hebraica pariter dictio, שד ſciad, idipſum conteſtatur, quippe quæ ſecundum aliquos, vt notat Rabbi Dauid Kimki in libro Radicum, deriuatur à verbo שדד ſciadad, quod ſignificat in vniuerſum permeare, tam in malum, nempe ad vaſtationem, & deprædationem; quam in bonum, nempe ad diſtributionem, ſic dicta, quia, cum vbertim lac infantibus dant, per vniuerſum permeant ipſorum corpus ac vniuerſa membra.

F

Miſericordiæ opera ſunt duo vbera piæ animæ. Iſidorus.

R. Dauid.

Congruit autem perbelle vberum metaphora cum ipſis operibus miſericordiæ; non ſolum quia duo ſunt eorum genera, alterum corporalium, alterum ſpiritualium, ſicut & duo ſunt vbera; Verum etiam, quia per ipſa alijs interna ſeſe communicat charitas. Conſtat quippe, amoris ſedem eſſe in corde, adeo vt iure optimo cor dici queat ipſemet amor: & quod cor eſt in corpore, id charitas eſt in anima, calorem continens, atque vitam.

Miſericordiæ opera ſuper cor charitatis affixa.

Quemadmodum igitur cor matris, atque nutricis per vbera filijs, infantibus ve ijs, quos amore proſequitur, vitalem ſui impertit calorem, quem eædem per ſeipſas alioquin communicare haud alijs poſſunt, quam membris, quæ proprio vnita ſunt corpori, atque adeo bene à natura prouiſum eſt, vt ſuper ipſum cor ea ſita eſſent; Ita & per opera miſericordiæ interna charitas alijs ſeſe communicat extrinſecus, lac exhibendo vel doctrinæ, & monitorum, vel conſolationis, vel eleemoſynarum, & multiplicium ſubſidiorum, quod certe lac tantum in ſe vitalis, & charitatis, habet caloris, ſeu charitatiuæ etiam ſubſtantiæ, vt non immerito charitatis etiam nomine ſit inſignitum, charitaſve dicatur: Et idcirco bene & ipſa quoque opera huiuſmodi charitati affixa ſint, operæpretium eſt, quaſi vbera ſuper cor, nec charitati illi ſoli, quæ creata eſt, & infuſa: ſed & ei, quæ increata eſt, ipſi nimirum Deo, qui charitas piæ animæ quoquo pacto eſt, cor item eiuſdem, è quo vniuerſa deriuat ſpiritus, & charitatis vita. Neque enim lac effundi ab anima poſſet, quod charitatis vitam ſecum defert, & meritum æternæ retributionis, ni opera, & vbera ipſa ſpiritalia vni affixa eſſent Deo.

Simile.

Ac ſicut feminarum vbera, quæ inſtar turrium pro infantibus in pectore eleuantur, propugnacula etiam cordis & ab Ariſtotele dicuntur, & à Galeno, vt ſupra notatũ eſt: quia cor, cui affixa ſunt, ſuo modo tutantur, eidemque quietem conferunt, ac refrigeriũ, dum illud ſuauiter recalefaciunt, per illummet, quẽ ab ipſo ſuſceperunt, calorem; Ita & vbera iſta ſpiritalia, & opera miſericordiæ, quæ in miſerationis pectore quaſi turres erecta ſunt pro infirmis, ac indigentibus ope, atque ſubſidio, propugnacula quodammodo etiam ipſius Dei dici poſſunt: quatenus illum recalefaciunt, exercendo charitatis caloreẽ, quem ab ipſo ſuſcepere: per hoc quippe quod vitalem charitatis calorem in prædicto communicant lacte, non ſolum egentibus, ſed & Deo pariter quietẽ afferunt, & refrigerium, quod is ipſe apud Iſaiam hiſce conteſtatus eſt verbis: a *Hæc eſt requies mea: reficite laſſum, & hoc eſt meum refrigerium.*

Miſericordiæ opera ſunt turres & propugnacula miſerorum & etiam Dei.

a Iſa. 28. 11.

14 *Miſericors per opera miſericordiæ paſcit ſimul, & paſcitur.*

Spiritualia itaque vbera iſta hoc loco ex quinque capitibus commendantur per adiectam ſimilitudinem: Primo ex ſucculentia. Secundo ex nitore: Tertio ex ſuaui odore. Quarto ex æqualitate: Et quinto ex amabilitate, iucunditate, & lætitia, quam coram populis exhibent. Egregie vero huiuſcemodi operum ſucculentia tam per vberum metaphoram, quam per hinnulorum, qui paſcuntur in lilijs, ſimilitudinem deſignatur. Miſericors quippe inſtar plenorum vberum affatim lac elargitur eleemoſynarum, & nihilominus ſucculenta ſemper ſunt vbera ipſius, iuxta illud Pſalmi: b *Diſperſit, dedit pauperibus; iuſtitia*, id eſt eleemoſyna, & miſericordia, *eius manet in ſæculum ſæculi*: quia nimirum, quo magis euacuantur, eo etiam magis replentur, quod & vberibus quoque carnalibus contingere oſtendi ſupra, in quibus, ſicut areſcit lac, quando illud infantulis non communicant: ita è veſtigio abundantius tunc temporis id affluit, quando communicatur: largientibus nimirum vberibus ipſis, id quod ex corde ſuſceperunt, ac ſimul largius illo ipſo tempore ab eodem corde immiſſum accipientibus ſanguinem, qui in lac poſtmodum conuertitur: c *Ante mortem bene fac amico tuo*, ait auctor libri Eccleſiaſtici, *& ſecundum vires tuas exporrigens da pauperi: Da & accipe, & iuſtifica animam tuam*, id eſt, dona, quæ à Deo corde animæ tuæ ſuſcepiſti, da pauperibus, & alia ab eodem accipies tum in præſenti, tum in futuro: ſic enim iuſtificabis animam tuam: Et efficacius Salomon

b Pſ. 111. 9

c Eccl. 14. 13. & 17.

d Pr.19.17 mon in libr. Prouerbiorum: *d Fœneratur Domino*, inquit, *qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei.* Fœneratori restituitur sors cum augmento fœnoris: atque adeo quia dans pauperi, dat ipsimet Deo, e Mat.25.40. iuxta illud: *e Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*; idcirco eo ipso tempore, quo lac tribuit eleemosynarum, vicissitudinem à Deo accipit cum fœnore magno: dumque pastum præbet, pastum pariter & accipit vberrimum: operibus illismet, quæ instar vberum in se habet, instar hinnulorum sugentium lac ex vberibus capreæ, & qui pascuntur in lilijs, è corde ipso suo, è Deo lac sugit præsentis retributionis: & ex eodem Deo tanquam è pascuis vberrimis in lilijs pascitur retributionis æternæ, quatenus certissimam illius concipit spem, cuius spei lilia apud Antiquos Pier. Valer. lib. 55. c. de lilio hieroglyphicum extitisse testatur Pierius Valerianus: quæ omnia apertissimis verbis exprimit Paulus Apostolus ad hæc misericordiæ opera exhortans: f 2. Cor. 8. 14. *f In præsenti tempore vestra abundãtia illorum inopiam suppleat,* (lac scilicet propinando) *vt & illorum abundantia* (rerum scilicet spiritualium) *vestræ inopiæ sit supplementum,* (sicque videlicet, instar hinnulorum pascamini in lilijs spiritualis retributionis, & gratiæ:) g 2. Cor. 8. 9. *g Potens est enim Deus* (qui est cor animarum vestrarum, & pascua vberrima, liliis cælestium gratiarum referta) *omnem gratiam abundare facere in vobis, vt in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum, sicut scriptum est: Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in æternũ*: Ac si dicat, vt in lilijs pasti, & à Deo, omni sufficientia etiam rerum temporalium, quasi vbera à corde abundanter lacte repleta, iterum lac illud per misericordiam communicetis.

15 *Misericordiæ opera pura sunt atque nitida quando pura fiunt intentione*

Secunda laus eorumdem vberum spiritalium ex nitore desumitur, & puritate illi plane simili, quam habent hinnuli capreæ, qui pascuntur in lilijs: siquidem illud præcipuum est piæ animæ studium in operibus misericordiæ exercendis, vt purissime ea exhibeat: id vero efficit, quatenus puram in eis seruare contendit intentionem suam, fugiens pastus inanis gloriæ, & ostentationis, proprijve commodi temporalis, & lucri mundanæ retributionis, quibus fædissimo deturpari ea solent cœno, & pascens in lilijs purissimis spei cælestis retributionis, iuxta monita redemptoris nostri asserentis. h Luc.14.13. *h Cum facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & beatus eris: quia non habent retribuere tibi, retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum*, & apud Matthæum: i Matt. 6.1 *i Attendite, ne iustitiam*, id est misericordiæ opera, *faciatis coram hominibus, vt videamini ab illis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cælis est. Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere, sicut hypocritæ faciunt in Synagogis, & in vicis, vt honorificentur ab hominibus: amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua: vt sit eleemosyna tua in abscondito: & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.*

'Misericordiæ opera piæ animæ cælestem fragrãtiam redolent.

Fragrantia insuper, quæ tertia laus est istorum vberum, similis est odori hinnulorum, qui pascuntur in lilijs: nam quemadmodum hinnuli lilia redolent, quia in lilijs pascuntur, & inter lilia, seu ipsis etiam liliis. Ita & eleemosyna, atque opera misericordiæ, cum propter æternam retributionem sint facta, cælestem plane referunt odorem, sicut cælestis est & pastus: Vnde factum crediderim, vt auctor libri Ecclesiastici, eleemosynam ipsam paradisum nuncuparit, quia paradisi referret fragrantiam: sic quippe ait: k Ec.40.17 *k Gratiæ*, id est, eleemosyna (vt apparet ex Græco) *sicut paradisus in benedictionibus.* Quamquam nomen istud benedictionum, quo etiam Apostolus vtitur ad eadem opera exprimenda, dicens: l 2. Cor. 9. 6 *l Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*: aliam odoris fragantiam in eis designet, bonæ nimirum famæ, propter quam & opera ipsa benedicuntur, & qui illa exercet, benedicitur apud homines, iuxta illud: m Pro. 22. 9 *m Qui pronus est ad misericordiã, benedicetur*: Ecc. 31. 28 *de panibus enim suis dedit pauperi.* Et: *n Splendidum in panibus benedicent labia multorum, & testimonium illius veritatis fidele. Et o*: o Ps. 111. 7 *In memoria æterna erit iustus*, id est, benignus, misericors, *ab auditione mala non timebit.*

Quarto, ex iucunditate, festiuo, atque læto illo, quod in prædictis hinnulis conspicitur, spiritalia hæc piæ animæ vbera iucunditatem quoque, & lætitiam adiunctam habere, per allatam significatur similitudinem, & bene; nam & in Psalm. in quo de laudibus agitur viri misericordis, hæc prima pronuntiatur laus iucunditatis: a Ps. 111. 5. *a Iucundus homo, qui miseretur, & commodat*, id est, Homo, qui miseretur & commodat, est iucundus, dulcis, atque suauis in operibus ipsis, quæ per misericordiam exhibet, iucunditatem, ac benignitatem maxime amabilem præ se fert. Et Paulus haud laude dignam arbitratur eleemosynam, quæ cum tristitia fiat, & absque hilaritate: vnde & ait: b 2. Cor. 9. 7. *b Non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus*: iuxta veterem illam libri Ecclesiastici sententiam: c Eccl. 35. 11. *c In omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas.*

Misericordiæ opera hilariter exhibenda.

Quinto demum præclare ambo genera operum misericordiæ spiritalium ac corporalium, ambo & piæ animæ vbera spiritalia ex æqualitate commendãtur, per adiectionem conditionis gemellorum, ad similitudinem duorum hinnulorum capreæ. Qui enim vere misericors est, & pulchra ista habet vbera, æqualiter ad vtraque habere studet, prout in præcitata Psalmi sententia significatur, cum dicitur: d Ps. 111. 5 *d Iucundus homo, qui miseretur, & commodat: disponit sermones suos in iudicio*: id est: Is est homo vere bonus, benignus, suauis, atque iucundus, qui & vere est misericors, dans corporalia, & terrena indigentibus, & recipiens cælestia, ac spiritualia, quasi pro pretio commodati & spiritualia pariter impertiens in consilijs, in adhortationibus, in doctrina, & ceteris huiusmodi, disponens sermones suos in iudicio, cum iudicio loquens, & consulens. Per hanc autem laudem ij arguuntur, qui facillimi sunt ad exhibenda opera misericordiæ spiritualia, & difficillimi in exequendis corporalibus, vel è contra. Videre enim est plerosque promptissimos ad præstanda bona consilia egenti, cui tamen nec vnum quadrantem ex bonis propriis velint elargiri. Videre est alios assiduos ad visitandum quempiam in carcere constitutum, pro quo tamen, non dico quadrantem, sed nec vnum verbum expendere volunt.

16 *Misericordiæ opera spiritualia, & corporalia æqualiter exhibenda.*

Complures deniquevideas, quos si roges, vt pro te preces ad Deum fundant, promptissimos illos reperias, à quibus nihilominus, si quidpiam pecuniæ mutuo petas necessitate compulsus, nullatenus id assequi possis: Horum certe vbera misericordiæ haudquaquam digna sunt, quæ à sponso laudibus celebrentur, cum æqualia minime sint.

Misericordiæ opera conspecte exhibenda atque celeriter.

Præter has quinque laudes, duas insuper alias eadem hinnulorum capreæ subindicat similitudo. Neque abs re factum esse censuerim, vt ex hinnulis capreæ potius, quam alterius animalis desumpta hoc loco sit similitudo. Siquidem hinnuli, sicut & mater sua caprea, visu excellunt, & cursu, prout alias pertractatum est fusius: atque adeo ex hisce etiam duobus spiritalia piæ animæ vbera, seu ipsam animam misericordiæ opera exercentem commendari crediderim, ad eorum similitudinem: ambo enim hæc necessaria sunt misericordi; Vt oculis proprijs conspicere studeat proximi necessitates, cum per hoc magis commoueatur; acuteque videns singulorum necessitates expendat & merita: ne aut ei tribuat, qui minime indigens sit, aut iniquum iusto præferat in distributione sua. Idcirco bene, qui huiusmodi visu polleat, beatus prædicatur in Psalmo 40. cum dicitur: c Ps. 40. 2. *e Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus*, id est, beatus, qui intellectu percipit & indigentiam, & meritũ pauperũ. Et in libro Ecclesiastici apertius: f Eccl. 12. 1. & 6. *fSi bene feceris, scito, cui feceris & erit gratia in bonis tuis multa: Bene fac iusto, & inuenies retributionẽ magnam: & si non ab ipso, certe à Domino: Da bono, &*

no, & non receperis peccatorem. Vtve feſtinus accurrat ad opem ferendam indigentibus. Sapienti obtemperans
g Pr. 3. 28. Salomoni, qui in lib. Prouerbiorum ait: g *Ne dicas amico tuo: Vade, & cras dabo tibi, cum ſtatim poſsis dare:* Zacchæumque imitans, de quo in Euangelio dicitur:
h Luc. 19. 5 h *Feſtinans deſcendit, & excepit Ieſum in domum ſuam, & ſtans dixit: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus.*

Miſericordiæ opera in præſenti tantum vita exhibentur.

Id demum in iſto operum miſericordiæ encomio ponderandum, quod vltimo loco allatæ ſimilitudini adijcitur: *Donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ,* quibus verbis ſignificatur, eo vſque dicta opera à pia exerceri anima, eove vſque meritoria eadem eſſe, & allatam mereri commendationem, quouſque dies vitæ præſentis aſpiret, & inclinentur vmbræ mortis.

Siquidem in præſenti duntaxat vita miſericors per vbera operum miſericordiæ egentibus lac exhibet, & per eadem, ad inſtar hinnulorum capreæ, paſcitur in lilijs ſpei æternorum, ceteraſve habet conditiones, quibus celebrata ea vidimus per allatam ſimilitudinẽ:

Aug. ſer. 27 de verb. Domini. Vnde bene Auguſtinus, frangis, inquit, panem eſurienti: quia inueniſti eſurientem. Tolle famem, cui frangis panem? Tolle peregrinationem, cui exhibes hoſpitalitatem? Tolle nuditatem, cui præſtas veſtem? Non ſit ægritudo, quem viſitas? Non ſit captiuitas, quem redimis? Non ſit rixa, quem concordas? Non ſit mors, quem ſepelis? In illo ſæculo futuro non erunt iſta mala: ergo nec iſta miniſteria.

Ex dictis paraphraſticus, breuiſque iſtorum ſenſus in hunc modum deducitur.

Paraphraſis. Duo genera operum miſericordiæ, quæ quaſi duo vbera ſunt; quandoquidem per illa proximis tua ope indigentibus lac communicas ſpiritualis, ac corporalis ſubſidij, vitalemque charitatis calorem: cum illa inſtar vbera habeas ſuper cor ipſius charitatis, ſuper charitatem creatam ſimul & increatam. *Duo,* inquam, ſpiritalia hæc *vbera tua* per illud ipſum quod lac cõmunicant eleemoſynam, ſunt *ſicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui paſcuntur in lilijs,* quatenus, inſtar prædictorum hinnulorum feſtiuum quid, ac lætum adiunctum habent: qualiter ab vno corde charitatis prominentia, ſucculenta ſunt, ac plena; cum *in lilijs* paſcantur ſpei cæleſtis retributionis, & è Deo corde tuo abundantius, quaſi hinnuli ex vberibus matris, lac ſugant præſentium, & futurorum bonorum: puriſſima ſunt, ac nitidiſſima ob candidam, qua fiunt, intentionem cæleſtem plane referentia odorem ob id, quod prædictis paſcuntur in lilijs, & fragrantiam pariter bonæ famæ tibi conferunt. *Sicut duo hinnuli capreæ* potiſſimum ſunt, propter acutam, & exactam circunſpectionem, ac prudentiam, & propter celeritatem, qua à te exhibentur: iſta vero omnia recte eis competunt, dum tibi opus eſt lac communicare, & in lilijs ſpei paſci, *donec aſpiret dies* vitæ præſentis, & *inclinentur vmbræ* mortis: donec per obitum tibi adueſperaſcat; ita vt haud amplius ſpe paſci, tibi operæpretium ſit, quando & meritum cuiuſcunque paſtus tibi ceſſabit.

Verſ. V. ca. IV. *Duo vbera tua, ſicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui paſcuntur in lilijs.*

Verſ. VI. cap. IV. *Donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ.*

Expositio IIII.

De tertia Sponſa, quæ eſt Beata Virgo Maria.

17

Oratio B. Mariæ efficaciſsima redditur apud Chriſtum per vberum, quæ is ſuxit, oſtenſionem.

POſt orationis B. Mariæ encomium ſub colli metaphora in præcedenti ſententia contextũ, congruentiſſimo ſane ordine vbera eiuſdem Virginis laudibus in hoc verſu celebrantur: quemadmodũ enim, cum de Chriſti Ieſu oratione agitur, quatenus apud Patrem aduocatus noſter in cælo eſt, pie aſſeritur, per vulnerum oſtenſionem efficaciſſimam illam reddi, & colligitur ex prophetia Zachariæ, vbi Chriſto à Patre dicitur: *a Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuũ tuarum?* & ipſe Patri, hiſce eum affanti, reſpondet: *His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me:* atque adeo recte à Scholaſticis hoc quoque inter multas numeratur rationes, propter quas in glorioſo Chriſti corpore ipſorum vulnerum reſeruatæ ſunt cicatrices, vt videre eſt apud S. Thom. 3. part. q. 54. art. 4. in corp. Ita, & cum de B. Mariæ oratione agitur, qua filiũ pro nobis interpellat, pie etiam aſſerendum videtur, per vberum oſtenſionem efficaciam maximam Virginem benedictã illi exhibere, vtpote per quę filiũ ipſum ſuũ lactauit Ieſum Chriſtũ; vnde & Beata prædicata ſunt à pia illa muliere, quæ in Euangelio dixit: *b Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti:* Beata inquam, id eſt, immenſis, atque innumeris gratijs affluentia.

a Zach. 13. 6.

S. Thom.

b Luc. 11. 27.

Vbera B. Mariæ commendantur ex eo, quod plena lacte virgineo, & virginitatis odorem referentia.

Cæterum perpulchra iſta tantæ Virginis vbera non tam ex eo commendantur, quod lactauerunt filium Dei, quam ex eo, quod mirabili plane modo ſucciplena extiterint virgineo lacte, liliorum, ac Virginitatis odore fragrantia, virginitatisve eiuſdem nitorem præ ſe ferentia, & lætum, ac feſtiuum ſimul exhibentia.

Ariſt. lib. 4. de gen. animal. c. 8.

Pro quorum intelligentia, ſupponendum ex Ariſtotele, & communi Naturalium ſententia, eamdem eſſe materiam, ex qua fœtus generatur, & ex qua fit lac, quo genitus alitur fœtus. Lactis naturam eadem eſſe inquit Ariſtoteles, quam excrementi, ex quovnũquodque generari, apertum eſt; nam eadem materia eſt, quæ alit, & ex qua generationem natura conſtituit, eaque ſanguineus humor in ſanguinem habẽtibus eſt; lac enim ſanguis concoctus eſt. Quibus cõſentanea Venerabilis Beda in Lucam, de hiſce Mariæ vberibus loquens, ait; Qua conſequentia eius lacte credatur nutritus, cuius ſemine negatur eſſe conceptus? cum ex vnius eiuſdemque fontis origine, ſecũdum Phyſicos, vterque liquor emanare probetur; Niſi forte putanda eſt Virgo ſementinam ſuæ carnis materiam nutriendo in carne Dei filio ſuggerere potuiſſe; incarnando autem quaſi maiori, & inuſitato miraculo minime potuiſſe. Hoc ſuppoſito; cum conſtet, ex puriſsimo Beatæ Virginis ſanguine per virtutem Spiritus ſancti in vterum illius attracto Chriſtum genitum; dicendum eſt, ex eodem puriſsimo, ac virginali ſanguine lac in illius vberibus eſſe confectum, quod eatenus è cœlo proueniſſe aſſeritur, iuxta id, quod canit Eccleſia in Officio feſti Circunciſionis Domini. *Sola virgo lactabat vbere de cœlo pleno,* quatenus diuina (vt dictum eſt) Spiritus ſancti ope puriſsimus ille Virginis ſanguis attrahi cœpit in Chriſti generatione: patet autem, eſtque ſententia Ariſtotelis, lac generationis gratia haberi.

Beda lib. 4. cap. 49.

Vbera B. Mariæ quo modo dicantur de cœlo plena.

Ariſt. lib. de part. anim. c. 7.

Præclare igitur cœleſtis ſponſus iſta commendans vbera, laudat ea per ſimilitudinem duorum hinnulorum,

nulorum, qui in vberrimis, puriſſimisve paſcuis inter lilia die tota paſcuntur: Per hanc quippe vnam ſimilitudinem vniuerſas ſubindicat laudes, quibus præſtantiſſima illa redduntur: quod ſacro ſucciplena ſunt lacte: quia quaſi duo hinnuli in puriſſimo paſcuntur corde, ſuper quod ſita ſunt: vnde quaſi ex vberrimis paſcuis puriſſimum illum attrahunt ſanguinem, qui in candidum concoquitur lac, & cum ſanguis ille, quē attrahunt, virgineus ſit, ſicut & virginei extitere ij ſanguines item ipſius, ex quibus conceptum in vtero eſt corpus Chriſti, in lilijs, ſeu lilijs ipſis, quæ virginitatem deſignant, paſci recte dicuntur: ac propterea virgineam quoque puritatem & virginitatis fragrantiam ijſdem eſſe, per hoc ipſum ſignificatur. Vnde fit, vt plurimum etiam exhibeant lætitiæ, ac voluptatis ei, qui paſcitur inter lilia, atque inter virgines iucundiſſime commoratur.

A

B

Verſ. V. ca. IV. *Duo vbera tua, ſicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui paſcuntur in lilijs.*

Verſ. VI. cap. IV. *Donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ.*

C

Appendix Expoſitionum, Ex antiquis Patribus collecta.

18 PAraphraſis Chaldaica: Duo Saluatores tui, qui te ſaluaturi ſunt, ſimiles ſunt Moyſi, & Aaron filijs Iocabed, qui comparati ſunt duobus hinnulis gemellis capreæ, & paſcebant populum Iſrael per merita ſua quadraginta annis in deſerto manna, & aquis pinguibus, & aqua putei Miriam.

Sanctos Eccleſiæ Doctores ſub duorum vberum metaphora communiori ſenſu commendatos arbitrantur Gregorius Nyſſenus, Theodoritus, Caſſiodorus, Gregorius Papa, Philo Carpathius, Aponius, Beda, & Anſelmus. Diſcrepant tamen hi ipſi in hoc explicando: nam Gregorius Nyſſenus homil. 7. tametſi primum per duo vbera ſponſæ duplicem hominē intelligat, qui in vnoquoque reperitur: viſibilem alterum, & ſecundum corpus: alterum inuiſibilem, & ſecundum animam, quos ambos inquit, dici gemellos: quia ſimul congeniti corpus, atque anima, & paſci in lilijs, in vberrimis nimirum paſcuis, floribus redundātibus in corde, ex quo purarum cogitationum flores legentes pingueſcunt: comparari vero duobus hinnulis, quorum proprium eſt, vt acute videant, atque diſcernant: quia ambo iſti homines in ſponſa Chriſti diſcernere norint paſtum liliorum, puritatis, ac boni odoris virtutum à ſpinis peccatorum: Inferius tamen illum potiſſimum hic commendari exiſtimat ſub eadem vberum metaphora in prædictis duobus hominibus, qui eſt inſtar nutricis infantis lacte nutriens eos, qui recenter nati ſunt, doctorem nimirum, & catechiſtam. Per ſpirationem dici, ſpirationē intelligit Spiritus ſancti, diei nomine ſignificati, qua ſpiratione dicit expelli vmbras vanitatis, & erroris: vt ſenſus videatur eſſe: tamdiu duo prædicta vbera eſſe ſicut duos hinnulos eo modo, quē diximus, quādiu Spiritus ſanctus in tali ſponſa ſpirauerit, tenebras ve expulerit.

Clarius Theodoritus per Eccleſiæ vbera doctrinæ fontes deſignatos ſumens, id eſt, Doctores, hos dici, inquit, ſicut hinnulos capreæ, non ſicut capream, propter vim acute intuendi, & contemplandi, quia *a nunc cognoſcunt ex parte, cum autem venerit quod perfectum eſt*, tunc deſtruetur, *quod ex parte eſt*: Paſci vero in lilijs, quia herbam odoriferam, id eſt, ſpiritus doctrinam, percipiūt At Symmachus (inquit) dixit flores paſcere; eos enim, qui facti ſunt digni, vt ſint ſpiritus flores, vbera ſponſæ, ex quibus doctrinæ latices fluunt, paſcunt, & nutriunt, donec aſpiret dies, & æſtus, id eſt vitæ labores deſinant, & inclinentur vmbræ, id eſt, negotia præſentia finem habeant, quæ vmbris comparantur.

D

E

F

Caſſiodorus duo vbera dici inquit Eccleſiæ Doctores, quia paruulos ex vtroque populo Iudaico, & Gentili lacte nutriunt verbi Dei; dici vero ſicut duos hinnulos capreæ: quia filij Saluatoris noſtri, per capream deſignati, cui dictum ſuperius eſt: *b Similis eſto capreæ.* Et quia hæc animalia acutiſſime vident, ac nimia velocitate altiora conſcendunt: ac proinde ſancti pariter Doctores, quæ agenda ſunt vident, alijſve monſtrare, & deſpectis terrenis, ad ſuperna aſcēdere nituntur. Qui & paſcantur in lilijs, cum delectentur puriſſimis ſenſibus ſcripturarum: Donec dies veniat æterna, & tranſeant vmbræ mœrorum, ac perturbationum huius ſæculi, quando haud neceſſe erit, doceri aliquem, quia omnes reuelata facie gloriam Domini contemplabuntur.

Caſſiodor. Doctores ſancti ſunt duo vbera Eccleſiæ, & quales ijdem ſint.

b Cant. 2. 17.

Addit Gregorius Papa, eoſdē dici ſicut duos hinnulos capreæ: quia & filij Synagogæ exiſtunt, & in montibus contemplationum paſcuntur: Gemelli vero ideo dicti ſunt, quia concorditer prædicant, & cōcorditer ſapiunt: In lilijs paſcuntur, donec, &c. quia mūditiem infatigabiliter ſectantur, donec in die iudicij præmia recipiant, quæ in labore noctis aſſidue contemplantur.

Greg. PP.

Doctorum eorumdem altæ conditiones.

Quibus conſentiunt Beda, atque Anſelmus: Gemellos Doctores ex duobus populis dici inquit Beda, quia vna eademque fide imbuti, vnis ijſdemue ſacramentis renouati vtriuſque populi Doctores, in vnam Chriſti Eccleſiam omnes, quos educant, aggregant. Hinc de his, qui ex præputio crediderunt, dixit Petrus: *c Et qui nouit corda Deus, teſtimonium perhibuit, dans eis Spiritum ſanctum, ſicut & nobis, & nihil diſcreuit inter nos, & illos, fide purificans corda eorum.*

Beda.

Doctores Eccleſiæ quare dicantur gemelli.

c Act. 15. 9

Eoſdemque Doctores dici ſicut duos hinnulos Capreæ, ait Philo Carpathius, quia tamquā duo hinnuli capreæ, vtriuſque teſtamenti mandata acutiſſime perſcrutantes omnia ſtudioſiſſime ſeruarunt, ſeruantque quotidie quotquot ad ſponſum peruenire dicuntur. Hi duplicis vberis ſuctores meditando hunt, ſpiritalis videlicet ſenſus, & litteralis, ſiue hiſtorici, ſicque arcana Dei, myſteriaque rimantes, in lilijs, id eſt, in puritate conſcientiæ, candore vitæ, & integritate verſantur mundi, ac caſti, fideles, & iuſti, inuictiq; prorſus beatitudinis præmia in die iudicij præſtolantur: Tunc enim dimotis vmbris huius mortalis noctis, id eſt, præſentis vitæ tranſactis actionibus, atque diſcuſſis, qualis quiſque vixerit, apparebit, ſempiterna bona, aut mala recepturus.

Philo.

Duo Prædicatorum ordines.

Conditiones aliquæ ſanctorum Eccleſiæ Doctorum.

Aponius deniq; Sanctos Prædicatores duo Eccleſiæ vbera dictos aſſerit, propterea quod duo prædicēt teſtamenta, vetus, atq; nouum, eaque æqualiter: Ideo enim, ait, duo vbera, ſicut hinnulos capreæ gemellos dixit, vt æqualitate duorum & ſimilitudine, conueniēti ſenſu doctrinę lac porrigere auditoribus moneātur hi, qui Eccleſiæ vbera ſe præbere noſcuntur: vt quicquid vetus teſtamentum per typos in prophetia futurū pro humana ſalute pronuntiauit; hoc in nouo oſtēdatur perfectum per Domini noſtri Incarnationem. Per id, quod allatæ ſimilitudini hinnulorum adijcitur: *Qui paſcuntur in lilijs*: ex triplici capite coſdē Sanctos Doctores commendari, ait: ex ſucculentia, ex paſtu, ſeu modo paſcendi, atque ex pulchritudine, & iucundo aſpectu. Ex ſucculentia quatenus Spiritus ſancti pinguedine lactea repleti. Ex paſtu quatenus inſtar hinnulorum capreæ magis ſurſum erecta fruterorum, quam ſolum herbidum delectantur depaſci, non de inferioribus floſculis ſæcularium litterarum, ſed de ſupernis Apoſtolicis montibus flores depaſcentes. ſemperque in caſtarum animarū exemplis paſcua collocantes, eorum præcipue, qui inter ſpinoſas ſiluas in liliorum candore caſtimoniæ odore fragrarunt, BB. Eliæ, Eliſæi, Danielis, Ieremiæ, Ioſephi, Ioannis, Mariæ, Theclæ, & ceterorum huiuſmodi,

Aponius.

Prædicatores ſancti duo vbera Eccleſiæ, quia duo prædicent teſtamenta.

Prædicatorū ſanctorum conditiones aliquæ.

Gre. Nyſſ. Theodor. Caſſiodor. Greg. PP. Philo. Aponius. Gre. Nyſſ. Duo vbera ſponſæ ſunt duo homines, qui in vnoquoque reperiuntur & qualiter ij ſunt in pia anima.

Doctor laudatur ſub vberum metaphora.

Spiritus ſanctus dies dicitur.

Theodor. Doctores ſancti ſunt vbera Eccleſiæ, & quomodo ſint hinnuli, qui paſ. &c. a 1. Cor. 13. 9.

modi. De his, inquit, lilijs decerpunt flores, imitando: A de his floribus manducandum est, docendo: de his exemplis vnicuique pascendum est, cogitando. Tunc enim quam maxime implebuntur lacte doctrinæ, cum talium florum fuerint vitæ exempla depasti. Ex pulchritudine demum: quia sicut hinnuli capreæ gemelli pascentes inter lilia florentia delectabilē præstant aspectum: Ita & populi doctor iucundissimum auditoribus in se gaudium exhibeat, *si* inter alia bona castitatis candore toto vitæ suæ tempore fuerit circundatus: Idcirco enim additur, inquit, *Donec aspiret dies, &c.* per quod declaratur, tamdiu plebem Dei necessariam habere sanam doctrinam, donec ille dies magnus iudicij aspiret, quando quicquid in hoc sæculo magnum videtur, cum vmbra sit, in occasum inclinabitur.

Breuius idem Aponius totam sententiam exponēs dicit: Hinnulis caprearum Ecclesiæ vbera comparantur, eo quod semper vnius aspectus, & pulchri sintvisione, & veloces ad fugiendas sæculi voluptates, & illecebras, & numquam pigri excelsa, & ardua Deo placita consectari: nam vnicuique animæ tunc aspirat dies, quando per pœnitentiam suum quæsierit creatorem, & desinendo à malis operibus, inclinatæ fuerint ei ignorantiæ vmbræ.

19 *Tres Patr. Vbera piæ animæ sunt duplex doctrina, moralis, & naturalis.*

Doctrinam ipsam eorumdem Doctorum per duorum vberum metaphoram designatam arbitrantur alij. Duplicem quippe Ecclesiæ doctrinam accipit Catena trium Patrum, moralem, ac naturalem, quæ ex ea simul fluant, quatenus nec mores sine ratione doceat, nec rationem sine moribus. Has vero esse sicut duos hinnulos, qui pascuntur. &c. id est sicut disciplinam moralem, naturalemque, quæ in animabus ab omni vitæ solicitudine remotis, dum impertiuntur, coalescunt, & incrementum accipiunt, donec clarissimus ille futuri temporis dies illucescat, & omnia, quæ vmbris sunt inuoluta, pertranseant. Capreæ autem assimilari ipsam piam animam, tum propter acumen in contemplando, tum propter cursus celeritatem in peragendo.

Phil. Car. Iust. Anselmus. Vbera Ecclesiæ sunt duo testamenta.

Ad duo testamenta referunt hæc Philo Carpathius, Iustus Orgelitanus, & Anselmus. Duo Ecclesiæ vbera, ait Iustus, duo sunt testamenta coaptata duobus hinnulis capreæ gemellis, id est duobus populis, qui ex te nutriuntur: qui pascuntur in lilijs, dum sanctorum proficiunt pariter exemplis, & doctrinis, donec absorbeatur, quod mortale est.

Philo. Vbera Ecclesiæ duo præcepta charitatis. Psellus. Vbera Ecclesiæ sunt sanguis & aqua ex latere Christi profluens. Greg. Pap. Vbera Ecclesiæ sunt electi, qui ex duobus populis, Iudæo, & gentili descendunt.

Secundum Philonem item Carpathium duo Ecclesiæ vbera, sunt duo præcepta charitatis.

At secundum Psellum apud Theodoritum sunt sanguis, & aqua, quæ ex Christi latere profluxerunt, ex quibus animæ fidelium salutem hauriunt.

Duo electorum genera ex duplici populo, sunt duo vbera secundum Gregorium Papam, qui in libro 24. Moralium cap. 10. Duo, inquit, Ecclesiæ vbera sunt vterque populus ex Iudæa, & Gentilitate veniens, qui in sanctæ Ecclesiæ corpore per intentionem sapientiæ arcano est cordis affixus: ex quo populo hi, qui electi sunt, idcirco capreæ, hinnulisque comparantur, quia per humilitatem quidem prauos se, ac peccatores intelligunt; sed de his per charitatem currentibus, si qua obstacula de impedimento temporalitatis obuiant, transeunt, & datis contemplationis saltibus ad superna conscendunt: qui, vt hæc agant, præcedētium sanctorum exempla conspiciunt, vnde & in lilijs pasci referuntur, id est in vita illorum, qui veraciter dicunt: Christi bonus odor sumus: Idque donec aspiret dies, &c. Tamdiu quippe refici iustorum exemplis indigemus, donec præsentis mortalitatis vmbras æterno die aspirante transeamus.

20 *Rup. Abb. Vbera Beatæ Mariæ, Virginitas atque fœcunditas.*

Ad B. Virginem aptant hæc & Rupertus Abbas, & Richardus de Sancto Victore, sed diuersimode illius vbera sumunt.

Rupertus quippe Virginitatem, atque fœcunditatem intelligēs, ait: Aspicite hoc, & admiramini, quia caprea hæc hinnulos ita geminos edidit, quia fœmina hæc, dum quasi caprea per montes exilit, dum cœlestibus, ac supernis animo intendit, gemella hæc plenæ gratiæ dona feliciter apprehendit; vt & mater, & virgo sit. Quid faciemus gemellis istis? Pascuntur, *& pascuntur in lilijs donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ*, id est secreto custodiantur, nec publice prædicentur, quod ita sint gemelli, donec resurgam à mortuis, quod est aspirare diem, & inclinari vmbras mortalitatis. Omnino secreta sunt in lilijs hæc, id est in illis, & penes illos, quibus inēst & candor, & suauis odor castitatis.

Richard. Vbera Beatæ Mariæ sunt geminæ dilectio, qua reis impetrat veniam, & iustis gratiā.

Richardus autem vbera eiusdem Virginis, quæ hic commendātur, vbera intelligit, quæ illa habet, geminæ dilectionis lac fundentia: quia reis impetrat veniam, & iustis gratiam: hæc autem inquit, comparari duobus hinnulis capreæ gemellis, id est Angelis, & animabus ijs sanctis, quæ ad Regnum translatæ sunt: *Hinnuli*, quia montem cœlestis habitationis conscendunt, & diuinæ contemplationis dulcedine reficiuntur, sicut hinnuli, & alta petere solent, & lacte nutriūtur: His vero hinnulis dicta B. Mariæ vbera comparantur; quia cum tam Angeli, quam sanctæ animę pro peccatoribus soliciti sint, & eis tam meritis, quam intercessione subueniant, credendum est, B. Virginem tantum in hoc posse, quantum vtraque hæc creatura, imo vtraque potior indicatur, quia vtraque per hanc reparatur, & Angelorum ruina per hanc restaurata est, & humana natura reconciliata. Merito etiam misericordia eius cursui hinnulorum comparatur, cum per mundum currat, mundum irriget, & infundat: hinnulorum velocitati comparatur: quia velocius occurrit eius pietas, quam inuocetur, & causas miserorum anticipat: hinnulis quoque comparatur: quia dulcedinem bonitatis, quam impendit, ipsa desuper fugit. Hæc sunt vbera tua (dicit Richardus) ô beata, id est pietas, quibus misericors lactas, dum misericordiā eis impetras: lactas misericors, & ab ipsa misericordia lactaris, ab ipsa percipis, quod refundis: A Deo pietate replentur vbera tua: vt alicuius miseriæ notitia tacta, lac fundant misericordiæ, nec possis miserias scire, & non subuenire. Et quid mirum, si misericordia affluis, quæ ipsam misericordiam peperisti? Carnalia in te Christus vberasuxit: vt per te nobis spiritualia fluerent: cum enim misericordiam lactasti, ab eadem misericordiæ vbera accepisti. In te ergo concreuit lac misericordiæ, & ex te nobis profluxit: ipsa prius repleta es, & ex te nobis descendit hæc abundantia: vnde quia lacte hoc inebriaris, & lac istud nobis fundis, & per mundum pietas tua currit, & miseris occurrit, & subuenit, merito hinnulis compararis, & lactentibus hœdis, pariterque currentibus assimilaris.

Misericordia B. Mariæ instar vberum, lac nobis profluit, quia instar hinnulorū desuper lacte repletur pietatis.

Denique spirituales hinnuli Angeli, animæve beatæ, quibus B. Virginis vbera comparantur, *pascuntur*, inquit, *in lilijs*: quia salutem desiderant adhuc in exilio degentium. Hi insuper hinnuli munda vita, & bonæ conuersationis odore, atque fama reficiuntur: quod vtique agunt, donec illucescat dies æternæ beatitudinis, & vmbræ finiantur miseriarum præsentis vitæ.

Richard. Vbera piæ animæ sunt eius pietas atque compassio, quæ desuper replentur, vt alijs lac fundant.

Aptans eadem ad animam, illam inquit vbera habere, quæ in gratia crescens, & pietatem concipiens mater fit: lactat teneros, consolatur desolatos, contumelijs pulsata, vel iniurijs affecta, patientiæ, & compassionis lac fundit, non sanguinem carnalis commotionis: quia enim pietatis lacte repleta est, dulcedinem exhibet, quam accepit. Tactus probat qualis sit quisque: Si vbera haberet, tactus, id est, iniuria pulsatus, lac funderet: cum autem iniuriam patitur, & non compatitur, dolet, & non condolet, quia pietatis lac non effundit, probat, se non habere vbera nec matrem esse. Quia igitur anima perfecta desuper accipit gratiam, quam alijs refundit, sic ipsa quoque lactatur, merito hinnulis comparatur, qui ad lac currunt, & alta petunt: fugit enim vnde ipsa crescat, & alios reficiat. Per duos hinnulos, spirituales intelligit Richardus actiuos, & contemplatiuos, qui ad lac gratiæ currere non cessant, hoc desiderant,

& ad perfectum semper tendunt, & superna petunt: apud se paruuli semper sunt, id est, humiles, & ideo lac gratiæ quærunt: vnde, quia ad hoc lac indesinenter currunt, hoc percipiunt, eoque reficiuntur, & ita dulcedine huius replentur; vt eius abundantia aliorum inopiam supplere sufficiat. Hi sunt, inquit, *hinnuli capreæ*, id est, Ecclesiæ, quę alta petere solet; *Gemelli*, quia eadem doctrina reficiuntur, vtrique sicut gemelli nutriuntur eodem lacte: *pascuntur in liliis*: quia in munditie bonorum, & bono odore conuersantiū delectantur, donec deficiat ignorantia, & miseriæ præsentis vitæ, & luceat dies æternitatis, & diuinæ cognitionis.

Vers. VI. cap. IV. *Donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ: vadam ad montem myrrhæ, & ad collē thuris.*

Expositio I.

Iuxta sonum litteræ.

1 QVamquam iuxta communem Sanctorum Patrum sententiam, primam huius versus partem ad superiora retulerim in præcedentis versus expositione: quia tamen iuxta Masoretarum distinctionem, & ex communi Hebræorum Doctorum sensu, quem complures ex recentioribus nostris sectantur, ad subsequentia potius referenda est, quod & mihi admodum probabile videtur, cum & sono litteræ, & spiritualibus quoque sensibus cōsonum id sit: Idcirco, sicut Sanctorum Patrum vestigijs inhærens, quo pacto cum præcedentibus iungerentur, ostendi: ita congruum quoque est, vt & iuxta hanc alteram distinctionem indicemus, qua ratione cum ijs, quæ in eodem versu subsequuntur, eadem iungēda sint, quemve faciant sensum. Pro qua quidē re haud multum laborandum est, si supponamus id, quod fusius explicatum est in prima explicatione eorumdem verborum in vers. 17. cap. 2. verba ista (*Donec aspiret dies, & inclinētur vmbræ*) esse periphrasim vespertini temporis, ac si diceretur: Donec aduesperascat, Interea quousque aduesperascat, *vadam*, &c.

Difficultas, eaque non contemnenda in eo potius est: Quomodo totum id, quod in hoc vers. 6. habetur, cum iis connectatur, quæ in toto hoc capite, vel in præcedentibus dicta sunt, vel dicuntur in subsequētibus, cum perpetua in toto isto capite videatur esse panegyricus pulchritudinis sponsæ; quod autem hic asserit sponsus: *Vadam*, &c. nihil ad dictæ pulchritudinis encomium spectet, quamquam illico subijciatur immediate: *Tota pulchra es amica mea*, &c.

Almonacyrius. Hieronymus Almonacyrius refert sententiam quorumdam existimantium, hæc verba esse sponsæ, quæ, cum audisset, sponsum tot, tantisque laudibus ipsius pulchritudinem celebrare, præ modestia pudore quodam ingenuo suffusa, velit seipsam à sponsi subtrahere conspectu, & ad montem myrrhæ collemque thuris conscendere, quamdiu duret æstus meridianus vsq; ad vespertinum tempus colloquijs aptius. Crediderim autem, Almonacyrium istā afferre sententiam ex aliorum sensu, vt duo, quę ipse excogitarat, afferret documenta, exinde collecta. Vnū, quod qui modesti sunt, & humilitate præditi, nō possunt sine magna animi perturbatione proprias laudes audire. Alterū, quod, cū sponsa exploratum haberet, virtutē quamcunque in homine fragilem esse, & quæ facili negotio amitti solet inter tot tentationum discrimina, vnum sibi manere significet perfugium, vt cōscendat ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. Enimuero inter omnes, quotquot vidi huius libri interpretes vel etiam Hebræos, nullum adhuc reperi, qui prædictæ sit sententiæ. Atque adeo bene ipsemet, haudquaquam se illam amplecti significat, ob id duntaxat; quia ei obstat A communis sensus interpretum. Quin & omnino falsam eamdem esse, colligitur manifeste ex versione Septuag. quæ sic habet: προξύσομαι ἐμαυτῷ, *vadā mihi ipsi*: in genere masculino.

Legionensis. Legionensis, quem sequitur tandem ipse Almonacyrius, inquit Salomonem interrumpere institutam laudationem, quo magis varium efficiat carmē: vt quasi inter canendum recordetur sponsus rustici alicuius, & necessarij operis, cuius, studio canendi, memoriam amiserat; veluti ipse se tacite arguens, quod præ amore rem suam familiarē pene neglexerit, dicat; *Donec aspiret dies, &c.* quasi dicat: Quin potius, quousque aduesperascat, id agam, quod mihi facere incumbit. Confirmat autem hanc B suam sententiam Legionensis exemplo Corydonis pastoris in Ecloga secunda apud Virgilium sese accusantis, quasi inerti amori deditus esset, cum multa in vinea sua peragenda sibi essent. At certe, neque hæc sententia mihi placet; neque allatum Corydonis exemplum videtur ad propositum: Siquidē pastor ille semiputatam vitem à se relictam, dum amori vacat, reprehendit, & aliquid, quorum indiget vsus, viminibus, mollique detexere iunco: Verum hoc loco, si ab amando se reuocare sponsus voluit, ab otio ad rem, quæ propemodum otiosi hominis erat, se auocat: *Vadā ad montē myrrhæ, & collem thuris*, quo- C rum, & cultura otiosi hominis est, & vsus. Adde, quod cum statim post hunc versum iterum sponsus redeat ad sponsæ laudes, non videtur congruum, vt tam subito post sui accusationem, iterum in idem, quod prius reprehenderat, incidat. Quin & ipsum eius exemplum illi obstat rationi, quam affert, hic scilicet à Salomone poni amatoris imaginem summo artificio descriptam, qui dum vacabat amori, suæque sponsæ laudibus indulgebat, rei domesticæ, & familiaris ipsius animum subiens cura momorderit, iam abire parantem amor iterum illum reuocet, iuxta amantium consuetudinem, quorum animi variare sæpe solent, & in plures, atque diuersas D partes diuidi. Siquidem pastor ille apud poetam citatum post allatam sui accusationem haud amplius ad cœptum redit amoris studium, etsi ardentissimus ille quidem esset amator; sed iter arripiens, amoris verba concludit.

Verus sensus. Quamobrem crediderim ipse, dicendum potius, totum id, quod in hoc capite quarto dicitur, vnam esse, & continuatam orationem, qua sponsus pulchritudinis quidem dilectæ suę panegyricum recinit; Sed id in primis vniuersa oratione ista sua, & cantione intendens; vt sponsam suam ad secum commigrandum inuitet in hortum suum, prout & in capite secundo eamdem inuitasse ad vineam, cognouimus.

E Ad hoc autem asserendum exinde adducor, quod in vers. 8. ait: *Veni de Libano, &c.* vbi videbimus, quibus modis eam allicere studeat; potissimū certe hac in re ipsius est studium, vt multiplici pulchritudinis sponsæ encomio illam deliniat: hinc est, quod semper ad easdem redit laudes. Inuitaturus igitur eam, patefacit primo locum, in quem eam tendere velit secum, idque non modico artificio, dicens: *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collē thuris.* Proposito loco, iterū eam peregregia delinit laude: tum aperte ipsam inuitat in vers. 8. quod, vt obtineat, multis postmodū eam celebrat laudibus, vsque ad finem capitis. F Quod itaque in hoc vers. dicitur, atque illud etiam, quod dicitur in vers. 8. ad cœptam spectat cantionē: nec vsquam in toto hoc capite interrupta censenda ea est.

Mons Myrrhæ, & collis thuris quinam fuerint. Porro per montem myrrhæ, & collem thuris montes illos significare videtur, qui in fine capitis secundi appellati sunt montes Bather, id est, diuisionis, & in fine capitis octaui dicti sunt montes aromatum: colles nimirum aliquos amœnissimos, arboribus odoriferis, atq; perpulchris vestitos, iuxta quos ipse haberet vineam, & hortum, cuius fit mentio in principio cap. 6. vbi dicit sponsa: *a Dilectus meus descendit* a Cant. 6. 1

deſcendit in hortum ſuũ ad areolam aromatum: vt paſcatur in hortis, & lilia colligat. Et fortaſſe non fuerit abs re, ſi per huiuſmodi colles, dicamus, ſignificari ſaltum Libani, quem Salomon prope Ieruſalem ita odoriferis, ac optimis arboribus exornauit, vt ſic nuncuparetur ſaltus Libani, quod amœnitate, pulchritudine, & cedrorum copia cum ipſo Libano, qui eſt mons in phœnicia, myrrham, thus, & alia aromata proferente, certare videretur, in quo ſaltu Libani
b 3.*Reg.*7.2 lib.3. Regum dicitur *b* Salomon ædificaſſe domum ruſticam.

His pro connexione explicatis, iam facillime eſt huius ſententiæ aſsignare ſenſum: Æque eſt enim ac ſi ſponſus dicat.

Paraphraſis. Interea, donec adueſperaſcat, ibo iam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris, vt ibi ſcilicet otio perfruar, delicijſve in odoris fragrantia indulgeam, æſtus fugiens meridianos.

In Hebræo cõſueta, quã ſæpius in hoc libro notaui, illius idiomatis phraſi ſic habetur, אלך לי elech li, *Vadam mihi*: quam phraſim cum ſeruauerint etiã Sept. Interpretes, vt notatum eſt etiam ſuprà, aliquid fortaſſe per hanc loquendi formam ſponſum ſignificare voluiſſe, credendum eſt. Iſtud vero id eſt: Vadam ex propria mea voluntate; vel, vadam animi mei cauſa: aut, vadam ipſe ſolus, vt videlicet deſiderium ſponſæ incutiat vehementius ſecum eundi, ſicque inſigni artificio illam ad id diſponat, ad quod poſtmodũ manifeſte ipſam inuitabit, facilius id tunc obtenturus, quod ea vehementius deſideret.

Verſ. VI. cap. IV. *Donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ: vadam ad montem myrrhæ, & ad collẽ thuris.*

Expositio II.

De prima Sponſa, quæ eſt Eccleſia Sancta.

2 POſt commendatos multiplices Sanctorum gradus, & ordines ſub varijs membrorum metaphoris, quorum pulchritudine, & ſanctitate vniuerſa Eccleſiæ facies, vniuerſum & corpus pulchrũ adeò redditur, vt Deum ipſum in admirationem commoueat, compellatque quodãmodo, vt in illas pro-
c *Cant.*4.8 rumpat voces: *Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es*: Subindicat iam cœleſtis ſponſus eidem dilectæ ſuæ, quonam ſtudio membra illa omnia ad tam eximiam deducta ſint pulchritudinem, ad tam inſignẽ & ſanctitatem; ex duplici nimirum virtutis ſtudio,
Mortificationis, & deuotionis ſtudio obtinetur ſanctitatis pulchritudo. mortificationis atque deuotionis, quibus ipſe delectatur quã maximè, & propter quas illa cœleſtibus etiã ſpiritibus pulchritudinis itẽ ſuæ eã incuſsit admirationẽ: ſibi inuicem conclamãtes dixerint ſuperius. d *Quæ eſt iſta, quæ aſcẽdit ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris & vniuerſi pulueris pigmentarij?* Sũmo autẽ in ſtudijs hiſce indicãdis vtitur artificio: dũ enim ait: *Vadã ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*: nõ id tantum ſignificat, quod in his oblectetur ſtudijs, & in illis, qui in eis exercentur: ſed & ſimul ad eadem promouet Eccleſiam ipſam in reliquis fidelibus, qui prædictos montes nondũ adire cœperunt, quive dictis nondum ſe dederunt ſtudiis: innuitque pariter & rationes: propter quas in vtroque inſudãdum ſit ſtudiorum illorum, in verbis ijs, *Donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ.*
d *Cant.*3.6

Porro, quia verba ſingula plena ſunt ſacramentis, ſingula exactius examinemus, quo facilius poſtmodum totius ſententiæ huius percipi queat ſenſus.

Primo igitur verbum, *Vadam*, difficultatem habet, eamque duplicem. Prima eſt, quomodo Deus ire ſe dicat ad mortificationis ſtudium, & aſcendere ad mõtem myrrhæ, quod eſt ipſummet mortificari, dum homines potius ſint, qui mortificationi indulgentes in via Dei proficere ſtudẽt; nec fieri poſsit, vt A in Deum cadat mortificatio: quandoquidẽ haud mẽbra habet, quæ mortificet. Secunda, quomodo in montem mortificationis, & amaritudinis ire intelligendus ſit, cum (vt conſtat ex dictis in prima expoſitione) ad voluptatem ſponſus in monte myrrhæ ſe iturũ dicat, & ad voluptatem pariter ſponſam ipſam tacite inuitet: contraria ſiquidem hæc duo videntur inter ſe, mortificatio, ac voluptas, ſicut & dulce, atque amarum.

Primæ difficultati ſatisfieri forſitan poſſet, ſi diceretur, ire quidem Deum ad montem myrrhæ, & ad ſtudium mortificationis eo ipſo tempore, quo quis mortificat membra ſua, quæ ſunt ſuper terram, B quatenus per diuinam gratiam, & opem eum comitatur, qui ſe mortificat: ſicque eum eodem progredi per augmentum gratiæ, ſicut is vlterius proficit, adſcendens in talem montem: Neque enim ex virtutis ſtudio, & cum merito mortificare ſe quiſquam poſſet, ipſumque mortificationis laborem, & pœnam ſuſtinere, ni Deus ſua comes eſſet gratia. Verumtamen, intimius rem ipſam perſcrutando, dicendum inſuper, ob aliam quoque rationem, eamque efficaciorem, & quæ magis tangit punctum difficultatis, veriſsime Deum de ſe proferre: *Vadã ad montem myrrhæ*, quando adeſt fidelibus ijs, qui ſtudio indulgent mortificationis: quia tanta eſt inter illum, atq; C Eccleſiæ corpus, ſingulaue eius membra neceſsitudo, tam arctum vinculũ, tam magna & vnio: vt pœnæ, ac caſtigationis fideliũ, qui ſe mortificant, tametſi omnino impaſsibilis, eo tamen modo, quo poteſt, particeps dici non dedignetur, vt ſponſus, vt anima, atque vt caput corporis Eccleſiæ, animarumve illarum, quæ ea patiuntur, iuxta illud Apoſtoli: a *Si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra*. Hinc ille ipſe in Pſalm. ait: b *Cum ipſo ſum in tribulatione*, non ſolum ſcilicet ei opem ferens: ſed etiam particeps tribulationis, ac paſsionis ipſius. Quod manifeſte deducunt aliqui ex verD bis iis Regis Dauid, quibus Deum alloquens de populo Iſrael inquit: c *Quem redemiſti tibi ex Aegypto, gentem, & Deum eius*: ac ſi dicat: Redimens populum tuum ex Ægypto, non ſolum gentem ipſam redemiſti, quæ captiuitatis laboribus opprimebatur in Ægypto, ſed & te pariter redemiſti cum gente illa, vtpote qui laborum, ac captiuitatis illius ſocius, ac particeps eſſe dignatus eras. Quo ſenſu intelligi poteſt & id, quod de ſapientia increata dicitur in libro Sapientiæ, vbi verba habentur de Ioſeph Patriarcha: d *Deſcenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum*: ac ſi Deus in eadem fouea cum illo obſerari quodammodo voluerit, E manus que ſuas, ac pedes in eadem vincula conieceritque, & in eoſdem compedes. Quod ſi id dicitur non abſurde de cruciatibus, flagellisve iſtis, quibus fideles premuntur in tribulationibus eis immiſsis vel ab hominibus, vel à dæmone, vel etiam à Deo ipſo, multo certe congruentius arbitror, idipſum dici de cruciatibus, & paſsionibus iis, quibus iidẽ ſemetipſos caſtigant. Et ad hoc clarius comprobandum crediderim, illa referri poſſe Sapientis verba, quibus comitem ſibi exoptans increatam Sapientiam, quam Deum ipſum eſſe nouimus, ait: e *Mitte illam de cœlis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ: vt mecum ſit, & mecum laboret*: Æque eſt enim ac ſi dicat: Sic opto, vt F mihi adſis, vt non modo mecum ſis, tanquam ſocius operis, ſed & mecum in ijs collabores, in quibus labor mihi ſubeundus eſt, ſisque tu ipſe laboris mei particeps. Hoc igitur illud eſt propter quod & in verſu iſto, quem exponimus, cœleſtem ſponſum reperimus vſum hoc verbo, *Vadam*, cum ad mortificationis ſtudium ſuam promouere voluit Eccleſiam. Et bene, non in præſenti, Vado, inquit, ſed in futuro: vt contiuuum ſuum hac in re indicet morem, vtpote, qui nõ vno tantum tempore, nec aliquibus duntaxat fidelibus prædicto modo comitem præbere ſe velit in tali ſtudio: ſed fidelibus quibuſcunque, quot-

Ad mortificationis ſtudium quomodo ſe conferat Deus.

Mortificationis pœnæ Deus quodammodo eſt particeps.

a 1.Cor. 12. 26.

b *Pſ.*90.26

c 2.*Reg.*7. 23.

c *Sap.*9.10

quot

quot iter ad montem Myrrhæ arripere tentarint tẽpore quolibet.

3 *Ex mortificatione fidelium Deus voluptatem percipit.*

Ex dictis deduci poteſt ſolutio etiã ſecundæ difficultatis allatæ circa idem verbum, *Vadam*. Nam, ſi vere ob pœnam, quam in mortificatione ſuſtinet Eccleſia, dicere Deus potuit, *Vadam*, quatenus eſt caput Eccleſiæ, & eiuſdem quodammodo anima: multo ſane verius eodem ipſo verbo, *Vadam*, vti potuit, ad ſignificandum ſimul & voluptatem, & gaudium, quod ex ipſo mortificationis ſtudio percipit: ſimulque & Eccleſiam, ac fideles vniuerſos ad iſtiuſmodi inuitare voluptatẽ, quæ paſſioni admixta eſt, atque pœnę, quę ve ex flagellis ipſis percipitur, & ex mortificatione: neque enim repugnantiã hæc inter ſe habẽt voluptas, & pœna, gaudium, & lacrymæ, dulce, & amarum in exercitiis mortificationum apud eos qui ex Dei charitate talibus indulgent ſtudiis: ſicut nec in tribulationibus, & ærumnis, quas iidem patiuntur: quin ibi maiori perfunduntur ſuauitate, vbi maior ſit ſponſæ amaritudo; ibi maius percipiunt & gaudium, vbi vehementioribus afficiuntur cruciatibus: adeo vt propterea Apoſtolus ex perſona ipſorũ dicat: *f Repletus ſum cõſolatione, ſuperabũdo gaudio in omni tribulatione noſtra.*

Mortificantes ſe fideles in flagellis voluptatem percipiunt.

f 2. Cor. 7. 4.

Simile.

Porro quemadmodum id quod præ omnibus obſectat, & voluptatẽ affert in loco, vbi cõſita ſint aromata, eſt ipſorum aromatum fragrantia, odorque ſuauiſſimus, qui ex arboribus diffunditur, vẽtis, æſtuque commotis, vt videbimus infra in expoſitione vltimæ ſententiæ huius capitis quarti: *Surge Aquilo, & veni Auſter, perfla hortũ meum, & fluent aromata eius*: quive ex ijsdem eleuatur aromatibus, cum igne incenduntur; Ita pariter & id, quod ſuauiſſimum præ omnibus eſt Deo in ſtudio mortificationis, eſt fragrantia, & odor, quo perfunditur, & recreatur, dũ Sãcti ſeſe mortificant, dumque igne torrentur caſtigationis. Hinc bene & iſtiuſmodi obſequium mortificationis, & corpora ipſa eorum, qui mortificationi indulgent, ſub hoſtiæ metaphora gratiſſima Deo eſſe, teſtatur Apoſtolus dicens: *g Obſecro vos, fratres, per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiã viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrũ*: quia nimirum illa inſtar hoſtiæ voluptati ſint eidem Deo per modum odoris, & ſuauitatis: quandoquidem odore potiſſimum hoſtiarum, ac victimarum obleſtatum Dominum, ex compluribus ſacrarum litterarum locis colligere licet. Et ipſemet ſæpius, cum de ſacrificiis exhibendis aliquid mandat Moyſi, vel Aaron, exhiberi eã præcipit in odorem ſuauitatis: Hinc etiam bene ob eamdem rationem, cum modo ſignificat, ſe ad voluptatem ex mortificatione capiendam, in hortum tendere velle, & ad eos declinare, qui mortificationi dent operam, ſtudium ipſum mortificationis ſub metaphora montis myrrhæ deſignauit: quoniam myrrhæ arbores ſuauiſſimum funderent odorem, ipſaque myrrha ſuauiſſime fragrans eſſet inter omnia aromata.

g Rom. 12. 1

4 *Myrrha quare ſit ſymbolum mortificationis.*

Ex his tamen noua inſurgit mihi difficultas circa iſtam myrrhæ metaphoram: Nam, ſi dicamus myrrham typum gerere mortificationis ob odorẽ, voluntarie profecto id dictum videbitur: quandoquidẽ & alia quoque aromata pari modo ſuauitatem emittunt odoris, nec vlla erit ratio diſcriminis inter montem myrrhæ, & collem thuris, ſi ad ambo ob fragrantiæ ſuauitatem percipiendam ire ſe dicat ſponſus. Quod ſi ea, quæ communiter afferri ſolet, aſſignetur ratio diſcriminis, & proprietatis ipſius myrrhæ, quod præter odorem habeat amaritudinem, qua aptiſſime mortificatio deſignetur, cuius propriũ id eſt, vt amara ſit; Adhuc nihilominus difficultatis non modicum ſupereſt: Enimuero quotuſquiſque eſt, qui myrrham manducet, vt ob illius amaritudinem, quæ guſtu percipiatur, in amaræ mortificationis hieroglyphicum vſurpari cenſenda ſit.

Mortificationis ſanctitas.

Ad hæc dicendum, ob amaritudinis guſtum potius, quam ob odorem vſurpari myrrham pro typo mortificationis in ſacris litteris. Primo, quia myrrhæ bonitas non tam ex odore cognoſcitur, quippe ſæpius falſificatur variis permixtionibus, quibus & myrrha ipſa adulterari ſolet, quam ex guſtu amaritudinis; vnde bene Theophraſtus, Probatur melior guſtu, ait, de myrrha agens. Et Plinius item tractans de vitijs myrrhæ adulteratæ, dicit: Reliqua vitia deprehenduntur ſapore gummi dente lenteſcẽtis. Congruentiſsime autem myrrha amara, quæ nõ comeditur, ſed guſtatur tantummodo, potius quam aliud quidpiam amarum, quod comedatur, in mortificationis noſtræ ſymbolum vſurpatur: nam re vera mortificatio iſta etſi pœnæ amaritudinẽ adiunctã habeat; amaritudo tamẽ ac pœna illius ſimilis ei eſt amaritudini, quæ guſtu duntaxat probatur, non autem ei, quæ vniuerſum palatum, & guttur, & ventrem quoque amaricat, qualis ea eſt, quæ rebus iis ineſt, quæ comeduntur, & bibũtur. amaritudo enim quæ comeditur, & potatur, illas deſignat pœnas, illa flagella, illoſve cruciatus, quibus iniqui cruciãtur in ſceleribus ipſis ſuis, de quibus ex illorũ perſona dicitur in Threnis: *a Replcuit me amaritudinibus, inebriauit me abſynthio*: Eaq; in primis ſunt torméta, quibus ijdẽ in perpetuum cruciantur in inferno: quæ comminans aliquando Deus: *b Ecce*, inquit apud Ieremiam, *ego cibabo populum iſtum abſynthio, & potum dabo eis aquam fellis*. Hinc crediderim, ſummo myſterio factum, vt Dominus Ieſus, cum inſtante morte, vinum ſibi propinaretur, quod myrrha commixtum eſſet, ac felle (ſic enim duorum Euangeliſtarũ dicta, quæ diſcordare videntur, concordat Auguſtinus lib. de conſenſu Euang. quando Matthæus inquit: *c Et dederũt ei vinũ bibere cũ felle mixtũ*: Et Marcus: *d Et dabant ei bibere myrrhatũ vinũ*) guſtauerit quidẽ illud, noluerit tamẽ bibere, iuxta illud Matthæi: *Et cũ guſtaſſet, noluit bibere*. Facto ſiquidẽ illo Chriſtus Dominus ſic tacite inimicos ſuos allocutus videtur: Sat mihi perſpecta eſt ineffabilis veſtra in me indignatio, qua præter cruciatus, quibus me affligere poteſtis, etiam doloribus, & pœnis inferni ſubijcere me velletis: ob hoc enim vinum iſtud mihi propinatis, in quo præter myrrhã, fel quoque commiſcuiſtis amariſsimum; at ego, qui licet circundari potuerim doloribus inferni provt aliquãdo confeſſus ſum in Pſalm. *e* ob vehementiam amaritudinis cordis veſtri: ſubijci tamen illis minime potui: guſtabo quidem vinũ, in quo myrrha eſt, cuius amaritudo etſi maxima ſit, guſtu tamen duntaxat attingitur: at nequaquam illud bibam, cum fel quoque ei admixtum ſit, quo impij potantur, qui in profundum detruduntur inferni.

Myrrhatum vinum, quod guſtatum noluit bibere Chriſtus Dominus. Auguſt. lib. 3. ca. 11.

a Thr. 3. 15

b Iere. 9. 15

c Matt. 27. 34.

d Marc. 15. 23.

e Pſal. 17. 6

Præter primam hanc rationem, poteſt afferri & ſecunda alia ratio, quare propter amaritudinem potius, quam propter odorem myrrha in ſacris litteris vſurpetur pro ſymbolo mortificationis: Quia nimirum amaritudine ipſa ſua, cui exſiccandi, & adſtringendi vis indita eſt, corpora à putredine ſeruet illæſa; atque adeo, vt hac in re maiorem habeat vim, cum aloe iungi ſolet, quæ multo eſt amarior: ſic in Euangelio Ioannis dicitur, *f* myrrha, & aloe conditum fuiſſe corpus Ieſu à Nicodemo, antequam ſepeliretur; quod is eſſet mos apud Iudæos, vt mortuorum corpora à corruptione vindicarẽt. Porro, quod carnis mortificatio caſtigatione ipſa ſua, pœnæ amaritudine, & ſenſuum adſtrictione potentiſsimum ſit medicamentum, quo homines à peccatorum putredine vindicantur, ita eſt certum, vt haud operæpretium ſit, multis id confirmare ſacrarum Scripturarum ſententiis, vnica ſatis exiſtente Pauli Apoſtoli auctoritate, qua de ſeipſo ait: *g Caſtigo corpus meũ, & in ſeruitutem redigo: ne forte cum aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.*

Mortificatio præſeruat à corruptione peccati.

f Io. 19. 39

g 1. Cor. 9. 17.

Verum haud abs re eſſe, cenſendum eſt, quod, quamuis alia quoque reperiantur, quæ amaritudine iuncta, cum adſtringentia eadem ipſa agerent, quæ & myrrha; ex myrrha potius hoc præſertim loco

Mortificatio bona tria habere debet.

Cantici, quo ſponſus inquit: *Vadam ad montẽ myrrhæ*, A mortificationis ſymbolum deſumptum ſit, quæ præter amaritudinem, & adſtringentiam, ſuauiſsimum quoque habet odorem (vt dictum eſt ſupra) ipſi permixtum amaritudini. Enimuero, & mortificationi etiam tria iſta ſunt neceſſaria, vt bona, & ad virtutem ſpectans cenſeatur: amaritudo pœnæ caſtigationis, conſtrictio membrorum, ſenſuum, atque potentiarum, & odor veræ ſanctitatis, quo diuinę recreentur nares: ex quo fit, vt quæ aliqua iſtarum conditionum deſtituta ſit, haudquaquam dicenda ſit mortificatio ea, quam myrrha deſignat. Contingit enim plerumque, vt quidam caſtigent carnem vigiliis, flagellis, atque ieiuniis: ſed tamen nullam adhibeant B curam, vt cuſtodiant ſenſus, potẽtiaſve conſtringãt, ne in vana diffluant, & in inutilia; quin & ſæpe fieri obſeruamus, vt in carnis mortificatione id tantum ſufficiens ſibi putent quipiam, ſi per eam apud homines odorem ſanctitatis redoleant, nil de vera curantes fragrantia ſuauitatis, qua voluptate afferant Deo. Vnde in Euangelio Dominus ſic à fœtida nos

h *Matt.6. 16.* auertit mortificationis forma: *h Cum ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ, triſtes*: Et ſubiicit, qualis demum bona, ac ſancta debeat eſſe noſtra mortificatio, di-

a *Matt.6. 17.* cens: *a Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, ſed patri tuo, qui eſt in abſcondito: & pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi*: ac ſi dicat: Cum mortificationis ſtudio te dedere vis per ieiunium, ſcito, non id tibi ſat eſſe, vt amaritudinem ſentias abſtinentiæ à cibis, & intelligas, per eamdem ciborum abſtinentiam carnis concupiſcentias in arctum tibi deductas: at inſuper tibi operæpretium eſſe, vt caput tuum, quod eſt Deus, vngas ſuaui vnguento, quod myrrhæ redoleat odorem ſuauitatis, dans operam, vt vniuerſum ſanctitatis illius odorem, qui ex ieiunij mortificatione profluit, in Deum caput tuum refundas, eoque illum recreare ſatagas. Quod ſi à capite iſto tuo aliquid prædicti vnguenti in tuam decidat faciẽ D externi habitus: ita vt externo quoque habitu corporis, & in externa conuerſatione propter myrrhã, ac ipſius ieiunij mortificationem, mortificationem ipſam, & ſanctitatem redolens, videaris hominibus ieiunans, mortificatus, ac ſanctus: ſic faciem ipſam tuam laua, ſtudens, quantum in te eſt, vt externum omnem abſtergens odorem, abluenſque vnguentũ illud à facie, quod totum in capite remanere debet, non videaris hominibus ieiunans, ſed patri tuo, qui eſt in abſcondito, cui omnis myrrhæ odor iure competit, quia ipſe vnus eſt, qui nobiſcum ad opus ſe cõfert ipſius mortificationis, quod myrrhæ redolet fragrantiã, id quod hiſce hoc loco conteſtatur ver- E bis (*Vadam ad montem myrrhæ*) in quibus bene in textu Hebraico, & in verſione Sept. additum reperitur pronomẽ, *mihi*, *Vadã mihi ad montem myrrhæ*: quoniã ſolus ipſe eſt, qui nobiſcum ſubit quæcunque facere aggredimur mortificationis opera: ipſeque ſolus de ea, quam nobiſcum ſubit, mortificatione iucundiſsimam percipit voluptatem: quia ipſe ſolus eſt, qui laborem, & dolorem conſiderat, vt dicitur in Pſalm. vtpote, qui ſolus meritum intelligit vniuſcuiuſque caſtigationis, veramque percipit fragrantiã ſuauitatis illius.

6 Quoad id, quod dicitur. *Et ad collem thuris*, haud F diutius operæpretium eſt in aſsignandis detineamur rationibus, ob quas thuris metaphora frequentiſsime in ſacris litteris vſurpetur ad deſignandam piæ animæ deuotionem: ſæpius enim hac de re & pertractatum eſt, & pertractabitur in hiſce ſuper hunc librum Commentariis. Illud vero notandum hoc loco eſt, nomine deuotionis, ad cuius ſtudium tam lubens cæleſtis ſponſus conuertitur, ad quod & ſanctam inuitat Eccleſiam, quam & ad ſtudium mortificationis inuitaſſe, vidimus, in eo, quod dixit: *Vadam ad montem myrrhæ*: non eã duntaxat intelligi deuotionem, quæ eſt in orationis ſtudio: ſed eſſe virtutes vniuerſas, quæ ad Dei religionem ſpectant, cuius religionis apud vniuerſas gentes thus ipſum eſt hieroglyphicum: eaſque virtutes etiam, quæ vnitiuæ dici poſſunt, ex eo, quod animam cum Deo vniunt, ad Deum eam eleuantes: ſicut & thure ipſo deſignatur per fumum ſuauiter redolentem, quem cælum verſus ad Deum emittit: ita vt duabus hiſce metaphoris myrrhæ, ac thuris tria deſignentur virtutum genera. Primum earum, quæ purgatrices dici ſolent, quæ ſub vno mortificationis nomine comprehenduntur. Secundum earum, quæ dicuntur illuminatrices, quæ ſub oratione, & contemplatione, ſeu etiã ſub religione continentur. Et tertium illarum, quæ vnitrices nũcupantur, & ad charitatis actus reducũtur; Triaque iſtarũ virtutũ ſtudia, in quibus fideles exercentur, vel in incipientiũ, vel in proficientiũ, vel in perfectorum gradibus exiſtentes, quorũ continuũ iter indicat id, quod appoſitum eſt verbum, *Vadam*: Nemo vero eſt, qui neſciat, tres vias iſtas, purgatiuam, illuminatiuam, & vnitiuam, quibus ij omnes, qui ad Eccleſiæ pulchritudinem aliquid conferunt, in ſanctitate proficiunt.

Deuotionis ſtudium quale.

Proponi hoc loco non immeritio ſolet difficultas, cur iſtius deuotionis ſtudium, de quo ſermonem hic fieri dicitur, collis appellatione deſignatum ſit, cum è veſtigio ſtudium mortificationis mons excelſus C ſit appellatum: ita enim dicitur: *Vadam ad montẽ myrrhæ, & collem thuris*. Et ratio difficultatis eſt clara; nam ſi celſitudo ſpectetur, multo celſior eſt deuotio, & ſtudium virtutum viæ illuminatiuæ, ac vnitiuæ, quã mortificatio, & ſtudium virtutum purgatiuarum. Ad quam difficultatem diuerſimode reſpondent Doctores: Quicquid tamen ab illis dicitur, ad tres reducitur ſolutionis modos, quos omnes Hieronymus Almonacyrius affert in ſuis commentariis ſuper hunc locum. Primus eſt, vt mons myrrhæ aſsignatus ſit ſtudio mortificationis, non ob celſitudinem perfectionis, ſed propter difficultatem operis: atque adeo collis appellatio deuotioni tributa ſit: quia haud tantam habet difficultatem, & laborem in aſcendendo. Secundus, vt montis, & collis nomina nec propter celſitudinem, nec propter difficultatem, aut facilitatem itineris vſurpata hic ſint; ſed ad indicandam loci magnitudinem, & paruitatem: quia enim multo plures imperfecti ſunt in Eccleſia, qui ſtudio indulgent mortificationis, & pœnitentia indigent, quam perfecti, atque proficientes, qui deuotioni dant operam: idcirco magnus, ac latus mons primum illud ſtudiũ dictum ſit: exiguus vero collis deuotio. Tertius, vt myrrhæ propter celſitudinem tributum ſit nomen montis, thuri autem E nomen collis propter demiſsionem, quatenus in ſtudio mortificationis martyrium includitur, ac per montem myrrhæ deſignantur fideles ij, qui parati ſunt martyrium ſubire propter fidem: per collem vero thuris illi, quos in ordine Cõfeſſorum, & Virginum collocare ſolemus, qui in colle thuris quieſcentes orationi vacant, & ſtudio deuotionis. Nemo vero eſt qui dubitet, martyres celſiorem locum obtinere in Eccleſia, quam Confeſſores, & Virgines. Mihi prior ſolutionis modus magis arridet, quippe qui congruentior eſt ſenſus totius huius ſententiæ, quem profecuti ſumus. Enimuero, cum ad vitam ſpiritualem quoſcumque Eccleſiæ fideles inuitare Deus velit, prius in verſu iſto ducem ſe illis exhibens in duplici illo ſtudio, mortificationis, atque deuotionis, in quo vniuerſa caſit aeſt vita, ait: *Vadã ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*: rationẽ profecto humani ingenij ſequens, montem myrrhæ appellat initium prædictæ vitæ; montem, qui cum ſummo labore aſcendatur; quia re vera incipientibus vita ſpiritualis ardua ſit, laborioſa, & maxime difficilis ob pœnitentiæ, & mortificationis ſtudium, cui tunc maxime inſudandum eſt. At è veſtigio, quia eadem vita proficientibus facilior eſt, maximeque iucunda perfectis ob ſtudiũ orationis, deuotionis, ac vnio-

Cur mortificationis ſtudium dicatur mons, & ſtudium deuotionis appelletur collis.

Almonacyrius.

In vita ſpirituali eſt labor, atque voluptas.

nis collem, thuris illam nuncupat; collis quippe præsertim is, qui pulchris, fructiferis, ac redolentibus arboribus consitus sit, suauiter, & cum voluptate, multoque incundior est, quam planities. Sicque duabus hisce metaphoris montis, & collis duo indicantur hæc simul inueniri in vita spirituali, laborem, ac voluptatem: quamquam eadem videantur contraria inter se; quod idem indicauit & Dominus Iesus, cum eamdem vitam appellauit *a Iugum suaue.*

a Mat. 11. 30.

7 Circa verba (*Donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ*) quæ, secundum litteram sunt periphrasis vespertini temporis, & termini diei præsentis vitæ atque descriptio futuri sæculi, duæ in illis subindicantur rationes, propter quas dum in hac vita sumus, versandū nobis sit iugiter in duobus prædictis studiis mortificationis, atque deuotionis. Prima, cur operæpretium sit, vt tendamus ad montem myrrhæ, nempe quia non aspirat dies, sed maximi potius sunt æstus in die præsentis sæculi. Altera, cur necesse sit, vt proficiscamur ad collem thuris: nimirum quia nimis lucidæ videntur res huius mundi, cum reuera nihil aliud sint, quam vmbræ. Quæ profecto rationes causam quoque subinnuunt, cur eousque duntaxat iturū se sponsus dicat ad montem myrrhæ, & collem thuris, quousque aspiret dies, & inclinentur vmbræ.

Mortificationis studiū in hac vita necessarium propter concupiscentiæ æstus. Exposit. 3. in vers. 6. cap. 1.

Pro istorum omnium intelligentia recolendum primo id, quod alias probatum est longius in superioribus, vnamquamque animam post perpetratum adę peccatum, quamdiu in hac vita perdurat, quamdiu sol concupiscentiæ est in horizonte præsentis sęculi, vehementissimis passionum æstibus commoueri; adeo vt propterea Apostolus Paulus, etsi sanctissimus esset, hisce nihilominus æstibus perturbatus de semetipso id dixerit: b *Inuenio legem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet; Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem: Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.*

b Rom. 7. 21

Simile. Concupiscentiæ æstus quæ mala causent in hominibus.

Porro sicut æstus ardentissimi solis, quando vehementiores sint, tria in corporibus causare solent; Primo, membrorum omnium relaxationem; ita vt difficile quidpiam boni fieri queat, prout probamus in magnis caloribus æstiui temporis. Secundo, ardentissimas febres, quæ in delirium conijciunt, compelluntque ad furiose agendum id, quod non liceat: Tertio denique, totius corporis fœtorem, humorumque putredinem, quæ fomes est totius morbi: Ita & vehementissimi quoque concupiscentiæ æstus tria similia in nobis efficiunt, ni prouide nobis ipsis, diuina adiuuante gratia, succurramus: relaxant animæ neruos, lassamque & inhabilem illam reddunt ab bene operandum, idque per spiritus emissionem, dum pori sensuum aperti sunt: Non secus ac

Simile.

æstus sensibiles eatenus membra relaxant, quatenus poros reddunt apertos, per quos tenues prodeūt spiritus. Hanc relaxationem indicat Apostolus, cum

c Rom. 7. 18

ait: c *Scio, quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum: nam velle adiacet mihi, perficere autē bonū non inuenio:* eque est enim ac si dicat: Experientia sat mihi perspectum est, quia in me, dum carnis concupiscentia vri me sino, non est vis faciendi aliquid boni: quia non habitat in me spiritus, egressus per sensuum, ac potentiarum poros, qui ab huiusmodi æstu seruantur aperti: atque adeo, etsi bonum opus efficere velim, perficere tamen id nequeo viribus debilitatis per ipsum concupiscentiæ æstum. Tangit quoque idem Apostolus, quomodo secundum pariter effectū ardentissimarum febrium, & delirii idem concupiscentiæ æstus causent in anima, ita vt cogatur quasi phrenetica agere, quæ sunt contra dictamen rationis, dum inquit:

d Rom. 7. 14

d *Carnalis ego sum, venundatus sub peccato:* vel *in peccatum*, prout habent Codices Græci: *quod enim operor, non intelligo*, id est, Ita capitiuus sum, & seruituti peccati subiectus ob istiusmodi æstus concupiscentiæ; vt instar febricitantiū, ac delirantium contra proprium iudicium, & scientiam ferar in malum, & faciam opera, quæ mēte, & intellectu dāno: *Non enim quod volo bonū, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio.* Denique fœtorem, & corruptionem, ac putredinem per eosdem concupiscentiæ æstus in ipsa anima causari, testis est B. Iacobus, cum in sua Canonica dicit: e *Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum consummatū fuerit, generat mortē.* Quis vero est, qui nesciat, peccatum causare fœtorem, pessimamque putredinem, quā sequitur mors? Ob idipsum Paulus Apostolus carnē, morti, ac putredini isti obnoxiam, corpus mortis appellat, tātos nimirum æstus ferre non valens: propterea enim exclamat: f *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Contra omnia istiusmodi æstuum mala, necesse est, adhibeatur myrrha pœnitentiæ, ac mortificationis: Myrrha, inquam, quæ cum amaritudine, & calorem adiunctum habet: neque enim mortificatione impediuntur mala æstuum concupiscentiæ, nisi ea, quæ cum amaritudine pœnæ calorem adiunctum habet charitatis. Mortificatio huiusmodi, instar myrrhæ, vim habet adstrictiuam, quatenus sensus restrictos continet, cohibetque potentias: ne qui intra animam est, Spiritus sanctus per apertos, & liberos illarum poros diffluat, sicque compescens, nec relaxetur, robustam, ac validam ipsam conseruat ad opus quodlibet sanctū, atq; perfectū. Abstergit quoque instar myrrhæ, quæ, vt ait Galenus, abstergendi potentiam habet maxime commodam: abstergit, inquam, mortificatio eos, qui intra animam per æstus concupiscentiæ suscitati sint, malos humores prauarum cogitationum, & desideriorum carnalium, è quibus ardentissimæ causantur febres vehementium passionum, quę instar delirij miseram animam impetu magno impellunt quodāmodo ad libidines, ad furores, ad odia, & ad vindictam. Quod si myrrha à putredine seruat; ac non modo fœtorem profligat, sed & suauissimum corporibus, quibus illita sit, confert odorem: Multo certe efficacius idipsum in anima efficitur per mortificationem, & virtutes purgatrices; non modo enim à futuris præseruant peccatis, è quibus corruptio omnis, omnisque & fœtor in anima est: verum etiam, si quid fœtoris ob transacta peccata ipsi inhæserit animæ, id omne per pœnitentiæ fletus abigit ab illa: quin & suauissimam ei & apud Deum fragrantiam, & apud homines bonæ famæ confert odorem, ita vt propterea dicere & ipsa possit: a *Quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris.* Ex quibus patet, quam apte cęlestis sponsus, qui ducem se nostrum exhibet, & sociū in studio huius mortificationis, dixerit: *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris, donec aspiret dies,* &c. id est, donec magni sunt diei æstus: cum enim istiusmodi æstus concupiscentiæ cessauerint, quod tunc demum fit, cum dies præsentis vitæ aduesperascens defecerit tempore mortis, cum iucundissima aspirare cœperit aura futuri sæculi in quiete imperturbabili, & in perpetua felicitate, haud amplius necesse erit, vt eatur ad montem myrrhæ, haud amplius pœnitentiæ, & mortificationis studio indulgendum erit profligatis per completam suauemque Spiritus sancti aspirationem concupiscentię æstibus vniuersis.

Mortificatio quam profitcua in hac vita.

Galen. li. 8. simplic. medicament.

a Eccl. 24. 20.

Neque vero minus apte dictum ab eodem est: *Vadam ad collem thuris, donec inclinentur vmbræ.* Enimuero tamdiu studium deuotionis illius, quam per collem thuris hoc loco designatam ostendi, necessariū est hominibus, quamdiu inclinentur, longæque appareant vmbræ creaturarum: quamdiu constet, sensibilia omnia, & quicquid creatum est, nil aliud respectu Dei esse, quam vmbram vanam.

Pro quorum intelligentia, tria supponenda sunt. Primum illud omne, quod est in mundo, respectu Dei esse potius fugientes vmbras, quam aliquid subsistens, & stabile, id quod in principio libri Ecclesiastes, tanquam indubitatum axioma proposuit Salo-

mon, cum diceret: *b Vanitas vanitatum, dixit Eccleſiaſtes, vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Quid enim vmbra vanius, quæ adeo vana eſt, vt per Pſalmiſtam vniuerſa vanitas ob id duntaxat appellatus ſit homo, quia in vmbra pertranſeat; Sic enim dicitur in Pſal. 38. *c Verumtamen vniuerſa vanitas omnis homo viuens: Verũtamen in imagine, & in vmbra* (ſic habent Originalia Hebræa) *pertranſit homo.*

b Eccl. 1.2.

c Pſ. 38.7.

Concupiſcentia qualem cauſet lucem.

Supponendum ſecundo, id quod late probaui ſupra in tertia expoſitione verſ. 9. cap. 1. concupiſcentiã duos cauſare effectus ſimiles duobus effectibus ſolis; atque adeo non incongrue & ipſam ſolis nomine aliquando deſignatam in ſacris litteris. Primus effectus eſt æſtuum, atque caloris, de quo iamiam actum eſt. Alter vero eſt lucis, atque fulgoris, quem ſenſibilibus exhibet rebus; ita vt propterea pulchræ videantur, pretioſæ, ac deſiderabiles: quamquam diſcrimen ingens ſit inter fulgorem, qui cauſatur à ſole, qui ſidus in cælo eſt, & illum, quem cauſat ſol concupiſcentiæ: iſte enim eſt apparens, falſus, atque fictitius, vtpote per præſtigium cauſatus, atque adeo apparentem, & falſam ſenſibilium rerum oſtendit pulchritudinem, perſtringens, & faſcinans oculos noſtros: ita vt ea, quæ ſunt vmbra, atque vanitas, pulcherrima nobis exhibeat, adeo vt ob illorum contemplationem ſæpius propterea obliuiſcamur Dei, qui illas condidit.

Deuotio eſt fumus.

Supponendum denique tertio id, quod etiam ſupra in expoſitione tertia verſ. 6. cap. 3. oſtenſum eſt, deuotionem illam, cuius ſtudio in hac vita pia quæque anima indulget, eſſe fumum, & nebulam quamdam, quia nihil ſinat pulchri alijs in rebus intueri, ac admirari, niſi in vno Deo, quem proximũ ante ſe habet, habitantem in nebula, iuxta dictum Salomonis, d quod loco citato explicaui: provt fumus, & nebula materialis non ſinunt videri niſi id, quod proximum, & ob oculos fuerit intuentis: atque adeo congruentiſsima ratione ſtudium huius deuotionis aſſignatum eſt ſub metaphora collis thuris: quia in tali colle, vbi ingens eſt thuris copia ac per conſequẽs denſiſsima fumi nebula, qui è thure ipſo ad ignem incenſo eleuatur.

d 3. Reg 8. 12.

Deuotionis ſtudium cur in hac vita tam neceſſarium ſit.

His annotatis, iam facile apparet, quam recte dictum à ſponſo ſit: *Vadam ad collem thuris, donec inclinentur vmbræ.* Inclinabuntur quippe vmbræ, tuncve animaduertemus, quicquid in hoc mundo pretioſum videbatur, inſtar vmbrarum fugiſſe, atque ea omnia, quæ prius admirabamur, nil aliud eſſe, quam longas vmbras, provt ij confeſsi ſunt in libro Sapientiæ, qui dicebant: e *Tranſierunt omnia, ſicut vmbra.* Cum ex hac vita migrauerimus, tunc haudquaquam neceſſe erit ſtudium iſtius deuotionis, quæ fumi nebula eſt: quia haud in nebula tũc ſe oſtendet Deus prout tempore præſenti ſe exhibet, ita vt videamus illum per ſpeculũ, & in ænigmate: ſed manifeſtabitur habitans lucẽ inacceſsibilẽ, vbi videbimus eũ ſicuti eſt, perfectiſſimeq; cũ illo vniemur, ſpeculatores facti maieſtatis, & gloriæ ipſius. Pro nũc autẽ, & in hoc ſęculo, donec prædicto modo inclinentur vmbræ, indulgendũ eſt ſtudio deuotionis, ac fumi iſtius thuris nebula vtendũ; ne oculi noſtri perſtringãtur falſo concupiſcentiæ lumine, neve tam lucida, pulchra, ac pretioſa nobis videantur mundana iſta, vt propter ipſa oculos à Deo auertamus, qui conditor eſt illorum.

e Sap. 5.8.

Breuis, qui ex dictis colligitur, totius huius ſententiæ ſenſus, hic eſt.

Paraphraſis.

Cum adeo pulchra, adeoque ſancta ſis in ſingulis mẽbris tuis, in ſingulis ſanctorũ ordinibus; quia illi duobus in primis indulgent ſtudiis, mortificationis atq; deuotionis. Cũq; & in alijs quoq; fidelibus tuis pulchritudinẽ, ac ſanctitatem habere debeas, vt tota pulchra ſis, & macula non ſit in te: Eundum & in illis pariter tibi eſt ad huiuſcemodi ſtudia exercenda. Vadam autem & ipſe tecum; & me conferam primo ad ſtudium mortificationis, quod mons arduus videtur ob laborem, quem in principio vitæ ſpiritualis ſentiunt incipientes: quod & mons myrrhæ dicitur, quatenus mortificatio, inſtar myrrhæ, præter ſuauitatem odoris, adſtringens quoque eſt, & maxime amara: amaritudine tamen eiuſmodi, quæ nec aliter, quam exiguo guſtu probetur, multum differens ab amaritudine pœnarum ſceleſtorum hominum, ac dolorum inferni, quæ per comeſtionem, & potationẽ palatum, & gũttur, & ventrem, & quicquid in damnatis eſt, amaricat: *Vadam*, inquam, *ad iſtum myrrhæ montem*: nedum vt tibi comes gratię adiutorium, ſed etiam vt particeps quodammodo illius ipſius pœnæ, & amaritudinis, quam fideles in dicto monte ſubituri ſunt: vadam quoque illuc, vt ex odore mortificationis tuæ voluptatem percipiam, ex qua & tu pariter oblectaris. *Vadam* vero cum hiſce fidelibus *ad montem iſtum myrrhæ*, propter ardentiſsimos concupiſcentiæ æſtus, quibus in die præſentis vitæ vreris: quandoquidem mortificationis ſtudium eouſque neceſſarium hominibus eſt, quouſque prædicti ceſſent æſtus, & donec dulci Spiritus ſancti aura dies aſpiret futuri ſæculi. Sed & vadam pariter tecum ad ſtudium deuotionis, quod, etſi excelſum & ipſum ſit, haud tamen mons arduus eſt, ſed collis voluptuoſus, & collis thuris, quod fumo ſuo nebulam eleuans, efficit, vt haudquaquam terrena, ac mundana videantur: quæ concupiſcentia, hominum oculos perſtringens, exhibet lucidiſsima, perpulchra, ac ſpecioſa: cum tamen re vera vmbræ ſint, atque vanitas: *Vadam ad* dictum *thuris collem*, donec, adueſperaſcente iſto præſentis vitæ die, falſaque deficiente luce, quam immittit concupiſcentia, certo conſtet, illa vniuerſa inſtar vmbrarum fugiſſe, inſtar vmbrarum euanuiſſe: quando non iam amplius neceſſaria erit deuotio, quę inſtar nebulæ fumi ſe habeat, prout ea eſt, cuius ſtudio indulgetur, cum itur ad collem thuris: quandoquidem non videbor tunc per ſpeculũ, & in ænigmate, ſed facie ad faciem.

Verſ. VI. cap. IV. *Donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ: vadam ad montem myrrhæ, & ad collẽ thuris.*

Expositio III.

De ſecunda Sponſa, quæ eſt Anima Iuſti.

In orationis ſtudio quomodo Chriſtus adſit piæ animæ.

ETſi in quolibet virtutis ſtudio pia quæque anima quandocunque illi ex charitate indulget, Deum ſecum habeat ſemper & ducem, qui eam præcedat per gratiam prœuenientem, & comitem, qui ei in ipſo virtutis ſtudio opem ferat per gratiam cooperantem: haud ambigendum tamen eſt cuiquam, quin idemmet Deus illi potiſsimum adſit animæ, quæ orationis, & meditationis eſt ſtudioſa: nec dubitandum, quin tunc potiſsimum, cum orationis vacatur ſtudio, Deum pia quæque anima habeat ſecum non ducem duntaxat, & comitem, prout in ceteris operibus meritoriis, verum etiam vt benigniſsimum Principem, qui ei ad hoc adſit inprimis, vt & lautiſsimum ipſi exhibeat conuiuiũ, & gratias pariter præſtet, quaſcunque illa quidem ei in ſua ſignificauerit oratione.

Enimuero tres ſunt ſtudij orationis effectus, meritum, impetratio, atque refectio. Dum autem hoc loco Chriſtus filius Dei dilectam animam ad huiuſcemodi inuitat ſtudium, pollicens, ſe primum ad illud profecturum, & dicens, *Vadã ad montẽ myrrhæ, & collẽ thuris*: non tam ducem ſe pollicetur orationis quatenus meritoria eſt, quam promptiſsimum eiuſdem orationis, quatenus impetratoria eſt, exauditorem: nec non & lautiſsimi in oratione ipſa, quatenus refectiua eſt, & conuiuii ſpiritalis inſtructorem, & exhibitorem: Ita vt propterea duobus modis præſentem ſententiam explicare fas ſit, quamquam in vtroque ſenſu tam per collem thuris intelligatur

ſtudium

ſtudium orationis, quam per montem myrrhæ, mons intelligatur Caluariæ, ſeu ſtudium meditationis paſsionum Chriſti, quarum partem maximam, & complementum in monte Caluariæ exhibitum eſſe, nouimus: ſeu ipſam Chriſti paſsionē in genere, cuius ingens copia in mōte Caluariæ, ęque ac maxima myrrhæ copia in monte myrrhæ reperitur, vt locus poſitus ſit pro re ipſa, quæ in eo exhibita eſt.

Primus ſenſus.

Iuxta primum igitur ſenſum, quo collem thuris vſurpatum accipimus pro oratione, vt refectiua eſt: quoue per montem myrrhæ meditatio illa ſignificata deſumitur, quę eſt paſsionis Chriſti: modum & ordinē indicat Chriſtus Dominus, qui in huiuſmodi orationis ſtudio ſeruari debeat, quo quis expetita perfrui queat refectione. Is vero eſt, vt anima, quę ſtudio illi ſe dedere velit, ad id ſe primum conferat meditationis genus, quod de vita eſt, & paſsione Redemptoris ſui, per quod & incomprehenſibilis diuini amoris exceſſus, & ſublimitas item diuinę bonitatis innoteſcit: Tum ad reliqua ſe applicet meditationis genera, vel ea, quæ materiam continent deſumptam à terra, vt mundi contempum, miſerias, terrenæ habitationis noſtræ mortem, & cetera huiuſmodi, quæ bene deſignantur per arbores thuris in colle radicatas, atque eximis terræ per radices, vim, atque fragrantiam thuris pertrahentes: vel illa, quæ ſublimiorem habent materiam circa Deum, eiuſve beneficia, circa cœleſtem gloriam, & alia ſimilia ſignificata pariter per thus, quod igni ſuperpoſitum ſublimia petit, & cœlum verſus fragrantem ſui emittit vaporem.

In meditationis ſtudio quis modus, & ordo ſeruandus.

10 *Meditatio paſſ. Chriſti in incipientibus primo adeūda.*

Circa quem ſenſum, primo ſupponendū id, quod tanquam axioma quoddam commune, & certiſsimum habetur apud eos, qui de meditationis ſtudio agunt, paſsionis Chriſti meditationem primo iis adeundam, qui nuper ad Deum conuerſi ſint: quandoquidem ex ea maiorem ſumunt peccati deteſtationem, recolentes illud Patris apud Iſaiam: a *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum*: per eā ad ſemetipſos mortificandos vehementius prouocantur, recolentes ea ipſiuſmet Chriſti verba: b *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?*

a *Iſa. 53. 8.*

b *Luc. 23. 31.*

Meditatio paſſ. Chriſti quare dicta mons myrrhæ.

Præclare autem ſtudium iſtud miditationis paſsionis Chriſti, mons myrrhæ appellatum eſt: nam per huiuſcemodi ſtudiū guſtatur, atque probatur à pia anima amaritudo eorum, quæ Chriſtus pro nobis eſt paſſus, non ſecus ac in monte myrrhæ, vbi magna eſt myrrhæ copia, guſtu ex amaritudine probatur, quæ ſit myrrha optima, iuxta ea, quæ ex Theophraſto dicta ſunt in præcedenti expoſitione. Neq; enim vllo pacto melius comprehenditur, quanta ſit amaritudo paſsionis Chriſti, quam per ſtudium meditationis illius, in quo anima guſtu ſic illam probare nitatur, vt ſenſu ipſo ſuo amarum illud percipiat, iuxta id Pauli conſilium, quo ait: c *Hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu*: quo modo idem Paulus, guſtare ſe illam indicat, cum ait: d *Chriſto confixus ſum cruci.* Sed præter hanc, duæ aliæ aſsignari poſſunt rationes, quare ſtudiū paſsionis Chriſti recte mons myrrhæ dictum ſit.

c *Phil. 2. 5.*

d *Gal. 2. 19*

Vna, quia ſtudium iſtud fragrantiam virtutis longe lateque effundit, ſicut & mons, in quo myrrhæ arbores conſitæ ſint. Enimuero nullibi melius virtutum omnium odor percipitur, nullibi melius virtutes vniuerſæ addiſcuntur, quam in meditatione paſsionis Chriſti, prout alibi latius oſtenſum eſt.

Altera deniq; ratio eſt, quia nihil eſt reperire, quod efficacius præſeruet nos à corruptione, & putredine peccati, quam ipſa paſsionis meditatio. Notum eſt autem, & ſuperius quoque probatū, myrrhæ id tribui ſolitum, vt corpora nedum viua, ſed & mortua ab omni vindicet putredine.

Meditationis ſtudium incipientibus difficile, ideo mons dicitur.

Id quoque hoc loco notandum, recte ſtudium iſtud meditationis, quod primo adeundū eſt animæ fideli, monte dici, qui cū altus ſit, aſcenditur cū labore: ſtudiū vero aliarū meditationū, ad quod poſtA modū deuenitur, dici colle, qui depreſsior monte eſt; & ad quē deſcenditur, cum è monte ad illum accedimus. Nam re vera primum illud ſtudium difficile aditur; valde enim arduum eſt incipienti, & inexperto, mentem ſuam adhibere, firmamque tenere ad contemplandum, quippe quæ ex præua conſuetudine vagari huc, illucve ſoleat iugiter.

At vero poſtquam aſſuefieri cœpit, cum ad aliud ſtudium meditationis ſe confert proficiens, facile iam id ipſi eſt, & delectabile nimis: deſcenſus quippe facilis eſt: & collis eſt locus voluptatibus aptus.

Paſſio Chriſti quomodo meditanda.

Notandum inſuper eſt per verbum, *vadam*, quo hic vſus eſt ſponſus, duo ſignificari, primum, rationem, qua meditari optime queat Chriſti paſsio: Ea vero eſt, vt, cum aliquod eius myſterium meditandum ſuſcipimus, ita illud contemplemur, ac ſi tunc Chriſtum ipſum præſentem habeamus, qui eo ſe cōtulerit, vbi vel flagellatus, vel crucifixus eſt, vel aliquid aliud paſſus.

Ad orationem accedens ab omni præcedenti cogitatione auertere ſe debet.

Alterum id, quod ſummopere vitandum eſt in quolibet orationis, & meditationis ſtudio, ſtare, ac mentem non auertere ab iis, in quibus quis ante orationem detinebatur: exinde enim prouenire compertum eſt, vt dulci non recreemur refectione, tametſi diutius in orationis ſtudio perſeueremus: quia minime vadimus, quia non mouemur; quia mente perſiſtimus in curioſis, vaniſque mundi rebus, ac ſolicitudinibus. Dominus, *Vadam*, inquit, ſponſam prouocans, vt & ipſa vadat, pedes affectuum moues, ac eleuans. *Vadam*, etiam inquit, vt indicet, ſe nos ſemper præuenire in quolibet orationis ſtudio, vt in eo conuiuiū paratum reperiamus: quod ſi quādo refectionem ex oratione non percipimus, ex noſtra id prouenit culpa.

11 *Conuiuium ſpiritualium conſolationum, quo anima in hac vita reficitur, quum diuerſum a conuiuio, quo reficitur in alia.*

Congruentiſsime demum adiicitur: *Donec aſpiret dies, & inclinētur vmbræ*: id eſt, donec veſpera aduenial diei præſentis vitæ: neque enim in alia vita euntem Dominum ad montem myrrhæ, & ad collem thuris inuenire eſt, vt conuiuium eo pacto piis exhibeat animabus, vel in meditatione paſsionis, vel in ſtudio aliarum meditationum: nam quamuis & ibi conuiuium illis exhibiturus ſit, valde tamen diuerſo modo; ſiquidem quod in hac vita exhibet conuiuium, odore duntaxat reficit; conſtat enim è rebus ſuaue olentibus, myrrha, & thure, quę olfactum nō guſtum recreant; idcirco in fragrantiſsimis locis exhibiturum id pollicetur, dicens: *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*, &c. Et guſtus omnes quantumlibet ſuaues ij ſint, quibus pia anima in quocunque orationis ſtudio reficitur, dum vitā in hoc degit ſæculo, nil aliud ſunt quā odor guſtuum illorū quibus eadem reficienda eſt in conuiuio felicitatis æternæ: odor, inquam, qui à longe percipitur.

At vero conuiuiū, quod in futura vita idem exhibiturus eſt Dominus, nedum odore, ſed & guſtu prędulci reficiet: erit nempe a *Conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ*, vt apud Iſaiam prædictum reperimus.

a *Iſa. 25. 6.*

Iuxta hunc igitur primum ſenſum, eorum quæ in hoc verſu dicuntur paraphraſis hæc eſt.

Paraphraſis.

Dum in præſenti degis vita, *Vadam* tecum ad ſtudium meditationis paſsionis meæ, quod myrrhæ amaritudinem, fragrantiam, atque virtutem continet, dum in eo guſtatur paſsionum mearum amaritudo, percipitur fragrantia virtutis omnis, & per eādem paſsionis meæ memoriam acquiritur præſeruatio à peccati putredine; tametſi ſtudium iſtud ſit mons excelſus, tum propter ſublimitatem myſterij, tum propter difficultatem, atque laborem, quo ab incipientibus aſcenditur. *Vadam* poſtmodū, & ad ſtudium aliarum meditationum, quod collis rationem habet: tum quia facilius aditur, deſcendendo ab arduo monte myrrhæ, tum quia eſt voluptatis locus, inſtar collis. *Vadam ad montem myrrhæ*, vt me veluti præſentem contempleris in paſsionibus: Vadam, vt & tu quoq; vadas, relinquens mundi cogita-

tus, cum meditationis ſtudium arripis: *Vadam ad mõtem myrrhæ, & collem thuris*, vt ex ipſa myrrha, & thure, conuiuium tibi parem, in quo odore recreeris, donec deſinat vita præſens: odore, inquam, conuiuij alterius, quod in futuro ſæculo paratũ tibi ſeruo, vbi aſpirauerit dies vitæ huius, & inclinauerint vmbræ ſæculi iſtius. A

12 Alter ſenſus. Orationis quæ ſit vis.

Iuxta alterum ſenſum, quo collem thuris eatenus pro oratione vſurpatum dixi, quatenus oratio imperatoria eſt: Vim orationis piæ animæ verbis hiſce ſignificat ſponſus cœleſtis, ſimulque eidem animæ modum ſubindicat, quem ſeruare debeat orans, vt oratio ipſius habeat affectum impetrationis.

Pro quorum intellectione ſciendum, vnam eandemque orationem efficacem duo ſimul efficere, aſcendit quippe vſque ad thronum Altiſſimi Dei, iuxta illud Pſalmi, *b Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo*; vbi petitiones ſuas excelſo proponit Deo; *c Non diſcedẽs donec Altiſſimus aſpiciat*; ſimulque mirabili plane modo efficit, vt qui celſiſſimus eſt Deus, ad ipſam adueniat, deſcendens quodammodo de ſublimi cœlorũ habitaculo per efflagitatæ gratiæ exhibitionem. B

b Pſ. 140. 2

c Eccl. 35. 21.

Deſcenſus Dei ad animam orantem quomodo fiat.

Hinc ſæpius orante Moyſe in tabernaculo, deſcẽdiſſe ibi dicitur gloria Domini in nube, vel in colũna ignis. Præclare autẽ iſte Dei deſcenſus deſcenſui nubis cõparatur in libro Eccleſiaſtici, vbi dicitur *a*: *Speciosa miſericordia Dei in tempore tribulationis, quaſi nubes pluuiæ in tempore ſiccitatis*: loquitur auctor libri Eccleſiaſtici de miſericordia Dei, qua Deus ſuccurrit animæ oranti, cum in tribulatione conſtituta eſt, vt patet ex præcedentibus. C

a Eccl. 35. 26.

Simile.

Sicut enim nubes, quæ in excelſo eſt aeris, per imbrem deſcendit in terram ſitientem. Ita & celſiſſimus Deus per gratias deſcendere intelligendus eſt ad animas, quæ ſitim earumdem gratiarum illi ſignificarint in feruenti oratione.

Simile. Oratio noſtra debet niti in meritis paſſionis Chriſti, vt gratias petitas conſequatur.

Porro, quemadmodum cum contingit, vt nubes ſit ſuper excelſo monte, ita in planam, ſitientemque terram deſcendit, vt tamen prius deſcendere conſpiciatur in montem, quatenus prius imbres pluit ſuper ipſum montem: tum per eaſdem aquas in demiſſiores deſcendit colles, ac demum è collibus ipſis in ſitientem deuenit planum. Eadem ratione, cum vniuerſum quarumlibet gratiarum meritum ſuper excelſa nitatur vita, ac paſſione Chriſti, qui per ſanguinem ſuum meruit nobis omne bonum, ſuper illo eſſe certe cenſendus eſt Deus, quando inſtar nubis exhibere ſe velit: atque adeo per gratiarum imbrem deſcendit prius in iſtiuſmodi montem meritorum Chriſti filij ſui: tum per montem deuenit ad collem orationis, qua gratiæ illæ efflagitantur: ac demum in animam per collem deſcendit, quæ inſtar terræ ſitientis, aquas expectat diuinæ nubis. Propterea apte hic ab ipſomet Deo dicitur, *Vadam*, primo, *ad montem myrrhæ*, per quẽ deſignatur mõs meritorum paſſionis Chriſti, tum ſubijcitur, *Et collem thuris*, quo ſtudiũ orationis ſignificatur. Ac ſi diceret. D

Paraphraſis.

Deſcendam ad ſtudium orationis, vt petitas gratiarum aquas ſuper illud effundam, at prius vadam ad montem myrrhæ, & meritum paſſionis Chriſti, vt per montem iſtum deueniam ad collem thuris, exaudiens orationes propter paſſionis dilectiſſimi filij mei merita. E

Ex quibus verbis tacite ſubindicatur, hunc modum nobis ſeruandum, quo orationes noſtræ ſuum conſequantur effectum: vt propter merita paſſionis Chriſti petamus, quicquid obtinere à Deo volumus, ac ex merito eiuſdem paſſionis id omne obtenturos ſperemus, quod ex merito ſimplicis orationis noſtræ obtinere minime poſſemus. F

Verſ. VI. cap. IV. *Donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ: vadam ad montem myrrhæ, & collem thuris.*

Expositio IV.

De tertia Sponſa, quæ eſt B. V. Maria.

Mariæ à Chriſto prænuntiatur gloria Reſurrectionis, & immortalitatis.

INuitaturus Dominus Ieſus in verſ. octauo Sanctiſſimam Genitricẽ ſuam ad perpetuam immortalitatis gloriam, indicat illi prius in hoc verſ. ſexto, quo pacto ad immortalitatis vitam iturus eſſet, etiã durante hoc ſæculo æſtibus miſeriarum flagrante vmbriſve mortis tenebricoſo; idque mediis paſſionibus, & ærumnis, iuxta illud: *a Nonne oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam?* Indicat vero hæc illi, vt perſuaſam eam reddat, quod ſicut ſocia erit ipſius in paſſione, ſic & in gloria quoque ſocia erit & in conſolatione.

Tangit hunc ſenſum Greg. Nyſſ.

a Luc. 24. 26.

Cur paſſio Chriſti dicta ſit mons, & reſurrectio collis.

Nec moleſtiam ingerere nobis debent nomina montis, atque collis, quibus & paſſio deſignata eſt, & gloria immortalitatis: nam primo aſpectu paſſionis exinanitio deſcẽſus potius eſt, quam conſcenſus: atque adeo haud congrue deſignari videtur metaphora mõtis, qui cum excelſus ſit, aſcenſionem requirit: Augeturque difficultas per id, quod poſt montem adiicitur metaphora collis, per quam immortalitas deſignatur: non poteſt enim concipi mẽte, quod ad immortalitatem deſcendendo peruentum ab eo ſit, qui de morte ad vitã ſurrexit immortalem. Rem ipſam tamen accuratius conſideranti-bus patet, congruentiſsime vtrumque dictum, & paſſionem montem excelſum, ac arduum, & immortalitatem collem depreſsiorem, atque amœnum.

Ex Theod.

Enimuero, cum Chriſtus Dominus ad paſſionem ſe contulit, rem ſibi maxime arduam aggreſſus eſt, quæ eſſet à ſuppoſito diuino maxime aliena: idcirco quaſi difficillimo itinere ad illam vt ad montem altum iturus, cum de ea loqueretur in Euangelio, dicebat: *b Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte*, &c. At, cum & paſſionibus ipſis, ac morte venit ad immortalitatem, quæ ſibi iam erat connaturalis, facillimo certe itinere, quaſi facili iucundoque deſcenſu de arduo monte ad collẽ deuenit delicioſum.

b Matt. 20. 18.

Paſſio Chriſti quomodo myrrha, & reſurrectio eiuſdẽ quomodo thus.

Apte quoque tam mons paſſionis myrrhæ dictus eſt mons, quam collis immortalitatis non amplius myrrhæ, ſed thuris eſt nuncupatus collis. Per myrrham quippe, quatenus amara eſt, amaritudo ſignificatur, quam in ipſo paſſionis monte guſtauit Redẽptor noſter: quatenus vero per eamdem mortuorum corpora condiuntur, mortalitas per illam deſignatur, & humanitas: mortalitas, quam in prædicto paſſionis monte Chriſtus exhibuit manifeſtam: humanitas, qua eumdem montem aſcendit; Per thus autẽ ſignificatur immortalitas, atque diuinitas, quatenus Dei religioni conſecratum eſt, cui ſoli per ſe, & naturaliter competit immortalitas, atque diuinitas. Sed per hanc ipſam thuris metaphoram, particularem inſuper modum ſubindicatum habemus, quo Chriſtus Dominus, quando ex arduo paſſionis monte ad collem immortalitatis per reſurrectionem deſcendit, ſuam patefaciens diuinitatem; in ipſo denique immortalitatis colle ad cælum eleuatus eſt, quemadmodum etiam thuris vaporem ex igne ad cælum eleuari conſpicimus.

Greg. Nyſſ.

Denique, quod, *Vadam mihi*, inquit, tam *ad montẽ myrrhæ*, quam *ad collem thuris*; illud ipſum ſignificare vult, quod in Euangelio manifeſtius expreſsit, dicẽs: *a Ego pono animam meam, vt iterũ ſumam eã: Nemo tollit eam à me, ſed ego pono eã à me ipſo: & poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.*

a Io. 10. 17.

Quod

Paraphra-ſis. Quod ergo hic dicitur, tale eſt. Quamuis reliqui homines ad plenam corporis & animæ immortalitatem minime perueniant, quoadusque aſpiret dies reſurrectionis; quæ in futuro facienda eſt ſæculo, & quoadusque inclinentur, & fugiant vmbræ ſæculi huius: Ipſe tamen, etiam perdurante ſæculo iſto, *Donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ, vadam mihi* ex memetipſo, & poteſtate mea ad collem immortalitatis, ad quem deueniam per reſurrectionem ex mortuis, aſcendam ad cœlos, inſtar thuris eleuatus: Vadá autem *ad ipſum* immortalitatis *collem* tunc, cũ prius ſummo labore ad arduum, & excelſum aſcendero *montem myrrhæ*, ac paſsionis, ac mortis: de monte ſiquidem illo facillimum mihi poſtmodum erit ad B delicioſum thuris collem deuenire; Ad quem & tu mecum ibis, cum mecum pariter ad montem ieris myrrhæ.

Verſ. VI. cap. IV. *Donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ: vadam ad montem myrrhæ, & ad collẽ thuris.*

Appendix Expoſitionum, Ex Antiquis Patribus collecta.

C

14 PAraphraſis Chaldaica: Et omni tempore, quo populus domus Iſrael tenebat manibus ſuis artem patrum ſuorum iuſtorum, fugiebant nocentes Spiritus tenebriores, & matutini ac meridiani Dæmones de medio eorum, eo quod maieſtas gloriæ Domini reſidebat in domo ſanctuarij, quæ ædificata eſt in monte Moriah, & omnes dæmones, & nocentes ſpiritus fugiebant ab odore incenſi aromatum.

Duo ſunt præcipui ſenſus iſtius ſententiæ, *Vadam ad montem myrrhæ, & collem thuris.* Primus eſt, vt hæc referantur ad paſsionem, & reſurrectionem Chriſti, D *Greg. Nyſſ.* quem ſequitur Gregorius Nyſſenus homilia ſeptima, Pſellus, Theodoritus, ac Philo Carpathius, & Rupertus Abbas, tametſi in modo explicandi haud ſimul conueniant. Gregorius Nyſſenus illud ipſum hic ſignificari, inquit, quod idem Dominus ſignificauit in Euangelio, cum dixit: *b Nemo tollit animam meam à me, ſed poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatẽ habeo iterum ſumendi*: ac per montem myrrhæ paſsionem accipiens; per collem vero thuris immortalitatem, ac diuinitatem, per eadem verba doceri nos exiſtimat; quod qui cum ipſo fuerit myrrhæ particeps, omnino erit etiam particeps thuris: nam qui fuerit cum eo paſſus, ſimul etiam conglorificabitur. E

b Io. 10.17 *Chriſtus paſſus eſt, & reſurrexit voluntate propria.*

Patiens cum Chriſto, cum eodem etiam glorificabitur.

Theodoritus, & Catena trium Patrum apud ipſum, ſignificatum per iſta, inquiunt, à Chriſto Domino, quod vellet & mori, & reſurgere ad immortalitatem ex ſemetipſo, & ex voluntate propria vtrumque facturus. Affert autem Theodoritus rationem cur paſsioni tributa ſit appellatio montis, immortaliati vero collis, eamdem, ac illam, quam nos proſecuti ſumus in quarta expoſitione: Quia paſsionis myſterium tam excelſum eſt, inquit, & tam arcanum, vt ab homine, animo, & cogitatione nequeat comprehendi; Vt autem ad propriam gloriam rediret, & clarificaretur ea gloria, quam habuit, antequam mundus fieret, id vere nec magnum, nec laborioſum: Idcirco *montem myrrhæ* dixit; *collem* autem *thuris*; vt hoc ſibi facile demonſtraret, illud autem arduum in primis propter humanitatem: id-eo ad mortem appropinquans, ait: *c Nunc anima mea turbata eſt.* &: *d Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.*

Theodori. Tres Patres. Paſſio Chriſti cur mons dicta, & cur reſurrectio collis.

c Io. 12.27. d Matt. 26. 39.

Pſellus. Chriſtus cur paſſus ſit.

Eodem ſenſu Pſellus apud eumdem Theodoritum, ita hæc reddit; Age tu mecum, qui cruci affixus ſum, crucifigere, vt magna item à Patre gloria mecum afficiare: Sponte enim volo ego ſane mortem oppetere; vt fidelibus diem ſalutis aſpirem, & vmbras diſcutiam impietatis.

Singulariter autem Philo Carpathius per montem myrrhæ corpus ſponſi intelligit, quod ſua ſponte neci oblatum eſt; Is enim *e* mons eſt, inquit, de quo legitur; *Abſciſſus eſt lapis ſine manibus, & contriuit ſtatuam, & factus eſt in montem magnum*: Myrrha vero ſecundum illam Ioſeph, *f* à quo hic mons ea vnctus eſt in ſepulchro. *Ad* hunc *montem myrrhæ, & collẽ thuris* voluntarie acceſſit ſponſus: vt non ſolum pro ſponſa mortuus ſepeliretur, verum etiam, vt pro eadem reſurgeret immortalis, ob idque colli thuris eius caro aſsimilatur: quod poſt reſurrectionẽ thuris inſtar viua ligna, iuſtos ſcilicet, germinatura etat.

Philo Carp

e Dan. 2. 34

Corpus Chriſti mons myrrhæ.

f Io. 19. 38.

Caro Chriſti collis thuris.

Secundo ſenſu, referuntur hæc eadem verba ad piæ animæ virtutes; Mortificationem, atque pietatem, ſeu Religionem, & orationem, eſtque ſenſus iſte communior Caſsiodori, Gregorij Papę, Philonis Carpathij, Iuſti Orgelitani, Aponij, Bedæ, Richardi, & aliorũ: Sicve explicatur fere cõmuniter, quomodo eum explicat Gregorius Papa, dum ait: *Ad montẽ myrrhæ, & ad collem thuris* ſponſus vadit quia eos familiariter viſitat, quos per mortificationem vitiorum ad alta proficere, & per humiles, & mundas orationes ſuauiter redolere proſpicit: His quippe virtutibus ſancta Eccleſia, vel vnaquæque anima munda efficitur: quia dum per voluptatum mortificationem vitiis reluctatur, & per ſanctas orationes frequenter lacrymis abluitur, ſordes lauat, vt ſponſo placeat.

15

Caſsiod. Greg. Pap. Phil. Iuſt. Aponius. Beda. Richard. Greg. Pap. Mortificationi, & orationi indulgentes Chriſtus viſitat.

Differt ab his parum Iuſtus, dum verba iſta ſic reddit: Coniungar his, qui ſe propter Deum mortificando creuerunt, ſeque illi offerendo odorem gratiæ propinare non deſinunt.

Iuſtus.

Magis autem ab iiſdem diſcrepant, quæ dicuntur ab Hugone de Sancto Victore: Is quippe lib. de amore ſponſi ad ſponſam tom. 2. legens: *Ibo mihi montem myrrhæ & colles Libani*; in hunc modum hæc exponit: Secum loquitur ſponſus, quod facturus eſt, quia ad dicendum dulce eſt, quod dulce eſt faciendum: & neſcio, quo pacto, quod multum cupimus, numquam loqui faſtidimus. *Ibo*, ait, *mihi*. Sibi vadit, quia ſingularis amor participem ſecreti non recipit. Sibi vadit, quia non vult ſodalem itineris, qui non patitur conſortem amoris. Myrrha, quæ amara eſt ad guſtandum, & corpora mortuorum à putredine ſeruat, ſignificat mortificationem carnis. Libanus, quod nomen interpretatur decandidatio, ſignificat munditiam carnis. Hæc ergo eſt via, per quam ſponſus ad ſponſam venit, mons myrrhæ, & colles Libani, quia primum per abſtinentiam concupiſcentiam carnis occidit, deinde per munditiem cordis, ignorantiam mentis abſtergit. Conuenienter autem dixit *montem myrrhæ*, non colles myrrhæ, & *colles*, non montem *Libani*: quia in afflictione debemus eſſe cõſtantes, & in ſucceſſu virtutum humiles. altitudo enim montis eminentiam ſignificat magnanimitatis, & mediocritas collis temperantiam humilitatis. Itẽ quod montem ſingulari numero poſuit, & colles plurali, ſignificat, quod in mortificatione exterioris delectationis parum eſt, quod perdimus, & in illuminatione mentis intrinſecus multiplex eſt bonum, quod inuenimus. In monte myrrhæ accipimus fortitudinem contra carnis concupiſcentiam, in collibus Libani accipimus illuminationem mentis contra ignorantiam.

Hugo Victor.

Qua via Chriſtus ſponſus ad animam ſpõſam veniat.

Cur montis & collis diuerſitas apposita ſit.

Anſelmus ſingulariter per montem myrrhæ martyrum ordinem ſignificatum exiſtimat: per collem thuris ordinem confeſſorum. Quod vero Chriſtus ait, *Vadam*, dici cenſet ob collationem gratiæ: quaſi tunc Deus vadat ad prædictos ordines, cum gratiam illis confert.

Anſelm. Martyrum ordo mons myrrhæ: ordo confeſſorum collis thuris.

Verſ.

A

Verſ. VII. cap. IV. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.*

Expositio I.

Iuxta ſonum litteræ.

1 SVbindicato loco, ad quem ſponſam ſuam ſecum commigrari peroptat, quo magis illam delineat, egregio epiphonemate ex omnimoda, & vſquequaque perfecta pulchritudine eam in hoc verſu ſponſus commendat, quam in præcedentibus celebrauit encomio particularium membrorum: idque, vt efficacius poſtea illam inuitet, alliciatque in verſu ſequēti, vbi dicet: *Veni de Libano*, &c. ac ſi dicat: Cum tota ſis pluchra, & macula non ſit in te, Veni, &c.

Littera certe eſt clara; Vnum nihilominus eſt notandum, quod haudquaquam apud omnes eſt compertum, per id, quod dicitur: *Et macula non eſt in te*: nō id tantum ſignificari quod in ſponſa nullus ſit næuus, nulla ſit cicatrix, nullaue ſit nota alterius coloris, quæ proprie macularū nomine deſignantur: Sed quod nec vlla in ipſa ſit deformitas, nulluſve defectus, quodve integra ſit omnino, & omnibus ſuis membris abſque inſigni deformitate conſtet.

Maculæ appellatione quid ſignificetur.

Enimuero maculæ appellatione hoc loco omne vitium deſignatur, quod eſt reprehenſione, & irriſione dignum, prout bene Sept. intellexiſſe ſignificarunt, dum Hebraicam dictionem מוּם mūm verterunt, μῶμος, id eſt, reprehenſionem, vitium ſcilicet reprehenſione dignum; Vt tantumdem ſit dicere: *Et macula non eſt in te;* ac ſi dicatur: *Et immaculata es*, ἄμωμος. Notum eſt autem, in Hebr. ad ſignificādum immaculatum vſurpari in ſacris litteris dictionem תָּם tham, ſeu תְּמִים thamim, id eſt, perfectus, & integer: atque adeo in libro Leuitici, vbi de ſacrificiis agitur, habentur hæc verba: *a Immaculatum offeret, vt acceptabile ſit, omnis macula non erit in eo*: Et declarans Dominus, quid intelligat nomine maculę: *Si cæcū fuerit*, ait, *ſi fractum, ſi cicatricem habens, ſi papulas, aut ſcabiē, aut impetiginem*, &c. Et idipſum comprobari poteſt ex aliis verbis hiſce, quæ in eodem libro habentur: *b Homo de ſemine tuo per familias, qui habuerit maculam, nō offeret panes Deo: Si cæcus fuerit, ſi claudus, ſi vel paruo, vel grandi, vel torto naſo, ſi fracto pede, ſi manu, ſi gibbus, ſi lippus, ſi albuginem habens in oculo, ſi iugem ſcabiem, ſi impetiginem in corpore, vel omnis, qui habuerit maculam de ſemine Aarō ſacerdotis, non accedet offerre hoſtias Deo.*

a *Leuit.* 22.

b *Leuit.* 21. 17.

His annotatis, iam facile eſt deducere ſenſum iſtorum verborum, *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*: Is autem duplex eſſe poteſt, prout & dupliciter accipi poteſt appellatio, *Amicæ meæ.*

Poteſt enim id ſumi, vt ſit appoſitum deſignans ipſam, quæ compellatur, ſponſam: quo ſenſu communiter ſumitur, vt in vocatiuo caſu dicatur; O amica mea; tota pulchra es, & abſque vlla macula, integra, atque perfecta.

Secundus ſenſus.

Vel ſecundo, vt haud vocatiuus caſus ſit, ſed nominatiuus, perque hoc appoſitum ſubindicetur cauſa, ob quam ſponſus dilectam ſuam dicat totam pulchram; ſeu, propter quam ſic illi videatur tota pulchra, &c.

Ac ſi dicatur: Quia *amica mea* es; cum amica mea ſis, *tota* mihi videris *pulchra*, & immaculata, atque omnimoda integritate perfecta.

Verſ. VII. cap. IV. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.*

Expositio II.

De prima Sponſa, quæ eſt Eccleſia Sancta.

2 HAud ambigendum, quin peregregia laus iſta ſanctæ Catholicæ, & Orthodoxę competat Eccleſiæ, habemus namque Apoſtolum Paulum, qui hanc illi adſcribit in Epiſtola ad Epheſios, vbi dicit, B *a Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt eam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid eiuſmodi, ſed vt ſit ſancta & immaculata.* Quia tamē ex Euangelio manifeſte colligitur, Eccleſiam, prout in præſenti eſt ſæculo, commixtam eſſe ex bonis, & malis; ſicut *b* in agro commixtum eſt triticū, atque zizania: *c* in ſagena miſſa in mare commixti ſunt piſces boni ſimul, ac mali: vt verum id ſit quod hic dicitur: *Tota pulchra es*, complures ex ſanctis Patribus, (vt videre eſt in Appendice) de eadem Eccleſia, vt in futuro erit ſæculo, C hæc dici arbitrati ſunt, de Eccleſia triumphante, quam certiſsimum eſt, eſſe totam pluchram, & vſquequaque perfectam abſque vlla labe vel minima, prout apparet ex eo, quod dicitur in libro Apocalypſis, vbi omnino mūda deſcribitur ſub metaphora *d* ciuitatis nouæ Ieruſalem, in quam nil intrat coinquinatum.

a *Epheſ.* 5. 25.

b *Matt.* 13. 25.

c *Matt.* 13. 47.

Eccleſia tota pulchra in futuro ſæculo

d *Apoc.* 21. 10.

Verum, tametſi expoſitio iſta congruentiſsima ſit, vt aptata ad verba Apoſtoli, haud ſane ita congruens exiſtimandavidetur vt aptata ad id, quod hic dicitur; *Tota pulchra es, amica mea*, &c.

Eccleſia in præcipuis ſanctis dicitur tota pulchra, & ſine macula.

Sermo enim fit manifeſte de pulchritudine præſenti, nō de futura. Vnde quidam adducti ſunt, vt exiſtimarint de Eccleſia, vt in præſenti ſtatu eſt, hæc D quidem intelligenda, ſed per Synecdochen, vt reſpiciatur ad præcipua, & præſtantiora eius membra, ad Beatam Virginem omnis peccati expertem, ad Apoſtolos, & inſigniora diuinæ gratiæ vaſa, quæ iuxta doctrinam Auguſtini *e* perfecta, & ſine labe dici meruerunt ea menſura perfectionis humanæ, quanta in hac vita poteſt eſſe perfectio. Cui ſane expoſitioni obſtat dictio, *Tota*, dicens quippe: *Tota pulchra es*: non aliquas partes, ſed vniuerſas complecti videtur.

e *Lib.* 1. *de retract. c.* 19

Mihi duplex placet iſtorum verborum ſenſus, vterque admodū congruus. Primus, vt hæc de Eccleſia Catholica dicantur ea ratione, qua dicitur Orthodoxa: vt tota pulchra aſſeratur, non ſecundum vitæ iuſtitiam: ſed ſecundum doctrinæ veritatem, prout dicitur in expoſitione ſymboli, quæ eſt inter opera Cypriani, quamve aliqui cenſent eſſe Ruffini. E

Primus ſenſus.

Notum eſt quippe, Eccleſiam ipſam, vt tota coniunctim, & collectiue ſumitur, quomodo conſideratur in Concilijs Oecumenicis, errare minime poſſe in doctrina tam fidei, quam etiam morum, propter præſentiam Spiritus ſancti: quamquam cōtingat ſæpe ſæpius, vt eadē diuiſim ſumpta erret & in doctrina, & in moribus: Propter quam perfectionem, & inconcuſſam eius integritatem Apoſtolus *f* illam appellauit columnam, & firmamentum veritatis. Sic *tota pulchra* dicitur ob eximia fidei dogmata, & ob inſignem ſanctorum morum doctrinam: nulla vero in ipſa reperiri dicitur macula; quia nil ſit in Oecumenicis Concilijs inuenire, quod vitium ſonet, quodve reprehenſione ſit dignum. F

Eccleſia in Conciliis œcumenicis eſt tota pulchra, & ſine macula ſecundum doctrinæ veritatem. Ruffinus.

f 1. *Tim.* 3. 5

3 Alter, qui & antecedentibus, & conſequentibus congruentior videtur, ſenſus eſt; vt Eccleſia de admirabili illa hic commendetur pulchritudine, quæ ex diuerſis ordinibus, & ex diuerſorum offi-

Secundus ſenſus.

officiorum varietate resultat: Cum enim in præcedentibus post laudatam generalem totius corporis pulchritudinem, cum exclamarat: *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es!* diuersorum, qui in ea sunt ordinum, sub metaphora variorum membrorum encomia prosecutus sit, quia haud omnium, & singulorum membrorum, ordinumque eius laudes prosecutus fuerat: nunc breuissimo hoc epiphonemate cœlestis sponsus id omne supplere nititur, quòd in superioribus omissum esset, simulque & allata enumeratorum membrorum, aut ordinū encomia amplificat. Ac si dicat.

Ecclesia tota pulchra in varietate, & ordine ministrorum.

Paraphrasis.

Non solum in contemplatiuis, qui oculorum in te vicem gerunt; In Religiosis, qui capilli tui sunt: In Doctoribus, qui tractatus componentes, dentium munus exercent: In prædicatoribus, instar labiorum sese habentibus: In Virginibus, genarum suffusis rubore, atque in Prælatis, qui spiritale tuum existunt collum, spiritalia & vbera; Non in his, inquam, duntaxat ordinibus pulcherrima es, & perfectionis, & sanctitatis decore insignis, sed & *tota pulchra es* in reliquis quoque membris, atque ordinibus: in viduis, in coniugatis, in sæcularibus, in iis, qui hospitalitatem sectantur, & in reliquis vniuersis, quos enumerare longum esset. integra enim es membris omnibus: nullaque in mystico corpore tuo est macula, nullus cuiuspiam ordinis, membrique defectus, nullum vitium, quod irrisionem tui causet.

Circa hunc sensum notandum, ita hoc loco commendari Ecclesiam Catholicam, quatenus corpus mysticum est ex multis, variisve constans membris, iis scilicet ordinibus omnibus, qui ad talis corporis compaginem, rectamque dispositionem necessarij sunt, in ea proportione, quam spiritualis pulchritudo requirit; in ea concordi ministrorum discordia, & discordi cōcordia, quā susius describit Apostolus in Epistola prima ad Corinthios *a* quāve in figura *b* intuita Regina Saba in ordine ministrorū Salomonis, tanta obstupuit admiratione, vt scriptura dicat, non habuisse vltra spiritum.

a 1. Cor. 12
b 3. Reg. 10. 15.

Simile.

Porro quemadmodum in libro Geneseos *c* de singulis, quæ creatæ fuerant, creaturis, deque singulis partibus mundi dicitur, quod erant valde bonæ, ac de tota ipsa fabrica conditi orbis dicitur, quod erat valde bona; Ita & in hoc pulchritudinis sponsæ encomio primo de aliquibus, quæ enumerata sunt, præcipuis Ecclesiæ Catholicæ membris, de aliquibus eius ordinibus peregregiis metaphoris, & similitudinibus comprobatum est, quod insigni decori sint pulchritudine, eximia sanctitate, ac omnimoda perfectione illa, quæ vel ad tale membrū, vel ad talē ordinem necessario requiritur. Tum & de tota ipsorum ordinum, atque membrorum, apta, congruentique compositione, & consonantia dicatur, quod tota pulchra sit, & macula non sit in illa, sumendo maculæ vocabulum meo sensu, quem declaraui in prima expositione. Ad quod quidem encomium verificandum satis est, vt in quolibet ordine aliqui sint, qui debito, & congruenti modo suum exerceant munus, quorum certe haud dubium est, quin ingens in Ecclesia iustorum sit copia, quibus & eæ competunt pulchritudinis laudes, quæ in præcedentibus singulis assignatæ sunt membris. Nihilve officit, si plures etiam praui in singulis reperiantur ordinibus, qui male sua exercent munia, sicut nec id veritati obstat istius laudis vniuersalis, quod in iis ipsis, qui perfectiores sunt in ordinibus, aliquæ sint peccatorum maculæ, cum verum id pariter sit, *d* quod *nemo mundus à sorde*. Et quod Dominus ait; *e Cum hæc omnia feceritis, dicite, quia serui inutiles sumus*: & quod *f* vniuersæ *iustitiæ nostræ sunt tamquam pannus menstruatæ* ante Deum; satis est enim quod si Ecclesiæ ordo, & admirabilis concentus, ex varietate statuum, graduum, & ordinum, & ministrorum resultans consideretur, nihil in illa sit, quod non sit pulchrum, rationi, & diuinæ legi consonum, nullusve sit defectus, aut macula, quæ reprehensioni subsit: satis est, vt in quolibet ordine reperiantur, qui pro viribus perfecti in eo esse nituntur.

c Gen. 1. 31

d Iob 15. 4.
e Luc. 17. 10.
f Isa. 64. 6.

Vers. VII. cap. IV. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.*

Expositio III.

De secunda Sponsa, quæ est Anima Iusti.

SI difficile videbatur in principio præcedentis expositionis encomium istud Catholicæ competere Ecclesiæ, propterea quod permixta ipsa sit Ecclesiæ ex iustis, & iniustis: multo sane difficilius videtur, id ipsum explicare, vt cuilibet competat animæ, quæ iusta, pia sit, & cum haud appareat quomodo vere tota pulchra, & sine vlla macula dici ea queat, de qua sexcenta sacrarum litterarum loca testantur, quod sordibus peccatorum immunda sit, vt cū dicitur: *a Non est homo qui non peccet*: *Nemo* b *mundus à sorde*: c *Omnes nos quasi oues errauimus*: d *Septies in die cadit iustus*: e *Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*. Et: f *in multis offendimus omnes*.

4 *Anima pia dicitur tota pulchra, quatenus non habet peccatum mortale, quod tollit amicitiam Dei.*

a 3. Reg. 8. 40.
b Iob 25. 4.
c Es. 53. 6.
d Prou. 24. 16.

Sed facile difficultas ista tollitur vniuersa, si, iuxta communem sanctorum Patrum sententiam, supponamus, sub macularum appellatione illa duntaxat designari peccata, quæ amicitiā Dei, & gratiam tollunt, mortalia scilicet, eaque haud adhuc remissa: de his enim aperte & Ioannes loquitur in sua prima Canonica, cum inquit: g *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est*. Tantundem autem est dicere: Amica mea sine macula est, ac, Omnis, qui natus est ex Deo, non peccat: Is quippe ex Deo, natus est amicus Dei, prout idem Ioannes testatur cum paulo inferius dicit: h *Omnis, qui diligit, ex Deo natus est*: Et tantumdem est dicere: Is, in quo semen Dei manet, nō potest peccare; ac, Amicus Dei, dū amicus Dei est, dū gratia, quā semē Dei Apostolus nuncupat, in illo est, est sine macula; de quo in Psalm. dicitur: i *Beatus vir, cui nō imputauit Dominus peccatum, nec est in spiritu eius dolus*: vt susius docet Augustinus libro de perfectione iustitię cōtra Cęlestinū tom. 7. & alias sæpissime, Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum, & dialog. contra Pelagianos lib. 1. Prosper lib. 1. de vita contemp. cap. 9. Fulgentius li. 1. ad Monimum. In eo vero sensu supponendum est, istiusmodi animam, quæ vt amica Dei, vt ex Deo nata, atque vt semen Dei se habens, & sine macula est, & non peccat peccato, quod Dei amicitiam, & gratiam tollat, totam pulchram esse, quamuis vel grauiora prius commiserit crimina, à quibus baptismi abluta est aqua, aut pœnitentiæ, vel leuioribus adhuc obfuscetur peccatis: quo sensu Christus Dominus k Apostolos mundos esse contestatus est apud Ioannem, quamquam pedes haberent inquinatos, & multis etiam criminibus saltem aliqui ex ipsis in anteacta vita fuerint contaminati, sanctitate, & pulchritudine illa, quæ haberi in via potest, & in vita præsenti, secūdum quam, quotquot iusti sunt, dicuntur perfecti, & immaculati in sacris litteris, vt in Genesi: *a Noe vir iustus, atque perfectus cum Deo ambulauit*: ad Philippens. *b Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus*, & in Psalm. *c Ero immaculatus cum eo, & obseruabo me ab iniquitate mea. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*. Videatur Augustinus libro octauo Quæstionum Dulcitij, quæst. 5. tom. 4. vbi exponit, quo sensu Dauid, qui peccauit grauissime, dicatur tamen secundum cor Dei, cui suffragatur Hieronymus citato libro 2. contra Iouinianum, Ambrosius Apologia Dauid cap. 6.

g 1. Ioan. 3. 9.
h 1. Ioan. 3. 7.
i Ps. 31. 12. *Augustin.*
k Io. 13. 10.

Perfectio iustitiæ vitæ præsentis est imperfecta.

Hieronym. Prosper. Fulgentius.

a Gen. 6. 9.
b Phil. 3. 15
c Ps. 17. 24. Ps. 118. 1. *Augustin.*

Hieronym. Ambros.

Baſilius. Chryſoſt. cap.6. Baſilius homil. de pœnit. Chryſoſtomus homil. 41. in Geneſim cap. 18. Quam certe pulchritudinem, quamve admodū imperfectam iuſtitiæ, ac ſanctitatis perfectionē in ſe optime ipſamet recognoſcit, quæ ſponſa eſt Dei: dumque de ea gloriatur in Domino, ne quis (vt de ſe ait Apoſtolus,) *d* exiſtimet ipſam ſuper id, quod videt in ipſa, aut audit aliquid ex ipſa, quomodo cum imperfectione admixta illa ſit, conteſtatum omnibus eſſe voluit, cum in principio huius Cantici dicit; *e Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Ieruſalem.* Et: *Nolite me conſiderare, quod fuſca ſim.*

d 2. Cor. 2. 6.

e Cant. 1. 5.

Peccata noſtra inſpicere ſubtiliter nos debemus, ne Deus acutiſſime illa inſpiciat.

Quo loco notandum, quam diuerſo modo ſe habeat Deus, ac vnaquæque anima in æſtimatione, ac inſpectione peccatorum. Dum enim anima aliqua eorum, quibus fuſca eſt, peccatorum nullam rationem habens pulchram ſe cenſet, & ſanctam; Deus è veſtigio acute illa inſpicit, *f* ſcrutanſque ipſas eius iuſtitias in lucernis, deformem eam pronuntiat, prout ſub alia metaphora ſignificatum habemus in libro Apocalypſis his verbis: *g Quia dicis, quod dives ſum, & locupletatus; & nullius egeo, & neſcis, quia miſer es, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus;* cū vero ipſamet anima ſingulorum vel leuium rationem habet, & minima quæque in ſe inſpicit peccata, & quamuis grauioribus criminibus commaculatam ſe haud eſſe intelligat, pronuntiat ſe ita formoſā ex Dei gratia: vt tamen nigra ſit ex ſe ipſa: Deus haudquaquam eius nigredinem videns, totam pulchram illam prædicat, & ſine vlla macula: & bene, nam *h qui ſe humiliat, exaltabitur, & qui ſe exaltat, humiliabitur.*

f Sophon. 1. 12.

g Apoc. 3. 17.

h Matt. 23. 18.

Anima pia eſt tota pulchra per impletionem totius legis, eſt ſine macula per declinationē ab omni opere malo.

5 Subtilius autem encomium iſtud perpendentes, ex duplici appellatione, qua ea inſignitur anima, quæ hic commendatur; altera, qua in lectione vulgata dicitur *amica* Dei: altera, qua ſecundum lectionem Hebraici textus, & verſ. Septuag. *proxima* dicitur eiuſdem Dei, rationem propriam intelligere eſt, cur Deus non inſpiciat, nec videat maculam vllam in ea, quæ vel ob præcedentia crimina, vel ſaltē ob complura peccata venialia fuſca alioquin eſt, & nigram ſemetipſam aſſerit: ſimulque omnimoda veritas innoteſcit eiuſmodi laudis.

Peccata animæ piæ, quæ amica Dei eſt, non videntur à Deo, & ratio.

Ex eo quippe, quod amica Dei eſt, fit, vt nec inſpiciat, nec videat Deus maculam, aut nigredinem vllam in anima. Enimuero, cum vera amicitia mutuam præſupponat dilectionem inter Deum, ac animam, per id, quod Deus animam diligit, efficitur, vt minime videat illius nigredinem atque peccata, quatenus illorum haud habere cenſetur rationem: quia (vt dicitur in libro Prouerbiorum) *i vniuerſa delicta operit charitas*: per id autem, quod anima Dei charitate ſuccenſa eſt, fit, vt nec ſi attentius illam inſpiciat, videat Deus ipſius nigredinem: quia charitatis ignis eam illuſtrat, & maculam omnem abſtergit, prout ferro contingere videmus, quod, etſi nigrum ex ſe ſit, & tametſi maculis aliquibus conſperſum eſſe contingat; cum tamen per ignem candeſcit, nullam intuentibus præſefert nigredinis ſpeciem, nullam & maculæ formam, quin vt ignitum ignis ſpeciē exhibet, & fulgorem.

i Prou. 10. 12.

Simile.

Anima pia per propinquitatem ad Deum tota pulchra eſt.

Per id vero, quod eadem *propinqua* Dei dicitur, & proxime Deo adhæret, conſpicuum plane redditur, quam vere dicat illā Deus totam pulchrā, & ſine macula, licet ipſa ſe fateatur nigram: *k Quæ enim conuentio luci ad tenebras?* l *Accedite ad eū*, inquit Propheta, *& illuminamini, & facies veſtræ nō cōfundentur*: ob aliquā ſcilicet obſcuræ nigredinis, aut maculæ deformitatem non confundentur. Ita ſiquidem per hanc propinquitatem pia illuminatur anima, vt quemadmodum Deus, cui adhæret, lux eſt: ita & ipſa, quādo digna facta eſt admitti *in partem ſortis ſanctorum in lumine*, erepta, vt ait Apoctolus, *de poteſtate tenebrarum & tranſlata in regnum filij dilectionis ſuæ*, inſtar lucis tota pulchra reddita ſit, tenebrarum expers: quin imo lux ipſa effecta, iuxta illud Pauli: *m Eratis aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino*, id

k 2. Cor. 6. 14.

l Pſ. 33. 6.

Simile.

Coloſſ. 1. 12.

m Ephe. 5. 8

eſt, propter propinquitatem, quam habetis ad Dominum. Quidni igitur totam pulchram, iuſtam, & ſanctam dixerimus, quam per approximationem ad Deum lucem veram nouimus exhibitam pariter lucem? *n Fructus lucis*, ſubdit Apoſtolus, *eſt in omni bonitate, iuſtitia & veritate*, id eſt in omnimoda pulchritudine.

n Ephe. 5. 9

Addi poteſt & alia ratio veritatis eiuſdem encomij, quæ ex eadem appellatione deducitur; nam cum ob id Dei proxima dicatur: quia Deo proxime inhæreat per charitatis vinculum illi connexa: cumque id proprum ſit dilectionis, vt in rem dilectam eam transformet, quæ diligit, provt alias oſtēſum eſt ſæpius; conſequitur manifeſte, vt pia ipſa anima in Deum transformata, cuius eſt proxima, quaſi ſpeculum Dei formam in ſe repræſentans, Deoque ſimilis facta in ſanctitate, tota pulchra ſit, & ſine macula, quātum humana fragilitas poteſt, ſicut & Deus totus ſanctus, & ſine macula, iuxta illud, *o Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum.*

o Leuit. 11. 44.

Denique anima iſta, quæ & amica Dei eſt per ardentem dilectionem, & proxima per cohabitationē in cæleſti tabernaculo, & in monte ſanctitatis illius, quatenus eius conuerſatio in cælis eſt, aptiſsime & tota pulchra dicitur, & ſine macula: non pulchra ſimpliciter; ſed *tota pulchra*, & *ſine macula* tota pulchra.

6

Hæc etenim duo neceſſario requiruntur ad hoc, vt quis amicus Dei conſtituatur, vtve dignus ſit, qui proxime Deo adhæreat in monte ſanctitatis illius, priuatio omnis mali, & ornatus omnis boni, omniſque virtutis, iuxta illud: *p Declina à malo, & fac bonum, & inhabita terram, & paſceris in diuitijs eius.* Vnde & in Pſalm. 14. ad interrogationem illam, *a Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?* Reſpōdetur: *Qui graditur ſine macula & operatur iuſtitiam.* Tantumdem eſt autem dici, animam eſſe operantem iuſtitiam, ac dici, totam pulchram eſſe: ſiquidem, cum ob id pulchra ea ſit, quia amica Dei eſt, & quia diligit Deum: per operationē certe inſtitiæ decora eſſe conuincitur: nam probatio dilectionis, exhibitio eſt operis: & ipſa Dei dilectio in hoc potiſsimum ſuum exhibet decus, quod opere diuinam implere facit legem, iuxta illud: *b Plenitudo legis eſt dilectio.* Et: *c Qui verbum Dei ſeruat, in hoc charitas Dei perfecta eſt.* &: *d Hæc eſt dilectio, vt mandata eius cuſtodiamus.*

p Pſ. 36. 27.

a Pſ. 14 1.

b Rom. 13. 10.

c 1. Io. 2. 5.

d Ioan. 5. 8.

Quia vero pulchra eſſe nō poſſet, ni tota eſſet pulchra: & tota pulchra non eſſet, ſi aliqua ei ineſſet macula, aliquisve defectus in impletione alicuius mandati, cum bonum (vt dicit Dionyſius) conſurgat ex integra cauſa, malum autem ex particulari defectu. Et *e* qui in vno errauerit, factus ſit omnium reus; ideo bene adiectum eſt: *Et ſine macula*: Æq; eſt enim, ac ſi dicatur.

Dionyſ. li. de diuin. nomin. c. 4.

e Iacob. 2. 10.

Quæ *amica mea* es per gratiam, qua mihi gratiſsima es, quæve *proxima* item *mea* es per arctiſsimam, qua mihi inhæres, dilectionem, pulchritudine virtutum omnium, qui vniuerſa imples mādata mea, *tota pulchra es*: neque enim aliquem in te inſpicio defectū, quo reprehendēda ſis, quod integre legē meam non impleas, ſed decor ipſe tuus integer eſt, atque perfectus, illi propemodum ſimilis, quo & ipſe totus pulcher, atque perfectus prædicor, in me videlicet per dilectionem transformata, meamque formam aſſumens per illam ipſam, qua mihi proxime inhæres, propinquitatem.

Paraphraſis.

Verſ.

Vers. VII. cap. IV. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.*

Expositio IIII.

De tertia Sponsa, quæ est Beata Virgo Maria.

7 *Mariæ propriissime cõpetit laus ista, & quomodo.*

ETsi laboratum aliquantulum sit in peregregia laude ista accommodanda ad Ecclesiam, tum etiam ad animam in duabus præcedentibus expositionibus : laborandum tamen minime est in eadem accommodanda ad B. Virginem, cui proprius encomium istud competit, vt tota pulchra dicatur, & sine vlla macula: vtpote quæ haud mortalis duntaxat peccati expers fuit; sed & originalis : & quæ aliena etiam extitit ab omni, vel minima ruga peccati venialis : quod de alijs sanctis quantumcunque perfectis asserere haudquaquam licet, iuxta sententiã Aug. *Augustl. lib. de natura, & gratia, c. 36.* guſt. qui ait: Excepta Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem: Vnde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum? Hac virgine excepta, si omnes Sanctos, & Sanctas, cum hic viuerent, congregare possemus, & interrogare, vtrum essent sine peccato: rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, vna voce clamassent: *f Si dixerimus, quia peccatum nõ habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Haud necesse est, vt in hac veritate comprobanda longius detineamur, cum aperte iam definitam eam habeamus in Concilio Tridentino sessione 6. can. 23. videantur quæ super illum Canonem fusius tractat Andreas Vega de Iustificatione lib. 14. cap. 18. *f 1. Io. 1. 8.* *Andreas Vega.*

8 *Maria tota pura & absque peccato.*

Illud duntaxat hoc loco haud prætereundum censeo: adeo proprie encomium istud omnimodæ pulchritudinis, quæ in duobus sita est, in immunitate ab omni peccato, & in decoro iustitiæ, ac virtutum omnium ornatu, B. Virgini competere, vt & ipsamet integerrimam pulchritudinem istam à Deo sibi collatam intelligens, gratias ve Deo pro illa agens, ob hæc duo magnificet Dominum, & exultet spiritus eius in Deo salutari suo; idque apud Isaiam, provt bene notat Petrus Galatinus lib. 7. de arcanis Catholicæ veritatis cap. 5. sic enim ait: *g Gaudẽs gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis Iesu, & indumento iustitiæ circundedit me:* id est; Quia quasi vestimento, quo totum corpus cooperitur, ita me totam circundedit, operuitque ornamento iustitiæ : & quia iis ipsis illibatis me induit vestimentis puritatis, quibus indutus est Iesus filius meus, corpore, quod sine macula conceptum nulli vel minimo peccato obnoxiam me redderet : qualia fuerunt indumenta illa carnis item, ac corporis, quibus in vtero meo indutus est Iesus vnigenitus filius Dei. Neque vero scrupulum alicui ingerat, quod in Vulgata non habetur: *Quia induit me vestimentis Iesu*, sed, *Quia induit me vestimentis salutis* : nam ex Hebraico textu colligitur, nomen salutis, quod in editione nostra habetur, Iesum Christum designare: siquidem in Hebræo est ישוע iesuang. Quæ dictio ita salutem significat, vt tamen sit etiam proprium nomen Verbi incarnati, quod ab Angelo ei impositum dicitur ob effectum salutis, qui per ipsum faciendus erat in medio terræ: in qua acceptione sumpsit eamdem dictionem etiam noster Interpres in Cantico Habacuc, vbi vertit: *h Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.* *g Isa. 61. 10.* *Pet. Galat.* *h Habac. 3. 18.*

A Quomodo illibata, omnisque maculæ expertia indumenta ista iustitiæ integerrimæ eque Christo competant Iesu, ac B. Marię: & quomodo puritas, ac sanctitatis pulchritudo perfecta ita Mariæ, ac Christo proprie competant; vt tam ista dicatur tota pulchra, & sine macula, quam ille totus pulcher, & sine macula dicitur : & nihilominus ingens, ac maximum sit discrimen inter modum vtriusque : Et quale sit hoc discrimen, explicatum videri potest supra in capite primo, expositione quarta super illa verba versiculi sexti, *Nolite me considerare, quod fusca sim, quia decoloravit me Sol.*

B ---

Vers. VII. cap. IV. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.*

Appendix Expositionum, Ex antiquis Patribus collecta.

9 *Ecclesia triumphalis tota pulchra, & sine macula.*

PAraphrasis Chaldaica: Et in tempore, quo populus domus Israel faciunt voluntatem Dominatoris sæculi, laudat eos in cœlis excelsis, & sic dicit; Tota pulchra es congregatio Israel, & macula non est in te. C

Quamquam omnibus indubitatum sit, tam eximium pulchritudinis encomium, quod vel in Ecclesiam, vel in piam animam confertur, intelligi de Ecclesia triumphante, quo modo illud exponunt Hieronymus lib. 3. aduersus Pelagianos, Augustinus Retract. lib. 1. cap. 19. ac lib. 2. cap. 12. Beda super hunc locum, atque Bernardus serm. 38. in Cant. ad finem: Vel etiam de pia anima glorificata, vt eadem exponit Gregorius Nyssenus homil. 7. qui ex eo, quod verba ista, *Tota pulchra es*, immediate subiecta sunt verbis iis, *Ibo mihi ad montem myrrhæ*, &c. Notat, significari per hæc humanam animam non aliter purgari à macula, quam si agnus, qui tollit peccata mundi, vniuersum per passionem suam deleuerit vitium, & eum, qui semel per Christi resurrectionem fuerit in gloria diuina, totum fieri pulchrum, remotum ab omni macula aduersa. Non desunt tamen complures patrum, qui tam Ecclesiæ, quam piæ animę etiam in præsenti sæculo idem ipsum encomium congruere asserunt. D

Hieronym. Augustl. Beda. Bernard. Anima glorificata & sine macula, & tota pulchra. Greg. Nyss.

Pulchritudo in animabus est ex Christi passione, & resurrectione.

Iustorum Ecclesia militans dicitur tota pulchra & sine macula.

Explicant illud vt competens Ecclesiæ iustorum militanti Hieronymus lib. 8. in Ezechielem, Augustinus lib. 1. Retract. cap. 19. & lib. 5. de baptismo cõtra Donatistas, Theodoritus afferens & rationem, ac dicens: Immaculata, & pulchra euasit sponsa, quia propinqua sponsi effecta est, atque ita omnes splendores suscepit, & lucida ex ipsa luce reddita est: quæ ad piam animam recte accommodantur : quamquam in principio lib. 3. item in Cant. idem ipse Theodoritus Ecclesiæ iustorum encomium istud tribuat. E

Hieronym. Augustl. Theodorit. Anima pia tota pulchra, & sine macula, quia propinqua lucis.

Tametsi Augustinus aliam attulerit rationem in lib. de Vera, & falsa pœnitentia cap. 7. (Si Augustini est liber ille.) Non esse nimirum maculas in Ecclesia, quatenus illas abluit per pœnitentiam.

Augustl. Pœnitentia reddit Ecclesiam sine macula.

Iustus quoque Orgelitanus eumdem prosequens sensum de Ecclesia iustorum, eatenus illam dictam inquit pulchram totam : quia pulchra nedum in Apostolis, Martyribus, Virginibus, sed & in continentibus, & in quolibet ordine. F

Ecclesia tota pulchra in quolibet ordine sanctorum.

10 *Tres Patr. Cassiodor. Greg. PP. Phil. Carp. Pulchritudo piæ animæ qualis sit.*

Ad piam vero animam, vt in via est, & in præsenti sæculo, hæc referunt Ambrosius, Catena trium Patrum, Cassiodorus, Gregorius Papa, Philo Carpathius, Beda, & Anselmus: Vnde Ambrosius libro 1. de Virginibus, ait: Pulchritudinem quis potest maiorem existimare decore eius, quæ amatur à Rege, pro-

batur à iudice, dedicatur Domino, conſecratur Deo? Semper ſponſa, ſemper innupta, vt nec amor finem habeat, nec damnum pudor: Hæc, hæc profecto vera pulchritudo eſt, cui nihil deeſt, quæ ſola meretur audire à Domino: *Tota es formoſa proxima mea, & reprehenſio non eſt in te.*

Tres Patr. Declarat Catena trium Patrum, quomodo ipſa anima ſit tota pulchra, dicens: *Tota*, ait, *pulchra es, proxima mea*; mente nimirum, & anima, & carne: Carne quidem, vt per actionem à varijs perturbationibus purgata, & virtutum moribus excellens: Anima autē, vt ab omni improba cupiditate ſeiuncta, & ſermonibus decorata mandatorum: Mente vero, vt ab exilibus etiam cogitationibus liberata, ac ſplendida, & per gratiam in Spiritu ſancto diuina effecta: Et propterea *macula non eſt in te*, quæ mihi ob perfectionem propinqua es.

Anima pia quomodo tota pulchra in mente, anima, & carne.

Porro hoc, quod dicitur: *Et macula non eſt in te*, de macula criminali, atque mortali intelligendum indicat Anſelmus: Communius tamen, propter pœnitētiam id verificari, prædicti aſſerunt Patres: vnde Gregorius Papa: Dum ſancta, inquit, anima à peccatis quotidianis ſe per pœnitētiam mundat: dum quotidie peccata minuta cum lacrymis abluit, & à maioribus ſe obſeruat: quamuis frequenter peccet, per aſsiduam tamen pœnitentiam munditiam ſuam aſsidue ſeruat. Hinc enim alibi præcipitur: *a Semper ſint veſtimenta tua candida.* & illud: *b Iuſtus autem ex fide viuit:* quamuis enim mox vt peccat, à iuſtitia deuiet: tamen dum ſemper credit in eum, qui iuſtificat impium, & aſsidue ſub eius fide peccata ſua deflet, per aſsiduas ablutiones iuſtitiam ſuam retinet.

Anſelmus. *Greg. PP.* *Anima pia & Eccleſia per fidem, & pœnitentiam ſit tota pulchra, & ſine macula.* a *Eccl.* 8. 9. b *Rom.* 1. 17.

At B. Virgini potiſsimum, quod hic dicitur, tribuendum putant alij. Videatur Hugo de S. Victore ſerm. 9. inſtit. Monaſt. atque etiam ſermo. in feſto Aſſumptionis B. Mariæ, qui eſt in fine tom. 2. operum eius.

Maria quā vere ſit tota pulchra. *Hugo Vict.*

Singulariter autem Rupertus Abbas, per hæc ait, Chriſtum B. Marię ſignificare: tunc demum, cum ipſe mortuus fuerit, & reſurrexerit, aſcenderitque in gloriam Patris, dicturum illi, *Tota pulchra es, & macula non eſt in te*: dicturum, inquam, magna & manifeſta prædicatione; quamuis enim B. Virgo ſemper tota pulchra fuerit, poſt aſcenſionem tamen Chriſti id apparuit; quod ſcilicet Virgo conceperit, genuerit, & virgineis lactarit vberibus, idque eſt, totam pulchrā, & ſine macula prædicari.

Rup. Abb. *Maria poſt aſcenſionem Chriſti prædicata tota pulchra, & ſine macula.*

Verſ. VIII. cap. IV. *Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.*

Expositio I.

Iuxta ſonum litteræ.

IAm tandem ſuam ſponſus patefacit intentionem, propter quam hanc totam contexuit orationem: ea vero eſt, vt dilectum ſuum ad ſecum commigrandum pertrahat. Propoſuit ſane locum, in quem ſibi tendendum eſſet, montem myrrhæ, & collem thuris, taciteque ea loci propoſitione illam inuitauit in verſ. 6. At nunc ipſam iterum inuitat apertius, vtiturve ſingulari medio; vt id ei perſuadeat, ingentia exponens pericula eius loci, in quo ipſa tunc commorabatur, inuenſque & aſperitatem eorumdem locorum, in quibus ea ſe detinebat, vtpote quæ ſimilia eſſent montibus iis, qui & celſiores in Iudæa reperiebantur, & difficiliorem exhibebant acceſſum, & in quibus leones, ac feræ quæque latitarent. Volens quippe magna energia explicare illorum locorum pericula, explicat ea per nomina trium montium altiſſimorum omnium montium Iudææ, in quibus ingens eſſet ferarum copia: vnde per appoſitionem eos nuncupat cubilia leonum, & montes Pardorum. Eſt autem Libanus inſignis Phœniciæ mons ſacris litteris, & hoc in primis Cātico celebratiſſimus, qui Iudææ fines à Septemtrione claudit. Neque enim vllo modo probandū videtur mihi, quod hoc loco aſſerunt aliqui, Libanū, cuius hic fit mentio, non eſſe dictum monte in Phœnicia ſitum, ſed alium in Iudæa, qui etiam ſaltus Libani interdum nominatur, à Iudæorum Regibus, multis & peregrinis arboribus conſitum, & propter ſimilitudinem aliquam cum ipſo Libano Phœniciæ, ſic Libani appellatione nuncupatum: nam ſi Libanus hic pro ſaltu Libani poneretur, quomodo dicerentur, in eo eſſe luſtra leonum, atque pardorum? Deinde ex ipſa commemoratione aliorum montium Libano Phœniciæ proximorum manifeſte apparet, haud ſaltum Libani, ſed Libanum ipſum hic ſignificari. Adde quod ſi in verſ. 6. per montem myrrhæ, & collem thuris ipſum ſaltum Libani deſignatum velimus, provt ibi notatum eſt in prima expoſitione; congruentiſſime hoc loco ſponſa à monte Libano periculis ſubiecto ad ſaltum ipſum Libani periculorum expertem, & delicijs redundantem reuocari videtur. Poſt Libanum ponit ſponſus alium montem, *Amana* nuncupatum, qui altiſsimus pariter eſt, trans Iordanem iuxta Libanum ſitus in finibus terræ Iſrael ad Septemtrionem; quamquam non deſint, qui exiſtiment, Amanum, cuius hic fit mentio, eſſe alterum montem eiuſdem nominis, qui Ciliciam à Syria dirimit, de quo Plinius lib. 5. naturalis hiſtoriæ cap. 22. Poſt Amanum ponit tertium montem duplici nomine inſignitum, eo quod biceps eſſet, *Sanir*, & *Hermon*, qui prope Amanum etiam ſitus eſt, de quo Deuteron. 3. & 1. Paralipom. 5.

Hic ergo planior, atque facilior eorum, quæ hic dicuntur, ſenſus mihi eſſe videtur: Ac ſi dicatur: *Veni* mecum ſponſa de locis iſtis maxime arduis, ingentibusve periculis expoſitis: *Veni* mecum: *Veni* obſecro ad montem myrrhæ, & collem thuris, ad loca amœniſsima: & *coronaberis* perpulchrorum, ac ſuauiter redolentium florum corona: flores ibi conſpicies, colligeſque vbertim, quibus corollas tibi contexas. *Paraphraſis.*

Quatuor porro illa notanda ſunt, quibus ſummo artificio iſta amplificatur inuitatio: Primo ſiquidem per hoc, quod tribus vicibus replicatur verbum, *Veni*, vehementiſsimum ſignificatur inuitantis deſiderium, ingenſque eius rei affectus. Secundo, dum ei, quæ huc vſque dilectæ tantummodo erat inſignita appellatione, hac prima vice nobilius tribuitur nomen *ſponſæ*, nouo iſto vocabulo nedum delinitur ipſius dilectæ animus, ita vt iucundius pertrahenda videatur: Sed & obligatio quædam illi ſubinnuitur ad id faciendum: ſtatim enim ac puella quæpiam ſponſa effecta eſt alicuius, eo tendat neceſſe eſt, quo ſuus voluerit ſponſus: nec decet, ſponſam alicubi commorari, abnuente ſponſo. Tertio, per propoſitam trium montium metaphoram, altera eidem ſignificatur neceſsitas, ob quam debeat diſcedere è locis illis, in quibus demorabatur: vt nimirum ingentia pericula, quibus ſubiecta ibi erat, deuitaret. Denique per adiectum verbum, *coronaberis*, propoſito quoque præmio, lucrove, ad ipſum faciendum pellicitur: lucrum vero, ſeu præmium iſtud dupliciter intelligi poteſt, vel coronæ florum, quam nouæ nuptæ, præſertim quæ agreſtes ſunt, magni facere ſolent: Vel coronæ regiæ, quam tunc priobtinere debebat, quæ tunc primum declamum rata

rata aperte est sponsa Regis Salomonis diademate coronati in die desponsationis, & lætitiæ cordis sui: hicque qui loquitur, recedet à persona Pastoris, provt & alias eumdem feciſſe vidimus in superioribus.

2 *Montium nomina hoc versu metaphorice sumenda.*

Metaphorice, iuxta allatum istum sensum, tres eos, qui hic nominantur, montes desumendos exinde adducor; quod, si proprie sumantur, non videam congruum huius orationis sensum: Nam neque is, quem fere communiter asserunt & Latini & Hebræi; vt ex altissimis illis montibus sponsa suadeatur discedere, ac vna cum dilecto suo commigrare, vllatenus congruens toti huic esse potest dramati, cuius scena nulli dubium est, quin sit Sion, atque Ierusalem; Sion, inquam, & Ierusalem cum agro suo, vt non obscure colligitur ex eo, quod filiabus Sion dictum est in fine capitis tertij, vt egrederentur ad videndum Regem Salomonem diademate redimitum, sæpiusque ad easdem filias Ierusalem sermonem directum reperimus. Quis vero est, qui nesciat, quam longe nominati montes absint ab Ierusalem? Neque vllo pacto probare possum alterum illum sensum, quo secundum Legionensem sponsa ipsa ad illos altissimos montes inuitatur, quasi sponsus, quo facilius ei persuadeat, vt se euntem comitetur, polliceatur illam ducere in illos montes; qui omnium, qui in Iudæa erant, amœnissimi, & cognitu dignissimi habebantur: cum apertissime vim inferat litteræ, in qua manifeste præpositio, *de*, quam habemus in nostra Vulgata, & præpositio, *à*, quam habent codex Hebræus, & Græcus Sept. locum designet discessus, ita vt haud significare queat locum accessus.

Legionensis.

Dubium duntaxat vnum pro allati sensus confirmatione soluendum supereſt circa metaphoricam trium montium acceptionem: Cum enim mons Libani sit pulcherrimus, & deliciosissimus: ita vt in cap. quinto sponsa dilecti sui pulchritudinem, pulchritudini comparet Libani, dicens: *a Species eius, vt Libani*: & apud Isaiam legamus: *b Gloria Libani data est ei*; sicut & apud Oseam ob suauem eius fragrantiã: *c Odor eius, vt Libani*: non videtur rationi congruum, vt in metaphoram assumptus hic sit, ad designãdam loci, in quo commorabatur sponsa, asperitatem, atque pericula, tametsi id duobus aliis montibus forsitan non repugnet.

a Cant. 5. 15.
b Isa. 35.
c Oseæ 14. 7.

Ad hæc porro dicendum; haud incongrue sic metaphorice vsurpatum montem Libani, vna cum alijs duobus; quia contiguus illis, nec iis solum altior; sed & vniuersis alijs, qui in tota Iudæa reperiuntur: atque adeo iter maxime arduum eis exhibens, qui illum incolunt: asperrimum quoque propter continuas niues, quibus ita redundat semper, vt ab ipsis nomen albedinis desumpserit. Nec Libano repugnare crediderim, quod feræ in ipso reperiantur, ita vt quoquo modo dici & ipse possit cubilia leonum, & mons pardorum, ad exprimenda, quæ immineant pericula: Nam certum est, ipsum in Phœnicia situm, quæ pars Syriæ est, teste Plinio libro 5. & esse vicinum Iordani fluuio, quem complures ex ipso deriuare censent. Atqui quod tam leones, quam pardi in Syria gignantur idem ipse testatur Plinius lib. 8. cap. 16. & 17. & S. Hieronymus in cap. 11. Zachariæ ex occasione illorum verborum: *Vox rugitus leonum, quoniam vastata est superbia Iordanis*: asserit, circa Iordanem commorari leones: cum tamen constet, terram circa Iordanem esse vberrimam, atque deliciosissimam æque ac Libanus ipse.

Plin. c. 20.

Plinius. Hieron.

Circa lectionum varietatem: Notandum primo, ex Hebræo colligi manifeste, sponsi intentionem eam esse, vt sponsam suam ad secum commigrandum inuitet, sic enim habet: *Mecum à Libano sponsa, mecum à Libano venies, &c.*

Notandum secundo, in eodem Hebraico textu esse verbum תשורי thasciuri, quod certe secundum proprium significatum, si deducatur à radice שיר sciur, vertendum esset, *Aspicies*, at Sept. idem vertere, διελεύσῃ, *pertransibis*, à verbo אשר asciar, secundum quam acceptionem etiam ex Hebræis aliqui illud desumpsere: Vnde Rabbi Innominatus תשורי thasciuri, inquit, amisit א aleph, debuitque scribi שורי thasciuri, de significatu incedendi. Noster interpres, dum illud vertit, *coronaberis*, secundum Genebrardum secutus est sensum: Secundum Legionensem sic vertit, à significatu circumdandi: At melius dicendum crediderim, illum legisse תשורי thasuri sumendo ש cum apice ad sinistram, non vt modo scriptum reperitur cum apice ad dexteram; sic vero sumptum recte translatum est Hebraicum verbum, quod non à radice שיר sciur, sed à radice שור sur deductũ significat, *Regnabis, Princeps eris.*

A B

Notandum tertio: Sept. Interpretes, mysteria respicientes noluisse relinquere Hebraicum vocabulum, *Amana*, quod est proprium nomen secundim ontis, at illud reddentes iuxta vocis אמנה amanah significationem, vertisse, *à capite*, seu, *à principio fidei*, ἀπὸ ἀρχῆς πίστεως.

Notandum quarto, tametsi Hebraicæ lectioni, quæ sic habet: *Mecum à Libano sponsa, mecum à Libano venies, aspicies à capite Amana, à vertice Sanir, & Hermon*, &c. communiori expositorum consensu istiusmodi tribui soleat sensus. Veni *mecum sponsa, venies*, atque conspicies præcipuos, atque omnium amœnissimos montes, qui sunt in Iudæa, Libanum, Amana, & Sanir, & Hermon: seu: Ascende mecum, & ex his montibus, è verticibus istorum montium subiecta loca perspicies, pulcherrimis scilicet arboribus, pratis, herbis, floribus, vrbibus, rebusve aliis decora. Germanus nihilominus istius sententiæ sensus, etiam iuxta hanc lectionem, is ipse mihi esse videtur, qui & ad nostram Vulgatam allatus est: neque enim prædictos alios sensus commode vltima illa admittunt verba; *de cubilibus leonum, de montibus pardorum*: Æque est autem, ac si dicatur.

C

Veni mecum sponsa, venies mecum à locis hisce periculosissimis, *aspicies* profecto in locis, ad quæ mecũ ibis, quibus mirum in modum oblecteris: Videbis ibi, talia scilicet, quæ nec imaginatione conceperas.

Paraphrasis.

D

Lectionem quoque Sept. quæ sic habet: Δεῦρο ἀπὸ λιβάνου, νύμφη, δεῦρο ἀπὸ λιβάνου, ἐλεύσῃ, καὶ διελεύσῃ ἀπ' ἀρχῆς πίστεως, ἀπὸ κεφαλῆς Σανὶρ, καὶ Ερμὼν, ἀπὸ μανδρῶν λεόντων, ἀπ' ὀρέων παρδάλεων. *Veni*, seu, *ades huc à Libano sponsa, ades à Libano, venies, & pertransibis à principio fidei, à capite Sanir, & Hermon, à speluncis leonum, à montibus pardorum*: eumdem sensum habere crediderim: nisi, quod dum sapientissimi illi Interpretes nomen Amana montis, ex vi vocis Hebraicæ pro fide acceperunt, vertentes: *A principio fidei*, & Hebraicum verbum, quod (vt supra notatum est) *Aspicies* proprie significat, verterunt; διελεύσῃ, *pertransibis*, peculiare quoddam subindicare voluerunt mysterium: id autem iuxta sonum litteræ est: Vt sponsus, quo magis dilectam suam ad secum commigrandum alliciat, & significet, si secum proficiscatur, per abscessum à loco, in quo tunc commorabatur, ac per illud iter, quod vna secum arripiet, ipsam è sponsalibus transituram ad veræ sponsæ nomẽ, & rem: Ac si dicat.

Sensus lectionis Sept.

E

F

Iam sponsalibus tunc iuncti sumus, cum primam nobis inuicem dedimus fidem mutuam futurarum nuptiarum, futuræ & cohabitationis fidem exhibentes: At vero, cum modo mea facta sis sponsa: age iam, mecum commigra, discedens certe ab arduis hisce, & periculosissimis locis, discedensque ab iis, & mecum proficiscens, pertransibis à principio fidei, à statu nimirum sponsaliorum: per hoc videlicet ostendens, iam non primam duntaxat sponsaliorum fidem inter nos intercedere, sed & fidem nuptiarum perfectam.

Ab hoc porro lectionis huius Septuaginta mysterio haud aliena est lectio vulgata: licet enim Hebraicam dictionem, *Amana*, reliquerit immotam, vt nomen proprium montis: per verbum *coronaberis*, quo reddidit Hebraicum verbum תשורי thasciuri, illud ipsum indicat: quod sponsa commigrans cum dilecto, à sponsalibus transitura sit ad veræ sponsæ

Sensus lectionis Hebraicæ.

dignitatem, quam certe tunc adepta conuincitur, cum Regnum adiens ſponſi, etiam eius corona inſignitur.

Verſ. VIII. cap. IV. *Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.*

Expositio II.

De prima Sponſa, quæ eſt Eccleſia Sancta.

4 QVæ tota pulchra prædicata eſt, & ſine macula ſecundum doctrinę veritatem, ac ſecundum egregiam diuerſorum ordinum, & miniſtrantium varietatem, Eccleſia Catholica; nunc iure optimo appellatur ſponſa. At quia, etſi tota pulchra ſit, & ſine macula, quoad dictam duplicem pulchritudinem, atque adeo, nedum dilecta ſimpliciter à cœleſti ſponſo, ſed & in chariſſimam ſponſam aſſumpta; permixtos tamen in ſe habet complures, per quos, quoad mores denigratur non modicum, & præpeditur aliquantulum, ne dilectum ipſum ſuum ſequatur in omnibus fidelibus ſuis; Idcirco optans cœleſtis ſponſus, vt, quoad fieri poteſt, ea ipſum ſequatur etiam in illis, qui reprobi ſunt, poſtquam in præcedentibus duo propoſuit loca, ad quæ cum vniuerſis fidelibus ſe comitari deberet, montem myrrhæ, & collem thuris, duo & ſtudia, mortificationis, atque deuotionis, ad quæ ſinguli fidelium, ſe vt conferant, operæpretium ſit, dum vitam iſtam degunt, concupiſcentiæ æſtibus flagrantem: Inuitat iam illam apertius, vt ſecum proficiſcatur. Ac ſicut in verſ. 6. duo illa bona ſubindicauit ſtudia, quibus quique debeant indulgere: ita modo tria potiora ſubindicat ſtudia, quæ malorum omnium cauſa ſunt, & origo: idque ſub metaphora item trium locorum, à quibus neceſſe eſt, declinet vnuſquiſque, quotquot tanquam bonũ Eccleſiæ membrum Chriſtum comitari voluerint in montem myrrhæ, & collem thuris. Neque enim bonum facere poteſt quiſpiam, ni declinet à malo prius. Studia porro mala ea tria ſunt, quæ B. Ioãnes enumerat: *a concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ*: quæ & congruentiſſime deſignata ſunt ſub metaphora trium montium, qui præ cæteris Iudææ montibus & altiſſimi ſimul ſunt, & vberrimi: ſiquidem per eorum celſitudinem tam ſuperbiam vitæ indicatam accipere eſt, quam concupiſcentiam oculorum. Superbiam vitæ: quia nouimus, proprijſſimũ in ſacris litteris ſuperbiæ hieroglyphicum eſſe montium celſitudinem. Concupiſcentiam oculorum; quia è ſublimi montium cacumine oculi videre plura ſolent, quæ concupiſcant: quod optime compertum eſt Satanæ: atque adeo in tertia tentatione *b*, qua Dominum Ieſum aggreſſus eſt, aſſumpſiſſe dicitur eum *in montem excelſum valde*, indeque oſtendiſſe illi omnia regna mundi: per eorumdem vero vbertatem, atque amœnitatem, & fertilitatem accipimus carnis concupiſcentiã, quæ ſane concupiſcentia carnis ibi ſuas defixas habet radices, vbi amœnitas eſt voluptatum, vbi pinguedo eſt, & vbertas frugum, atque ciborum; prout in Sodomis eam præpotentem maxime notauimus, ex illo Ezechielis: *c Ecce hæc fuit iniquitas Sadomæ ſororis tuæ ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia, & otium ipſius, & filiarum eius.*

Concupiſcẽtia carnis, concupiſcentia oculorũ, & ſuperbia vitæ quam recte deſignata ſint per tres montes, à quibus declinandum eſt.

a 1. Ioan. 2. 16.

b Mat. 4. 8.

c Ezech. 16. 49.

5 Præclare autem tres montes iſti, & tria iſta ſtudia per appoſitionem dicuntur cubilia leonum, & montes pardorum: Enimuero quotquot in ipſis verſantur, alieni ſunt ab ea, quæ in præcedenti verſu allata eſt, Eccleſiæ, & piæ animæ laude: *Tota pulchra es, & macula non eſt in te*: quinimo vndequaque multiplicibus, ac variis peccatorum maculis ſunt conſperſi, inſtar pardorum: Et dæmones, qui alioquin multum laborare ſolent, vt eos, quos extra hæc ſtudia eſſe contingit, quærant, & deuorent, iuxta illud Petri: *d Sobrij eſtote, & vigilate, quia aduerſarius veſter diabolus, tamquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret*: in montibus hiſce, quaſi leones in propriis cubilibus conquieſcunt; eoſve abſque circuitu vllo, & abſque vllo labore deuorant, quos tribus prædictis ſtudiis addictos, & ad hos montes accedentes, quaſi obiectam prædam habuerint.

cubilia leonum, & mõtes pardorũ.

d 1. Pet. 5. 8.

Porro à tribus hiſce montibus Eccleſiam auertere nitens, ter quoque eam inuitat cœleſtis ſponſus, ter idem replicans verbum, *Veni*: idque non modo, vt ſuum patefaciat affectum, quo id ab illa expoſcit, vehementiſſimum: Sed & vt illi perſuadeat, ita ab ijs tribus ſtudiis declinandum; vt nemo, quoad fieri poteſt, reperiatur fidelium, qui vel in vno eorum montium ſubſiſtat.

Cur Eccleſiæ ter dicatur veni.

Neque vero ſuo vacat myſterio, quod in trina huius verbi, *Veni*, replicatione is ſeruatus eſt ordo, vt nec ſingulis montibus, nec omnibus tribus coniunctim appoſitum ſit: *Veni de Libano, veni de Sanir, &c.* aut: *Veni ſponſa, veni de Libano, de Amana, de Sanir, &c.* Sed bis ad montem Libanum, hoc pacto: *Veni de Libano ſponſa, Veni de Libano*: & ſemel ad duos reliquos: ita tamen vt non ſit ſimpliciter dictum: *Veni de Amana, de Sanir, &c.* ſed cum particulari adiectione: *Veni de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, &c.* Per hæc ſiquidem innuitur, in quonam fidelibus ſit potiſſimum laborandum, quo à prædictis tribus malis ſtudiis declinantes, Chriſtum comitentur in ſtudio mortificationis, & deuotionis: id autem hoc eſt, vt à ſuperbia recedant, quæ initium eſt omnis peccati: Idcirco ab hac in primis Eccleſiam auertere ſatagens, qui humillimus eſt eius dilectus, bis eam à Libano auocans ait, *Veni de Libano*, quia mons Libani propter ſummam celſitudinem, qua omnibus Iudææ montibus ſupereminet, & propter altiſſimas pariter, quas profert cedros, præcipuum in ſacris litteris eſt ſuperbiæ hieroglyphicum, vt patet ex illo Pſalmi: *e Vox Domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros Libani*: Et clarius ex illo Iſaiæ: *f Excelſi ſtatura ſuccidentur, & ſublimes humiliabuntur & ſubuertentur condenſa ſaltus ferro: & Libanus cum excelſis cadet*. Idcirco & ad ipſum indicandum, à capite, & à vertice reliquorum duorum montium eamdem auocat, vbi mõtes ij celſiores ſunt, qui alioquin ſubmiſſiores Libano exiſtunt. Quamquam per hoc & aliud quoque non minoris momenti ſignificatum crediderim: qua ſcilicet ratione concupiſcentiam carnis euitare quis facile queat, ſi declinet, ſeque auertere ſatagat à ſtudiis ſuperbiæ, & concupiſcentiæ oculorum, à quibus ad ipſam deuenitur tamquam à faſtigio, & vertice montis ad cliuum, radicesve eiuſdem. Ac bene propterea *de capite Amana* dicitur, *& de vertice Sanir, & Hermon*: vbi montes illi, qui in dorſo, & in radicibus amœniſsimi, & vberrimi erant, niuibus duntaxat perpetuis eſſent cooperti, prout de Sanir, & Hermon nominatim aſſerit Hieronymus: vt perpetuus nimirum ſignificetur hiemis, ac frigoris peccati ſtatus eorum, qui dictis addicti ſunt ſtudijs: vtve indicaretur, ſuperbiæ vitæ adiunctam ſemper eſſe concupiſcentiam oculorum, ſicut in vertice prædictorum montium ſimul hæc duo comperiuntur & celſitudo, & conſpectus. Et ſicut tametſi in eo vertice, quod niuibus oppletum eſt, nihil ſit amœnitatis, & vbertatis, nihil frugum, ac paſcuorum: exinde tamen, quia hæc conſpiciuntur in dorſo, ad radices, & in planitie eorumdem montium, ad conſpecta facillime mouetur inſpicientis animus, & ad ea ſe confert: Ita etiam quamuis haud neceſſariã connexionem concupiſcentia carnis, quæ per frugũ vbertatẽ deſignatur, iũctã ſemper habeat cũ ſuperbia vitæ, & cum concupiſcentia oculorum; ex ambabus tamen

e Pſa. 28. 5

f Iſa. 10. 33.

Superbia vitæ, & cõcupiſcentia oculorum viæ ſunt ad concupiſcentiam carnis, ideo ab illis primum declinandum.

Hieron.

Tria concupiſcentiæ ſtudia quomodo ſint

Similes.

illis

illis vt plurimum compellitur quodammodo anima, vt ad ipsam se conferat, & concupiscentiam carnis.

6 *Ecclesia coronatur ex conuersione prauorum.*

Denique post tam sedulam inuitationem, imo in medio ipsius inuitationis ostendit Ecclesiæ sponsus, quid fructus ei prouenturum sit, si in prauis quoque fidelibus suis ipsum sequatur, declinans à malo: fructus autem hic est, gloriæ corona, qua ab illis ipsis coronabitur, quando à prauis studiis ad perfectum iustificationis, & sanctitatis iter conuersi fuerint, iuxta id, quod apud Isaiam Prophetam eidem prænuntiauit, cum dixit: *a Leua in circuitu oculos tuos, & vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Viuo ego, dicit Dominus: quia omnibus his velut ornamēto vestieris, & circundabis*, seu, *coronabis tibi eos quasi sponsa.* Ecquæ vero glorioſior corona? Ecquid maius gaudium tali sponsæ promitti potuit isto, quod ei prouenit ex filiorum iustificatione, & profectu in sanctitate, & iustitia? *b Quæ est nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ?* ad fideles Thessalonicenses inquit Apostolus: & respondens, subijcit: *Nonne vos ante Dominum nostrum Iesum Christum estis in aduentu eius? vos enim estis gloria nostra, & gaudium.*

a Isa. 49. 18

b 1. Thes. 2. 19.

In textu Hebraico, quod eidem Ecclesiæ promittitur gaudium, non tam in corona constitutum est, quam in ipsamet visione fidelium iustificatorum: dicitur enim, *aspicies*, pro eo quod noster habet, *coronaberis*: alluditurque ad id, quod habetur in eadem quam attulimus, Isaiæ prophetia, in qua in principio dicitur: *c Leua in circuitu oculos tuos, & vide, &c.*

c Isa. 49. 18

Quod in eodem textu Hebraicæ lectionis habetur: *Mecum à Libano sponsa, mecum à Libano venies*, duplicem subindicat gratiam, qua Deus comitem se exhibet peccatori à peccato resipiscenti, & à prauis studijs ad bona declinanti: gratiam excitantem, qua in ipsomet Libano eum præuenit; & gratiam adiuuantem, qua in toto iustificationis itinere illum concomitatur.

Paraphrasticus itaque horum verborum sensus hic est.

7 Paraphrasis.

Cum *tota pulchra* sis, & *sine macula* ob insignem, quæ ex diuersis Sanctorum ordinibus in te resultat, pulchritudinem, & ob perfectissimam, & immaculatam doctrinæ veritatem: atque adeo, sponsa mea, cum sis speciosissima, haud pati vllo modo debes, vt in vllis membris tuis studia illa subeas, quæ sordibus peccatorum te commaculent: quin potius ea frequentanda tibi sunt studia, in quibus ab omni peccatorum macula, quoad fieri potest, illibatam seruare te queas. *Veni* igitur *sponsa mea* non in Sanctis duntaxat; sed & in imperfectis, qui in te sunt, fidelibus: *Veni mecum* ad studia mortificationis, atque deuotionis, ad montem myrrhæ, & collem thuris: *Veni de Libano, de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon*, de tribus ijs periculosissimis, ac pessimis studiis, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ: in quibus ij, qui instar pardorum variis peccatorum maculis conspersi sunt, commorantur, dæmonesque sua habent cubilia; & ad quæ declinare facile est, *donec aspiret dies* futuri sæculi, & adueſperascente die præsentis vitæ, in quo æstus flagrant concupiscentiæ, quicquid in mundo concupiscibile est, vmbram longam, & latam esse appareat. Porro, si mecum veneris, *aspicies* eos ipsos, qui tibi dedecori prius erant, quasi gloriosissimo te coronare diademate.

Lectio quoque Sept. Interpretum, iuxta sensum allatum in littera, idipsum significat. Suadet quippe Dominus Ecclesiæ, vt haud contenta sit in perfectis, ac sanctis, tamquam sponsa ipsi adhærere: Sed & in peccatoribus quoque, & in imperfectis hoc semper contendat; vt sponsam se eius exhibeat, quod certe fieri minime potest, ni peccatores ipsi per fidem, & dilectionem iustificati à mundanorum concupiscentia recedentes, ad ipsum conuersi, illive vniti eum sequi contendant.

Iustificari volens, quæ

Præclare autem peccatores ad sponsalitiam inuitans dignitatem, tria illis facienda significat: eundum A scilicet secum ad montem myrrhæ, & collem thuris: discedendum à montibus periculosis & transeundum à principio fidei. Inuitat autem primo ad montem myrrhæ, & collem thuris, subindicans eis studia, in quibus iustificationem seruare possint: studia, inquam, mortificationis, atque deuotionis, vt visum est supra in secunda expositione vers. 6. in quibus iustificati, & ad sponsalitiam dignitatem euecti cum ipso commorentur. Sed quia ad iustificationem tendere nequit aliquis, ni prius à pessimis, & periculosis tribus istis declinet studijs, concupiscentiæ carnis, concupiscentiæ oculorum, & superbiæ vitæ: idcirco sub metaphora nominatorum montium ea designās, ab illis ipsos abstrahere studens, *veni*, seu *ades huc*, inquit ad Ecclesiam: *ades huc a Libano à vertice Sanir, & Hermon, à cubilibus leonum, &c.* Vt autem illos magis attrahat, addit; *à principio fidei*, ad memoriam eis reuocans sponsalia, quæ ijdem cum ipso contraxere in principio fidei, id est, in fide informi: certum est namque fidei habitum in peccatore remanere, ni peccatum superadueniat infidelitatis: & tametsi fides illa, fides mortua dicatur; cum sit absque forma charitatis: est tamen principium fidei formatæ, quatenus prima præsupponitur ad iustificationem & est quasi signum quorumdam sponsaliorum cum Deo, præexistens ante ipsam iustificationem, in qua fit vera animæ desponsatio. Porro, cum à sponsalibus transeundum sit ad desponsationem, & à fide informi transeundum sit ad fidem formatam, quo fiat peccatorum iustificatio: congruentissime profecto locutus est Ecclesiæ dilectus, cum dixit *Ibis, & pertransibis a principio fidei*: Æque est enim, ac si dixerit.

debeat facere.

Discedens à Libano, &c. declinans à tribus studiis illis prauis, ibis, veniesque mecum sponsa mea iam effecta, & pertransibis à sponsalibus ad sponsalitiam dignitatem, à fidei principio, à primæ fidei fundamento ad iustificationem, & à fide informi ad fidem informatam charitate, per quam perfecta sit inter nos vnio.

Paraphrasis.

Vers. VIII. cap. IV. *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.*

Expositio III.

De secunda Sponsa, quæ est Anima Sancta.

8 *Eua cur dicatur ædificata.*

LOcutionis forma illa, quam in libro Geneſis vsurpatam nouimus, cum de Euæ formatione agitur: *a Et ædificauit Dominus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem:* multorum suscitauit ingenia. Ad quid enim ædificandi verbum, vbi de formatione fit sermo? Non ignoro, à diuersis diuersa dici, quorum tamen sententias referre, nec mei est instituti, nec præsentis est operis. Mihi ex cap. 21. libri Apocalypsis prædictę locutionis ratio suggeritur admodū probabilis. Enimuero vbi describitur ædificium Ciuitatis nouæ Ierusalē, ibidē ipsamet Ciuitas, quæ ædificata est, dicitur esse sponsa, & vxor Agni: *b Vidi Ciuitatem sanctam Ierusalē nouam descēdentem de cælo à Deo paratam, sicut sponsam ornatā viro suo*: & clarius infra Angelus ad Ioannem ait: *c Veni, & ostendam tibi sponsam, vxorem agni*: ostenditque illi ipsummet supernæ Ciuitatis ædificium, quod ibi describitur,

a Gen. 2. 22.

Sponsa est ædificium quoddam.

b Apoc. 21. 2.

c Apoc. 21. 9.

bitur. Porro cum ſponſa ſit ædificium, haud abs A re factum profecto eſt, vt quando Spiritus ſanctus egit de formatione primæ mulieris, ædificandi verbo ſit vſus: quandoquidem prima illa mulier eo ipſo, quod facta, ac formata eſt, ſponſa extitit Adæ primi hominis. Atqui, cum ædificiū iſtud ad id inſeruire deberet; vt in eo quieſceret animus illius, qui talē ſponſam diligeret: vtve ſponſa ipſa vni ſuo addicta eſſet dilecto, tamquam proprium illius domicilium, nullum alium præter eum admittens; haud alijs ſane cæmentis ædificari debuit, quam amore & charitate. Idcirco Eua dicitur ædificata è coſta, quæ de latere Adam ſumpta erat: Per coſtam quippe, quæ cordi adiacet, vbi ſedes amoris eſt, amor deſignatur: & Paulus in ep. prima ad Corinthios indicat, ipſam charitatem eſſe, qua tale ædificium conſtruitur, dum ait: *d Scientia inflat, charitas autem ædificat.* Quibus verbis ſignificat, tam per mundanam ſcientiam, quam per charitatem animam quidem in ſublime tolli: at maximum ineſſe diſcrimen in eleuatione, quæ fit per ſcientiam, ab ea, quæ fit per charitatem: & in anima quæ in ſublime conſurgit per ſcientiam, ab anima, quam ipſa eleuat charitas: Nam humana ſcientia ita animam inflat; vt celſiſsimis illam æquiparet montibus: ſcientia quippe & ipſa inſtar montis ſe habet, in quo ingentia adſint pericula, & nulla haberi queat requies: at è veſtigio charitas ſic eleuat, vt ædificet, adeo vt animam, quam in ſublime tollit, nedum in tuto conſtituat, ſed perpulchrum maximeque amabile faciat ædificium, in quo habitet ſponſus, ædificatam nimirum, in ſponſam illius, in qua ille quieſcat.

Sponſa, vt eſt ædificium ædificatur cæmentis charitatis.

1. Cor. 8. 1

Simile.

Porro, quemadmodum ædificium tamdiu erectum permanet, quamdiu ſtructura perdurat ſaxorum, & cæmentorum: Ita & ſponſa charitate in domicilium ſponſæ ædificata, eatenus in erectum, & gratum perdurat ſponſale ædificium, quatenus in charitate radicata, & fundata eſt: quatenus multiplicium actuum charitatis ſtabilem, atque firmam ſtructuram retinet. Hæc cum cæleſti comperta ſint ſponſo, optans, vt D pia illa anima, quam ſibi in ſponſam ædificarat, ita ſe gereret, vt ipſe in ea quieſcere tanquam in proprio poſſet ædificio, auertere eam nititur a ſtudijs illis, in quibus diſſolutionem, & ruinam pati poſſet, promouens è veſtigio eamdem ad ſtudia illa, in quibus ſeruetur ſtructura charitatis, ac dicens: *Veni de Libano ſponſa mea*, &c. cum iam dixiſſet, *Vadam ad montem myrrhæ, & collem thuris*: quamquam animum ſuum per alias metaphoras expreſſerit, montium videlicet multiplicium.

9 *Vnioni Dei indulgendum per affectum potius quam per intellectum.*

Vt autem tota ipſius ſponſi mens, eorumve, quę hic ab eo dicuntur, ſenſus percipiatur. Notandum, in eo decipi plerumque pias, ac ſimplices animas, quod, cum Dei vnioni indulgere deberēt per viam affectus, totas potius in id ſeſe dedunt, vt intellectu eum attingant, altiſsima quæque perſcrutantes, ſubtilia ſpeculantes, & rationes ſingulorum cæleſtium, ac diuinorum in humanis inueſtigantes ſcientijs. In hoc errore haud patitur Chriſtus Dominus, eam perſiſtere animam, quam ſibi cæmento charitatis ædificarat in ſponſam. Vocat porro Philoſophiam, ceteraſve ſcientias, humanaſque rationes, Libanum, Amana, Sanir, & Hermon, ſub metaphora horum trium montium qui altiſſimi eſſent, illas deſignans. Ac bene, ad illas deſignandas, hos potiſſimum aſſumpſit montes, qui intra fines eſſent terræ Iſrael & celſiſſimi pariter, & maxime fertiles: ſubindicare ſiquidem voluit, haudquaquam eſſe per ſe malas dictas ſcientias: quippe quarum ſtudium Eccleſiæ maxime conferat, dum intra eius fines continentur: eaſdemve ſimul & celſiſsimas eſſe; vtpote de altiſsimis quibuſque tractantes, & plurimorum fructuum feraces: Attamen in ijs haud inſiſtendum piæ illi animæ quæ in ſimplicitate cordis Deo adhærere ſtudeat: quoniam in ipſis ſint cubilia dæmonum latitantium, vt inſtar leonum miſeram exinde aggrediantur animam, & ex ijſdem hæreſes ſuſcitantur; ita vt propterea montes pardorum eæ appellentur, montes hæreticorum, quos inſtar pardorum, multiplicium errorum maculis vndequaque reſperſos conſpicias, & fictionibus varios. Neque abs re factum eſt, vt cum ſub prædictorum montium metaphora prædictæ deſignatæ ſint ſcientiæ, non à motibus ſimpliciter auocata ſit ſponſa, ſed à cacuminibus montium illorum; ſic quippe dictum eſt: *de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon*: nam per iſtiuſmodi cacumina nimium ſubtiles, & altiores ſignificatæ ſunt ſpeculationes, quæ ex ipſis ſcientijs deſumptæ ſint, de quibus in libro Eccleſiaſtici ſcriptum eſt: *e Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris: &* e *Eccl. 3. 22* B *in pluribus operibus Dei ne fueris curioſus. In ſuperuacuis rebus noli ſcrutari multipliciter: Plurima enim ſuper ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi: multos enim ſupplantauit ſuſpicio illorum, & in vanitate detinuit ſenſus illorum.* Atqui ſicut in verticibus eorum montium nil aliud colligere licet, quam ingens frigus, atque glaciem ob maximam niuium copiam, quibus opertos eos eſſe, oſtendimus ſupra, tametſi montes ipſi alioquin & amœniſſimi eſſent, & feraciſsimi extra cacumina: Ita & in altioribus iis ſpeculationibus nil tandem aliud inflata deſumit anima, quam charitatis teporem, frigus, ac glaciem in fide; quamquam eędem ſcientiæ, quando cum humilitate ſunt iunctæ, & iucunditatem, & fructus C afferant charitatis.

Ex altioribus ſpeculationibus tepor colligitur charitatis & frigus in fide.

10 *Ex paſſionis Chriſti meditatione ornare ſe poteſt pia anima corona florū virtutum Chriſti.*

Quod interpoſitum in medio huius ſententiæ eſt verbum *coronaberis*, duo ſignificat, quæ exinde prouenient animæ, ſi ab hiſce diſcedens celſioribus ſpeculationibus, elatiſve ſcientijs, vna cum Chriſto dilecto ſuo ad ſtudia ſeſe contulerit deuotionis, & meditationis paſsionis illius, vadens cum illo ad montem myrrhæ, & collem thuris, & arbitrans, ſe nihil aliud ſcire, quam ipſum crucifixum. Primum eſt, quod in hiſce ipſis ſtudiis, in monte myrrhæ, & in colle thuris tot colliget multiplicium virtutum flores; vt ex iis coronam, qua coronetur, ſibi ipſi compingere queat, dum eas videlicet imitari, atque in ſe transferre ſatagit virtutes, quas in Chriſti paſsione animaduertit, quando patientem Chriſtum dilectum ſuum deuote ſpeculatur. Quod ipſum, licet abſque metaphora coronationis, etiam in lectione hebraica ſignificatur: dum enim pro, *coronaberis*, legit *aſpicies*, quis non videat, alludi ad aſpectum eorum, quæ in meditatione paſsionis deuota mens contemplatur? Ea vero ſunt, exceſsiua Dei charitas, incomprehenſibilis benignitas, & humanitas Saluatoris noſtri, humilitas & obedientia, paupertas, ceteræque illius virtutes, quæ in ipſo veluti in proprio virtutum omnium exemplari conſpiciuntur.

In meditatione paſsionis Chriſti pia anima coronam accipit ſponſalitiæ dignitatis.

Alterum, quod per idem verbum *coronaberis*, ſigni- E ficatur, eſt, quod in ipſa paſsionis Dominicæ meditatione pia ac contemplatiua anima coronam accipiet ſponſalitiæ dignitatis, vtpote quæ in huiuſcemodi meditationis ſtudio magis, quàm in ſtudio alio charitate ſuccendetur in eum, à quo tanta ſe charitate dilectam inibi animaduertat, vt qui alioquin gloriæ corona coronatus regnat in cœlis, corona tribulationis pro ipſa redimitum ſe ei exhibeat in cruce confixum: per quam charitatem in Dei ſponſam animam ipſam ædificari, iam ſupra oſtendi. Ac plane congruere mihi optime videtur iſta coronationis metaphora: nam, cum pro comperto habeamus, Chriſtum F Dominum haudquaquam declaratum Regē glorioſum, niſi prius Regem dolorum ſe exhibuiſſet in paſsione: iuxta id, quod ipſe de ſe dixit: *a Oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam.* Tunc profecto pia ipſa anima vere ſponſa iſtius Regis in hac vita effici cenſenda eſt, cum illa pariter ad thronum Crucis admiſſa, corona coronatur ſpinarum tribulationis, mortificationis, ac deſiderij patiendi pro eo, qui tanta pro ipſa pertulit: quod tunc plane contingit, quando cum Chriſto ad montem myrrhæ vadens, & ad collem thuris in deuota ipſius paſſionis meditatione ſic exardeſcit charitate, vt iam mori pro Chriſto maximum ſibi arbitretur lucrum.

a Luc. 24. 26.

Breuis

Breuis totius huius ſententię ſenſus talis igitur eſſe videtur.

Paraphraſis.

Quæ *ſponſa mea* iam mihi ædificata es per charitatem, *veni* amabo *mecum*, celſiores dimittens ſpeculationes, quæ tuum excedunt captum, è quibus nil aliud, quam elationem, & glaciem ſpiritus colligere potes: in quibus & dæmones inſtar leonum in proprijs cubilibus latitant, & variæ inſtar pardorum hæreſes ſuſcitantur: *Veni mecum*, dum vado *ad montem myrrhæ, & collem thuris*, ſtudijs te addicens deuotionis, ac meditationis paſsionis meæ inſtar myrrhæ amariſſimæ. In deuota certe meditatione iſta multiplices variarum virtutum flores colliges, quibus coroneris, dum in paſsione mea varia aſpicies virtutū omnium exempla, quæ imiteris: ibidem quoque *coronaberis*, eadem, qua & me coronatum aſpicies Regem ſponſumque tuum corona ſpinea tribulationis, atque mortificationis: tunc plane in veram mihi ſponſam ædificata per charitatem, qua in huiuſcemodi meditatione ſuccenſa, ardentiſsimo pro me & patiendi, & moriendi flagrabis deſiderio.

A

B

Verſ. VIII. cap. IV. *Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.*

C

Expositio IIII.

De tertia Sponſa, quæ eſt Beata Virgo Maria.

D

II *Maria coronata in cælis corona triplicis aureolæ.*

TRes aureolas in cæleſti Patria dari ſolitas, communis eſt Theologorum ſententia: Virginibus vnam, aliam Doctoribus, tertiam Martyribus: Ita tamē ſingulę ſingulis eæ aſsignatę ſunt ordinibus hiſce; vt cum pro gloria, ac præmio accidentali vel Virginitatis, vel Doctrinæ, vel Martyrij conferantur, quandocunque contigerit, vt glorioſa anima quæpiam his tribus decora ſit, virginitate, doctrina, atque martyrio, tribus pariter coronetur ijs omnibus. Quod ſi alicui id contigit vnquam: Gloriоſiſsimæ Dei genitrici Mariæ contigiſſe credendum eſt, quæ & Virgo virginum extitit, & magiſtra euangelizantium Apoſtolorum, & cum crucifixo filio martyrum Rege Martyr. Quin & hoc ſubindicatum in præſenti crediderim verſu, vbi cum ex miſero iſto, ac corruptibili mundo ad cæleſtem gloriā illam vocet eius dilectus, etſi ſemel duntaxat dicat, *Coronaberis*: ter tamen eam compellat, ter dicens, *Veni*: ad cuius verbi triplicem repetitionem, triplex quoque ſubintelligenda eſt repetitio alterius verbi huius, *coronaberis*. Ipſum etiam, quo eadem hic appellatur, nomen ſponſæ, iſtud idem confirmat non obſcure.

E

Maria ſponſa Chriſti tripliciter.

Enimuero B. Virgo Maria non ob vnam tantum rationem ſponſa dicitur Chriſti; ſed ob triplicem prærogatiuam: ob virginitatis propoſitū, quo vni ſe conſecrauit Deo, nullum alium præter ipſum amatorem admittens: ob doctrinam, qua illos, quos erudiebat, ipſi pariebat dilecto ſuo; ac demum ob martyrium, quo eidem vt ſponſo ſanguinis tunc iunctam eam nouimus cum ſtetit iuxta Crucem illius.

F

At quidnam cauſę eſt dicet aliquis, quod ſemel tantummodo, & prima vice ad verbum, *Veni*, hanc adiecit ſponſæ appellationem: tum bis idem repetens verbū, *Veni*, nullo alio eam compellarit nomine? Cum primum illam ad ſe vocauit, quando mortis eius aduenit tempus, ſponſam eam appellauit Dominus Ieſus, eo videlicet nomine, quo ſibi iunctam animam quamque amicabiliter compellare ſolitus eſt: at poſtmodum, vt innueret diſcrimen, quo nomen iſtud Mariæ competat, ac reliquis animabus ſanctis, bis adjicit, *Veni*, ac ſi dicat: Veni, non modo vt ſponſa, ſed veni vt ſponſa cum partu, & veni etiam vt ſponſa virginitate decora. Adjicit inſuper ad primam vocationem & duas alias vocationes abſque vllo nomine, dicens: *Veni de Libano, veni*: Subindicans, ſe non vt ceteras ſuas ſponſas illam ad cælos euocare, ſed modo peculiari, quo talem deceat ſponſam, quæ mater ſimul, & virgo ſit: ſic poſtquam generaliter ei dixit: *Veni de Libano ſponſa mea*: adjicit: *Veni de Libano, veni*, id eſt, veni in animā, veni & in corpore: vt quę ſingularis mihi es ſponſa, ſingulariter quoque mihi ſimilis & anima, & corpore cęlum petas.

Maria alio modo Chriſti ſponſa ac reliquæ ſanctæ animæ.

Maria alio modo ac reliquæ ſanctæ animæ vocata fuit ad cælum.

Vocans porro terram, ac mundum iſtum metaphoricis nominibus montium Libani, Amana, Sanir & Hermon, quos & cubilia leonum, & montes pardorum appellat, vt & pericula, & miſerias, ærumnas, ac perſecutiones deſignet, quibus totus hic mundus repletus eſt, (vt oſtendi ſupra in prima expoſitione) haud abs re factum crediderim, vt ſpecialiter Libani montis bis facta ſit mentio: *Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano*: Libani quippe vocabulum dealbationem ſonat: congruumque maxime fuit, vt cum de mundo iſto turbulento, ac miſerijs, & peccatis pleno, tam ſancta vocaretur Virgo, quæ tota pulchra erat, & ſine macula, de Libano, id eſt de dealbatione vocaretur; quo perſpicuum omnibus fieret, illam è mundo nil ſordium contraxiſſe: ſed in mundo ipſam dealbatam, atque adeo candidam, atque puriſsimam ex illo migraſſe, ſicut in illo vixerat ſemper candida, & illibata. Paraphraſticus igitur ſenſus talis eſt.

Maria candida è mundo migrauit, ideo è Libano vocata.

Paraphraſis.

Cum *tota pulchra* ſis, & *macula non ſit in te*, vtpote ſponſa mea decora virginitate, & doctrina, atq; martyrio, *Veni* vt ſponſa, *Veni* vt mater, *Veni* vt virgo: Nec venias velim, vt reliquæ veniunt iuſtorū animæ, quæ ſponſæ pariter meæ ſunt; ſed veni iam nunc in anima: veni & in corpore, vt tanquam præcipua ſponſa ſimilis ſis mihi ſponſo tuo: veni vt ſponſa in virginitatis propoſito mihi ſponſata; & *coronaberis* aureola virginitatis: *Veni* vt ſponſa item mea, quæ per doctrinam tuā filios mihi peperiſti: & *coronaberis* aureola Doctorum: *Veni* denique vt per martyrium mihi tandem ſponſata ſub cruce, vbi tuam ipſius animam pertranſiuit gladius, & *coronaberis* aureola Martyrum: *veni* de arduo mundo iſto, vbi & miſerijs, & peccatis omnia ſcatent; vbi & dæmonum perſecutiones ſunt, & inſtantium hæreticorum; at *veni de Libano, veni de Libano*, & de dealbatione tu, quæ & in corpore pura es, & in anima candida.

Verſ. VIII. cap. IV. *Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.*

Appendix Expoſitionum, Ex antiquis Patribus collecta.

PAraphraſis Chaldaica: Dixit Dominus in verbo: Mecum habitabis cœtus Iſrael qui ſimilis es ſponſæ honeſtæ, & mecū ingredieris in domum ſanctuarij, & offerent tibi munus Principes populi, qui habitant ſuper fluuium Amana, & incolæ, qui morantur in vertice mōtis niuis, & gentes, quæ ſunt in Hermon, & offerent tibi tributa habitatores Ciuitatum fortium, qui ſunt robuſti ſicut leones, & munus ab vrbibus montium, qui ſunt fortiores leopardis. 12

Ecclesia de infidelitate vocata ad fidem.

Qui Ecclesiam verbis hisce à Christo vocatam arbitrati sunt Sanctorum Patrum, tripliciter hæc exposuere. Vel enim ex infidelitate ad fidem vocatam putarunt, lectionem Sept. interpretantes, quæ sic habet: *Veni à Libano sponsa, veni à Libano, venies, & pertransibis à principio fidei, à capite Sanir, & Hermon, à speluncis leonum, à montibus pardorum:* Idque triplici modo explicant: nam Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 11. Ecclesiam ex idololatria à Christo vocari, inquit, atque ex idololatria sponsatam significare: accipit Libani nomen non pro monte Phœniciæ, sed pro thure, quatenus λίβανος thus græce significat, quo Idolorum cultus protestabatur.

Tertullian.

Idololatræ à Christo vocati.

Theodorit.

At vero Theodoritus, nedum ex idololatria, sed & ex circumcisione eamdem vocatam censet, siquidem per Libanum, ait, significari cultum Idolorum, per Sanir, & Hermon legis institutæ, quatenus Sanir interpretatur lucernarum via, lexque lucerna est, quæ in nocte fulget: & de Hermon dicitur in Psal. *Sicut ros Hermon qui descendit in montem Sion:* hoc est legis præcepta, quæ super montibus Sion tradita sunt. Eos igitur, inquit, vocat sponsus de Libano, qui Idolorum cultui deseruiebant: illos autem de Sanir, & Hermon, qui legis rorem, & diuinorum mandatorum lumen acceperant. Leonum cubilia vocat audaciſſimos, & furore insanientes Iudæos; pardos autem Gentilium sapientes, qui orationis copia, & argumentorum artificio contegentes falsitatem, rudes, ac simplices decipiebant.

Ecclesiam Christus vocauit ex Iudæis atque Gentibus.

Psa. 132. 3.

Philo Carp.

Et tertio secundum Philonem Carpathium idipsum, alia tamen ratione, sic explicatur: Per Libanum namque, qui interpretatur dealbatio, intelligit Philo Baptismum: ob id vero, ait, bis dici: *Veni*, vt Deum pariter, & homines sanctissime amemus. Cum subjicitur: *Venies & transibis ab initio fidei*, &c. Ad fidem, inquit, venturam sponsam, prophetatur: Veniens enim à Gentibus, transibis à lege: Omnes quippe videbunt me à paruo vsque ad magnum eius, dicitur per Prophetam: A primitijs fidei, à capite Sanir, & Hermon. Sanir interpretatur rubus, Hermon spiritus, siue vox sublimis: Principium enim fidei ab eo fuit, qui in rubo locutus est Moysi, & voce sublimi locutus est filijs Israel cum eos eduxit ex Ægypto, in vnumque coegit.

Ecclesiam Christus vocauit ex Gentibus & ex Iudæis ad baptismum.

Vel eamdem Ecclesiam iam credentem ab eodem sponso vocatam per bona opera ad cælum, vt censuit Augustinus, qui narratione in Psalm. 67. circa finem, hæc exponens: *Venies, & pertransibis ab initio fidei:* Venit, inquit, Ecclesia tamquam currus Dei in millibus lætantium, prosperum iter habens, & pertransijt de hoc mundo ad Patrem; vt fiat in ea, quod sponsus ipse dicit, qui pertransijt de hoc mundo ad Patrem: *Volo, vt vbi ego sum, & isti sint mecum*, sed *ab initio fidei:* quia vt bona opera sequantur, præcedit fides: nec fiunt vlla bona opera, nisi quæ sequuntur præcedentem fidem.

August. Ecclesia ad cælum vocatur per bona opera, sed à principio fidei suæ procedit.

Ioan. 17. 24

De baptismo vocatur Ecclesia ad coronã ex conuersione iniquorum & infidelium.

Vel tertio communiori sensu Cassiodori, Gregorij Papæ, Philonis Carpathij, Iusti Orgelitani, & Bedæ, eadem Ecclesia, iuxta lectionem Vulgatæ, de baptismo designato per nomen Libani, & dealbationis, vocatur ad præmij coronam per infidelium conuersionem, & iniquorum.

Ad triplicem vocatur Ecclesia profectum.

Greg. Pap.

Porro quod ter illi dicitur, *Veni*: Cassiodorus, & Beda vocationem ad triplicem profectum significare dicunt: ad profectum in cogitatione, in locutione, & in operatione. Secundum vero Gregorium Papam per idipsum significatur, quod tribus virtutibus, fide, spe, & charitate iter capessendum esse significatur: Vel vt significetur triplex progressus animarum ad Deum. Primus virtutum progressus: Secundus per egressum à corpore: & tertius per resurrectionem carnis. Verbum *coronaberis* iungit cum subsequentibus, *de capite Amana*, ac per capita montium, qui hic nominantur, Reges intelligens, atque Imperatores, sicut & per montes, ipsos potentes huius sæculi: per cubilia vero leonum, & montes pardorum, Principes illos accipiens, qui credulitati instar leonum inseruiunt, quive hypocrisi, & dolositatibus suis, quibus tamquam maculis conspersi sunt instar pardorum, quos vi lædere nequeunt, decipiunt: hisce omnibus coronari, inquit, Ecclesiam: quia dum Regnum æternum prædicat, dumque exemplo suo omnia, quæ mundi sunt, vilia esse demonstrat, illos etiam ad pœnitentiam inclinat, & sibi ipsi pro eorum acquisitione coronam in cælestibus parat. Tametsi idem Gregorius in lib. 17. Moralium cap. penultimo, hoc, quod dicitur: *Coronaberis de cubilibus leonum:* ad Christum sic aptat. Quid leonum nomine, nisi dæmonia designentur, quæ ira contra nos atrocissimæ crudelitatis insæuiunt: & quia peccatores à fide vocati sunt, quorum quondam corda leonum cubilia fuerunt, dum vicisse mortem Dominus eorum confessione creditur, quasi de leonum cubilibus coronatur: Remuneratio quippe victoriæ corona est.

Sionem Principum iniquorum.

Christus per conuersionem peccatorum coronatur de cubilibus leonum.

Cassiodorus, & Beda idipsum *Coronaberis de capite Amana*, &c. vt ad Ecclesiam dictum, non tantum intelligi, inquiunt, de corona præmij, quod receptura ea est in futuro per conuersionem illorum, qui designati sunt per montes, &c. Sed etiam de corona præsentis gloriæ, qua decoratur, & glorioſa redditur ex conuersione Principum, &c. & quorumlibet, iuxta illud Prouerb. *a Corona sensum filij filiorum.*

Ecclesia in præsenti vita coronatur corona, quam faciunt qui ex eius prædicatione cõuertuntur.

a Pro. 17. 6.

Quibus addit Philo Carpathius, idcirco eidem Ecclesiæ dici: *coronaberis de capite*, &c. quia vel ex hæreticis nonnullos, qui pardorum similes esse perhibentur & ex filijs Regum ac Principum habitura sit Pastores, ministros, prædicatores, ac Duces.

Philo Carp.

Qui vero piam animam in his ipsis à cælesti sponso vocatã existimarunt, vel ad maiores vitæ spiritualis progressus, vel ad cælestem gloriam illam vocatam asserunt: Primum affirmat Gregorius Nyssenus, Ambros. & Catena Trium Patrum, licet id diuersimode explicent, interpretantes versionem Sept. Siquidem Gregor. Nyssenus homil. 8. quomodo & Tertullianus supra, nomen Libani pro thure desumens arbitratur, piam animam à Christo Domino vocari ad maiorem profectum in via spiritus, in qua semper vlterius procedendum superest, idque per verba, *venies*, & *pertransibis*: Piam, inquam, animam illam, quæ iam cum ipso venit in montem myrrhæ, consepulta per baptismum in montem ipsius, simulque cum ipso ascendit etiam in collem thuris, particeps effecta diuinitatis, quæ per thus designatur, per resurrectionem à peccatis; atque adeo tota pulchra, & sine macula: Vocari autem talem animam, & inuitari ad vlteriorem progressum à Libano, id est, à thure, & à participatione diuinitatis, quæ est initium fidei, & ideo ad id explicandum, non dici solum; *à Libano*, sed & addi: *A principio fidei.* Vocari etiam eamdem à Iordane, id est à baptismi lauacro, quod per montes Sanir, & Hermon designatur, quatenus ab illis, quæ sunt duo cacumina vnius montis, deriuat fluuius Iordanis, in quo baptizatus est Christus: Ac demum à peccatis, atque à prauis illam auocari habitibus, per quos ad similitudinem ferarum redacta fuerat. Notat porro Nyssenus, fieri mentionem istarum ferarum hoc loco duas ob causas: primo, vt ex pristini, ac pessimi status memoria suauior Christi sponsæ fiat in perfectione progressus: Secundo, vt magis à peccatis pristinis eadem deterreatur.

Cõuersi quomodo coronent Ecclesiam.

13

Greg. Nyss. Ambros. Tres Patr. Greg. Nyss.

Anima sancta ad maiorem profectũ in spiritu vocatur à Christo.

Ecclesia à Christo vocatur ad præmij coronam per infidelium conuersionem, & præsertim per conuer-

Ambrosius libro de Isaac capite 5. elegantissime hunc piæ animæ progressum explicans. Ipse, inquit, Dominus Iesus delectatus fide animæ huius confessionis gratia, & collaudatis eius meritis propius eam aduocat, dicens: *Ades huc à Libano sponsa, ades huc à Libano: transibis, & pertransibis à principio fidei, à capite Sanir, & Hermon, à speluncis leonum, à montibus pardorum:* hoc est: Egredere de corpore & totam te exue: Non potes enim mihi adesse, nisi ante peregrineris à corpore;

Ambros. Progressus in vita spirituali qualis optandus pie animæ.

pore; quoniam, qui in carne sunt, peregrinantur à Dei Regno. Ades, inquit, ades: bene repetiuit, quia siue præsens, siue absens, adesse, & placere Domino Deo tuo debes. Adesto præsens, adesto absens, etsi adhuc in corpore es, mihi enim omnes præsentes sunt, quorum fides mecum est. Adest mihi, qui exit de sæculo: Adest mihi, qui me cogitat, me intuetur, de me sperat, cui ego portio sum: Adest mihi, qui abfuerit sibi: Adest mihi, qui se negauerit. Ille mecum est, qui intra se non est: quoniam qui in carne est, non est in spiritu: Ille mecum est, qui ex seipso egreditur: Ille iuxta me, qui extra se fuerit: Ille mihi integer, qui propter me perdiderit animam suam.

Et ideo ades sponsata, *transibis, & pertransibis à principio fidei.* Transit, & pertransit ceteros, quæ ad Christum peruenit: Transit fidei merito, & operum claritate, quæ lucent sicut Sanir & Hermon: hoc est via lucernæ transit, deuictis tentationibus sæculi, & superatis nequitijs spiritualibus, legitime petens coronam certaminis.

Tres Patres. Ad progressum spiritualem piã animam inuitat Christus.

Catena trium Patrum apud Theodoritum, inuitari, inquit, piam animam ad progressum spiritualem, bisque dici: *Veni de Libano*: Ac si dicatur, progredere ad me ex fide, quæ non aliter, ac thus (id autem est Libanus) Deo offertur, per spem proficiens ad charitatem, propter quam ego sum homo, & tu efficieris Deus. *Venies* vero, ait, eidem dici, *& peruenies ab initio fidei, à capite Sanir*, &c. id est.

Quomodo progrediendum.

Venies ad me cum omni charitate, peruenies autem vehementi cum impetu per fornacem variarum tum carnis, tum mundi tentationum confirmata. Sic autem venies, & peruenies; quoniam ad me non per incredulitatem, vt primus homo, qui spe diuinitatis deceptus est, iter facere cœpisti: sed per fidem, quæ caput, & principium est viæ ad virtutem ducentis, quam indicat Sanir, cuius interpretatio est, lucernæ via: & per spem, vt subleueris, & recreeris ab onere, & æstu grauium dolorum, & molestiarum, quod per Hermon intelligitur, quam vocem, rorem interpretamur: Atque ita cubilia leonum, pardorumque montes incolumis euitabis, consensum videlicet carnalium voluptatum, quæ, leonum instar magno impetu in te, vt à virtute deficias, ruunt: Et tentationes illas, quæ ex virtutis præstantia, tamquam ex altis montibus, vt arrogantia efferaris, tibi struunt insidias fraudulenter, quod pardorum varietas indicat.

14. *Anselm.*

Ad cælestem gloriam eamdem piam animam vocatam censuit Anselmus, vt ad illam sponsus dicat: *Veni* ad me *de Libano*, id est, de bona operatione facta in vita: Libanus enim candorem vitæ significat: *Veni*, exiens de corpore; *veni de Libano*, resumendo corpus in communi resurrectione; & tunc *coronaberis*, victoriarum retributionem accipiens in corpore, & in anima, de maioribus illorum, in quibus diabolus vigilat (Amana enim interpretatur dens vigiliarum) & de principibus illorum, qui per quasdam ignorantias, & fatuitates decipiunt homines (Sanir quippe interpretatur nocturna auis) *coronaberis* & de illis, in quibus cubat diabolus, id est, pro apertis persecutionibus, & de hæreticis, instar pardorum varijs, quos conuertisti, vna cum ijs, qui ita ab Ecclesia separati sunt; vt essent ipsamet separatio, quam sonat nomen Hermon.

Ad cælum quomodo vocetur pia anima moriens.

Richardus. Animam sanctã Christus vocat ad supernam remunerationem.

Eumdem sensum, at longe diuerso modo explicatum, sequitur & Richardus de Sancto Victore, quippe qui vocari, inquit, sponsam de Libano, quod dealbationem sonat; cum piam animam Christus, per mortificationem peccatorum, & deuotionem orationis mundatam, & candidatam inuitat ad supernam remunerationem: Libanus quippe est mons, in quo crescunt myrrha, & thus. Triplicata autem vo-

Quinque rationes propter quas ter dicitur veni.

ce dici ei, vt veniat. Primo, vt sponsus illi insinuet immensitatem desiderij, & amoris, quem habet ad eam; vtque trina repetitio firmitatis eius amoris sit attestatio: cum funiculus triplex difficile rumpatur. Secundo, vt indicet gratulationem, qua liberationi eius de præsenti miseria congaudet. Tertio, vt innuat, quanto desiderio hanc celerius fieri optet: repetita siquidem vocatio accelerantis pariter, & congaudentis affectum exprimit. Quarto, vt iterata vocatione magnitudinem felicitatis, ad quam vocatur, insinuet. Quinto, vt trinitatis indicet fruitionem, quam perceptura est post laborem.

Coronatur de Amana & pia anima, cum de diabolo triũphat.

Quæ sequuntur, *Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir*, & cetera, sic exponit: primo notat, *Amana* interpretari inquietum, vel turbulentum, & significare amatores mundi, qui inquieti sunt, & turbulenti, quorum caput est diabolus: *Sanir* interpretari fœtorem: Hermon anathematizationem: Tum subdit, peruersos non modo Amana esse, id est, inquietos per amorem terrenorum; sed & Sanir, id est, fœtentes per immundam vitam, & Hermon, id est, anathematizatos, per peccatum, scilicet è iustis disiuncti, & per excommunicationis sententiam ab Ecclesia segregatos: Caput, siue verticem illorum esse diabolum, qui ad hoc tentando eos inducit, & per hoc in eis principatum gerit: cuius suasioni dum deuotus quisque resistit, ne peccatis implicetur, de hoc capite, quia triumphat, coronari.

Coronatur etiã iniquis, dum illos fugit vel conuertit ad bonum.

Leones quoque, & pardos esse dæmones; quia nunc aperta iniquitate sæuientes quosdam decipiunt, nunc blandis consilijs, & varijs fraudibus rectos seducunt, sicut & leones feroces, & pardi vario colore respersi sunt: horum habitationem ipsos esse iniquos, quorum peruersos mores, & peccata dum boni non imitantur, sed fugiunt, & interdum quoque illos doctrina, & exemplo ad bonum conuertunt, de eis, vt de montibus, & cubilibus leonum, atque pardorum coronari, & externis præmijs donari.

15

Rup. Abb. Maria è mũdo egressa per mortem coronata est de Regnis mundi per illorum salutem.

Ad obitum, & glorificationem Beatę Virginis Mariæ referunt hæc Rupertus Abbas, & ipse quoque Richardus. Rupertus namque nouo modo interpretans nomina montium, quorum hic fit mentio: Libanum candidationem: Amanach nocturnam auem: Sanir dentem vigiliarum, & Hermon anathema: prædici hoc loco ait Beatæ Mariæ exitum à corpore, & gloriam subsequentem: Ac si dicatur: Migrabis de corpore isto, corpore candido, corpore virgineo, & coronaberis de regnis mundi, quæ recte dicuntur quædam capita, & vertices nocturnæ auis, & dentis vigiliarum, & vere anathematizati diaboli, à Deo separati, qui, cum sit princeps tenebrarum, & tamquam leo circumeat, quærens quem deuoret, recte nocturna auis, & dens dicitur vigiliarum. *Coronaberis* autem ex his regnis: quia credent in me fructum ventris tui, & eorum credentium salus corona tua erit: Ita coronaberis: vt & in cælis Regina Sanctorum, & in terris Regina sis Regnorum: agnoscentes enim te Reginam cælorum, ac proinde possidentem totum regnum filij tui, Reges, atque Imperatores coronis suis te coronabunt: palatia sua nomini meo sacrabunt, honori tuo dedicabunt, vt desinant esse, quod fuerant, montes pardorum, cubilia leonum.

Maria quomodo coronetur de cubilibus leonũ & montibus pardorum.

Richardus. Maria quomodo coronata de diabolo & de iniquis.

At Richardus, coronandam illam ait *de capite Amana*, & cetera, id est, de diabolo: Quia Beata Virgo dum ipsum mundi Principem, & caput iniquorum superauit, calcauit, eiusque vires confregit: dum perfectam munditiem seruauit in corpore, & humilitatem in corde: dumque ab illorum corde quos vel aperte sæuiendo deiecerat: vel occulta, & varia fraude tecte deceperat, meritis, & intercessione sua liberauit; de cubilibus, seu montibus leonum, atque leopardorum coronari perhibetur.

Ambros. Religiosa anima quomodo à Christo vocata ad monasterium.

Denique ad Sanctæ cuiusque Virginis, & Monialis vocationem eadem referunt Ambros. & Hieronymus. Ambrosius quippe in lib. 3. de Virginibus post dimidium, ad virginem sic loquitur: Primitias vigiliarum tuarum Christo dicato: primitias actuum tuorum Christo immola, audisti, quia vocauit te, dicens: *Veni à Libano sponsa, veni à Libano; transibis, & pertransibis à principio fidei*: Transibis in sæculum creatura,

tura, pertranſibis ad Chriſtum triumphatura de ſæculo. Audiſti, quia te à leonum, & pardorum, id eſt, ſpiritualium nequitiarum incurſionibus ſeparauit.

Hieronym. Virgo quomodo, & vnde vocetur à Chriſto in monialem.

Hieronymus vero libro 1. contra Iouinianum circa medium, ad Virginem hæc inquit dicta: *Veni à Libano ſponſa, veni à Libano: venies, & pertranſibis ab initio fidei, à capite Sanir, & Hermon, à cubilibus leonum, & montibus pardorum:* Sic vero ea explicat, Libanus Λευκασμὸς, id eſt, candor interpretatur: *Veni* ergo *ſponſa* candidiſſima, de qua Canticorum 8. dicitur: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit dealbata per viam huius ſæculi? Ab exordio fidei, & ex Sanir*, quod interpretatur Deus lucernæ,

Pſal. 118. iuxta illud, quod in Pſal. 118. legimus: *Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen ſemitis meis: & Hermon*, id eſt, conſecratione: & *fuge leonum cubilia, & leopardorum montes*, qui non poſſunt mutare varietatem ſuam: fuge, inquit, cubilia leonum, ſuperbiam dæmonum, vt poſtquam mihi fueris conſecrata, poſſim dicere: *Vulneraſti cor meum*, &c.

Verſ. IX. cap. IV. *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa: vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.*

Expositio I.

Iuxta ſonum litteræ.

1 REdit iam ſponſus ad cœptam pulchritudinis dilectæ ſuæ panegyricum, poſtquam & tacite, & aperte illam ad ſecum commigrandum inuitauit. Ita vero redit, vt nouis quodammodo coloribus, ijſque illuſtrioribus delineatus aliquorum membrorum eius picturas perpolire videatur.

Porro à primis, quas in primo verſu huius capitis quarti effigiarat, mireque effinxerat, oculorum, & capillorum picturis incipiens, ita ſane illas in iterato iſto earum encomio perficit; vt haud alia in ipſis deſideranda ſit manus. Sicut autem illuſtrioribus encomijs denuo hic eadem membra celebrantur: ita & iure optimo illa ipſa, cuius deſcribitur panegyricus, nobilioribus, & illuſtrioribus inſignitur titulis.

Sororis nomen adiunctum nomini ſponſæ duo ad illud addit.

Enimuero in primo encomio amicam ſuam duntaxat appellarat eius amicus, dicens, *Quam pulchra es, amica mea; quam pulchra es*; At nunc & ſororem eam prædicat, & ſponſam ſuam. Atqui ſororis nomen iunctum cum nomine ſponſæ, duo ad ſponſalitiam dignitatem addit, quibus plurimum laudis ſit acceſſio ad id, quo in præcedenti verſu eadem decorata eſt, vno duntaxat nomine ſponſæ: Significatur namque arctior, quæ inter ipſam, atque dilectum ſuum ineſt coniunctio, quamve iſta ipſa, quæ tam arcta eſt, coniunctio, pudica quoque ſit.

Nomen quippe ſororis indicat primo conſanguinitatis vinculum: & nouimus, moris apud Hebræos fuiſſe; vt quo arctiora nuptiarum vincula efficerent,

a Num 33. Probabiliori opinione Iosephi lib. 1. antiq. c. 1. Aug. loco citato contra Fauſtum & aliorum complurium. a ij demum inter ſe matrimonia contraherent, qui ex vna eademque eſſent cognatione, vel tribu, atque adeo propter iſtud cognationis vinculum, quas in ſponſas aſſumebant, ſorores ſæpius appellare ſolebant: Sic Abraham Saram, quia neptis ſua erat, ſororem dixit in libro Geneſis: ſic Iſaac Rebeccam neptem, ſic & Tobias (vt bene notat Auguſtinus in libro 22. contra Fauſtum capite trigeſimoquinto) Saram, quam accipiebat vxorem, quia ex eadem cognatione erat, ſororem nuncupauit: Sic denique & ſponſus, qui in hoc Cantico loquitur, ob eamdem rationem ſponſam ipſam ſuam, ſororem quoque ſuam pronuntiat, quia filia patrui eius eſſe ſupponitur: Vnde & illa pariter eum, iuxta verſionem Septuagint. ἀδελφιδόν μου, fratruelem meum nominat, vbi in lectione Vulgatæ dilectum meum dicit eumdem.

Vide S. Th. 2. 2. q. 110. art. 3. ad tertium.

Præter iſtud autem conſanguinitatis vinculum, ſignificat inſuper idem ſororis nomen cum nomine ſponſæ coniunctum eximiam pudicitiam, quæ talibus adiuncta eſt nuptijs, quave talis inſignita eſt ſponſa: propter quam pudicitiam conteſtandam ipſamet inferius in ea prorumpet verba: *b Quis mihi det te fratrem meum ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deoſculer te: & iam me nemo deſpiciat?* & Plautus de pudiciſſima coniuge ſic ait. Tam à me pudica eſt, quam mea ſi ſoror ſit.

b Cant. 8. 1.

Quin & quotidie obſeruare fas eſt inter pudicos coniuges, quo pudicitiæ mutui amoris ſpecimen ſibi inuicem præbeant, & ſponſas à viris appellari ſorores, & viros viciſſim à ſponſis fratres appellari.

Atqui, ſi coniecturis agere licet in exponendis ſacris Scripturis, crediderim ſponſum in hoc verſu ita ſtudium adhibuiſſe ad oculorum, & capillorum ſponſæ celebrationem: vt tamen ex ipſo eorum membrorum encomio laus pariter inſignis pudicitiæ in ſponſam ipſam ſuam redundaret, quo ſic ex ratione quoque pudicitiæ, qua inſignita ea eſſet, facilius illam ad ſecum commigrandum adduceret, id quod in primis ipſe intendit in tota hac cantione. Perſuadeo autem hoc mihi ex eo, quod cum vulneratum ſe dicat per illa membra, non ait: *Vulneraſti cor meum in oculis tuis, & in crinibus tuis*: prout ſupra in verſ. 1. huius quarti capitis oculos in plurali commendauit, ſicut & capillos, ac crines: Sed poſtquam dixit: *Vulneraſti cor meum, ſoror mea ſponſa*: ſubjicit: *Vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.*

Primus ſenſus. *Sponſæ pudicitia magis, quã vlla alia re vulneratum ſe dicit ſponſus.*

Per id enim, quod vulneratum corde, amatorum more loquens, primò ſe ait, cum primum ſororem ſponſam ipſam ſuam appellat, ab ipſa eius pudicitia captum ſe ſignificare voluit: Per id vero, quod iterum ſubinfert, corde ſe vulneratum *in vno oculorum* eius, *& in vno crine colli* ipſius; ſubinnuere videtur, quanam potiſsimum ratione ab ipſa ſponſę ſuę pudicitia captus ſit: ea vero eſt; quia, cum eam intuitus eſſet, vix vnum eius oculum, vix & vnum colli eius crinem conſpexerit, vtpote, qui ob pudicitiæ decorem intra velum cooperti detinerentur, prout apertius ſignificatum vidimus ſupra in præcitato item oculorum eius encomio ijs verbis: *Abſque eo, quod intrinſecus latet*: pro quibus verbis clarius in Hebraica lectione habetur, *Intra velum tuum*: vt ſit alluſio ad conſuetudinem feminarum Orientalium, quæ honeſtatis, & pudicitiæ cauſa, & ne à viris viderentur, vix vno oculo liberato, tota reliqua facie aperta, illo vno tantum oculo duce incedebant; de qua ſancta conſuetudine agit Tertullianus in libro de habitu muliebri, & Sanctus Hieron. in epiſtola ad Demetriadem de ſeruanda Virginitate, necnon & Ioſephus lib. 11. Antiq. cap. 9. vt ſenſus ſit.

Mulieres Orientales opertæ velo incedere conſueuerunt. *Tertullian. Hieron. Ioſephus.*

Tam ardenter *ſponſa mea* te iterum iterumque, vt mecum venias, inuito: quia captus amore tuo ſum: *Vulneraſti* enim cor *meum*: quoniam adeo pudicam te ſponſam animaduerti, vt *ſoror mea* iure ſis appellanda: Eximiã vero iſtam pudicitiam tuam exinde percepi, quod ita intra velum latitantem te vidi: vt vix cõſpicere potuerim vnum oculorum tuorũ, quo me vnum latenter intuita es: & vix vnum crinem item tuum, qui è tuo defluit collo: adeo vt & vno ipſo crine illo colli tui, vnoque illo oculorum tuorum me, & cor meum ſic vulnerarueris, vt ſine te eſſe non patiar vel tantillum.

Paraphraſis.

At ta-

At tametsi allatus iste sensus admodum congruus mihi videatur; quia tamen vero simile est, prout etiam est tactum in principio huius expositionis, iteratum istud horum membrorum encomium aliquid illustrius continere, quam contineant prima eorumdem encomia; illustrius id nobis inuestigandum est: iuxta enim hunc sensum nil eximij additum videtur saltem ad primum illud encomium oculorum, in quo per similitudinem ad columbas, siue ad oculos columbarum, cum dictum est; *Oculi tui columbarum*, seu, *columbæ*: ex insigni commendati sunt pudicitia: per id vero, quod adiectum est: *Absque eo, quod intrinsecus latet*; ex vehementi in eis latentis gratiæ efficacia sunt celebrati, licet nihil explicite de tali dictum sit efficacia.

Porro illustrius id, atque præstantius, quod hic est adiectum, ex duobus verbis, quæ ambo hic repetuntur duabus vicibus, colligi potest ex eo, quod dicitur: *Vulnerasti cor meum*: Tum ex eo, quod subjicitur: *In vno & oculorum & crinium.*

Alter sensus.

Et vt ab hoc secundo exordiar, argumento à minori ad maius hæc membra sic laudibus celebrat sponsus.

Paraphrasis.

Adeo pulchri sunt oculi, & crines tui, vt haud necesse sit, ad ipsorum efficaciam exhibendam, ambo concurrant oculi, omnesve & crines: sed vel vnus eorum sufficiens sit: nam *in vno* duntaxat *oculorum tuorum, & in vno crine colli tui*, quæ tantummodo videre potui, te intuens velo opertam, *vulnerasti cor meum*. Quod si vno tantum id præstare potuisti quid virium in omnibus crinibus, & in ambobus exercere poteris oculis?

Ab amatæ oculis quomodo vulneretur cor amantis.

Quod vero primo loco ait: *Vulnerasti cor meum*: mirum in modum exaggerat eorum membrorum pulchritudinem, ipsiusve pulchritudinis efficaciam præstantissimam. Non desunt, qui vim istam in eo sitam existiment, vt tam vnus oculus, quam vnus colli crinis, qui in sponsa conspecti à Sponso sunt, ipsius spõsi cor proprie quodammodo vulnerarint: id ex philosophia naturali comprobantes, secundum quam asseritur à nonnullis, corvitali suo motu perpetuo spiritosum suum sanguinem agitans, cum eodem sanguine spiritus vitales in totum corpus humanum, perque illos vitalis luminis scintillas in membra singula diffundere, in oculos autem maxime: sicque tam oculos, quã alia amati membra, dum ab amante conspiciuntur, lucidum istum spiritum, qui flos sanguinis elaboratissimus est, per oculos, & arterias ceu iaculũ in ipsius amantis cor, tanquam in cognatum originis suæ locum immittere, ibique infixum hærere.

Quicquid tamen sit de hac philosophia, id certe numquam crediderim, à capillis, & crine istiusmodi vitales, ac luminosos spiritus emitti posse; cum valde dubium in ipsa philosophia sit: An capilli vitam in se habeant.

Oculi vim quandam de se secundum opinionem illustriũ Philosophorum emittunt. Aristoteles.

Sane de oculis multorum Philosophorum, eorumque illustrium opinio est, vt sanguinem & vim aliquã de se emittant, qua fascinent, afficiantque; quod Aristoteles in libro de somnijs cap. 2. probat experientia oculorum mulieris menstruatæ speculum sanguine inficientium, cum in illud conjiciuntur: deducitque exinde, vt quemadmodum visus patitur, sic & faciat aliquid. Vide Plutarchum lib. 5. Symposij, problemate septimo, vbi longius de ista oculorum vi disserit, & præcipue: Quomodo mutuus amantium intuitus illos conficiat, interimatque cum voluptate dolori permixta.

Plutarch.

Vulneratio cordis amanti quomodo contingat.

His tamen non obstantibus: Sicut transformatio, quæ communi Doctorum omnium consensu fieri dicitur amantis in amatum, naturalis non est: cum amor haudquaquam vnã naturam in aliam transmutet, sic vt metamorphosim naturalem efficiat: sed est spiritualis; quatenus transformat corda, hoc est, affectus, desideria, ac vitam omnem. Eodem modo arbitror, & istud, quod hoc loco sponsus dicit: *Vulnerasti cor meum*: nequaquam naturaliter sumendum, quasi naturali aliquo oculi, & crinis sponsæ influxu sanguinis, aut spiritus sanguinei carneum sponsi cor vulneratum sit: at spiritualiter, & metaphoricè eo modo, quo in cap. 2. & in cap. 5. huius Cantici sponsa, iuxta lectionem Septuagint. dixit: *a Vulnerata charitate ego sum*: vbi noster Interpres legit: *Amore langueo*. Quod si quis quærat, quidnam sit vulneratio ista spiritualis in corde: quave ratione eadem fiat: Dicendum, illam haud aliud omnino esse, quam transformationem spiritualem; eodemque penitus modo fieri, quo fit & transformatio amantis in amatum: exprimi vero per nomen, ac metaphoram vulnerationis in corde, vt insignis, & præstantissimus eius effectus designetur. Sicut enim materialis vulneratio cordi illata, vitam illico aufert, qua & cor, & animal ipsum viuebat. Ita & transformatio spiritualis vitam illam ab amantis aufert affectu, qua prius is viuebat in animo iuxta vulgatissimam Platonis sententiam, qua dicitur: Amator animus in proprio corpore mortuus, in alieno corpore viuit; ac in se mortuus, in alio reuiuiscit.

a *Cant.* 2. 5. *Cant.* 5. 8.

Simile.

Plato.

Ac sicut vulnus carnali cordi inflictum maximi doloris est causa, ita vt vehementior eo excogitari non possit: Eodem modo, & spiritalis ista cordis vulneratio tam grandem affert dolorem in intimis præcordiorum, cum amans longe ab amato abest: vel cum ab illo non redamatur: vt iure optimo sponsa in præcitatis verbis ob huiuscemodi vulnus præ doloris vehementia languere se dicat, animive deliquium pati.

Simile.

Cant. 2. 5.

Colligitur porro, & confirmatur hoc totum, quod dictum est, quoad significationem, & modum, quo cordis vulneratio hic fieri dicitur, ex verbis, quæ pro, *Vulnerasti*, habentur in textu Hebraico, atque in versione Septuagint. quæ inter alios significatus, & hoc quoque significare possunt: *Abstulisti mihi cor*: vt paulo infra explicabitur.

Suppositio igitur, quod cordis vulneratio in hoc sensu accipienda hic sit, adhuc vnum superest declarandum pro eorum, quæ exponimus, intellectione: Cur ab vno oculorum potissimum, atque in vno crine colli sponsæ sic vulneratum se dicat sponsus quave ratione, & vnus sponsæ oculus, & vnus crinis talem in cor sponsi infligere queat vulnerationem.

Pro quorum intellectione, supponendum primo, idcirco in hisce sponsæ membris corde vulneratum se dicere sponsum; vt præstantissimam istam laudem in membra hæc conferret, quippe quæ tam grandi, tamque eximia vi prædita sint, vt istiusmodi vulnus infligere possint; quod vni omnium potentissimo concessum est amori.

Oculi atque crines mulierum amorem quam maxime conciliãt. Oculus sedes animi. Plin. lib. 11. cap. 36.

Nec mirum: quandoquidem ista duo membra, oculus, atque crines, si debita pulchritudine sint decora, præ ceteris membris vniuersis amorem conciliare valeant conspecta: Oculi namque cum veluti quoddam animi domicilium sint (vt asseruit Plinius) quandoquidem ex nulla alia animantium parte expressiora, quam ex illis internarum noscantur vestigia affectionum, amorem, qui animi quædam & præcipua affectio est, vt compares, cognatique facillime causant.

Crines vero id ipsum quoque efficere par est, quippe qui idcirco mulieri à natura collati sunt, vt gloria illis sint, prout colligitur ex verbis Apostoli in epistola prima ad Corinthios: *Mulier si comam nutriat, gloria est illi*. Gloria autem illi sunt: quia pro pulcherrimo naturalis pulchritudinis naturali ei inseruiunt ornamento, cuius sane ornamenti ea est vis in amore conciliando; vt idem sponsus infra in capite septimo, iuxta lectionem Hebraicam, & versionem Septuaginta dicat: c *Comæ captis tui, sicut purpura. Rex ligatus in canalibus*: id est: Tam insignis est pulchritudo comæ tuæ purpureæ, tamque grandis est eiusdem vis in amore conciliando: vt Rex Salomon dilectus tuus ligatus sit flexu virtarum, quibus crines ita adstricti sunt, vt quædam quasi riuuli,

c *Cant.* 7. 5.

ſi riuuli,& canalis flexuoſi ſimilitudo per capillos decurrat,prout fuſius ſuo loco exponetur.

Vulnerant porro cor inſpicientis duo iſta membra vulnere ſpiritali hoc modo : quia per inſpicientis oculos eximiæ pulchritudinis ſpeciem intrinſecus immittunt in potentiam imaginatiuam , per quam deinde mouetur potentia appetitiua , & potentia etiam cognoſcitiua,atque intellectiua.Vnde fit,vt & appetitus vulneratus dicatur , cum illico ad illius pulchritudinis complacentiam inclinatum ſe ſentiat, & cor item carneum quodãmodo vulnus infixum habeat: ita vt propter aſsiduam amatæ pulchritudinis cogitationem & deliquium patiatur , & liquefactionem inducat, ac ecſtaſim, alioſve languores. Cum enim homo ex anima conſtet,& corpore, tãta eſt inter has duas eius partes connexio; vt & corporis ſenſus animam afficiant , & paſsiones pariter animæ varios in corpore cauſent effectus.

Quoad lectionum varietatem: Animaduertẽdum primo,pro eo,quod noſter Interpres legit: *Vulneraſti cor meum*,in Hebræo eſſe: לבבתיני libbabthini,quod verbum cum deducatur à nomine לבב lebab, quod ſignificat cor,animum,mentem,intellectum, ſapientiam, & ea omnia, pro quibus in lingua Latina cordis vocabulum vſurpatur : incertum eſt , etiam apud Hebræorum Doctores, quid proprie ſignificet: Vnde nec mirum , ſi etiam apud interpretes in vario acceptum ſit ſignificatu. Bis tantum reperitur in ſacris litteris : ſemel in libro Iob, vbi dicitur; *d Et vir vanus*: לבב illabeb: in Niphngal. i. *Et vir vanus efficietur cordatus* : & (vt vno item verbo Latino , licet id in vſu non ſit,illud reddamus) cordificabitur,pro quo Hieron . *Inſuperbiam erigitur* : accipiens cor pro ſuperbia.

d Iob. 11. 12.

Altera vero vice habetur idem verbum in præſenti loco, at non in Niphngal;ſed in Pingel. Quo loco communiori Hebræorum ſenſu accipitur , vt idem ſit, ac *Abſtuliſti mihi cor* : provt à noſtris quoque compluribus redditur , ab Interprete Bibliorum Reg. à Sancto Pagnino,à Vatablo, necnon etiam ab Iſidoro Clario ex parte . Rabbi tamen Dauid Kimki in lib. Radicum dicit verbum iſtud hic poſſe etiam ſumi pro,*transfixiſti mihi cor*; in quo ſignificatu illud accepit noſter Interpres, & etiam apud Hebræos Rabbi Innominatus,& alij.Non deſunt,qui in tertio pariter ſignificatu ſumpſere iſtud idem pro *Incordiare* (vt loquitur Plautus in Ciſtellaria) vt notatur in Lexico magno linguæ ſanctæ,quod latine circunfertur.Quo ſenſu illud ſumpſiſſe videtur Quinta editio , quæ ſic illud reddidit,ἐθάρρυνάς με,ἐθάρρυνας,*Fidere me feciſti,fidere me feciſti*.

Abſtuliſti cor. Excordaſti. *Transfixiſti.* *Incordiaſti.* *Fidere me feciſti.*

Necnon & Symmachus,qui,vt colligitur ex Commentarijs Theodoriti,vertit: *Excitaſti cor meum*:in eodem ſenſu. Quin Sept. Interpretes , dum verterunt ἐκραδίωσας,ſecundum interpretationem Sancti Gregor. Nyſſen. homil.8. in Cant. in hoc ipſo ſignificatu illud ſumpſere pro *Indidiſti cor*.

Excitaſti cor. *Indidiſti cor.*

Quamquam iſtud ipſum verbum ἐκραδίωσας, quo vſi ſunt Septuagint. non minus ambiguum ſit , quam verbum Hebraicum : Vnde Interpres Theodoriti vertit illud : *Vulneraſti cor* : quo modo idem vertit & Sanctus Hieronymus libro primo,contra Iouinianum, qui (vt colligitur ex vltimis ijs verbis : *In vno commento colli tui*) lectionem Septuaginta eo loco ſecutus videtur.Quamuis communiori ſenſu ἐκραδίωσας, hoc loco tantumdem valere apud Septuagint. credatur; ac ſi dixiſſent: ἐκκαρδίωσας eodem ſignificatu , quo communius & verbum Hebraicum ſumi annotatum eſt. Sic Ambroſius ſermon. 16. in Pſalm. 118. verſ. 3. vertit : *Cor meum cepiſti* : & haud diuerſo ſenſu ſermone 11. in eumdem Pſalm.verſ. ſecundo. *Corde nos cepiſti*.

Vulneraſti cor. *Cepiſti cor.*

Omnino , ſi vſquam admiranda eſt vis linguæ Hebraicæ , & efficaciæ locutionis Spiritus ſancti in ſacris litteris , hoc certe loco maxime eſt admiranda , vbi per vnum duntaxat verbum tam multiplices expreſsi ad viuum ſunt amoris effectus , qui in quouis fiunt corde amantis.

Porro effectus iſti quatuor ſunt , ijque præcipui. Primus eſt vulneratio cordis. Secundus , ablatio cordis. Tertius , cordis collatio , ſeu (vt ita dicam) incordiatio. Quartus, fiduciæ & animi exhibitio. Id modo nobis breuiter explicandum ſupereſt , ne quid intactum relinquatur;quomodo effectus iſti ab amore cauſentur , quem per conſpectum vnius oculi, vniuſue crinis ſponſę concepit,qui hic loquitur ſponſus.

Et quidem , quoad primum multa iam dicta ſunt in expoſitione litteræ ; nec opus eſt , vt alia addantur. Secundus vero , qui in eumdem recidit, quomodo fiat , facile percipitur ex vulgata illa Auguſtini propoſitione : Anima magis eſt, vbi amat, quam vbi animat ; & apertius ex illa Domini ſententia : *a Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum*. Qua de re pluribus ſæpius actum eſt ſupra, cum probatum eſt, amatum rapere ad ſe cor amantis ex diuerſitate , qua operatur intellectus,trahens ad ſe rem,quam intelligit & qua operatur voluntas,tendens ad rem, quam amat.

4 *Amor quomodo auferat cor amanti.* a Mat.6.21

Quamuis autem amor cauſet eximium iſtum affectum ablationis cordis ab amante : producit tamen ſimul & tertium effectum pari modo præſtantiſsimum, qui ei aliquo modo videtur contrarius : Contraria namque inuicem videntur eſſe ablatio cordis, & elargitio cordis ; & nihilominus vno eodemque tempore ambo ab vno potentiſsimo fiunt amore. Quomodo id fieri queat , præclare probatum habes apud S.Thomam in 1.2. quæſt.28.artic.2. At efficacius id probat dilectus Chriſti diſcipulus de diuino loquens amore,cum ait:*b Qui manet in charitate,in Deo manet* : En ſecundum amoris effectum : *Et Deus in eo*: En tertium , de quo loquimur : Audi & Apoſtolum Paulum Dei amore vulneratum , quomodo Chriſti cor ſibi inditum dicat,quo vitam agit : *c Viuo ego,iam non ego*,id eſt,haud corde meo,quod iam mihi abſtulit is,cuius amore flagro,Chriſtus dilectus meus : *Viuit vero in me Chriſtus* ; is nimirum ipſe,qui cor meum ſibi abripiens cor mihi indidit ſuum.

Amor quomodo tribuat cor amanti. b 1.Ioan. 4. 16. c Gal.2.20.

Porro hos duos amoris effectus conſequitur & quartus,ingens nimirum fiducia, & magnus animus, quo amans impellitur ad grandiora edenda;& ea aggreditur , quæ vires , ingenium & facultatem excedunt : propter quem effectum de amore ipſo ſic dictum habes in capite octauo : *d Fortis eſt vt mors dilectio , dura ſicut infernus æmulatio : lampades eius, lampades ignis atque flammarum*. Quid enim non tentare audeat amans pro amato,ſi amatus eum impellit,quod viuit in illo?*e Omnia poſſum*,ait Apoſtolus,*in eo qui me confortat*. Cui parcet labori,vt ſecum habeat amatum?quidve ab amato non ſperet,qui in ipſo ſcit eſſe cor,quod ſibi ablatum eſt? Addunt aliqui & quintum effectum ecſtaſis , vertentes Hebraicum , & Græcum verbum quatenus ſumitur in ſignificatu auferendi cor: *Excordaſti me , ſtupefeciſti me* : At certe effectus iſte ecſtaſis haud eſt diſtinctus ab eo, quem ſecundo loco numerauí: Ecſtaſis quippe,etſi inſaniam quamdam importare videatur; vt tamen eſt amoris effectus haud aliud eſt,quam,cum quis rei amatæ pulchritudinem obſtupeſcens, extra ſe ponitur, vt docet S. Thomas in 1.2. quæſt.28. art.3. quod plane tunc fit , cum ita amans ſentit ſibi ablatum cor ab amato, vt per ecſtaſim eius voluntas ardeat, vratur, æſtuet, ſicque in ſe deficiat; vt optet pro amato mori, apud ipſum commorari, & viuere,nullam in ſe requiem habens. Quæ omnia tam in primo, quam in ſecundo amoris effectu contingere,nemo eſt,qui dubitet: Vnde haud neceſſe eſt quintum ab illis diſtinctum addere : Quin (vt videbimus in ſenſibus ſpiritualibus)maiorem vim habet: *Abſtuliſti cor mihi*,quam ; *Excordaſti*,ſeu,*ſtupefeciſti me*: poteſt namque ſignificare raptum,qui,vt dicit S.Thom.2.2. quæſt.75. artic.1.& 2. ſupra ecſtaſim addit extrinſecam violentiam menti allatam.

Amor quomodo cauſet maximã fiduciam & ingentes animos in amãte. d Cant.8.6. e Phil.4.13.

Amor quomodo cauſet ecſtaſim in amante. *Stupefeciſti me.* S. Thom.

Amor cauſat raptum in amante.

Secunda

Secunda litterarum varietas est in versione Septuag. pro eo enim quod Vulgata vna cū Hebraico textu habet: *Vulnerasti cor meum*; seu, *abstulisti mihi cor*: in singulari, Septuaginta in plurali legunt ἐκαρδίωσας ἡμᾶς, *abstulisti*, seu, *indidisti nobis cor*. Ex quo factum est, vt Sānctus Gregorius Nyssenus homilia octaua; quem sequitur Psellus apud Theodoritum libro 3. Cant. censuerint, ea, quæ in hoc versu dicuntur, non tam sponsi verba esse, quam sodalium ipsius.

Greg. Nyss. Psellus.

At certe communiter contrarium asserunt vniuersi, & ex textu ipso Septuag. quo subditur in singulari, *Soror mea sponsa*, manifeste conuincitur, sponsum ipsum esse, qui hic loquitur: loqui autem authoritatiue, dum in plurali ait. ἐκαρδίωσας ἡμᾶς.

Tertia demum varietas est circa id, quod dicitur: *In vno crine colli tui*: Nam in Hebræo pro crine est dictio ענק nganax, quæ proprie torquem significat: quo significatu Sept. verterunt: ἐν μιᾷ ὁδίῳ, *in vno ornamento*: & Symmachus quoque in eodem significatu vertit τῷ ὁμιλητῷ, *Monilium*.

Noster Interpres, secutus videtur Aquilam, qui sic vertit ἐν ἑνὶ πλοκάμῳ, *in vno crine*.

Genebrardus ait, fortasse nostrum interprete crinem accepisse non pro capillo, sed pro torque, & vinculo è crinibus confecto. Quicquid tamen sit, vtraque lectio optima est, satiusque mihi videtur, vt vere pro crine ipso sumatur è ceruicibus pendente, qui est ornamentum naturale, quam pro adscititio alio ornamento torquium, & monilium ex auro, vel è gemmis aut ex alienis crinibus confecto: quo collum exornetur: quin & crinem illum è ceruicibus pendētem, quē in sponsa, quæ velo operta supponitur, conspexisset, torquem, ornamentum, ac monile iure optimo appellatum ab sponso crediderim, quod eo collum illius non minus decorum reddi sibi videtur, quam si pretiosissimis id exornatum esset monilibus: eo modo, quo cap. primo ob eamdem rationem idem sponsæ collum monilibus ipsis comparatum vidimus, vbi idemmet sponsus dicebat: *a Collum tuum sicut monilia.*

a Cant. 1. 10.

Porro crinis vnius nomine non vnum capillum significatum censere debemus, sed vnum plurium capillorum simul connexorum sertum, quod trecas Latini vocant, Italice, *Treccia*: quomodo idem nomen vsurpatum reperitur Iudicum 16. vbi ait Sampson: *b Si septem crines capitis mei cum licio plexueris* &c.

Crinis nomine significata trecæ.

b Iudic. 16. 13.

Quibus crinibus vtebantur antiquitus porrectis super collum tam viri, quam mulieres. Vide Auctorem Collectaneorum in Clementem Alexandrinum lib. 3. Pædag. super illis verbis; Catenarum nexus, vbi pluribus de illo antiquorum more agit.

Crinibus Antiqui vtebantur porrectis super collum.

Deseruire etiam posset spiritualibus sensibus, quod tam in Hebræo in plurali dicitur: *E collis tuis*: quā in versione Septuaginta: *Collorum tuorum*. Licet enim re vera tātumdem sit, ac si in lingua Latina dicatur, ceruicum tuarum, seu, è ceruicibus tuis; ponderari nihilominus posset, quod vnum dicitur ornamentum plura colla: cum contrarium potius euenire soleat, vt vnum collum pluribus exornetur ornamentis.

Vers. IX. cap. IV. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa: vulnerasti cor meū in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.*

Expositio II.

De prima sponsa, quæ est Ecclesia sancta.

§ SIlaborauimus in prima expositione, quo explicaremus rationem, qua amantis hominis cor vulnus acciperet per ea inprimis, quæ in humano corpore sunt maxime delicata, oculum; & capillum: haud dubium, quod multo magis insudandum sit in explicando modum, quo Deus ἀνθρωποπαθῶς loquens de semetipso, in corde vulneratum se dicat in vno oculo, & in vno crine Ecclesiæ: Vulneratum item in corde per id, quod eadem Ecclesia ita sit eius sponsa, vt sit simul & soror.

Supposito igitur eo, quod iam probatum est in primo versu huius quarti capitis sub oculorum, & capillorum metaphoris contemplatiuos, & religiosos intelligi, eos nimirum qui studio adiecti sunt contemplationis diuinorum mysteriorum, & eos, qui religiosam, ac monasticam vitam profitentur: Quo seruius totius huius sententiæ enucleetur, explicandum primo: Quid Ecclesię addatur eximij per id, quod nedū sponsa sed & soror Dei dicitur: magnum enim aliquid id esse necesse est, cum sufficiens sit ad vulnus infligendum cordi diuino.

Secundo, qui sint plures oculi Ecclesiæ, è quibus vnus duntaxat cor Dei valeat vulnerare.

Tertio, si Religiosi sunt Ecclesiæ capilli, cur cum Deum vulnerant, appellentur vnus crinis colli: ac simul, Quomodo iidem sint ornamentum Ecclesiastici colli.

Quarto demum, qua ratione vulnerari dicatur diuinum cor per dicta duo membra: quomodo idem Dei cor per eadem membra abstrahi possit; Quaue ratione ipsimet Deo cor exhibeatur, iuxta varias Interpretum lectiones.

Quoad primum: Per nouam istam nominis sororis additionem ad nomen sponsæ, significatur incommutabile vinculum, quo Ecclesia Catholica cum Deo iuncta est. Enimuero assumpsit quidem Deus, desponditque Synagogam Israel, & Iudam sibi in sponsas: at de nulla illarum dixit vnquam: *Vulnerasti cor meum*: amor quippe, quo vulnus infligitur, tunc minime erat firmus, nec ita obduratus, vt vulnerare eum posset: quia nec solidum erat talium sponsarum connubium, prout ipsemet Dominus apud Ieremiam significat, dū dicerēt: *h Et vidit prænaricatrix soror auersatricis Israel, quia pro eo, quod mœchata esset auersatrix Israel dimisissem eam, & dedissem ei libellum repudij, & non timuit prænaricatrix Iuda soror eius, sed abyt, & fornicata est etiam ipsa*: tametsi soliditas, ac firmitas in istiusmodi connubiis nunquam defecit ex parte Dei, at ex parte sponsarum, quæ cum sponsum auersarentur, libellum repudii ab eo sibi datum causabantur, quam causationem refellens is apud Isaiam ait: *c Quis est hic liber repudii matris vestræ, quo dimisi eam?* id est.

Sororis nomen adiectū nomini sponsæ significat incommutabile vinculū connubij inter Christū & Ecclesiā.

h Iere. 3. 8.

c Isa. 50. 1

Quid me incusatis quod diuortij causa extiterim, librumque repudij dederim matri vestræ; ita vt illam habere haud amplius voluerim in sponsam? Ac si dicat: Non inuenietis librum istum à me datum: Quin tantum abest, vt librum repudij vmquam is dederit eis ex parte sua, vt contra legem, *d* cui subiectum se faciebat omnis, qui hunc daret libellum, sæpius ad illas licet auersatrices, iterum iterumque sibi assumendas paratum se exhibuerit, vt per Ieremiam contestatus est his verbis: *e Vulgo dicitur: Si dimiserit vir vxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid reuertetur ad eum vltra? nunquid non polluta, & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen reuertere, & ego suscipiam te.* Quomodo autem à talibus sponsis vulnerari is poterat in vno oculorum earum, & in vno crine colli earum, vel in pudico ipsarum amore; cum instar meretricum auersis à sponso oculis ad quoslibet alios amatores eos deflexerint, cumque iugum eiusdem è suo deiecerint collo? *a A sæculo* (ait Dominus ad Ierusalem) *confregisti iugum, rupisti vincula mea, & dixisti: Non seruiam: In omni enim colle sublimi, & sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix.* Ecclesia sancta ipsa est, quæ pudico amore suo, soliditateque connubij illum vulnerat: Ita

d Deut. 24. 4.

e Iere. 3. 1.

a Iere. 2. 20.

ſiquidem ſponſa illius iugiter perſeuerat, ſicut perſeuerat & ſoror. Ac ſicut fieri non poteſt, vt quæ nata eſt ſoror alicuius, ſoror vmquam non ſit illius. Ita nec fieri vmquam poteſt, vt Eccleſia Catholica, quam Chriſtus ſemel ſponſauit, ſponſa illius eſſe deſinat. Vnde Dauid in Epithalamio cæleſtis ſponſi deſcripto in Pſalm. 44. ait: *b Adſtitit Regina a Dextris tuis*: ſuper quæ verba Chryſ. homil. in Pſalm. 44. ait: Alius interpres pro *adstitit*, habet: *Stabilita eſt*; hoc eſt, firmiter ſtetit, ſtetit immobiliter: Quod alibi dicit Chriſtus: *Portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam*. Quin vox ipſa Græca, ἑστάθη, quam interpres Chryſoſtomi vertit, *ſtabilita eſt*: maiorem vim habet ad ſignificandam firmitatem connubij iſtius inter Chriſtum & Eccleſiam. Proprie enim ſignificat: Tamquam columna immobilis ſtetit, vnde Apoſtolus ad Timoth. Eccleſiã ipſam dicit *c Columnam, & firmamentum veritatis*. Et idcirco eodem temporis momento, quo illam ſponſare dignatus eſt in Incarnatione, ſic ſponſalitiam ei contulit dignitatem: vt ſimul eidem & ſororis contulerit prærogatiuam: neque enim ſimpliciter carnem ſumpſit, aut natus in ea carne eſt, quam ſibi creare potuiſſet; ſed vt frater eſſet Eccleſiæ, vtue ſororem veraciter appellare illam poſſet, carnem ex Adam communi deſumpſit Patre, cum de virgine eſt natus, & è puriſsimis ſanguinibus filiæ Adæ conceptus. Maximam igitur vim habet, quod ſororem ſuam eam dicit, & ſponſam: Æque eſt enim ac ſi dicat.

Vulneraſti cor meum: quia ſic *ſponſa mea* es, ſicut & *ſoror*: & quia, ſponſa mea cum ſis, inſtar ſororis virginẽ te in perpetuum mihi exhibes caſtam, à me tuos numquam auertens oculos.

Porro tametſi Eccleſia ipſa puros oculos habeat ſanctos videlicet Angelos, quorum intuitu fideles quoſque *d* cuſtodit in omnibus viis eorum; Prophetas, qui idcirco Videntes ſunt appellati, quod oculorum munere fungerentur: Reges, ac Principes in ſceptro, & *e* in virga vigilante Ieremiæ oſtenſos: Prælatos *f* vigilias cuſtodientes ſuper gregem ſuum: Sacerdotes atque Doctores, in quorum perſona dicebat Iob: *g Oculus fui cæco*: Necnon & eos, qui contemplationi diuinorum addicti ſunt. In vno tamen potiſſimum iſtorum oculorum vulneratum ſe ait cæleſtis ſponſus, in vno ordine contemplatiuorum, quos ſemper in ſe conjectos animaduertit, atque vni huic operi indulgentes: vt nouis ſemper acceſſionibus diuinum in ſe ſuſcitent amorem. Quinimo, cum plures in hoc vno ordine ſint contemplatiui, plures quoque & oculi, ſignificati per ſeptem illos oculos; quos *h* Zacharias vidit ſuper lapidem vnum, id eſt Chriſtum, *lapidem probatum, angularem, pretioſum*, perpetuo illum contemplantes, in vno illorum vulneratum ſe inquit Deus. Tanta enim eſt vis contemplationis, quam Dominus *i* optimam partem iure appellat in Euangelio: vt nedum totus contemplatiuorum ordo ſimul, ſed & vel vnus duntaxat eorum ſufficiens ſit, ad vulnerandum cor Dei.

6

Quoad tertium, cœleſtis ſponſus eodem modo dicere protuiſſet: *In vno capillorum tuorum*: ſicut iam dixerat: *in vno oculorum tuorum*: cum capillus ita Religioſum ſignificet, ſicut oculus contemplatiuum: efficacius nihilominus hoc modo loqui voluit: *In vno crine colli tui*: tametſi ab vnoquoque eorum, qui vere Religioſi ſint, vulnerari ſe ſentiat: per hanc namque locutionis formam duo ſubindicat, per quæ potiſſimum Religioſus quiſque cor eius vulnerat: Alterum in vocabulo crinis: Alterum in eo, quod crinem colli, non capitis eum appellat. Crinis quippe hoc loco, vt colligitur ex originalibus Hebr. & Sept. oftenſumque eſt in fine primæ expoſitionis, haud ſumitur pro vno duntaxat capillo ab aliis ſeiuncto: ſed pro multis capillis ſimul connexis, ac inſtar ſerti cuiuſdam ſimul inuolutis in modum trecarum, quæ collum, atque ceruices exornent, cum à puellis pendentes deferuntur. Appellans ergo Religioſos crinis nomine, dum ſe ab illis vulneratum teſtatur, ſignificat: vulnus iſtud ab eis ſibi inflictum, per id, quod, iuxta Apoſtoli conſilium, in hoc maxime ſuum intendunt ſtudium, vt ſoliciti ſeruent vnitatem ſpiritus in vinculo pacis: atque adeo, vt hanc ipſam eorum vnitatem deſignaret, aptiſſime dixit: *Vulneraſti cor meum in vno crine: In vno crine*, non in vno capillo: quia haud beneplacita ſunt Deo feruentiora illa Religioſi ſtudia dilectionis, quæ deteſtandam illam ſingularitatem ſapiunt: Et ideo quantumcunque intenſius in ipſum iaciantur, haud valent nedum vulnerare, ſed vel attingere cor illius. Tunc vero altiſsimum, & inacceſsibile cor iſtud vnuſquiſque Religioſus, vnuſquiſque capillus vulnerat, cum, etſi ſolus bonum aliquod operetur, dum tamen id operatur, nõ modo cauet, vt nullum fratrem ſcandalizet infirmiorem, ſed ſatagit, vt ædificationẽ præbeat vniuerſis. Huius plane opera, ſanctaque fratrum in eis operibus connexio ſic Dei cor penetrant, ſicut & odor pretioſi vnguenti cor penetrat odorantis: k *Vnguento* enim *& variis odoribus delectatur cor*, ait Salomon; vnde in Pſalm. Dauid oſtendere volens, quam bona, quam iucunda, ac potens ſit iſta Religioſorum connexio, cum dixiſſet: l *Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum*, ſubintulit: *Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron*: ac ſi diceret: ſicut pretioſiſsimum illud vnguentum ex multis, ſuauiſsimeque redolentibus aromatibus confectum, quo vnctus erat Aaron, dum, ingrediente illo in Sancta Sanctorum, ab eius capite deſcenderet in barbam, cor Dei penetrabat, & oblectabat; Ita & ſancta Religioſorum fratrum in vnum commoratio, vnaque in bene operando conuerſatio iucundiſsimo plane vulnere idem Dei cor ſauciat. Ideo veraciter is ipſe, qui ſe vulneratum ſentit, ad Eccleſiam, cuius capilli ij ſunt, ait: *Vulneraſti cor meum in vno crine*.

Apte vero, & valde ad propoſitum addit: *Colli tui*: non, *In vno crine tuo* ſimpliciter, ſed, *In vno crine colli tui*. Per hoc quippe adiectum duo ſimul ſignificat; Et modum, quo omnes, ac ſinguli Religioſi prædictam ſeruare queant vnitatem ſpiritus, vt Dei cor vulnerent, non ſolum in communibus ſtudiis, & cum in communi conuerſatione, vel in choro, vel in exercitio manuum, vel in communibus aliis obſeruantiis ſeduloſe ſe exhibent, ſed & cum vel in cellis concluſi, vel alibi quoque, in publico præcipue, boni aliquid operantur. Et alterum illud, per quod ab illis vulneratur, vna cum iam expoſita vnitate ſpiritus; id autem eſt omnimoda dependentia à voluntate ſui Prælati: ac perfecta ſui ipſius in eumdem Prælatum reſignatio: hac ſiquidem vna facillime vnuſquiſque in quibuſcunque actionibus, ſiue quas publice, ſiue quas priuatim exercet, ſanctam ſeruat fratrum connexionem, & vnitatem ſpiritus, quatenus nihil agere tentat, quod Prælato ſuo non aperiat, quodue eius non ſedeat arbitrio. Hac & cor Dei vulneratur ab iiſdem, quando per obedientiam, qua è Prælati voluntate dependent, arcte illud ligant, ſicque deuinciunt, vt de Deo ipſo ſic audacter loquantur: *Tenui eum, nec dimittam*; vt latius explicatum eſt ſupra in tertia expoſitione prædictorum verborum verſ. 4. capit. 3.

7

Ponderandum hoc loco eſt, qua ratione cæleſtis ſponſus tam efficacem iſtam Religioſorum dependentiam exprimat, appellando Religioſos ipſos vnum crinem colli Eccleſiæ. Circa hanc autem appellationem duo in primis ſupponenda ſunt: Et quod collum Eccleſiæ ſint eius Prælati, vt probatum eſt ſupra in expoſitione ſecunda verſ. 4. huius capitis: Et quod Religioſi cum capilli eiuſdem Eccleſiæ ſint, in Deo eius capite radices habeant, Deoque proximius, quam reliqua Eccleſiæ membra inhæreant: id quod etiam ſupra probatum eſt fuſius in ſecunda expoſitione

Similes.

b Pſ. 44. 10 Chryſoſt.

c 1. Tim. 3. 15.

Paraphraſis.

Oculi Eccleſiæ multiplices.

d Pſ. 90. 11.

e Ier. 1. 11. f Luc. 2. 8.

g Iob 29. 15

Contemplatiui ſunt ſeptẽ oculi ſuper vnum lapidem.

h Zach. 3. 9.

Contemplationis quanta ſit vis.

i Luc. 10. 42.

Religioſi per vnionem ſpiritus ferunt cor Dei.

Singularitas Religioſo etiam in operibus ſanctis, nil prodeſt, nihilue poteſt.

k Prou. 27. 9.

l Pſ. 132. 1.

Obedientia Religioſi efficit, vt Religioſus in cunctis operibus ſuis vulneret cor Dei.

Cant. 3. 4.

Religioſi quo modo dependere debeant à voluntate Prælatorum.

positione encomij capillorum, quod habetur in primo vers. huius capitis.

His suppositis: patet, ex hac appellatione, qua Religiosi dicuntur crines colli potius, quam capitis Ecclesiæ, significari primo, illos ita in Deo radicatos, Deove inhærentes esse debere; vt à Prælatorum voluntate omnino dependeant, Dei voluntatem in voluntate eorum expositam tenentes: sicve illis obtemperent, vt radicem charitatis, qua Deo inhærent, fixam in eodem vt in capite seruent, Deo, non hominibus seruientes. Significatur tamen insuper per idipsum, tanti Deum facere perfectam istam Religiosorum à Prælatis suis dependentiam: vt tametsi revera ij magis dicendi essent eius, vtpote qui ab ipso vitā habeant, vt capilli à capite, ac propter ipsum Prælatis obtemperent, haud tamen crinem capitis eos nuncuparit, sed crinem colli, testatum per hoc faciens haudquaquam capitis crinem esse posse Religiosum, qui colli non sit: Et è vestigio, eum qui colli crinis sit, à Prælati voluntate dependens, esse pariter & capitis, iuxtà illud: *a Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Nec abs re est, quod in Originalibus tam hebraicis, quam Sep. non vnius colli crines dicti sunt, sed in plurali crines collorum; per hoc quippe persuasum vnicuique fit Religioso, haud vni duntaxat sibi obtemperandū superiori, sed omnibus, & singulis, quotquot ei Deus præesse voluerit.

Obedientiam religiosorum qua dependent à voluntate Prælatorum, quā ipsa facit Deus.

a Luc. 10. 16.

Obedientia in eo ipso, quod subijcit subditum superiorem reddit, & est ornamentum prælato b Luc. 22. 27.

Aduertendum est autem, ita Religiosos, vt sunt crines colli Ecclesiastici, è collo ipso pendere, vt haud subtus collum sint, sed super collum: quia in ipsamet subiectione quam Prælatis exhibent, in ipsamet dependentia ex eorum voluntate ij superiores quodammodo sunt, iuxta illud Euāgelij: *b Qui maior est in vobis, fiat sicut iunior, & qui præcessor est, sicut ministrator.* Denique sic è collo pendere crinis hic dicitur, vt pro ornamento ipsimet collo inseruiat: nam re vera Religiosi in eo ipso, quod à Prælatorum voluntate dependent obtemperantes præceptis eorum, Prælatos ipsos exornant: vnde in libro Ecclesiastici dicitur: *c Iudicium Patris audite filij, & sic facite, vt salui sitis: Deus enim honorauit Patrem in filijs:* quatenus scilicet per obedientiam, quam Patribus præstant filij, honorem, ac decus eis conciliare voluit.

c Eccl. 3. 2.

8

Quoad quartum: vulnerat Ecclesia cor Dei, cū perpetuo per vulnus illud charitatis, quo ab illo sauciata iam diu est, perseuerat esse pudica ipsius sponsa: Vulnerat autem alio modo in contemplatiuis vt sic: alio vero modo in Religiosis quatenus Religiosis: Ac tam in istis quam in illis vnum idemque vulnus ei infligit, idemque ipsum sæpius satagit renouare. In Religiosis vulnerat eius cor: quatenus cum eius voluntate, quā frequentissime cor ipsius appellant sacræ *d* paginæ, ita arctius eos constringit, ac religat, vt quodammodo vulneratus ex ipsa voluntate sua effundat in delectissimam sponsam vitam charitatis, ac miserationum, de qua in Psalm. dicitur: *e Et vita in voluntate eius:* sicve sicut per vulnus carnali cordi inflictum, vna cum sanguine effunditur & vita: Sic perfectius vulnere in corde voluntatis suæ sauciatus Deus vna cum sanguine vitam miserationum suarum suo modo effundit in Ecclesiam: adeo, vt iure optimo ipsemet dicere queat, quod apud Isaiam dixit aliquando: *f Vocabitur voluntas mea in ea:* vbi *voluntas mea*, in textu hebraico est חפצי chephtzi: notum est autem iis qui Hebræam linguam callent, dictionem חפץ chephtz, ita significare ardētem voluntatem; vt simul connotet voluptatem, dilectionem, desiderium, delectationem, studium, atque negotium: vulneratus namque in corde Deus eo modo, quo dictum est, ita quodammodo vitam in Ecclesiam effundit, ac si totum suum viuendi institutum in illam transfuderit totam & dilectionem, totamque voluptatem, ac studium omne, omneve desiderium suum: quam metaphoricam, ac spiritalem transformationem, ac vulnerationem ipsamet Ecclesia aliis verbis in capite 7. huius Cantici exprimet, dicens *g Ad me conuersio eius.*

Per coniunctionem voluntatis suæ cum voluntate Dei Religiosi vulnerant Deum. d 1. Reg. 13 Isa. 38. 3. Act. 13 22. e Ps. 29. 6. Simile.

f Isa. 26. 4.

Vulnus in filium voluntati Dei vitā ex ipso facit promanare.

Hocque idem vulnus, quod in Religiosis, vt crines colli sui sunt, religando arctius, diuino infligit cordi, alio quoque pacto eodem tempore ipsamet Ecclesia in contemplatiuis, qui oculorum vices in se gerunt, vel etiam in vno eorum idem infligit. Sicut enim corporales amatæ oculi carneum amantis cor vulnerant, emittendo ex se subtilissimum sanguinem spiritosum à corde dimanantem in obuios amantis oculos tamquam iaculum in eiusdem cor immittendo, provt ex naturali philosophia ostensum est supra; ex quo vulnere postmodum & in animo quoque metaphorica fit vulneratio, & transformatio spiritalis; Ita & contemplatiui, dum instar oculorum continuo obtutu in Deū coniecti sunt in obuios Dei obtutus ex intimis præcordiis suis spiritosum sanguinem precum suarum, (preces enim sanguinem esse, exinde probat Clemens Alexandrinus, quia *a* de sanguine Abel iusti Deus in Genesi dixit quod ipsum interpellet) iniiciunt, sicve tamquam iaculis intima per eas penetrant præcordia charitatis ipsius; atque adeo vulgato vocabulo breues illæ, spiritosæ, atque feruentes preces, quas frequentissimas in contemplandis diuinis mysteriis fundunt, orationes iaculatoriæ nuncupantur, quod & configunt, & vulnerant vulnere charitatis, vt iam explicatum est.

g Cant. 7. 10.

Contemplatiuus qui modo cor Dei vulneretur.

Clem. Alexand. lib. 1. pædag.

a Gen. 4. 10

Admodum vero efficacior est alius significatus verborum textus Hebraici, ac versionis Sept. secundum quem Deus ait: *Abstulisti mihi cor*; magis enim, & significantius modum explicat prædictæ vulnerationis cordis Dei: & insuper aliud subindicat latens mysterium; Quomodo scilicet contemplatiui, ac Religiosi, seu Ecclesia in illis Dei voluntatem, quam cor eius esse, ex vsu sacrarum scripturarum suppositi, ab illo auferant; voluntatem, inquam, qua is iniquorum hominum peccata respiciens, punire eos vellet secundum iustitiam, quamue ex eo, quod minis ab eo significatur, voluntatem signi appellare solent Theologi.

9

Porro in eo ipso, quod in prædictis duobus membris suis auferre sic potest cor Dei, aliud quoque per eadem membra simul efficit, quod & maiores indicat vires charitatis eius, & vehementiorem incutit admirationem: id vero illud est, quod per tertium eorumdem verborum significatum ipsemet testatus est Deus, dicens: *Indidisti nobis cor.* Enimuero contemplatiui atque Religiosi charitate flagrantes, nedum voluntatem diuinam, eo modo, quo dictum est, auferre valent: sed &, quod maius est in locum eius, quam auferunt, suam ipsorum, & quæ cor ipsius Ecclesiæ est, in intima Dei viscera immittunt voluntatem, efficientes nimirum, vt pro voluntate, qua punire volebat iniquos, voluntatem iam Deus habeat Ecclesiæ sponsæ suę, qua eisdem placetur, & opem ferat. Neque vero absurdum videri id cuipiam debet, quasi Deus instar hominis constituatur mutabilis, cum è vestigio constet, firmissime tenendum id, quod per Malachiam de semetipso iis dicit, *b Ego Dominus, & non mutor.* Nam, etsi vna re vera in Deo sit, & simplicissima voluntas, vnus simplicissimus voluntatis eius actus; verissimum nihilominus est, ipsam vno illo simplicissimo actu, ea ratione complures res velle, vt ansam nobis præbeat distinguendi ex nostro modo concipiendi in ea multos, variosve, ac sæpe etiam sibi inuicem contrarios volendi actus: atque insuper plures, atque distinctas in eadem constituendi voluntates, quod certe fieri minime posset, nisi infinita ea esset. Hinc fit, vt Theologi vnimet Deo assignent voluntatem signi distinctam à voluntate beneplaciti, & voluntatem antecedentem distinctam à voluntate consequente: Voluntatemque ipsam signi distinguant in illas, quas Deus significat, vel per præcepta, vel per consilia, vel per prohibitionem, vel per permissionem, vel etiam per operationem, aut

Ecclesiaquo modo in contemplatiuis, & Religiosis auferat à Deo cor voluntatis eius dando eidem cor voluntatis suæ.

b Malac. 3. 6.

Voluntas Dei quomodo mutatur.

minis, aut facto exhibitam. Istam porro voluntatem vltimam operationis significatam per minas, vel etiam per aliqua intentata flagella, ab se ablatam innuit, cum dixit: *Abstuliſti cor mihi*: Inditum autem simul & cor, & voluntatem Ecclesiæ: non quia dum remittit pœnam intentatam, & propitius fit peccatoribus, id contra voluntatem efficiat; quinimo adeo potens est eius charitas qua suam prosequitur sponsam, vt hoc ipsum, quod ex voluntate illius est, voluntatem suam pronuntiet magis, quam illam primam: hanc quippe quæ merita cõsequitur sponsæ, ac membrorum eius, & idcirco voluntas consequens à Scholasticis appellatur, ineuitabiliter reddi efficacem, vtpote sibi etiam maxime placitam; atque adeo voluntatem beneplaciti nuncupatam: primam vero illam quasi nõ propriam reputat, vnde & per Prophetam dixit aliquando: *c Nunquid voluntas mea est mors impij?* Et: *d Nolo mortẽ impij, sed vt conuertatur à viis suis, & viuat*: libentissimeque idcirco, & summa cum voluptate illã à se abstrahi sinit. Modus, quo spõsa eius Ecclesia cor, atque volũtatẽ hac ratione Deo & aufert, & tribuit, is ipse est, quo eamdẽ cor illius vulnerare ostẽdimus: per spiritales oculos, & per contemplatiuos, inijciendo in eum feruẽtes orationes iaculatorias ex intimis præcordiorum affectibus prodeuntes: Per Religiosos vero, & crinem colli religando, ac constringendo per obedientiam, primam illam eius voluntatem, & voluntatem suam vinciendo voluntati diuinæ: adeo vt per arctam constrictionem istiusmodi ex illato vulnere effundatur vita bonæ voluntatis. Horum omnium exemplum in vna habemus historiã, quæ in libro Exodi *e* refertur. Irato enim Domino contra populum Israel propter peccatum idololatriæ, quod commiserat in deserto, adorando vitulum, ac propterea minis Moysi significante voluntatem suam, qua volebat populum illum è medio tollere; Vnus Moyses, qui instar Religiosorum à reliquo populo segregatus secesserat in montem Sina, vbi per quadraginta dies vt verus contemplatiuus vni vacauit studio contemplationis, totus in Deo defixus & per obedientiam suam, & per feruentissimas preces voluntatem illam, quam ei Dominus significarat, constrinxit; ita vt pro illato vulnere Deus exclamarit: *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam*: eamdemque voluntatem ab eodem abstraxerit, vt patet per hæc verba, quæ in textu subiecta habentur illico post Moysis preces: *Placatus est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersus populum suum*. Quin & iuxta voluntatem Moysis populo eidem iterum legem digito suo inscriptam largirivoluit, eumque in terram promissionis introducere, vt ex consequentibus constat, ac si Moyses ipse suam voluntatem, suumque cor illi indidisset, ablata ab eo voluntate, & corde ipsius.

c Exech. 18. 23.
d Exech. 34 11.
Ecclesia quo modo mutet voluntatem Dei.
e Exo. 32.

10 *Ecclesia quo modo excitet cor voluntatis Dei in contemplatiuis & in Religiosis.*

In iisdem spiritalibus oculis, & colli crine, pariqne ratione excitatur eiusdem Dei cor ab ipsa Ecclesia ad benefaciendũ populo suo; ita vt propterea iuxta versionem Symmachi dicat: *Excitasti cor meum, soror mea sponsa, Excitasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui*. Enimuero illam voluntatem beneplaciti, qua Deus decreuit bonum aliquod præstare fidelibus suis, vel etiam infidelibus, precibus ipsis suis, suaque obsequenti resignatione contemplatiui in primis, atque Religiosi sic excitant, vt ad effectũ deducatur: cuius rei exemplum in vno habemus Daniele, quem iure optimo & inter contemplatiuos, & inter mortificationi indulgentes Religiosos adnumerare fas est. *a* Is quippe illam Dei voluntatem, quam Ieremiæ significatam norat, quave decreuerat Deus, post septuaginta annos populum Iuda è Babylonica captiuitate liberare, ita feruentibus suis excitauit precibus, vt in ipsomet tempore, quo preces fundebat, Angelum Gabrielem ad illum Deus destinarit, qui ei nedum eductionem ex illa captiuitate instantem, sed & aduentum Messiæ nuntiaret, quo diabolica tollenda erat captiuitas, & insuper determinatum eius aduentus tempus indicaret.

a Daniel. 9.

His fusius explicatis; iam facile est, breuem, ac paraphrasticum eorum, quæ per hanc sententiam dicuntur, assignare sensum: Æque est namque ac si cœlestis sponsus diceret.

Paraphrasis.

Vulneraſti cor meum Ecclesia per id, quod *sponsa mea* cum sis, tu sola ita perpetuo mihi es sponsa simul, ac *soror mea* effecta, dum è parentibus ipsis tuis carnem sumpsi: ita mihi sponsata, vt instar sororis virginem in perpetuum tete mihi exhibeas castam: ita pudica, vt tuos in me vnum coniectos semper habeas oculos. Tametsi autem multi tibi sint oculi, quos vniuersos ad me seruas directos: in vno nihilominus præsertim eorum, in ordine eorum, qui contemplationi indulgent, quin vel in eiusmet ordinis contemplatiuo vno vulneraſti item cor meum: necnon & in vno Religioso per id, quod instar crinis se is exhibeat, cum reliquis fratribus connexus, in omnibus solicitus seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, ac per id, quod instar crinis è capite enascentis, atque è collo pendentis, in me capite tuo fixas habens radices charitatis, totus è voluntate pendet Prælatorum, qui spiritalis colli munia in te exercent: *Vulneraſti*, inquam, *cor meum* in Religiosis, quatenus iis quasi crine quodam præforti tam arcte cor voluntatis meæ constrinxisti, vt præ illato vulnere vitam voluntatis, dilectionis, ac voluptatis meæ in te effuderim. *Vulneraſti & in vno* contemplatiuo, ac vehementius in contemplatiuis omnibus, qui in te sunt, quatenus ij in ipsomet contemplationis studio spiritosas ex intimis præcordiis suis in intima bonæ voluntatis, & charitatis meæ præcordia preces iniecere iaculatorias. Nedum vero *Vulneraſti cor meum soror mea sponsa*: sed & *abſtuliſti mihi* ipsum *cor* voluntatis meæ, ac simul *indidiſti* item mihi *cor* voluntatis tuæ, vinciens illud *in* ipso *crine colli*, in sanctis Religiosis per exactam obedientiam ipsorum, illudve abstrahens à me: ac per iaculatas contemplatiuorum preces in me inijciens cor voluntatis tuæ: efficiens, vt, dimissa voluntate puniendi peccatores, quam & minis sæpe significaram, iuxta tuam voluntatem & parcerem, & propitius illis opem ferrem: Quin & ipsam meam voluntatem beneplaciti, qua bonum in te conferre decreueram, *in* eodem *oculo, ac crine colli tui*, iisdem precibus, ac resignatione eorum effecisti, vt ad effectum deducerem quantocyus, sicve *excitaſti* etiam *cor meum* in illis.

Vers. IX. cap. IV. *Vulneraſti cor meum soror mea sponsa: vulneraſti cor meũ in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.*

Expositio. III.

De secunda Sponsa, quæ est Anima Pia.

11 *Cur sponsa declaret, quo vulnere vulnerata sit, nempe charitatis: sponsus vero vulneratum simpliciter sed à sponsa.*

COnsuetum quidem in mundo nouimus, vt sorores, ac sponsas vulneribus cõfigant homines, qui honoris, ac boni nominis ratione habere profitentur, idque propter aliquid impudicitiæ, quod ab illis cõmissum præsenserint: At nequaquã idem moris esse, animaduertere est, vt sorores, aut spõsæ vulneribus vel fratres confodiant, vel sponsos. Vulnera nihilominus illarũ frequentissima esse, non ignoramus, quibus corda transfigunt sponsorum, ac fratrum: at vulnera earum pudicitiam præseferunt haud ferro, sed ipsamet pudicitia,

pudicitia, & charitate inflicta. Hinc est, quod cum A
sponsam, aut sororem à viro vulneratam audimus,
ni aliud addatur ; ferro vulneratam illam intelligimus ; E vestigio vero, cum à pudica sorore, vel
sponsa vulneratum se, ait quispiam, absque alia explicatione, charitatis vulnera illico percipimus, quæ
ipsa infliguntur pudicitia : Atque adeo sponsa, quæ
in Cantico isto repræsentatur pudicissima, vulneratam se aliquando à sponso significare volens, ne quã
impudicitiæ suspicionem subiret, rationem explicauit vulnerationis suæ, ideoque tum in cap. 2. tum
b Cant. 2. 5. Cant. 5. 8. in cap. 5. iuxta versionem Sept. dixit: *b Vulnerata charitate ego sum*: quasi gloriabunda de vulnere, quod in-
signem argueret pudicitiam. At sponsus absque vlla B
explicatione in hoc vers. simpliciter vulneratum se
ait ab ea, quæ & soror, & sponsa sua sit: dicens quippe: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa*: satis perspectum habuit, id ex communi conceptu de vulnere intelligendum, quod ex sororis, ac sponsæ pudicitia
prouenisset. Quamquam, vt qualis ea esset sororis,
ac sponsæ sue pudicitia, omnibus innotesceret, addat postmodum iterum: *Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui*: efficacior tamen
ista est locutio ad significandum vulnus per pudicitiam inflictum, dum Christum Deum, ac hominem
esse supponimus, qui hic loquitur, sponsum vniuscuiusque animæ sanctæ, atque ad piam animam hæc
ipsa loqui.

12 *Anima sancta soror Christi est per gratiam: sponsa vero est eiusdem per actualem vnionem, ac deuotionem.*

Vt autem tota vis istius orationis percipiatur, operæ pretium est, vt iuxta eum sensum, quem primo loco
in prima litteræ expositione attuli, eam explicem; explicari vero non poterit bene, ni prius constet: Quomodo pia quæque anima soror simul, ac sponsa Christi sit: Quomodo Christus, Deusque ipse vulnerari
queat: Et modus, quo pudicus amor illum vulneret:
Quis sit vnus animæ oculus, quisve vnus colli crinis:
Et qua ratione piæ animæ vulnus in diuinum cor infligatur. Hæc ergo declaranda sunt, sensusque tunc D
facile percipietur.

Quoad primum: Soror Christi iure optimo dicitur
pia anima, quatenus per gratiam, qua sanctificatur,
c 2. Pet. 1. 4. d Hebr. 2. 11. *c diuinæ est consors naturæ. d Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes*, inquit Apostolus: licet autem
per hoc ipsum, quod iustificata per gratiam, diuinæ
naturæ facta est consors, sponsæ pariter Dei dignitatem obtineat; hoc tamen loco, cum nedum sororem, sed & sponsam suam Christus eam appellat, per
ipsum sponsæ nomen magnum aliquid aliud in ea
significare censendus est: Sororis enim nomine id tantum significat, quod ex vno & illa sit, quæ sanctificata est, & ipsemet, qui eam sanctificauit: at vocabu- E
lo sponsæ significat insuper, quod vnum sint, ipse, &
illa. Sicut enim carnales sponsi in duobus corporibus
a Genes. 2. 24. vna caro sunt, iuxta illud: *a Erunt duo in carne vna*: Ita
& in spiritali hoc connubio vnum sunt & pia anima, & Christus; vnum, inquam, dilectione & spiritu, prout
b 1. Cor. 6. 17. declarat Apostolus his verbis: *b Qui adhæret Deo, vnus spiritus est*: quibus in verbis ponderandum id,
quod dicitur: *Qui adhæret Deo*: per hoc quippe
innuitur, istam cum Christo vnionem spiritus tunc
potissimum in anima fieri, cum anima ipsa actualiter Christo adhæret spiritu: Quæ sane actualis piæ
animæ adhæsio ad Christum per actualem deuo- F
tionem fit, cum anima voluntatem promptam semper habet ad faciendum id, quod ad Christi gloriam
spectat: cumque haud diuisa est, sed ea tantum cogitat, quæ sunt Christi. Hocque magnum id est, quod
nomen sponsæ addit ad nomen sororis, dum tã istud,
quam illud vni tribuitur animæ: atque adeo ita adiectum hoc loco est istud sponsæ nomen, vt eximia significetur eius animæ perfectio. Neque enim eæ omnes animæ, quæ sunt in gratia, ac per ipsam gratiam
diuinæ naturæ sunt consortes, Christique sorores, appellari possunt & sponsæ eiusdem Christi, si
sponsæ nomen stricte sumamus: complures namque
reperire est, quæ existentes sine peccato mortali,
gratiam quidem habent, & nihilominus diuisæ sunt,
vt loquitur Apostolus *e* de muliere nupta, cogitationesque & ad Deum, & ad mundum habentes (loquor
semper absque peccato mortali) haud tamen vt
sponsæ Christi cum Propheta dicere possunt: *d Mihi adhærere Deo, bonum est, ponere in Domino meo spem meam*:
quia dictæ vnioni cum Christo non indulgent, studentes, actualem deuotionem semper habere: quam
certe quæ habet, & soror, & sponsa iure optimo à
Christo dicetur. Hæc porro actualis deuotio cum
pudicissimi erga Christum amoris specimen maxime
exhibeat, tantum habet roboris, vt Christi cor valeat vulnerare; ita vt propterea ille talem intuens a- B
nimam, sic eam alloquatur: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa*.

c 1. Cor. 7. 34.

d Psal. 72. 28.

Pudicus pia animæ amor cor Christi vulnerat.

Quamquam idem sponsæ nomen adiectum ad nomen sororis, & aliud insuper non minoris momenti 13
in eadem anima celebrat, omnimodam nimirum eius conformationem ad Christum. Enimuero, si consuetum rerum ordinem spectemus, haud statim ac
puellam sororem dicimus alicuius, illam ei, cuius est
soror, conformatam significamus, ita vt, si is pauper,
aut diues sit; si prosperam, vel aduersam habeat fortunam: si extorris sit; & ipsam eo modo habere se ex- C
istimemus. Nam soror non sequitur sortem fratris,
nec subiecta est fortunæ illius, sed quamdiu superstes
est pater, patri conformatur in sorte, ac in fortuna: ita
vt, si pater diues sit, præpotens, secundisque rebus excelsus in domo sua, quæ filia ipsius est, quamdiu in domo eius manet, innupta, & ipsa diues censeatur, ac
particeps felicitatis illius, quomodocunque alias se
habeat frater: At vero puella eadem, cum sponsa
efficitur, non iam amplius patri conformis est, sed
sponso, nec sequitur sortem patris, sed sponsi: sicut
vi matrimonii trahitur ad domicilium sponsi. Quia
igitur anima quatenus Christi soror, conformis ei est
in aliquali duntaxat eiusdem naturæ participatione,
quatenus per gratiam summi Patris naturæ consors
est: haud tamen per hoc significatur, quod conformis
eidem sit in humilitate, in angustiis, & in mortificatione: quin potius istud sororis nomen dum filiam eam
arguit cœlestis Patris, qui præcelsus est, nulli miseriæ
obnoxius, omnique felicitate exuberans, celsitudinem pariter, atque felicitatem in illa designat. At vero, cum idemmet Christus animam quampiam nedum sororem appellat, sed & sponsam: quia non quatenus Deus excelsus atque beatus, verum quatenus
homo in humilitate carnis humillimus, pauperrimus, ærumnis, ac doloribus circundatus, eius est
sponsus: ita illam sibi consortem esse designat, vt in
omnibus, & per omnia conformis pariter sibi sit,
haud alta sapiens, sed humilibus consentiens, & mortificationem ipsius in se portans, mortificata tota
die. Atqui per hanc quoque conformitatem, sicut &
per actualem deuotionem ab illa in corde se vulneratum designat, dum ait: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa*: id est.

Pia anima vulnerat cor Christi per omnimodam conformationem ad illius humilitatem ac passionem

Vulnerasti, ô Anima *Soror mea*, me in corde: quia Paraphra-
sponsam meam pudicissimam te conspexi, deuotam, sis.
actuque mihi adhærentem, & mihi vt sponso tuo coformatam in humilitate, & resignatione in tribulationibus.

Quia tamen haud omnes perciperent hæc, quæ la- 14
tenter sub sponsæ nomine adiecto ad nomen sororis *Duo oculi piæ animæ qui sint.*
significabantur: vt vniuersis, atque ipsimet animæ
fieret conspicuum, quod in prædictis duobus ab ipsa
vulneratus esset, manifestius se explicans, adiecit:
Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.

Pro quorum intellectu, sciendum, duobus quidem
oculis spiritalibus vnamquamque animam esse præditam: altero, quo Deum contemplatur, atque
diuina: altero, quo aliis rebus huius mundi, tametsi spiritalis sit, intenta est, vtpote sibi ad vitam in

Duo oculi animæ pij quo modo vnus oculus, quo vulneratur cor Chriſti.

Ariſto. ſect. 31. proble. q. 3. tom. 6.

terris degendam neceſſariis. Porro, quæ vere ſponſa Chriſti eſt, actualiter deuota, illiue adhærens, ſicut vnum cum ipſo eſt, ita & ambos oculos ſuos in vnum redactos illi exhibet videndos, vt merito is eius admirans pudicitiam, quæ, etiam ſecundum placita Ariſtotelis, in oculis maxime elucere ſolet, quamve ex illo vno eius percipit oculo, exclamet.

Paraphraſis.

Vulneraſti cor meum, ſoror mea ſponſa, in vno oculorum tuorum, id eſt in eo, quod ita te mihi intendentem aduerti, ac ſi vnum duntaxat oculum haberes: vi nimirum amborum oculorum in vnum redacta, quem in me vnum coniectum mihi exhibes. Quod certe

c Matth. 6. 33.

tunc fit, cum anima, iuxta præceptum ſponſi, *c primum quærit regnum Dei*, pro certo habens, iuxta eiuſdem pollicitationem, reliqua vniuerſa, quæ ei neceſſaria exciterint, ſibi adicienda. Tunc homo conſolatione fulcitur (inquit Ambroſius ſerm. 11. in Pſalm. 118. ſuper illa verba: *Defecerunt oculi mei in eloquium tuū, dicentes: Quando conſolaberis me?*) cum oculus mentis, & oculus corporis, vnus oculus fiunt: eum caro, & mēs diuerſa non cupiunt, ſed vnum inquirunt: ita vt intentī ad eum, qui dicit: *a Ego & Pater vnum ſumus*: ipſi quoque ſe vnum eſſe conſiteantur, quia vno, & eodem deſiderio, officioque funguntur, intendēdi ſcilicet in ſponſum.

Ambroſ.

a Ioan. 10. 30.

Sicut autem per hanc iugem, & actualem intentionem, atque deuotionem hac ratione iam exiſtens ſponſa cor ſponſi vulnerat in vno oculo, quæ ex duobus oculis ſuis vnum exhibuit: Ita pari ratione ſponſa eiuſdem Chriſti humilis ac tribulati, humilis & ipſa, & ærumnis expoſita, tribulationibuſve mortificata in eo illius cor vulnerat, quod multiplices, & quæ prius effuſæ erant, cogitationes ei exhibet in vnum redactas, inſtar crinis colli, è collo pendentes, & verſantes circa collum humilitatis, ac perfectiſſimæ reſignationis, & ſubiectionis in tribulationibus, & anguſtiis.

Humili vna cogitatione Chriſti cor vulneratur à pia anima.

Quamuis enim mens hominis, quæ capitis locum in anima obtinet, tam innumeras proferat cogitationes, quam innumeros capillos & caput profert carnales (capillos enim animæ ipſas mentis cogitationes eſſe, oſtenſum eſt ſupra in tertia expoſitione illorum verborum: *b Capilli tui ſicut greges caprarum, &c.*) ita vt propterea per Salomonem dicatur: *c Multæ cogitationes in corde viri*: quæ circa faciem effuſæ impediunt, ne oculi Deum videant; Anima tamen Chriſti ſponſa eas omnes in vnum tenet conſtrictas vinculo dilectionis, qua humilem ſponſum ſuum proſequitur: exhibetque illas in vnum crinem conſtrictas eidem ſpōſo ſuo ex

b Cant. 4. 1.

c Pron. 19 21.

velo arctiſſimæ cuſtodiæ ſui ipſius, non quidem ante faciem ſuam pendentes è collo ſuo quod ſupra in tertia expoſitione verſ. 4. huius capitis oſtenſum eſt, animæ humilitatem eſſe, & ſubiectionem, obedientiam, ac reſignationem: propterea is dicit: *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſaque* humillima, mihique vnita in tribulationibus: *Vulneraſti cor meum* in eo, quod oculos tuos vnum oculum effectos, atque in me vnum per actualem deuotionem illum ipſum coniectum oſtendiſti: necnon & multiplices cogitationum tuarū capillos in vnum pariter crinem cōſtrictos, ac circa collum humilitatis, & ſubiectionis verſantes exhibuiſti.

Paraphraſis.

Alio quoque pacto exponere hæc licet iuxta primum pariter litteræ ſenſum: vt per hoc potiſſimum à pia anima vulneratum ſe dicat Chriſtus eius ſponſus, quod intente ipſam intuens pudiciſſimam ſponſam ſuam, deuotam, atque mortificatam, vix vnum eius fidei oculum, & vnam arctam obedientiam ex facie conuerſationis eius externo conſpectui exhibitas aduerterit: Ac ſi diceret.

Alius ſenſus.

15 *Vulneratur cor Chriſti à pia anima in vna fide, & in vna obedientia.*

Paraphraſis.

Hac tua inſigni pudicitia, qua ſanctam cōuerſationis tuę faciem, decoraque virtutum membra operta conſeruas intra velum arctiſſimæ cuſtodiæ tui ipſius, *Vulneraſti cor meum: Vulneraſti*, inquam, *cor meum* in hoc quod duo tantum oſtendiſti, alterum ſpectans ad intellectum, alterum ad voluntatem, vnum nimirum oculum fidei circa ea, quæ ſunt intellectus, vnamque propriiſſimam obedientiam, & reſignationem quoad ea, quæ ſunt voluntatis.

Circa hæc ponderandum diſcrimen formæ locutionis, atque exactius perſcrutanda vis horum, quæ ab ſponſo dicuntur, ſecundum iſtum ſenſum. Cum enim loquitur de ijs, quæ ad intellectum pertinent, ait: *In vno oculorum tuorum*: cum vero de alijs loquitur, quæ ſpectant ad voluntatem, non eodem modo dicit: *In vno crinium colli tui*, ſed, *in vno crine colli tui*. Enimuero anima ſancta duas habere poteſt cognitiones in intellectu, fidei vnam, ſcientiæ alteram: duos ſane oculos, amboſque conſpicuos, Dei notitiam ſubminiſtrantes: adiuuat quippe non modicum & cognitio, quæ per Philoſophiam reliquasve ſcientias habetur, & ratio ipſa ſcientifica, Dei diuinorumque notitiam. Nihilominus quæ vere Chriſti ſponſa eſt, tametſi etiam ſcientificis rationibus euidenter cognoſcat illud ipſum, quod agnoſcit & fide: ita vt dici poſſit, duobus oculis vnum, idemque obiectum intueri: quod tamen pudiciſſimi ſui in Chriſtum amoris ſpecimen exhibeat, vno tantum illorum oculorum in eum aciem intendit, ita certa per fidei notitiam ea, quæ ad ipſum pertinent, intuens, ac ſi nullam illorum ex ſcientificis rationibus haberet comprobationem: vnius diuinæ reuelationis rationem habens, nullam euidentiæ ſcientiarum: Idcirco bene ſponſus ait, *Vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum*: Non dicit autem ſimili modo, *In vno crinium colli tui*, ſed *in vno crine colli tui*: quia voluntas vni duntaxat Deo ſubijcitur, & illud omne, quod voluntatis eſt, vnico item modo exhibetur Deo per vnam perfectam obedientiam in omnibus, & per omnia, quam anima ſancta vnam ſponſo ſuo exhibet tamquam vnum crinem collo innitentem, vt ille per ipſam tanquam per habenas quaſdam eam quocunque voluerit, flectat, atque deflectat.

Duo cognitionis genera ſuntduo animæ oculi, & quomodo fidei oculo tantum Chriſtus à pia anima vulneretur.

Obedientiæ crinis quomodo vnus ſolus.

16 Secundus ſenſus.

Iuxta ſecundum litteræ ſenſum, qui in eo communior eſt: Cum pia anima, quæ ſoror Chriſti eſt, quatenus in procurando proximi profectu *d* facit voluntatem cæleſtis Patris, ſicut & frater eius Chriſtus; ita vt & de ipſa id dictum intelligatur: *e Sicut tu me miſiſti in mundum, & ego miſi eos in mundum*: quæve & ſponſa eiuſdem eſt, propterea quod ei vnita eſt in vita contemplatiua: quandoquidem adeo ſancta eſt, vt tam actiuæ, quam contemplatiuæ vitæ indulgeat pro temporum oportunitate: Cum, inquam, talis anima duos habeat ſpiritales oculos ad ſimilitudinem duorum item oculorum, qui fulgent in corpore, duos intellectus, ſpeculatiuum, & practicum: ſpeculatiuum, quo in vita contemplatiua Deum, diuinaque contemplans, in eorum contemplatione obleſtatur, illiue iucundiſſime vnitur, in cuius ſpeculatione perſiſtit: practicum vero, quo circa diuina pariter, & quæ bona ſunt, & ſancta ſic verſatur, vt per illorum cognitionem recte ſe gerat in vita actiua, ſingulaſve & ſuas, & proximi operationes ſecundum illam dirigat, ac regulet: cuius ſane intellectus practici habitus præcipuus prudentia eſt, quæ verſatur circa actionem. Inſuper, cum eadem pia anima, quæ propter ſublime gratiæ donum, quo conſors eſt diuinæ naturæ, Chriſti ſit ſoror filij Dei, & ſponſa eiuſdem Chriſti ſit, quatenus is extitit homo humilis, plenuſque anguſtiarum, humilis & ipſa, atque ærumnis expoſita multos exerceat humilitatis actus, qui ex vno humilitatis habitu per collum deſignato prodeunt, atque pendent; Cœleſtis ſponſus tam intellectuales oculos, quam humilitatem eximiam in ea, quæ ſoror, & ſponſa ipſius eſt, præſtantiſſimo celebrans encomio, amantium more ait: *Vulneraſti cor meum, ſoror mea ſponſa: Vulneraſti cor meum, &c.* Ac ſi dicat.

d Mat. 12. 50.

e Ioan. 17. 18.

Pia anima ſoror Chriſti in actione, ſponſa in contemplatione. Duo intellectus, ſpeculatiuus, & practicus ſunt duo oculi animæ.

O anima ſancta, cum *ſoror mea* in actione, & *ſponſa mea* ſis in contemplatione, ſoror in excelſo ſtatu

Paraphraſis.

gra-

Pia anima vulnerat cor Christi vno oculo intellectus practici, & vna humili cogitatione.

gratiæ, & sponsa in virtute humilitatis: *Vulnerasti cor meum*, tam per actionem, quam per contemplationem: tam in vita actiua te exercens, quam cum indulges vitæ contemplatiuæ: tam per sublimé gratiæ statum, quo mihi consors es diuinæ naturæ, quam per humilitatis habitum, quo mihi conformaris: *Vulnerasti in vno oculorum tuorum*, in vno intellectu practico, & in vna cogitatione humili: quanto magis in vtroque intellectu, tam practico, quam speculatiuo in ipso humilitatis habitu continuato ipsum vulnerabis cor meum?

Vna humilis cogitatio plures iunctas semper habet cogitationes itē humiles.

Vocat porro cogitationem exhibendi vnum actum humilitatis, crinem colli, cum tamen vnus capillus vnam designet cogitationem: quia vna quælibet deliberatio exhibendi vnum actum humilitatis quasi ex pluribus capillis in crinis formam connexis, ex pluribus constat humilibus cogitationibus simul iunctis, quibus quæ vere humilis est anima, in illo vno actu magis ac magis demitti vellet.

17 *Vulnus quomodo infligi possit in Dei cor.*

Id superest explicandum pro exacta huius sententiæ intelligentia; quomodo vel mente concipere possimus, vt vulnus Deo infligatur, & infligatur in corde ab vna anima sancta, præsertim cum vna cum vulnere adiuncti & alij sint effectus per diuersas Interpretum versiones subindicati, qui magnam in Deo præseferunt factam mutationem. Sane, si anima esset, quæ vulneratam se diceret, ablatum sibi cor, & alia, quæ vno Hebraico verbo significari ostendimus, grandem incuteret admirationem: cum tamen exploratissimum sit, vnum Paulum Apostolum ita diuina charitate vulneratum, vt transformationem cordis, eiusdemque cordis sui ablationem passus sit, & cor Christi sibi inditum acceperit; vnde & fiduciam, animumue grandem assumpsit, à Christo excitatus: quandoquidem ea omnia modicis verbis in se

a *Gal.2.20.* b *Phil.4.13* ostendit exhibita, cum dixit: *a Viuo ego, iam non ego, viuit vero in me Christus.* Et: *b Omnia possum in eo, qui me confortat.* Atque adeo merito sponsa, quæ in se sensit

c *Cant.2.5.* istiusmodi vim charitatis Dei, dicere potuit: *c Amore langueo, & vulnerata charitate ego sum.* Ac si dixisset: Ipsa, ipsa sum, quæ dici debeo vulnerata charitate; quia vna cum charitatis vulnere habeo & languorem. Nihilominus verissimum esse, fatendum est, quod Christus vt piæ animæ sponsus, nedum quatenus homo, verum etiam quatenus Deus, & vulnus & vim sentiat charitatis. ipse enim est, qui dicit: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa*, ipse, qui & in Euangelio dixit: *d Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Regnum cælorum (inquit Ambrosius sermone decimo quinto de Natali Domini, siue potius Maximus, cuius sermo ille esse videtur) non nisi Christus est Dominus, qui regnat in cœlis. O beata violentia, quæ non indignatione percutitur, sed misericordia condonatur: beata, inquam, violentia (dicit supradictus Sanctus) quæ vim patienti bonitatem elicit, & vtilitatem tribuit inferenti. Mala res admittitur, & de iniuria nemo causatur; vis admittitur, & religio propagatur. Quisquis enim violentior Christo fuerit, religiosior habebitur à Christo. Quid violentius, quam vulneris infligi dictio?! & tamen anima quæ Christum vulnerauit, adeo chara in ipsomet vulnerationis actu ei est, tamque arctis colligata vinculis necessitudinis, vt & sororem, & sponsam suam is eam appellet, & merito: quia, vt amica vulnerat, & per Sapientem inuenimus

Vulneratur Deus à pia anima & vim ab ea patitur, effunditque è vulnere effectus bonitatis suæ.

d *Mat.11.12. Ambros. Maxim.*

e *Pro.27.6. Christus quā facile vulneretur etiam vt Deus est.*

dictum: *e Meliora sunt vulnera amici, quam oscula inimici.* Adeo delicatus est Christus, & ad istiusmodi vulnera suscipienda facilis, vt vel ad minimum tactum vulnus acciperet, cum in terris conuersaretur, & de inflictis per fidem vulneribus sanguinis loco emitteret gratiam salutis, ac sanitatum, adeo vt in Euan-

f *Mar.6.56* gelio dicatur: *f Quotquot tangebant eum, salui fiebant*: ac propterea irrueret in illum turba, & niterentur singuli eum tangere. *g Multos enim*, ait Euangelista, *sanabat, ita vt irruerent in eum, vt illum tangerent, quotquot habebant plagas.* Quin & ad tactum *h* dumtaxat fim-

g *Mar.3.10* h *Mat. 9.20 in text. Græco.*

Hæmorroissa Christū vulnerauit tangēdo tantum ipsius fimbriā vestimenti.

briæ vestimenti sui vulnus sibi sensit inflictum, gratiamve ex illo emanantem. Quod si adeo delicatus quoad tactum corporeum, multo certe delicatior idem ipse est quoad tactum spiritualem, quo tangitur vt Deus, & in intimis præcordiis bonitatis, miserationis, & charitatis. Quidni ergo in ipso corde suo vulnerabitur, si in corde tangatur? Quidni in corde vulneratus vitam effundat in vulnerantem ipsum? vna cum sanguine effectum benignitatis, atque dilectionis, effundit & vitam plane suam, quæ in bonitate sita est, dum illam eimet magis communicat, à quo vehementius vulnus accipit. Ideo eam ipsam, quæ tā grandi vulnere eius confixit cor, adeo eximiis cumulauit gratiis, vt sororem, ac sponsam suam illam nuncuparit: dicens quippe: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa*: æque est, ac si dicat,

Beata certe es, quia *Vulnerasti cor meum*: ex hoc namque vulnere, quo me sauciasti, tales è corde meo emanantes accepisti gratias, vt vere & soror, & sponsa mea sis. *Paraphrasis.*

18 *Vulnera inflicta cordi aliter quomodo differant à vulneribus, quæ infligūtur cordibus spiritualibus*

Aduertendum hoc loco ingens discrimen, quod est inter vulnera, quæ ferro humanis cordibus infliguntur, & vulnera, quibus charitate spiritalia sauciantur corda animę, atque Dei. Enimuero in sensibili dimicatione ita se res habet, vt concertantibus duobus, is, cui cor ferro sauciatum sit, vim omnem vna cum vita deperdat: nec fieri vllatenus potest, vt accepto vulnere in corde, vulnus in vulnerantem alterum infligat: atque adeo, si quis alterum sauciare velit, operæpretium est, diligentius satagat, ne vel tantillum suum tangatur cor. At in spiritali concertatione animæ, atque Dei, contraria ratione res ipsa procedit: nam anima, quæ absque vlla comparatione infirmior Deo est, semper vulneratur prius, & charitate vul-

Vulnerū charitatis concertatio inter Deum & animam, qualis.

neratur in corde: tuncve solummodo vulnus diuino infligere potest cordi, cum ipsa vulnus in corde suo accepit: tantumque abest, vt vim feriendi per acceptum vulnus amittat, tametsi propria vita destituatur, vt maioribus potius per illud roboretur viribus, vita nimirum sua cōmutata in vitam, quæ Dei est. Ac Deus vicissim tunc efficacius vulnus in ipsam iterat, cum vulnus in se reflexum sentit ab illa. In hoc Cantico hæc omnia obseruare fas est: neque enim in præsenti sententia dixisset Dominus: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa*: ni prius pateret, ipsum fuisse primum, qui sponsam vulnerauit, & cum vulnere vitam, ac vires eidem præbuit, quo illa vulnerare eum posset in corde: atque adeo in præcedentibus sponsam hoc latentem legimus, vbi dicit: *a Charitate vulnerata ego sum*. Et vt omnibus pariter exploratum esset, quod Deus post acceptum vulnus ab anima, quam ipse prior sauciarat, denuo vulnere alio illam confixit; in capite 5. ipsamet sauciata, id ei significari exoptans, ait ad socias: *b Adiuro vos filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei, quia vulnerata charitate ego sum*: sicque dulcissimum vulnerationis huius certamen nedum in præsenti sæculo, at multo magis in futuro continuatur in perpetuum.

a *Cant.2.5. secundum Sept.*

b *Cant.5.8. secundum Sept.*

Si quis instantius & modum sibi explicari petat, quo mutua ista fiat vulneratio, quave ratione perfectiua ista exhibeantur vulnera; vnico id exemplo solis, atque speculi facile declaratur. Sicut enim speculū solem ferire nequaquam suo potest lumine, ni prius sol suis radiis ipsum feriat: idem tamen eidem soli oppositum ad zenith, pluribusve ab eo percussum, & vulneratum radiis, ex multis ipsis se vulnerantibus radiis, maioribus cumulatum splendoribus, per refractionem splendidissimum vnum in altum emittit radium, qui recta tendens ipsummet solem quodammodo ferire videtur: Ita & anima sancta ex aduerso Dei constituta, ab ipso prius vulneratur, qui est verus iustitiæ Sol: tum pluribus diuersarum gratiarum radiis illustrata, charitatiue speculis percussa, radios illos vniuersos, quantum fieri licet, iungens quodammodo in vnum purissimæ suæ intentionis radium, in

Pia anima vulnerat cor Dei eo modo quo speculum vulnerat solem. Simile.

altumque illum eiaculans, Deum ſane vulnerat in medio cordis, à quo ipſamet iam vulnerata fuerat. Atqui ſicut, tametſi ſol feriens immutet ſpeculi corpus; nil tamen veræ mutationis ſpeculum in ſolare corpus cauſat, ſolem ipſum feriendo: Ita re vera nil mutationis in Deo cauſatur per vulnus, quod eius cordi inflictum ab anima eſt, cum certo conſtet, Deum nulli obnoxium eſſe mutationi: Tamen è veſtigio anima ingenti per inflictum à Deo vulnus charitatis renouatur mutatione, eaque maxime perfectiua.

19 *Fidei oculo qua ratione anima feriat cor Dei, à Deo prius vulnerata & quomodo in-uicem hoc pacto renouent vulnera. Simile.*

Iſtam vulnerandi rationem vna cum alio pariter modo ſubindicat ipſemet, qui ab anima vulneratum ſe ait, dum adiicit: *Vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui*: exprimens virtutes illas, in quibus ſauciatus eſt, per metaphoras oculi, atque crinis. Oculus quippe puellæ, quo cor feritur amantis, haud prius ferit, quam affectus ipſe ſit & ſpirituali transformatione, quodammodo vulneratus ab ipſo amante per immiſſionem ſpeciei. Sic autem per huiuſcemodi ſpeciem ab illo affectus vulnerat illico & ipſe cor ferientis, immittens in illius oculos ſanguinem illum ſpiritoſum, ac fulgidum (provt ſecundum aliquorum opinionem ex naturali philoſophia declaratum eſt in prima expoſitione) qui ex oculis ad cor decurrens afficit id ſtatim, & ſauciat. Ac denique poſt vulnus iſtud in corde acceptum, iterum amans amatæ cor nouo vulnere ſauciat, immittens eodem modo ex oculis ſuis ſpiritoſum item, ac luminoſum ſanguinem, per illius, quos in ſe coniectos conſpicit, oculos in cor ipſius. Quod accidit in corporeis oculis, corporeiſque cordibus eorum, qui ſeſe mutuo ament, idipſum profecto contingit inter Deum amantem, atque hominem ab illo amatum, quoad ſpiritales oculos, & cor item ſpiritale: Et vt cæteros omittam oculos, puram intentionem, & intellectum ſpeculatiuum, ac practicum, in vno fidei oculo id totum aduertere licet, & in vno corde bonitatis, atque dilectionis Dei: Non poteſt vllo pacto anima cor benignitatis Dei vulnerare charitate in oculo fidei, ni prius ſit vulnerata ipſa à Deo per gratiam: teſtantur hoc ea Apoſtoli

e *Eph.* 2.8. verba, quibus ait: *c Gratia eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum eſt.* Vulnerata autem à Deo per iſtam eſt gratiam: Tum per fidem ipſam, quæ per dilectionem operatur, vulnerat cor benignitatis Dei, ac viſcera miſerationum Chriſti Ieſu, ſicut

d *Gen.* 15.6. feciſſe legimus *d* fideliſsimum Abraham, de quo idem

e *Rom.* 4.40 Apoſtolus: *e Confortatus eſt*, inquit, *fide, dans gloriam Deo*: ac ſi dicat: Vſus eſt viribus fidei, ac per illam, qua corroboratus eſt fidem, glorioſiſsimum cordi miſericordiarum Dei intulit vulnus, ex quo emanantem bonitatis gratiam ſuſcepit in filij Iſaac exhibitione: vulneratus hoc pacto per fidem Deus ab Abraham, iterum per illius fidei oculos aliud in eius cor renouauit vulnus, ipſam eius augendo fidem, ac per auctam fidem ipſius cor ſauciauit charitate; idque tunc

f *Gen.* 22. temporis, *f* cum illum tentauit, mandans ei, vt filium ſuum vnigenitum Iſaac ſibi offerret in holocauſtum: quod ille charitate ſauciatus perfecit fide, quæ per di-

g *Heb.* 11. 17. lectionem operatur, iuxta illud Pauli: *g Fide obtulit Abraham Iſaac, cum tentaretur, & vnigenitum offerebat, in quo ſuſceperat repromiſsiones*: Quo item fidei oculo tam grande poſtmodum Dei cordi iterum adiecit vulnus, vt præ ictus vehementia Deus ſauciatus charitate ex-

h *Gen.* 22. 16. clamarit: *h Per memetipſum iuraui, quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum*: & ex ipſo charitatis vulnere vitam bonitatis ſuæ ita effudit, vt filium ipſum ſuum, quem ab æterno genuit, illi aſsignaret in filium, promittens eius incarnationem ex ſemine illius his verbis: *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ*: *i In*

i *Gal.* 3.16. *ſemine*, dicit Apoſtolus, *quod eſt Chriſtus.*

Bene autem in prædicta promiſsione adiecit Dominus modica iſta verba: *Quia obediſti voci meæ*: vulnus nimirum, quo in vno fidei oculo corde ſauciatum ſe ſenſerat, obedientiæ adſcribens, quam per vnum crinem colli ſignificatam oſtendimus ſupra, vt intelligeremus, quam verum ſit, quod hic aſſerit ſponſus ad ſororem, & ſponſam animam ſanctam: *Vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui*: vnum nempe, idemque eſſe vulnus charitatis, quod ſimul & in fidei oculo infligeretur eo modo, quē iam proſecuti ſumus; quodve & alia pariter ratione in obedientia, quæ crinis colli eſt, efficeretur.

20 *Obedientia quomodo pia anima vulneret cor l. ei, vt crinis cor vulnerat, quod arctius conſtringit.*

Porro, ſi rem ſubtilius penetremus, inueniemus, nullo alio pacto in crine, ſeu cū crine effici poſſe vulnus in membro aliquo, præterquam ſi crinis ipſe tam arcte cum membro vniatur, vt per vehementem conſtrictionem vulnus cauſetur in membro conſtricto, ſicve crinis efficiens vulnus magis penetrat intima membri ſauciata: Et hæc ſane alia illa eſt ratio, alter & modus, quo cordi cæleſtis ſponſi vulnus infligitur charitatis. Anima quippe vulnerata charitate in fide, quæ per dilectionem operatur, adeo arcte per omnimodam conformationem voluntatis ſuæ cum voluntate Dei, quæ eſt illius cor, & vitæ vniuerſæ fons, atque principium, in crine obedientiæ ipſum conſtringit cor, & voluntatem Dei, ipſam & bonitatem eiuſdem, vt ingenti illud ſauciet charitatis vulnere, per quod ſic intima dicti cordis penetrat, diuinæ obediendo voluntati, vt iam bonitati ipſius Dei vnitam ſe ſentiat. *Simile.*

Cum ſupra dictum ſit in prima expoſitione, vulnerationem charitatis, de qua in præſenti verſu fit ſermo, eſſe transformationem ſpiritualem amantis vulnerati in amatam vulnerantem, declarandum hoc loco eſſet, quo pacto in Deum cadere poſsit iſta transformatio, & quomodo tantas etiam in Deum habere queat vires charitas, cuius vulnus ei infligitur à pia anima. Ad cuius rei explicationem, ſi videantur, quæ à nobis dicta ſunt in ſuperioribus, expoſitione tertia eorum verborum (*a Dilectus meus mihi, & ego illi*) ſatisfactum erit ſufficienter; dummodo ſupponamus, ita Deum affici in animam aliquam, cum ab illa vulneratur; æque ac ſi in illam transformatus eſſet, atque illius duntaxat curam haberet, prouideat, quæ ei proficua, & neceſſaria ſunt, tantique illam faciat, vt videatur totum ſtudium ſuum in eius curam conferre. *Deus quomodo transformatus dici queat in piā animā, à qua vulneratur charitate.* a *Cant.* 2. 16.

Circa lectionum varietatem, ac primo circa illam, qua ſecundum communiorem intellectum verbi Hebraici, atque Græci, ſponſus dicit: *Abſtuliſti cor mihi ſoror mea ſponſa: abſtuliſti mihi cor in vno oculorum tuorum, & in vno ornamento colli tui*; Maior profecto vis animæ ſanctæ ſignificatur, vtpote quæ potens ſit nedum vulnerare cor Dei, ſed &, quod maius eſt, ipſum Dei cor ab eo auferre, ſibique rapere, ad quod ſane maxima opus eſt violentia: idque in vno fidei oculo, & in vno colli ornamento, quod eſt inſignis obedientia. 21

Porro, ſi cor Chriſti, & cor Dei eſt ipſa eius miſericordia, quæ & vocabulo viſcerum eiuſdem alias deſignari ſolet in ſacris litteris: profecto tunc raptum cor Dei ab anima quapiam intelligendum eſt, cum conſtiterit, violenter miſericordiam, ac gratiam ab illo vindicatam. Violentam rapinam iſtam ſignificauit apertius Chriſtus Dominus, cum apud Matthæum dixit id, quod in alio ſenſu ſupra relatum eſt: *b Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Siue enim nomine Regni cælorum gratiam intellectam ſumamus, provt plures ex Patribus accipiunt, violenti rapientes gratiam Dei, in qua maxima omnium ſita eſt miſericordia eius, cor certe ipſius rapiunt violenter: Siue, iuxta Ambroſij, aut Maximi ſententiam, Chriſtum intelligamus, tunc ſane violentos illum rapere debemus arbitrari, cum miſericordiam, atque cor ipſius rapiunt. Rapiunt autem violenter in oculo fidei, c vt patuit in muliere Chananæa, quæ occultante ſibi Domino cor ſuum, & negante miſericordiam, ſimul cum illo decertare non deſtitit: tantamque tandem in vno fidei oculo cordi eius intulit violentiam; vt ipſemet *Fide cor Dei quomodo rapiat pia anima.* *Ambroſ. Maximus.* b *Mat.* 11. 12. c *Mat.* 15. 22.

semet Dominus, per eam cor sibi raptum intelligens, exclamarit: *O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis!* Ambrosius sermone decimo in Psalmum 118. vers. 2. agens de vi magna, quæ est in oculis basiliſci, istiusmodi facit argumentationem. Si tanta virtus vel in oculis serpentis, vel in oculis est hominis, vt si alter alterū prior viderit, possit occidere: cur non est virtus in oculis iusti, qui repletus virtutis est gratia, cum præsertim tantum operetur fides; vt & illa, *d* quæ fimbriam Domini tetigit, sanaretur, & ille, cui intendit Dominus Iesus, statim ex eius oculis gratiam sanitatis hauriret? Alio pacto sic argumentemur & nos: In oculis serpentis, & hominis: in oculis, inquam, carnalibus tanta est vis; vt & sensum, & vitam abripere possint: cur non spiritualibus fidei oculis, quibus pia anima illum Deum intuetur, qui tradidit semetipsum pro ea, tantum inerit virtutis; vt gratiam & misericordiam ab eo rapiant, qui in hac sibi illata violentia, atque in hoc raptu cordis sui maxime delectatur?

Ambros.

d Luc. 8. 45.

Quomodo pia anima abripiat cor à Christo obedientia.

Porro, sicut anima in oculo fidei istud Christi Domini rapit misericordiæ, & gratiæ cor; ita rapit & illud ipsum in vno crine colli, in vno actu obedientiæ, tametsi diuerso modo: ligans nimirum illud ipso obedientiæ crine, ac torque, vinctumque id sibi abripiens, vt alias ostensum est, & ex historia decem leprosorum, quam Lucas refert, colligi potest: respondente siquidem Domino ad eorum voces, quibus misericordiam exposcebant, atque dicente: *e Ite, ostendite vos Sacerdotibus.* nec tamen tunc mundāte eos; ac propterea vocibus istis illos quodammodo repellente, ac potius condemnante ad separationem extra castra; cum mittere eos videretur ad sacerdotes, vt impleretur præceptum illud quo in Leuitico dicitur, *f* vt homo, in cuius cute lepræ plaga apparuisset, adduceretur ad sacerdotes, qui eum leprosum aduertentes, arbitrio suo separarent illum: Leprosi tamen illi crine obedientiæ ipsam misericordiam, & cor eiusdem Domini violenter quodammodo ligantes, eam sibi abripuerunt, atque abstulerunt ei cor vno crine colli sui: vnde in textu dicitur: *Dum autem irent, mundati sunt.*

e Luc. 17. 12.

f Leuit. 13. 2.

22 *Cor Dei quomodo excitetur ab anima, vt conferat ei gratiam.*

Quod iuxta alium significatum eorumdem verborum Hebr. & Græc. quibus vsi sunt Septuagint. idemmet Christus ad piam animam ait: *Indidisti cor mihi*, seu, *incordiasti me soror mea sponsa*: *indidisti mihi cor in vno oculorum tuorum, & in vno ornamento colli tui*: tantumdem est, ac id, quod iuxta versionem Symmachi ait: *Excitasti mihi cor soror mea sponsa*, &c.

Porro, tametsi verum sit, fieri non posse, vt anima quæpiam prior excitet cor benignitatis diuinæ per propria merita ad exhibendam sibi gratiam primam, cum ipsum primæ gratiæ nomen, quod à Theologis dicitur, gratia excitans, indicet, Deum esse primum in excitando ad bonum: Nihilominus verissimum pariter est, animam illam, quæ iusta sit, atque per charitatem soror, & sponsa Christi, ita cor sponsi sui excitare solere per bona opera, ac per virtutum actus, vt ingens ex illo hauriat gratiæ, & charitatis augmentum. Istud hoc loco perscrutandum, cur potius in duabus hisce virtutibus, in fide, atque in obedientia, designatis sub metaphora vnius oculi, vniusve ornamenti colli excitatum cor suum à tali anima asserat sponsus, ac si per has potius, quam per virtutes reliquas vniuersas mereri homo possit augmentum gratiæ, ac donorum Spiritus sancti. Pro cuius rei intellectu, supponendum id, quod egregie probat sanctus Thomas, vniuersi meriti nostri principium quidem esse diuinam gratiam, at principalius per charitatem, quam per reliquas virtutes. Ex hoc supposito deducitur, quod si anima ista excitat cor Dei ad infundenda sibi cumulatius gratiæ dona, per gratiam quidem, ac per charitatem potissimum id excitet: hocque illud est, quod significat ipsemet sponsus, dum primo ait: *Excitasti cor mihi*, seu, *cor atque animum mihi indidisti soror mea sponsa*: hisce enim duobus nominibus duo illa indicat excitantia; gratiam, quatenus propter illam sororem suam appellat animam, vt consortem diuinæ naturæ, & ex vno Patre: charitatem vero, quatenus propter ipsam, sponsam item suam dicit eamdem, vt vnum cum ipso effectam in omnimoda conformitate, prout fusius declaratum est in principio huius tertiæ expositionis, cum earum vocum significatus perpenderentur. Verum charitas per fidei, atque obedientiæ actus vires suas potissimum exhibet, quatenus in fide viua, quæ per dilectionem operatur, facillimum est, arduum quodque superare, & actus quoscunque aliarum virtutum aggredi, vt latius probat Apostolus per totum caput vndecimum Epist. ad Hebræos: id quod & in obedientia pariter fit, qua humana voluntas conformata diuinæ voluntati, ita cum illa vnitur, sicut & homo vnitur Deo per charitatem ipsam: atque adeo Paulus & in principio, & in fine Epist. ad Romanos has duas coniungens, ad hoc potissimum Euangelium prædicari significauit, vt illarum operationes innotescerent: sic enim in principio ait: *a per quem*, scilicet Iesum Christum, *accepimus gratiam & Apostolatum ad obediendum fidei in omnibus Gentibus pro nomine eius*: quibus verbis significat, se institutum Apostolum Gentium ad procurandum, vt omnes Gentes fidem Euangelij reciperent, eidemque se obedientes exhiberent. Concludens vero Epistolam in eodem sensu, de mysterio, quo prædicatur in Euangelio, loquens, ait: *b Quod nunc patefactum est per scripturas Prophetarum, secundum præceptum æterni Dei ad obeditionem fidei*, id est, vt ab hominibus crederetur per fidem, & obedirent, Dei verbo credentes. Idcirco in hisce duabus virtutibus cor bonitatis suæ excitatum asserit Christus Dominus, sibique cor inditum atque animatum ab anima sponsa sua, vt maiores gratiarum cumulos in ipsam refunderet, dicens: *Excitasti cor meum in vno oculorum tuorum*, &c.

fidem & per obedientiam.

a Ro. 1. 5.

b Ro. 16. 26.

S. Th. 1. 2. q. 114. ar. 4.

Excitat cor Dei ad conferendum sibi augmentū gratiæ, piæ animæ potissimum, per

Denique per id, quod idem cælestis sponsus hoc ipso loco ait, iuxta lectionem Quintæ editionis: *Fidere me fecisti soror mea sponsa: fidere me fecisti in vno oculorum tuorum, & in vno ornamento colli tui*, præstantissimus alius amoris effectus subindicatur: is vero est fiducia adeo grandis ipsius Dei in piam animam: vt quemadmodum cum eo mutuus processit amor inter duos amicos, vt vnus de altero æque, ac de semetipso disponere possit in rebus quantumcunque arduis, atque molestis: ita is qui fidens vere in alterum est, illum tractat; vbicunque graue aliquid, & periculosum ingruerit, sicut & vbicunque fortitudinis, & excelsi aliquid se exhibuerit, illius vtatur opera, illum semper exponat, ita vt eis, qui arctæ vtrorumque necessitudinis sunt ignari, videatur iniuriosius eum quodammodo tractare, & Italice dicitur, *strapazzarlo*. Eadem ratione eo mutuam processisse charitatem inter se, atque animam sanctam, significat Christus eius spōsus; vt fidenter iam de ipsa disponere queat eodem plane pacto, quo de semetipso disposuit, in tribulationibus, ærumnis, & persecutionibus. Hanc autem amicabilem de tali anima fiduciam ab illa met sibi exhibitam, per hoc, quod nedum vt sororem se eius præstitit iustificata per gratiam, sed per omnimodam conformationem in communicatione passionum ipsius sponsam se eius præbuit, effectam vnum spiritum, vnamque mentem cum eo, paratam ad omnia. Ac bene addit: *Fidere me fecisti in vno oculorum tuorum, & in vno crine*, seu *ornamento colli tui*, id est, in fide, atque in perfecta resignatione, & obedientia tua. Exinde enim potissimum Deus istiusmodi desumit fiduciam, quod efficacem sancti alicuius aduertit fidem, atque animum ad omnia pro se subeunda paratum per obedientiam, & resignationem sui ipsius in manus eius, prout Paulus de se testatus est, cum diceret: *c Ego non solum alligari, sed & mori in Ierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesu.* Quid mirum ergo si fidens de eo Dominus, ad tribulationes, & vincula, aliaque molestissima illum destinarit, vt confessus est idem-

23 *Fiducialiter cum pia anima agit Deus, cum illam exponit tribulationibus, & tentationibus.* Simile.

Ex fide, & obedientia piæ animæ Deus fiduciā ex ea desumit, per quā illam tribulationibus exponit.

c Act. 21. 13.

met,

met, inquiens: *d Ecce ego alligatus ſpiritu vado in Ieruſalem, quæ in ea ventura ſint mihi, ignorans: niſi, quod Spiritus ſanctus per omnes ciuitates mihi proteſtatur, dicens, quoniam vincula, & tribulationes Ieroſolymis me manent.* Enimuero hac ratione ſe gerit Deus cum fidelibus amicis, & ſeruis ſuis, vt ad amicabilem hanc fiduciam oſtendendam, quam ex eorum fide, & reſignatione ſuſcepit, ipſemet tribulationibus, & difficillimis tentationum præliis cum principibus, & poteſtatibus tenebrarum illos proponat, obiiciatque, quaſi de illis gloriam ſibi procurans. Sic de fidelisſimo Iob dixit Satanæ: *e Nunquid conſideraſti ſeruum meum* (mihi ſcilicet in omnibus obſequentem atque fidiſſimum) *Iob, quod non ſit ei ſimilis in terra?* &c. dans nimirum verbis hiſce anſam Satanæ, vt cum illo prælium iniret, ſicque per virtutem atque conſtantiam fidiſſimi ſerui ſui damonum comprimeretur audacia. Sic & Apoſtolos illos, quibus dixerat: *f Vos amici mei eſtis, ſi feceritis omnia, quæ ego præcipio vobis.* Et: *g Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis*: Ita moleſtiis, ærumnis, paſſionibus, & perſecutionibus ſubiecit; vt in ſpectaculum miſeriarum eos toti propoſuerit mundo, quod Paulus, poſt enumerata multa tribulationum certamina teſtatur dicens: *h Spectaculum facti ſumus mundo, Angelis, & hominibus.* Quinimo vbi ita fidens de aliquo factus eſt Deus, preces quoque eius & differt, & ſæpius nec audire ſe fingit, prout *i* Dominus Ieſus dilectiſſimarum ſororum Lazari, Marthæ, & Mariæ, quouſque frater earumdem defunctus eſſet: & glorioſiſſimæ Virginis Mariæ Matris preces reſpuere ſe oſtendit, cum, dicenti ſibi: *a Vinum non habent*: reſpondit; *Quid mihi & tibi eſt mulier?* Sic & Deus, cum *b* dediſſet Paulo *ſtimulum carnis, qui eum colaphizaret*, illeque oraret, vt auferret ſibi talem ſtimulum, nec primis, nec ſecundis eius precibus vllum dedit reſponſum. Sic demum tam durum ſe exhibuit in audiendo Iob, de cuius fide, atque reſignatione maximam illam conceperat fiduciam; atque adeo quaſi iniurioſius illum tractare viſus eſt, ita vt ipſemet Iob conqueratur hac de re aliquando his verbis: *c Clamo ad te, & non exaudis me; ſto, & non reſpicis me: mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ aduerſaris mihi*: ad quem recte congruent pro reſponſione Domini, ea quæ hic ab illo vt ſponſi perſonam gerente dicuntur: *Fidere me feciſti: fidere me feciſti in vno oculorum tuorum*, &c. id eſt.

Amor in cauſa eſt, vt hac ratione me tecum geram: amor meus in te, tuuſque in me mutuus, quo tantam de te concepi fiduciam. In eximia fide tua, necnon & in præſtantiſsima obedientia tua, qua veluti quodam ornamento tua ipſa decora eſt reſignatio, tuum & collum, tumet *fidere* hoc pacto *me feciſti*.

Paraphraſis.

Verſ. IX. c. IV. *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa: vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.*

Expositio IIII.

De tertia Sponſa, quæ eſt Beata Virgo Maria.

24

S. Thomas. Maria quomodo meruit Incarnationē

SVppoſito ex Theologia Scholaſtica, ac præſertim ex doctrina ſancti Thomæ 3. p. q. 2. artic. 11. Sanctos veteris teſtamenti, atque Dei genetricem Mariam præ cæteris vniuerſis de congruo meruiſſe Incarnationem Verbi tam quoad ſubſtantiam eius, quã quoad aliquas circumſtantias ipſius: ita vt dici aliquo modo poſſit, illos meruiſſe, vt ex ipſis Verbum ſumeret carnem, vtque incarnationem ipſam acceleraret; quamuis nihil horum re vera meruerint de condigno; ſicut nec etiam de congruo eam ipſam meruerunt Incarnationem quoad eorum, quæ enumerata ſunt, prædeſtinationem: Quibus de rebus non eſt mei inſtituti, vt diſputem; Facilis eſt iſtorum verborum ſenſus; tantumdem enim eſt, quod dicitur: *Vulneraſti cor meum*: ac ſi, iuxta lectionem Symmachi dicatur: *Excitaſti mihi cor.* Porro cordis nomine viſcera diuinæ miſericordiæ ſignificantur, quæ tunc potiſſimum excitata ſunt, quando per merita Sanctorum, atque in primis glorioſiſſimæ Virginis Mariæ Deus excitatus eſt, vt iuxta Zachariæ dictum, Incarnatus *d per viſcera miſericordiæ ſuæ viſitaret nos oriens ex alto.* Beatæ ergo Virgini cæleſtis ſponſus adſcribit tam grande opus, tam efficacem excitationem, quæ cum intima diuinorum præcordiorum viſcera penetrarit, vulneri aſſimilatur, & bene: quia ſicut è corde vulnerato ſanguis egreditur, in quo eſt vita: Ita & ex corde diuinæ miſericordiæ, in hunc modum excitato egreſſum eſt Verbum, in quo vita erat. Extollit autem mirum in modum tres virtutes, quibus potiſſimum Virgo glorioſa adeo magnas exhibuit vires, vt incarnari ex ſe fecerit Deum. Dum enim ipſam, quam ſororem ſuam agnouerat propter cognationem, quæ ſibi cum illa erat, cum Abrahæ filia eſſet, & Dauid, quos potiſſimũ Patres ſibi elegerat, non modo ſuam dicit ſororem, ſed & ſponſam, ſingularem in ea deſignat gratiam, ſingularem & charitatem: Propter ſingularem quippe gratiam ita ſponſa eius effecta eſt; vt ipſum tanquã indiuiduum ſponſum ſecum cohabitantem habuerit, quod Gabriel Angelus eidem ſignificauit in exigua illa ſalutatione: *e Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Statim namque, ac ſingularem eius gratiæ plenitudinem expreſsit, Domini cohabitationem adiecit, dicens: *Dominus tecum.* ſ. cohabitans eſt, vt ſponſus nimirum tuus: atque adeo, quia tu ſponſa eius es, qui ſolus eſt benedictus in ſæcula, ipſa pariter compari titulo decora, Benedicta inter mulieres dici debes. Ita vero & propter ſingularem charitatem effecta eſt eiuſdem ſponſa vt nedum cohabitantem, ſed & vnum cum ipſamet effectum illum retinuerit intra animum; ita vt de ipſa recte ea proferri queant verba, in quibus Sacramentum magnum ineſſe dicit Apoſtolus in Chriſto, & in Eccleſia: *f Propter hoc*, (propter hanc ſ. vnitatem animorum, verbum relinquet æternum Patrem per exinanitionem, ſecundum quam ex opinione Cyrilli Alexandrini lib. 11. in Ioann. cap. 9. Chriſtus in Euangelio dixit; *g Exiui a Patre, & veni in mundum*) *relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.* Propterea aptiſsime per hanc in primis tantæ Virginis gratiam, & charitatem excitatum ſibi cor ad carnem ex illa ſumendam, illive, non in animo duntaxat, & ſpiritu, ſed & in carne adhærendum deſignare volens, ait: *Vulneraſti cor meum, ſoror mea ſponſa,*

Maria excitauit Deum vt carnem ex ſe ſumeret per eximiam gratiam & charitatem ſuam.

Similē.

d Luc. 1. 78.

e Luc. 1. 28.

f Eph. 5. 32.

Cyrillus Alexand.

g Io. 16. 28.

Maria de congruo meruit fide & humilitate sua accelerationem incarnationis.

sponsa. At quia ea per duas præstantissimas alias etiam virtutes hanc ipsam accelerare meruit incarnationē, adiicit iterum: *Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum*: id est, in singularissima fide tua: *& in vno crine colli tui*, id est, & in vna, ac singulari humilitate, & resignatione tua, qua quasi præforti crine ipsum cor meum arctissime constrinxisti. Quæ quam vera sint, exinde breuiter probatur, quod & de tanta vi fidei Virginis loquens Elizabeth ait: h *Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur quæ dicta sunt tibi à Domino*: perficientur, inquit, vt & quæ iam facta fuerant, & quæ facienda erant ex eis, quæ ei promissa fuerant à Domino, comprehenderet. Et de vi eiusdem resignationis humillimæ verba habentes sancti Patres communi consensu asserunt, in illo instanti temporis conceptionem Christi factam in vtero Virginis, in quo Virgo ipsa expleuit verba illa singularem suam præ se ferentia resignationem: i *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*: Pro qua assertione vide Bernard. in fine hom. 4. super Missus est.

h Luc. 1. 43.

Vide quæ dicta sunt sup. de his duabus virtutibus expos. 3.

i Luc. 1. 38. Bernard.

Efficacius istud ipsum Beatæ Mariæ meritum, quo & Incarnationis accelerationem, & Incarnationem ipsam in vtero suo fieri meruit, secundum aliam lectionem Originalium Hebr. & Septuag. eidem significauit Pater æternus, dicens: *Abstulisti*, seu *abstraxisti*, aut *rapuisti nobis cor, soror mea sponsa, rapuisti nobis cor in vno oculorum tuorum, & in vno ornamento colli tui*.

Lib. 5. Stromatū, aliquantulum post initium subobscure.

Pro quorum intellectione, supponendum ex Clemente Alexand. cor Patris æterni esse Christum eius filium, quia, sicut in corpore vita animæ deriuatur ad membra singula è corde, & per cor, ita & in mystico Dei corpore, quod est Ecclesia, gratia, in qua est vita, faciens consortes naturæ diuinæ, è Christo, ac per Christum ad quoscunque dimanat fideles, iuxta illud: *Cor Dei Christus.* a *Nemo venit ad Patrem, nisi per filium*: prout & cognitionem Dei Patris, de qua Ioannes: b *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti, Iesum Christum*: ex eodem Christo, & per Christum deriuari ad singula Ecclesiæ membra, ipsemet testatur, dicens: c *Nemo nouit Patrem, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare*. Quin & ob alteram quoque rationem addere possumus, Christum vt filium Dei, & omnino vt ab æterno est Verbum Patris, dici cor Patris: quia nihil illo charius habet Pater; eo sensu, quo filiolum Mater, & sponsa dilectissimum sponsum metaphorica appellatione cor suum nuncupare solent; quia sibi præ rebus aliis vniuersis ij sint maxime chari.

Cor Dei Christus. a Io. 14. 6. b Io. 17. 2.

c Luc 10. 22

Maria soror & sponsa Dei in pudicissimo vinculo nuptiali. Hieron.

Supponendum secundo, Deum appellare Beatam Virginem & sororem, & sponsam suam, vt vnum eumdemque singularem illius amorem pudicissimum erga se significet. Quo sensu etiam Hieronymus, vt in appendice habes, duas istas voces sororis, atque sponsæ simul adhibitas arbitratur.

Simile.

His suppositis: videtur ista Patris locutio ei propemodum similis, qua parentes alicuius iuuenis, videntes, dilectissimum filium suum tota die è domo paterna ad amasiæ suæ domicilium commigrare, puellam ipsam, quæ adolescentem pulchritudine ad se allexit & blanditiis, sic affantur: Abstulisti cor nostrum soror nostra sponsa: sic illam compellantes, quatenus pro sorore iam eam habent; & designatam pro sponsa filio suo. Talium parentum assumpsisse personam Pater videtur æternus, atque adeo animaduertens, Verbum captum sanctitate, puritate, ac insigni glorioſissimæ Virginis pulchritudine, illectumque ab ea, adeo vt è cælis ad terras, & in eius vterum se se contulerit, ait: *Abstulisti, rapuisti nobis cor soror mea sponsa*. Congruit autem quam maxime huic formæ locutionis, quod præcipuas ipsius Virginis virtutes celebrans, quibus potissimum Verbum è cælis pellexit, fidem, ac resignationem humillimam, adiecit iterum: *Abstulisti*, seu *rapuisti*, aut *abstraxisti cor nobis in vno oculorum tuorum, & in vno ornamento colli tui*. Oculorum nempe metaphora congruentissima est ad tantum fidei effectum exprimendum: nam & in cap. sexto sponsus id sponsæ oculis vtrium tribuit, vt auolare ipsum faciant, dicens: d *Auerte oculos à me, quia ipsi me auolare fecerunt*: tametsi locus ille alios etiam habeat sensus, vt Deo dante videbimus. Si quid autem virtutis accelerare valuit Verbi Incarnationem, fidei id sane tribuendum erat, quæ viua esset, & fidei in primis Beatæ Mariæ, cui nulla in Patribus extitit similis: cui & demissa animi resignatio adiuncta fuit, qua idem cor Dei quasi ornamento quodam colli è crinibus confecto, & vno crine colli sic arcte fuit constrictum, vt per ipsam quantocyus abstractum è cælis sit in terras.

d Can. 6. 4.

Efficacissime demum has meritorum Mariæ, pulchritudinisve, & sanctitatis eiusdem vires quoad Verbi Incarnationem per hanc ipsam lectionem extulit Domnus, si dicamus, tantumdem esse id, quod ait: *Abstulisti cor mihi*, ac si dixerit: *Excordasti me, Abstulisti mihi mentem*: vt sensus sit.

Excordatum me reddidisti extra mentem, atque, vt ita dicam, insanum præ tui amore, id est, eousque processerunt vires pudicissimæ tuæ in me charitatis sponsa, instar sororis meæ, Virgo pudicissima, & vires tuæ fidei, ac humilis resignationis: vt in terras me deducentes, atq; ad miserrimum humanitatis statum pertrahentes, quasi excordatum, extra mentem, & insanum mundo me exhibuerint.

Paraphrasis. 26 *Maria dementatum quodammodo reddidit Deum.*

Neque vero mirum, talia à Domino dici: loquitur enim ἀνθρωποπαθῶς, more hominum. Et re vera iuxta sapientum mundi opinionem tam aliena à Deo visa est Incarnatio, vt propterea Euangelij prædicationem, quæ illam hominibus nuntiauit, stultitiam reputarint: quin & Paulus quoque Apostolus in eodem sensu, quo hic loquitur Dominus, stultitiam prædicationis eam appellat, & stultum opus, dicens: e *Placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes*. Et: f *Quod stultum est Dei sapientius est hominibus*, id est, opus ipsum Incarnationis, tametsi sapientibus huius sæculi stultum videatur, ac si Deus in illa dementatum, insanum, & stultum se exhibuerit: sapientius tamen est hominibus iis, qui vt humiles homines Deo subiecti sunt, captiuum ducentes intellectum suum in obsequium fidei: istud ipsum opus in maiori Dei sapientia, quam reliqua vniuersa opera eius ab ipso factum videtur, vtpote in quo magis, quam in vllo alio immensitatem charitatis suæ erga humanum genus notam fecit mundo, prout Christus Dominus asseruit, dicens: g *Sic Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret pro eo; vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam*: sane hoc loco vulgatum illud Prouerbium: Amare, & sapere vix Deo conceditur, apprime congruit.

Incarnationis opus visum est sapientibus mundi stultū

e 1. Cor. 1. 21.

f 1. Cor. 1. 25.

g Io. 3. 16.

Vers. IX. cap. IV. *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa: vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.*

Appendix Expositionum, Ex antiquis Patribus collecta.

PAraphrasis Chaldaica: Infixus est in tabula cordis mei amor tuus, soror mea, cœtus Israel, quæ comparata es sponsæ, quæ est honesta: Infixa est in tabula cordis mei dilectio minimi filiorum tuorum, qui est iustus, sicut vnus de principibus Concilij, & sicut vnus ex Regibus domus Iuda, super cuius collum positum est diadema Regni.

27 *Minimi cuiusque iusti eam rationē Deus habet, quam Principum & Regū*

Pro

Pro ſerie dramatis optimus is ſenſus eſt, quem afert Theodoritus: vt ſponſus poſtquam dilectam vocauit in ſuperiori ſententia, illam intuitus, eiuſve pulchritudine commotus in hæc proruperit, quibus amoris ſui vehementiam reddit conteſtatam: tametſi vnus Gregorius Nyſſenus, quem in omnibus ſequitur Pſellus apud Theodoritum, à ſenſu iſto diſſentiat, exiſtimans, verba hæc haud ſponſi eſſe, ſed ſociorum eius, vt relatum eſt in prima expoſitione litteræ.

Theod.

Greg. Nyſſ. Pſellus.

Amoris diuini quanta ſit vis.

Porro in explicatione ſenſus ſpiritalis conueniunt Patres vniuerſi, vt verbo, *Vulneraſti*, ſeu (vt alij legunt ex verſione Septuaginta) *corde nos cepiſti*, aut, *cor meum cepiſti*, ſignificetur magnitudo & vehementia diuini amoris erga Eccleſiam aut piam animam: quam amoris vehementiam non modicum amplificet & ipſa eorumdem verborum replicatio.

Hieron. Sororis nomẽ puritatem ſignificat amoris.

Beda.

Quoad appellationes ſororis ſimul, ac ſponſæ, Hieronymus quidem libro primo contra Iouinianum ait, ſororis nomen additum, vt tolleretur ſuſpicio fœdi amoris: Communiori tamen Patrum ſenſu, ſororem Chriſtus Eccleſiam, aut animam nuncupat ob carnis coniunctionem: ſponſam vero propter vnionem charitatis & Spiritus ſancti: vel, vt addit Beda, quia cœleſtis eam thalami ſibi fœdere iunxit. Perpendit Auctor libri de paſſione Domini, qui habetur inter ſpuria opera Bernardi tom. 2. cur ſponſam potius, quam vxorem dixerit; cum quotidie & Eccleſia, & pia quæque anima ſponſo ſuo Chriſti ſobolem debeat generare, dicens: Solent ſponſæ nondum alligatæ coniugali vinculo amari ardentius, quam poſtea: Tempore enim procedente amor ipſe componitur. Sponſus ergo noſter, vt magnitudinem inſinuet ſui amoris, qui tempore non decreſcit, amicam ſuam ſponſam appellat, eo quod illius amor ſemper nouus ſit. Sororem eamdem dicere ait, ad ſignificandam puritatem, & caſtitatem amoris iſtius ſui, qui nihil carnale ſapiat.

Apud Bern. Sororis nomẽ ſignificat carnis coniunctionem: ſponſæ vero tantum ſignificat vnionẽ charitatis. Eccleſia & pia anima dicitur Chriſti ſponſa propter continuam magnitudinem amoris eius: dicitur vero ſoror propter puritatem eiuſdem amoris.

28

Ambroſ. Oculo vno gratiæ & fidei cor Chriſti capitur.

In explicando, quonam vno oculo, quove vno crine aut torque colli ſponſæ vulneratum ſit Chriſti cor, diuerſitas haud exigua reperitur. Siquidem Ambroſius ſermone vndecimo in Pſalm. 118. verſ. 2. legens: *Corde nos cepiſti ab vno oculorum tuorum*: Per vnum oculum ſignificari, inquit, oculum gratiæ diſtinctum ab oculo carnali, aut quia, duos oculos habens Eccleſia moralem, & myſticum, fidei oculo, qui eſt myſticus, plus videt Chriſtum: myſticus enim acutior, inquit, eſt; moralis dulcior. Eadem fere habet in ſerm. 16. ſuper eumdem pſalm. tametſi alio modo ſic legant: *Cor meum cepiſti ſoror mea ſponſa.*

Hieron. Duo Eccleſiæ oculi virginitas, & nuptiæ.

Hieronymus virginitatem vnum illum oculum intelligit. nam in libro primo contra Iouinianum, ſic legens: *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa: Vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno ornamento colli tui:* Quod dicit, inquit, huiuſmodi eſt: Non repudio nuptias: habes & ſiniſtrum oculum, quem tibi dedi propter imbecillitatem eorum, qui recta videre non poſſunt; ſed magis mihi dexter virginitatis oculus placet qui ſi cæcatus fuerit, omne corpus in tenebris eſt. Ac ne putaremus, Chriſtum ſponſum amorem carnis, & nuptias ſignificare corporeas, illico excludit hunc ſenſum, & ait: *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa*: vbi per ſororis nomen ſuſpicio omnis fœdi amoris excluditur.

Vulneratur Chriſti cor vno virginitatis oculo. Sororis nomẽ tollit ſuſpicionem fœdi amoris.

Theodor. Duo oculi animæ ſunt cognitiones intelligibilium & ſenſibilium: quib. vulneratur cor Chriſti. 1. Cor. 13. 13.

Theodoritus cœleſtium, & intelligibilium contemplationem, atque cognitionem deſignatam ſumens: Ipſius, inquit, ſponſæ oculum vnum ita ſuſpicit Chriſtus, vt alterum minime contemnat: iam enim vtrumque collaudauit: ſed rerum intelligibilium contemplationem, ſenſibilium cognitioni longe anteponit. Per colli ornamenta dicit, ſignificari virtutes eas, quæ in actione conſiſtunt, quatenus collum, diuinorum mandatorum iugum ferens, iuſtitiæ ſulcos infindit, & dirigit: per vnum autem ornamẽtum colli, charitatem intelligit ex Apoſtolo: *Fides, ſpes, charitas: tria hæc; maior autem horum eſt charitas*: vt ſenſus ſit: *Vulneraſti cor meum*, id eſt, tali oculo prædita, & huiuſmodi torque decorata, me in amorem, ac deſiderium tui concitaſti.

Charitas ornamentum illud colli, quo vulneratur cor Chriſti.

Catena trium Patrum apud eumdem Theodoritum pari ratione, Verbum ſic piam animam alloqui, ait: O quæ mihi carnis coniunctione es *ſoror*, ac propter voluntarium charitatis vinculum, atque vnionem ſpiritus mihi es deſponſata, *Vulneraſti nos*, quia in amorem, & deſiderium tui concitaſti tres vnius Trinitatis perſonas, cui mente, ratione, & ſpiritu complacuiſti: In tui deſiderium nos inflammaſti, tum *in vno oculorum tuorum*, mente ſcilicet tua, qua res intelligibiles, me, veritatem, atque intelligibilium finem cognitione perpetua, contemplaris: tum *in vno torque colli tui*, ratione videlicet tua, qua tu veluti ornamento colli decorata in cunctis actionibus me ſummum bonum, & finem omnium ſequeris, & re ipſa benignitatem meam experiris.

Tres Patres. Anima ſancta vulnerat Chriſti cor vno mentis oculo, quo Deum ipſum & diuina contẽplatur, & vna ratione ſua, qua decoratur in actionibus item ſuis.

Apon. per vnum oculum ſignificatum aſſerit mundum cor, quo Deus videtur; per vnum vero crinem fideles illos, qui per miſericordiã in vno vinculo charitatis à Spiritu ſancto connexi ſunt, impertientes omnem ſubſtantiam ſuam in cibos pauperum. Religioſos (dic tu) qui colli crinis dicuntur, quod ſanctis Prælatis inhæreant, inſtar colli à Deo capite ad corpus Eccleſiæ cibum verbis deferentibus.

Apon. Chriſti cor vulneraturis vno oculo puri cordis, & in religioſis, qui ſunt colli crinis.

Richardus de Sancto Victore per vnum quidem piæ animæ oculum intelligit contemplationem diuinorum, atque cœleſtium: per crinem vero vnum colli vnicam cogitationem, & præcipuam intentionem, qua circa conuerſionem animarum laboratur; quia, ſicut collum caput, & membra coniungit; ſic ipſa anima collum Chriſto eſt, dum animas conuertere, illive coniungere ſtudet, vt ſenſus ſit: In hac gemina ſolicitudine, & cura tam propriæ ſalutis, quam alienę amorem meum ſpecialiter tibi vendicas, & ad intima cordis mei penetras: Placet quoque mihi, & ſingulariter me tangit ſimplex intentionis oculus, quo nil contra me, nihil præter me quæris.

Rich. Vict. Vulnerat cor Chriſti pia anima vniformi vita contẽplatiua, & vita actiua.

Rupert. Abbas ad B. Virginem hæc dicta ſumens, quam ſororem à Chriſto nuncupatam ait per fidem; ſponſam vero per Spiritum S. amorem verum: Per oculum vnum ſignificatam inquit immutationem vultus in orando, & contemplando: per vnum autẽ crinem colli nimiam humilitatem ſemper vniformem, & indeficientem. Quid vno crine fragilius, dicit, & quid humilitate ſubtilius? quid crine flexibilius, & quid humilitate confractius? Crinis vnus vix comparet, humilitas Virginis vix conſentit, quod computari poſſit inter homines; crinis colli, humilis cogitatus: ac ſi Chriſtus dicat: Semper, & vbique vnum oculum, ſiue vnitatem habens oculorum, id eſt, *a* vultum in diuerſa non mutatum (prout de Anna legitur 1. Reg.) *Vulneraſti cor meum*, vnum illum crinem tuum. ſ. ſpiritum humilem & contribulatum in me ieciſti, veluti ſpiculum præacutum, & *Vulneraſti cor meum*.

Rup. Abb. Maria ſoror Chriſti per fidem, ſponſa per Spiritũ S. amorẽ verũ. Maria vulnerauit cor Chriſti in vniformi contemplatione, & humilitate item vniformi.

a 1. Reg. 1. 18.

At ſecundum communiorem ſenſum Caſſiodori, Gregorij Papæ, Philonis Carpathij, Bedæ, Anſelmi, & aliorum, per vnum oculum ſignificatur vnitas Sanctorum Doctorum: per vnum vero crinem multitudo plebis fidelis etiam ſimul vnitæ. Vel ſecundum Caſſiodorum, inhærendo ſanctis Doctoribus, qui ſunt Eccleſiæ collum, quo nutritur Eccleſia, eorum ſcilicet doctrinæ, atque præceptis; vel ſecundum Gregorium Papam, per collum ſumendo vnitatem fidei, qua Eccleſiæ corpus ſuo capiti Chriſto iunctum eſt, ſimul vnitum in vnitate fidei: ſicque ex ſententia iſtorum Patrum tantumdem eſt, ac ſi Chriſtus dicat Eccleſiæ: Hoc eſt, quod me ad te amandam mirifice præ ceteris attrahit, accenditque; quia vnitatem eiuſdem fidei, ac dilectionis, & in Doctoribus, & in plebe, & in Prælatis, & in ſubiectis habere probaris.

Caſſiod. Greg. Pap. Beda. Anſelm.

Secundum Iuſtum Orgelitanum vnus oculus, & crinis colli, ipſe eſt credentis Eccleſiæ populus, quem

Vulneratur Christus à fideli populo, qui ad æterna prospicit, indeq; ornari studet

quem Christus sic dilexit, vt poneret animam suam pro eo. Quamquam & ob id vno animæ oculo, & vno crine colli Christus vulneratum se dicat, secundum eumdem Iustum, quatenus illa non temporalia, sed æterna prospexit; & non visibilibus, sed futuris ornari studuit.

Christi cor in cruce vulneratum dicitur à pia anima, apud Ber.

Præter communiores istos sensus secundum quos vulnerandi verbum metaphorice sumitur, insuper, secũdum Cassiodorum, & Bedam, hoc, quod dicitur: *Vulnerasti cor meum*: potest referri ad vulnera, quæ Christus subijt in cruce: & inclinare etiam ad idem videtur Gregorius Papa, ac si dicatur: Tuo amore feceris, vt ego in cruce vulnerarer. Quem sensum præclare prosequitur Auctor libri de passione Domini, qui habetur inter opera spuria Bernardi tom. 2. dicẽs: Per carnale vulnus, quod Christus in cruce accepit in latere, vulnus spirituale ostenditur: & hoc fortasse significatur dum bis dicitur: *Vulnerasti*. Vtriusq; enim vulneris ipsa soror, & sponsa causa est: ac si sponsus aperte diceret: Quia zelo amoris tui vulnerasti me, lancea quoque militis vulneratus sum. Quis enim cor suum palo vulnerari permitteret, nisi prius amoris illius vulnus percepisset?

Philo Carp.

Ad mysterium Incarnationis refert idem, quod hic dicitur: *Vulnerasti cor meum*: Philo Carpath. vt Deus significet, se vulneratum in corde per id, quod ex amoris vehementia incarnari voluit.

Cor Trinitatis vulneratũ ex amoris vehementia in opere Incarnationis exhibitũ est. Greg. Nyss.

Ponderat autem, quod iuxta Sept. dicitur: *Vulnerasti cor nostrum*: vt per locutionem istam in plurali significetur, totam Trinitatem commotam charitate, vt in carnem Deus descenderet, tametsi solum Verbum sit incarnatum.

Denique Gregorius Nyssenus homil. 8. singulari ratione hanc sententiam legit, distinguit, atque interpretatur: volens quippe, hæc esse verba Angelorum, verbum Græcum, ἐκαρδίωσας, quo hoc loco vsi sunt Septuag. quod ve fere ab vniuersis Patribus accipitur, quasi idem sit, ac alibi, ἠκαρδίωσας, id est, *abstulisti cor*, vel, *corde nos cepisti*, aut quod in idem recidit, *Vulnerasti*, seu *indidisti cor*: Tum post verba illa, ἐν μιᾷ, *in vna*, facit distinctionem apponens comma, referens ad superiora illa, *In vno ex oculis tuis*, & subaudiens, *anima*, ac si dicatur, In vna anima: tum disiuncte subdit, ἐν δέματι, id est, *in ornamento*, seu *torque colli*, legens per duas dictiones id, quod communiter vnica dictione legitur, ἐνδέματι, id est, *ornamento*, seu *torque*. Vt autem pateat huius sententiæ sensus, duo supponit, quæ tamẽ caute sunt legenda. Primum, per Ecclesiam manifestari Angelis variam, & multiplicem Dei sapientiam, quæ per contraria res efficit magnas, & admirabiles, nimirum, quando facta fuerit vita per mortem, & per peccatum iustitia, & per maledictionem benedictio, & per ignominiam gloria, & cetera huiusmodi. Quod suppositum probat Nyssenus ex ijs Apostoli verbis, quibus in epistola ad Ephesios dicitur: *b Vt innotescat principatibus, & potestatibus, in cœlestibus, per Ecclesiam multiformis sapientia Dei, secundum præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Iesu Domino nostro, in quo habemus fiduciam, & accessum in confidentia per fidem eius.* Quod secundo loco supponit, est, vt ijdem Angeli per Ecclesiã fortasse viderint Christum, qui alioquin ipsis esset incomprehensibilis, iuxta illud Ioannis: *c Deum nemo vidit vnquam.* Suppositum istud probat: quia, cum Ecclesia sit corpus Christi & Christus sit caput corporis, suo charactere formans faciem Ecclesiæ: hinc fit, ait, vt Angeli ad eam aspicientes, per ipsam clarius aspiciant Christum, qui non cadit sub aspectum: ita vt quemadmodum ij, qui ipsum orbem solis nõ possunt videre, per aquæ splendorẽ ipsũ vidẽt. Ita illi pariter in mundo speculo, nempe in facie veritatis videant solem iustitiæ, qui per id, quod apparet, mente comprehenditur. His suppositis sensum eorum, quæ hic dicuntur, istiusmodi asserit esse; vt Angeli, cum Ecclesiam, vel animam viderint ad perfectionem, & à gloria, in qua erat, ad superiorem gloriam transformatam, illam celebrantes laudibus, hæc dicant: *Cordificasti*, seu *indidisti cor soror nostra sponsa*, &c. id est, Soror nostra propter impatibilitatis cognationem, & sponsa propter coniunctionem cum verbo; cor quoddam, mentem, & cogitationem ad multiplicem Dei sapientiam, atque ad lucis comprehensionem per te ipsam nobis indidisti: Confirmantes hæc, iterum repetant verbum: *Cor indidisti nobis*: Et subdentes quidnam sit id, quod ipsis maximam admirationem in ea attulerit, addunt: *In vno ex oculis tuis*, id est propterea quod vnicum tantum habes oculum, quo ad bonum tantummodo inspicis, cum cæca sis in alijs vniuersis, quæ præter Deum sunt, ac bonum. Addentes vero, *In vna* scilicet anima, tantumdem est, ac si dicerent: Propterea quod aspiciens ad vniformem rationem vitæ, quæ est secundum virtutem, vna tantum anima vivas, nequaquam multiplici passionum, ac perturbationum subiecta dominatui. Sic & *in torque*, seu *ornamento colli*, id est propterea quod subiecta sis, atque habeas Christi iugum, cum susceperis in te perfectionem. Propterea ergo breuiter, inquiunt Angeli, confitemur, quod tuis miraculis *cordificasti nos*, vnum ostendens oculum, & vnicam animam in ornamento colli tui, id est in iugo, cui te subiecisti.

Angelis manifestatur per Ecclesiã ea sapientia Dei, quæ res magnas per contraria efficit, secundum Nyssenum.

b Ephes. 3. 10.

Angeli per Ecclesiam vident Christum, secundum Nyssenum.

c Io. 1. 18. Simile.

Anima, sancta soror Angelorum propter cognitionem impatibilitatis sponsa propter coniunctionem cum Verbo.

Anima, quæ vniformi vitæ intenta est, & sub iugo est obedientiæ, quodamodo Angelis cognitionem tribuit, secundum Nyssenum.

Vers. X. ca. IV. *Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa: pulchriora sunt vbera tua vino, & odor vnguentorum tuorum super omnia aromata.*

Expositio I.

Iuxta sonum litteræ.

1 SIcut nouo encomio illos, quos iam laudarat, spõsæ oculos, atque crines mirum in modum in præcedenti versu iterum extulit sponsus: ita & in versu pariter isto nouis laudibus, isque præstantissimis eadem celebrat eiusdem sponsæ vbera, quæ etiam eximio encomio commendarat supra in vers. 5. Neque enim eum ipsum in iterandis membrorum illius laudibus seruat ordinem, quem supra seruarat; at, prout fert vehementer amantium mos, eo linguam ad laudes promendas dirigit, quo ab ardentissimo insignis pulchritudinis eius amore impellitur.

In tres autem partes distincta tota ista sententia tres mammarum, & vberum sponsæ continet laudes; Primam in ijs verbis, *Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa*: Secundam in illis: *Pulchriora sunt vbera tua vino*: Et tertiam denique in ea parte, qua dicitur: *Et odor vnguentorum tuorum super*, &c. Prima laus in eo sita est, quod tam insignis illorum sit pulchritudo, vt inexplicabilem intuentibus quibuscunque incutiant sui admirationem, atque stuporem: istiusmodi namque loquẽdi forma, *Quam pulchræ sunt*, admirantis est, ac præ stupore nihil exprimere valentis. Generale istud encominm adeo eximium amplificat postmodum peregregie sponsus per secundam, & tertiam eorumdem vberum laudem: quæ sane quam sublimes sint, exinde colligere licet, quod ipsamet sponsa, cum sponsi sui item vbera ad cælum euehere vellet in principio huius Cantici amatorij, hisce ipsis laudibus ea extulit, dicens: *a Quia meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis:*

a Cant. 1. 2. & 3.

Et certe nil præſtantius in vberum ſponſæ laudem reperiſſe viſus eſt ſponſus: nulla re ſublimius ea euehere, quam ſi acceptas ab ea vberum ſuorum laudes, in ipſamet eius vbera refunderet. Verum, tametſi facile nos expediuerimus ibi in cap. primo, in afferenda ratione iſtarum comparationum, ſeu potius iſtorum parallelorum vberum ſponſi cum vino, & fragrantiæ eorumdem vberum cum optimis quibuſcumque vnguentis: propterea quod ſponſa ibi exinde occaſionem aptiſſime ſumpſit eorum parallelorum, quia ſibi præ abſentis dilecti ſui deſiderio, animi deliquium patienti, vinum, vnguentaque pretioſa à ſociabus exhiberentur ad recreandam deficientem animam: At hoc loco, vbi nulla talis apparet occaſio, haud ita facile eſt horum parallelorum, iſtarumve comparationum rationes aſſignare, atque proportiones. Quid enim proportionis vinum habet cum mammis muliebribus? Quidve vnguenta ad eadem ſpectant vbera, vt ex illorum præſtantia tam inſignis in ea conferatur laus? Ponderemus vtramque ſigillatim per ſe, ne cõfuſione obruamur potius, quam explicatione, vim huius dilucidemus encomij.

Quoad primam igitur partem, in qua ſecunda continetur mammarum ſponſæ laus, & certe auctior, quam prima, quæ iam declarata eſt: Hebræi, & quot-quot Hebræis ſunt addicti nouarum verſionum auctores, alijque inſuper complures ex modernioribus, qui maiorem illorum rationem hac ſaltem in re habent, quam antiquiſſimæ verſionis Sept. ac noſtræ etiam Vulgatæ, haud multo labore hac in re inſudãt: nã cũ ex ambiguitate Hebraicæ dictionis דודיך dodaich, quæ *& amores*, & *mammæ tuæ*, ſignificat, nequaquam vbera, & mammas ſponſæ; ſed eius potius amores commendari arbitrentur hoc loco, apta, inquiunt, admodum eſt proportio eorum ad vinum: multo enim magis ij inebriant deguſtantem, quam vinum quodque inebriet potantem: vel quia vinum ſymbolum ſit voluptatis, per hanc comparationem extolli voluptatem, quæ ex ſponſæ amoribus percipitur, vtpote quæ præferenda ſit omni voluptati. Sed quamuis in primo capite, vbi hæc ipſa habetur comparatio, libenter in hanc ierim ſententiam, vt prædicta dictio Hebraica poſita ſit ad amores ſponſi deſignandos; vel etiamſi pro vberum ſignificatu ea ſumenda ſit, prout illam ſumpſere Sept. & auctor Vulgatæ, metonymice vbera ſumi debeant pro amoribus, quatenus ſubter illis eſt ſitus cordis; quia ibi non apparebat ratio, cur tam ex abrupto commendarentur vbera ſponſi, præſertim, cum haud moris ſit, vt virorum vbera commendentur, ſicut celebrantur in feminis: Hoc tamen loco nulla ratione adduci poſſum, vt eidẽ ſubſcribam ſententiæ: quandoquidem haud opportune amorum ſponſæ encomium in medio panegyrici particularium membrorum inſeratur: cum è veſtigio admodum congruenter poſt præſtantiſſimum oculorum, ac crinium eius encomium, ſubijci videatur encomium vberum eiuſdem, quæ, ſi pulchra ſint in ſpecioſa puella, non minus certe, quam oculi, crineſve vulnerent cor inſpicientis. Laborandum ergo eſt, vt aliquam reperiamus proportionem vini ad vbera ipſa, non ad lac, quod ex vberibus fluit: hanc nempe reperire facile eſt: ex quo factum, vt Patres fere omnes ad iſtam confugerint comparationem lactis cum vino.

Hebræi.

2 *Vbera pulchra ad quid cum vino comparẽtur, quidve proportionis cũ illo habeant.*

Vt dicam, quod ſentio, crediderim, ſponſæ vbera hic commendari ex læto illo, ac feſtiuo, quod vberibus pulchris ineſſe ſolet, quove intuentes alliciunt vt propius accedant, manibuſque contrectent: quod peregregia ſimilitudine duorum hinnulorum capreæ qui paſcuntur in lilijs, ſuperius in verſic. 5. altero eorumdem encomio, laudatum nouimus, vt videre eſt in prima expoſitione illius verſiculi. Quamquam multo efficacius laudem iſtam in hoc repetito vberum encomio per vini comparationem conferri cenſeam, quam in primo encomio illo per ſimilitudinem hinnulorum capreæ ſit collata. Proportio autem vini cum iſtiuſmodi vberibus duplex mihi eſſe videtur ex duplici conditione vini, quod optimum ſit: in quibus ambabus ab ipſis ſponſæ vberibus excellentiſsimo modo ſuperatur, ita vt propterea iure optimo ea dicta ſint *pulchriora vino*. Prima vini conditio eſt, vt in vitro exhibitum, ipſomet pulchro colore ſuo tale præ ſe ferat lætum, feſtiuum, ac quodammodo geſtiens, Italice *grillante*: vt intuentem illico attrahat ad propius accedendum, atque potandum. Vnde Salomon, cui optime comperta erat iſta eius conditio, ait in lib. Prouerbiorum: *b Ne intuearis vinum, quando flaueſcit, cum ſplenduerit in vitro color eius*: & quaſi vix fieri queat, vt intuens quilibet ab illo non attrahatur, vt bibat: quaſi potatum iam ſit, cum primũ in illud coniectus eſt oculus, addit: *Ingreditur blande, ſed in nouiſsimo mordebit vt coluber, & ſicut regulus venena diffundet*. Lætum huiuſcemodi, & feſtiuum; at efficacius ineſſe in pulchris cernitur vberibus, ita vt viſa intuentium abripiant animum, vehementiſſimumque incutiant ſui deſiderium.

b Prou. 23. 31.

Altera vini conditio eſt, quod inebrians alienat hominem à mente, ac ſuo modo mentis cauſat exceſſum; In qua conditione ingẽtem cum illo proportionem habent pulcherrima ſponſæ vbera: nam & in ipſis tantum ineſt potentiæ, vt ſponſum inebrient voluptate, ac per ingentem amorem, quem in eodem cauſant, illum ipſa amoris ebrietate alienent à mente. Quamquam multo, etiam quoad conditionem iſtã, quolibet præſtantiora ſint vino: ſiquidem vinum, etſi inebriet, minime haſce vires ſuas exercere poteſt, vt inebriet, alienetque à mente, ni potetur; ita vt haud quaquam viſa inebriare queat pulchritudine ſua, tametſi inſignis ea eſſet quam maxime, ſed ſapore dũtaxat, & guſtu ſuæ ſubſtantiæ. At vero ſponſæ vbera pulchritudine ſua intuentes ſic vehementi inebriant amore, vt haud operæpretium ſit alius eorum guſtus, atque contactus, idcirco congruentiſſime locutus eſt ſponſus, cum nequaquam dixit: *Meliora*, ſeu, *Dulciora*, ſed *Pulchriora ſunt vbera tua vino*: vt nimirum ſuppoſita proportione iam dicta inter illa, atque vinum, innoteſceret, in quonam hac in re ipſi vino præferenda ea forent; in vi nimirum pulchritudinis, nedum in efficacia guſtus.

3 *Vbera ſponſæ cur vnguentorum nomine ſint appellata, & cur cũ aromatibus comparata.*

Quoad ſecundam comparationem, quæ & ipſa adhibita eſt cum amplificatione. Dubium primo exoritur, quidnam connexionis habeant vnguenta ſponſæ cum eius vberibus: ſuppono enim, & hanc quoque comparationem ſpectare ad talium mammarum encomium, tertiamque laudem illarum per ipſam exprimi. Facillime tamen tollitur dubiũ iſtud, ſi puellarum, & earum in primis, quæ nouæ ſint ſponſæ, in memoriam reducamus morem illũ, quo, cũ & odoratis floribus delectentur, & vnguentis ſuaueolẽtibus, ea inter vbera deferunt ad pectus, tam ad fragrantiã, quam ad decorem: Vnde fit, vt vbera ipſa, in quorum medio ea aromata collocata ſunt, adeo ſuauiter fragrantia reddantur, vt non immerito vnguenta ipſa appellentur. Morem iſtum, ſi recte recolimus, ſubincauit & ſponſa in cap. primo huius Cantici, cum diceret: *a Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea cõmorabitur. Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis En-gaddi*. Ex quibus apparet, maximam profecto inter vbera, & vnguenta, atque odores ineſſe connexionẽ. Ex quo etiam factum eſt, vt in ſuperiori quoque encomio, quo eadem ſponſæ vbera commẽdata ſunt in verſ. quinto, ex odore pariter laudata ſint per ſimilitudinẽ *b* duorum hinnulorum *capreæ, qui paſcuntur in lilijs*, vt ibi videre eſt in prima expoſitione: Verũ, tametſi & in illo æque, ac in iſto encomio hæc odoris, & fragrantiæ laus in tam pulchra collata ſit ſponſæ vbera; nihilominus multo efficacior eſt, quę hic in illã confertur vna eademq; laus, quam ea, quæ ibi. Siquidem ibi laus iſta id ſolum cõtinebat quod vbera ſpõſæ eſſent ſimpliciter ſuaueolentia, non ſecus ac hinnuli illi, qui paſcuntur in lilijs, liliorum fragrant odore: At in præſenti encomio eadem odoris laus duo in

a Cant. 1. 13.

b Cant. 4.

ijſdem

ijſdem vberibus addit præſtantiſſima. Primum quod ita ſuauiter olent, vt videantur eſſe ipſamet vnguenta; ideoque odor ipſorum, odor vnguentorum dicatur. Secundum quod iſtemet eorum odor tam ſuauis eſt, tamque eximius, vt merito præferendus ſit aromatibus omnibus: vt ea, quæ hic dicuntur, ſimilia illis ſint, quibus ſponſa in capite primo dilectum ſuũ ex ſingulari odoris fragrantia commendauit his verbis: *c Fragrantia vnguentis optimis: Oleum effuſum nomen tuum.* Sicut etenim ibi ſponſa ad amplificationem laudis eximiæ fragrantiæ, quam in ſponſi vbera conferebat, & fragrantiam ipſam illorum optimis quibuſcũque prætulit aromatibus, & eumdemmet ſponſum propterea vnguenti odoratiſſimi nomine decorauit: Ita & ſponſus viciſſim in hoc loco & odoremvberum ſponſæ odori præfert aromatum omnium: & ipſamet eius vbera tam præſtanti odore redolentia, vnguentorum appellatione decorat.

c Cant. 1. 3.

Alter ſenſus.

Quamquam ſimplicius, nec minus congruenter dici etiam poſſet, ſponſum hoc loco alludere ad duo ſponſæ dicta, quibus in ſuperioribus ſe ab illa à fragrantia recoluit commendatum: ad iſtud iamiam propoſitum; *Fragrantia vnguentis optimis: Oleum effuſum nomen tuum*; & ad illud alterum, quod etiam ſupra citatũ eſt: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur: Botrus Cypri dilectus meus mihi*: vt vbera illius ſic ex præſtanti efferat odore, quem ſui cõtactu ſuſcepiſſent, dum ipſum inſtar faſciculi myrrhæ, & inſtar Botri Cypri in medio eorumdem vberum ſuorum tenuiſſet. Quidni enim odor taliumvberum odori præferendus ſit aromatum omnium, & odor vnguentorum illorum, quibus ea delibuta ſunt, cunctis præferatur vnguentis, ſi ipſius fragrantia, qui vnguentorum loco ei inſeruit, ſecundum ſuam ipſius confeſſionem optima quæque ſuperet vnguenta? ſi ipſe nominetur vnguentum effuſum, & vſquequaque fragrantiſſimum?

Appoſite autem in iſto quoque encomio eam, cuius vbera tantis effert laudibus, & ſororem & ſponſam ſuam appellat, qui ſponſus item illius eſt: duobus enim hiſce ſimul iunctis nominibus omnem fœdi amoris excludit ſuſpicionem, quam facile in legentium mentes ingerere eæ ipſæ poſſent laudes, quarum tam exactus factus eſt catalogus.

Quarum breuis hic eſto epilogus paraphraſticus.

Paraphraſis.

O quæ tam pudica mihi es *ſponſa*, quam pudica es & *ſoror*. Pulchritudo vberum tuorum adeo admirabilis eſt, vt obſtupeſcam, quoties meos in illam conijcio oculos: vix verba reperio, quibus eam exprimam: Paucis tamen vt aliquid dicam, *Pulchriora* ſane ea *ſunt vino* perquam optimo: tum quia multo præſtantius eſſe conſpicitur illud iucundi, læti, atque feſtiui, quod eis ineſt, quam id, quod vinum præ ſe fert in vitro exhibitum: tum etiam quia & in vi, quæ in vino ineſt, vt inebriet, mentiſque cauſet exceſſum, vinum ſuperant quodque; quandoquidem ipſa ſui duntaxat aſpectu præ eximia, quam intuentium oculis exhibent pulchritudine, tametſi nec tangantur, neque alia ratione guſtentur, inebriant voluptate, pulchritudine, & præ amoris, quem excitant, magnitudine à mente pariter alienant: quæ certe haudquaquam vel à potentiſſimo vino effici poſſunt, ſi color ſolummodovideatur, nec ſapor guſtetur, atque potetur. De odore quid dicam, quo eadem me alliciunt? vnguenta ſane ipſa dixerim adeo ſuauia, vt merito illorum odorvniuerſis præferendus ſit aromatibus. Quidni vero ab eis iſto alliciar odore, cum odorem meum illum eſſe nouerim? An non ipſe tibi & faſciculus myrrhæ, & botrus Cypri inter vbera iſta tua? meus ergo, odor illorum: me in illis oleo, quem tumet adeo aromatibus optimis in ſuaui prætuliſti odore, vt ipſummet vnguẽtum effuſum, ipſummet odorem non metueris nominare.

Quoad lectionum varietatem, omiſſis, quæ dicenda forent circa ſignificatum Hebraicæ vocis, דודיך dodaich, quam vt ambiguam ad amores, & vbera ſignificanda Hebræi, illorumve ſectatores ex noſtris, necnon & paraphraſis Chaldaica, non, *vbera*, ſed, *amores tui*, vertunt: iam enim hæc notata ſunt ſupra.

Notandum primo, Originalia tam Hebræa, quam verſionis Septuaginta bis admirantis interiectionem adhibere, talibuſque vti verbis, יפו iaphu, & תו thouu: Sept. ἐκαλλιώθησαν, quæ non pulchra ſimpliciter vbera ſignificant, ſed facta eſſe pulchra: quo eodem ſenſu Aquila vertit ἐκαλλωπίσθησαν, & Symmachus pariter, ὡραιώθησαν, vt ſenſus ſit: *Quid*, ſeu, *quam pulchræ factæ ſunt mammæ tuæ! Quid pulchræ factæ ſunt mammæ tuæ à vino!* Secundum verbũ Hebraicum verti poteſt: *Quam bonæ factæ ſunt mammæ, &c.* Quæ ſpiritualibus ſenſibus fortaſſe inſeruient.

Secundo notandum, quod in verſione Septuaginta legitur: *Quid pulchræ factæ ſunt mammæ tuæ à vino*: non eſſe ſic intelligendum, quod mammæ à vino pulchritudinem deſumpſerint, ſed accipiendum iuxta phraſim Hebraicam, qua littera מ mem, vt ſignificat præpoſitionem, A, comparatiue vſurpatur, & denotat, adiectiua præcedentia ſumẽda pro comparatiuis. Denique Septuaginta legunt: *Et odor veſtimentorum tuorum*, pro, *vnguentorum tuorum*: & videntur legiſſe שלמתיך ſalmotaich, vt in verſ. ſequenti, pro dictione שמניך ſcemanaich.

Verſ. X. ca. IV. *Quam pulchra ſunt mammæ tuæ, ſoror mea ſponſa: pulchriora ſunt vbera tua vino, & odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata.*

Expositio II.

De prima Sponſa, quæ eſt Eccleſia Sancta.

TAntas in ſanctos Eccleſiæ Prælatos, adeoque inſignes laudes in ſuperiori vberum encomio cæleſtis contulit ſponſus; vt vix addi aliquid poſſe videretur, quod tam grandes accreſceret laudationum cumulos, eadem præſertim ſeruata metaphora vberum, quorum & locum obtinere in myſtico Eccleſiæ corpore, & munia pariter exercere, ſatis ſuperque ibi oſtenſum eſt in ſecunda expoſit. verſic. quinti. At tametſi ita nobis videri forſitan potuiſſet, nil remanſiſſe reliqui, quo commendari poſſent, ſub eademvberum metaphora, ipſe nihilominus encomiaſtes diuinas, nouas, atque præſtantiores, quibus illos euehat, reperit, & altero iſto eorumdem vberum encomio exprimit laudes. Vt igitur nouæ iſtæ, adeoque inſignes Sanctorum Prælatorum laudes vniuerſis perſpicuæ reddantur, ſubtilius iteratum hoc vberum Eccleſiæ encomium examinantes, germanum eorum, quæ hic dicuntur, ſenſum eruere tentemus. 4

Vbera duplici ex cauſa in feminarum pectoribus collocata.

Ac primo ſupponendum, & vbera & mammas duplici ex cauſa in feminarum pectoribus collocatas; tum, vt tamquam lactis receptacula ad id inſeruirent, vt infanti, quem chariſsimum cordis ſui pignus mater geſtatura eſſet ad pectus, lac exhiberẽt fugẽdum, quo is nutriretur, & creſceret: tum, vt veluti duo perpulchri pectoris næuuli pulchritudine ipſa ſua, quorum in ſe coniectos habuiſſent oculos, eorum etiam ad ſe allicerent animos: & vt veluti duo cordis pro-

pugnacula, atque adeo duo indices vnius amoris in corde latentis, ad amorem pariter intuentes allicerent, & ex illis cor ipſum tamquam è proprijs turribus ardentia item amoris iacularet ſpicula. Hinc à prouida natura effectum, vt tunc primum extuberantia appareant in pectore, cum primum amoribus apta puella eſt, prout ex Ariſtotele colligitur manifeſte lib. 7. de hiſtoria animal. cap. 1. & ex Ezechiele a cap. 16. Hinc in cap. 7. ſponſa dilecto, quem pulchritudine vberum ſuorum amore ſuccenſum nouerat, quaſi in ipſam concepti amoris fruitionem ea pollicetur, dicens: b *Ibi dabo tibi vbera mea.* Neque enim exiſtimandum, vbera ſua ad hoc ſponſo daturam, vt is lac ſugeret ex ipſis, at vt vinum potius exprimeret amoris, ad quod deſignandum ille ei dixerat paulo ſuperius: c *Et erunt vbera tua ſicut botri vineæ.* Hinc demum & quæ pudicæ ſunt feminarum, ita vbera ipſa ſua ſeruant operta, vt nemini eorum pulchritudinem conſpiciendam exhibeant, præter quam vni viro ſuo, cui vni & illibatum ſuum ſeruant amorem: atque adeo in Republ. ac Ciuitatibus illis, quæ bene inſtitutæ ſunt, vt huic honeſtatis conſulatur decoro, nec meretricibus ipſis permiſſum id eſt, vt patentibus, ac reuelatis vberibus extra domos incedant. Vtinam laudatiſſimum morem iſtum vniuerſæ ſeruarent Ciuitates.

Ariſtotel.

a Ezec. 16.

b Cant. 7. 12.

c Cant. 7. 8

5

Hoc igitur ſuppoſito, intentio ſponſi in præſenti panegyrico ea fuit, vt ex duplici iſto effectu duplex vberum pudiciſſimæ ſponſæ ſuæ contexeret encomium: Ac in primo quidem ita ea celebrauit, vt præcipue ad primum ipſorum effectum lac continendi illudve infantibus propinandi reſpexiſſe viſus ſit: quod & vocabulo ipſo, quo ea tũc nominauit, ſignificatum eſt: in Hebraico ſiquidem textu, vbi originalis eius apparet locutio, ibi in verſ. 5. ad ſignificandum, vbera tua, nequaquam eadem vſus eſt voce דודיך dodaich, quæ & ſignificatum amoris in ſe continet, ſed altera voce, שדיך ſciaddaich, quæ, vt ſupra in expoſit. 3. illius veri probatum eſt, & iſtum effectum deſignat lac propinandi, quia nimirum (vt notat R. Dauid in lib. Radicum) dum vbertim lac infantibus dãt, permeat per vniuerſum eorum corpus, ac per ſingula membra. Sicut autem ibi ex hoc potiſſimum celebrata ſunt vbera carnalia: ita pariter ex eodem & ſpiritalia quoque vbera Eccleſiæ, ipſoſque eius Prælatos commendauit Chriſtus Dominus, prout videre eſt in ſecunda illius verſ. expoſitione.

At vero in altero iſto eorumdem encomio euehit illamet ex ſecundo effectu, quo pulchritudine ipſa ſua extrinſecus apparente intuentes quoſque, ac in primis ſeipſum ſponſum eius pelliciunt, amoreque inflammant ardentiſſimo: atque adeo aptiſsime dixit: *Quam pulchræ ſunt!* &, *pulchriora ſunt*: & ea vſus eſt voce דודיך dodaich, quæ amorem ipſum præſignat.

Prælati boni ſua eximia ſanctitate obſtupeſcere faciunt nedũ homines, ſed & Deum.

Ex pulchritudine ergo iſta etiam cæleſtis ſponſus hoc verſu ſanctos celebrat Prælatos; pulchritudinem autem ſpiritalem in ſanctitate ſitam eſſe, ſatis ſuperq; in ſuperioribus oſtenſum eſt frequentius: Vnde haud neceſſe eſt, vt hac in re modo detineamur, ſicut nec in explicandis congruentijs, quas cum vberibus Prælati ſancti habent. Has videre vnicuique fas eſt in ſecũda expoſ. verſ. 5 ſæpius citati. Tres duntaxat præſtantiſſimæ eæ diſcutiendæ ſunt laudes, quas Chriſtus Eccleſiæ ſponſus in illos confert ſub hac pulcherrimorum vberum metaphora.

Prima eſt tam inſignis ſanctitatis, quæ nedum homines, ſed & Deum, qui eſt primum totius ſanctitatis exemplar, in ſui commoueat admirationem, atque ſtuporem: impulſu namque huiuſmodi ſtuporis ille obſtupeſcens exclamat: *Quam pulchræ ſunt mammæ tuæ ſoror mea ſponſa!*

Porro quemadmodum puella tunc admirationem excitat ſuæ pulchritudinis, quando ipſa eius pulchritudo perfecta ſit, quando ea perfectione excellat eximij decoris: Ita & ſancti quique Eccleſiæ Præſules Deum ſua obſtupeſcere faciunt ſanctitate, qui perfectos ſeſe illi conſpiciendos exhibent in ſanctitate, iuxta vulgatam illam Theologorum doctrinam, qua Prælati, quotquot boni ſunt, in ſtatu conſtituuntur perfectionis. Quod ſi quis inſtet, vt ſibi exponatur, in quonam potiſſimum adeo inſignis ſanctitatis pulchritudo illorum, atque perfectio ſita ſit: audiat Chriſtum Dominum Petro Prælatorum Principi id ſignificantem, cum tertio hæc repeteret: a *Simon Ioannis diligis me plus his?* Quin & in hoc ipſo encomio, in ipſamet ſui ſtuporis ſignificatione, dum, dicens: *Quam pulchræ ſunt mammæ tuæ*: eo vtitur vocabulo, ad mammas Eccleſiæ exprimendas, quod & amores deſignat, vt iam notatum eſt; iſtud ipſum ſubindicat eximium pulchritudinis, ſanctitatis, ac perfectionis Prælatorum in charitate effulgere, atque in amoribus erga Deum, & erga proximum: charitas ea eſt congruentiſſima harmonia, atque proportio virtutum omnium, in qua perfectio conſtituta eſt, & pulchritudo ſpiritalis: charitas ſpecioſiſſimus eſt ille color, quo decora redduntur vniuerſa virtutum membra. Vnde Apoſtolus in epiſtola ad Coloſſenſes, poſt enumeratas multiplices virtutes, quæ ad ſpiritalem conſtituendam pulchritudinem neceſſariæ ſunt, ſubijcit: b *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.* Verum qui nedum charitate quacumque decori ſunt, ſed in ipſamet charitate perfecti ſunt, ij demum admirabili iſto decore pulchritudinis ſuæ obſtupeſcere faciunt Deum ipſum: tales autem ſunt Prælati illi, qui ad Chriſti Domini imitationem præ charitate animam ſuam ponere parati ſunt pro ouibus, iuxta illud Euangelij: c *Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis*: Perfectus namq; iuxta eiuſdem Chriſti d ſententiam cenſendus eſt omnis, qui ſit ſicut magiſter ſuus.

Prælatorum perfectio ſita eſt in perfectione charitatis.

a Ioã. 21. 15

b Coloſſ. 3. 14.

c Ioan. 10. 11.

d Luc. 6. 40

6

Secunda laus, quæ primam iſtam conſequitur, eſt lætum, feſtiuum, atque exultans id, quod in perfecta præ ſe ferunt charitate prædicta: quandoquidem qui ſunt ex numero ſanctorum Prælatorum, quorum hic contexitur encomium, non modo tribulationes pro Dei charitate perferunt, & animam ſuam dant pro ouibus ſuis, at in hac ipſa charitate exhibenda, in ipſis ærumnis, paſſionibus, atque etiam in morte lætos, promptoſque ſe oſtendunt, & cum gaudio exilientes, ac feſtum facientes illis ſeſe obijciunt. Quo ſane gaudio nedum ſubditos, pro quibus ea patiuntur, ſed & Deum ipſum, à cuius charitate ad hæc impelluntur, ad ſui alliciunt amorem. Si lætum iſtud in Paulo, qui vnus ex ſanctis iſtis Prælatis extitit, noſſe quis velit, legat, quæ ipſe de Coloſſenſibus conteſtatus eſt: e *Nunc gaudeo in paſsionibus pro vobis*, id eſt, quas pro vobis, & pro veſtra vtilitate ſubeo: & *adimpleo, quæ deſunt paſsionibus Chriſti, in carne mea pro corpore eius, quod eſt Eccleſia, cuius factus ſum ego miniſter.* Tãtumdem autem eſt iſtud, quod ait: *Adimpleo ea, quæ deſunt paſsionibus Chriſti*, &cet. ac ſi diceret: Dum lætum iſtud in paſſionibus, quas ſubeo pro vobis, ſponſo meo exhibeo, mirum in modum ad mei amorem illum allicio.

Prælati vt gaudeant in tribulationibus, quas ſubeunt pro ſalute ſubditorum.

e Coloſſ. 1. 24.

Enimuero ea, quæ immenſo illi patiendi deſiderio, quo Chriſtus multo plura pati voluiſſet, quam perpeſſus eſt ob inexplicabilem charitatem erga Eccleſiam dilectam ſuam, quæve defecerunt paſſionum, quas pati voluit in membris ſuis, ipſe, qui miniſter Eccleſiæ factus ſum, membrumque eius, qui caput illius eſt, adimpleo in carne mea.

Ex altera eiuſdem Apoſtoli ſententia, qua ad Philippenſes ait: f *Si immolor ſupra ſacrificium, & obſequium fidei veſtræ, gaudeo, & congratulor omnibus vobis, idipſum autem & vos gaudete, & gratulamini mihi*: altera illa manifeſtatur excellentia inſignis ſanctitatis, ac perfectiſſimæ charitatis Prælatorum Sanctorum ſuper vinum, propter quã Eccleſię dicitur: *Pulchriora ſunt vbera tua vino*: Ea vero eſt, quod in illo ipſo, quod prædictum eſt, gau-

f Philip. 2. 17.

Prælati gaudentes in tribulationibus inebriãt quodãmodo & ſubditos, & Deum.

est, gaudio, ac lætæ promptitudine, quam etiam extrinsecus præ se ferunt ad subeunda quælibet grauia, quælibet & molesta propter subditos, & Deum Ecclesiæ sponsum, nedum subditos ipsos suos inebriant voluptate, atque etiam per amoris ebrietatem alienant quodammodo à mente, quod efficere minime potest vinum sua duntaxat pulchritudine. Si tamquam victima Deo immoror, inquit Apostolus, occisioni expositus, vbi prius vos in sacrificium & in obsequium eidem obtulero, fideles vos faciens, gaudeo sane, quod in victimam Deo immoler: & congratulor omnibus vobis, quoniam fidem vestram veluti hostiam eidem offero. Ecquanam vero re inebriari Deus potest, nisi istiusmodi victimarum immolatione? Non dicit imperfectionem in Deo talis ebrietas, quin ipsemet aliquando apud Isaiam reperitur conquestus cum populo suo, quod victimis non inebriaretur, sic namque ait: *a Adipe victimarum tuarum non inebriasti me*. Vis videre voluptatis ebrietatem etiam in subditis per lætas hasce victimarum oblationes? audi quæ in citatis verbis ait Paulus eorum prælatus, *Idipsum & vos gaudete, & congratulamini mihi*.

a Isa. 43. 24

Hanc promptitudinem, gaudiumque illud Prælatorum in prompta voluntate se exponendi passionibus, & occisioni pro ipsis, dum aduertunt subditi, non modo voluptate, sed & amore inebriantur, præ amoris nimirum vehementia, qua erga illos afficiuntur, à mente alienati, quatenus, pristina abiecta mente, qua vel infidelitati, vel etiam vanitati addicti erant, aliam suscipiunt mentem feruentiorem, qua in sacrificium, & in obsequium Deo se offerunt & ipsi, illis propius inhærentes, à quibus inebriantur.

Inebriari quomodo dicatur Deus per Sanctorũ Prælatorum promptitudinem, qua morti se exponunt pro subditis.

Quin & Deus pariter (quod mirabile est dictu) ab ijsdem eo pacto, quo expositum iam est, inebriatus, eadem ratione (quantum id de ipso dici potest) à mente alienatur, quatenus etiam ipse mentem mutare videtur, nostro modo concipiendi, intuens tam eximium perfectionis decorem, prædictumque illorum gaudium, ac promptitudinem percipiens: Cuius ebrietatis, & alienationis à mente duo pro nunc sufficiant exempla: alterum desumptum ex cap. 32. Exodi, alterum ex cap. 24. li. 2. Regum. In Exodo siquidẽ, cum Deus Moysi manifestasset, mentem suam esse, vt pro peccato vituli vniuersum Iudæorum deleret populum, faceretque Moysen ipsum in Gentem magnam, Moyse promptitudinem suam diuinis oculis exhibente, qua promptum se morti exponebat pro subditis suis, atque dicente: *b Aut dimitte eis hanc noxã, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti*: ac verbis hisce pro pereunte plebe morti sese obijciens (iuxta expositionem Hieronymi epistola 151. ad Algasiam quæst. 9. Greg. Papæ lib. 10. moral. cap. 7. & aliorum) mentem aliam desumpsisse eidem Moysi significauit ipsemet Deus, dicens: *Tu vade, & duc populum istum, quo locutus sum tibi: ego autem in die vltionis visitabo & hoc peccatum eorum*. Super quæ verba Theodoritus.

b Exo. 32. 32.

Hieron.

Theodor.

" Notandum est, inquit, quod cum vniuersorum " Deus preces Moysi pro populo susceperisset, atque in " illius gratiam supplicium distulisset, addidit tamen: " *Ego autem in die visitationis meæ visitabo & hoc peccatum* " *eorum*: quod fere idem esse cum Apostoli verbis videri potest: *c An ignoras, quod benignitas Dei ad pœnitentiam* " *te adducit? secundum autem duritiam tuam, & impœnitens* " *cor thesaurizas tibi iram in die iræ reuelationis iusti iudicij* " *Dei, qui reddet vnicuique iuxta opera sua*. Itaque hoc pacto " respondisse videtur Moysi Dominus, alienata quo- " dammodo mente: Duc tu populum istum, quod est tui muneris, & age quæcumque ad illius salutem necessaria sunt: Ego interim differam supplicium, & expectabo resipiscentiam, si resipuerint, bene: sin autem, tanto grauius visitabo peccatum eorum, quanto diutius supplicium dilatum erit. In libro quoque Regum, *d* cum mentem suam idemmet Deus Regi Dauid significasset per Gad Prophetam, & Dauid videns Angelum explentem illam Dei mentẽ, prompte se pro subditis ipsis suis obtulisset neci, dicens: *Ego sum qui peccaui, ego iniquè egi, isti qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur, obsecro, manus tua contra me, & contra domum Patris mei*: hac istius vberis pulchritudine inebriatus quodammodo Dominus, ostendensque, ab illa alienatum mente, qua populum infectabatur, suscepisse mentem aliam, qua propitius eidem fieret, dixit Angelo percutienti populum: *Sufficit: Nunc contine manum tuam*.

c Rom. 2. 4.

d 2. Reg. 24 13.

Tertia denique laus, qua istorum Ecclesiæ vberum, & Sanctorum Prælatorum ea, quæ extrinsecus apparet extollitur sanctitatis perfectio, duo in se continet. Primum enim ita bene olere dicuntur in conuersatione sua, vt vnguentorum nomine iure optimo queant appellari: etenim sic Christum Ecclesiæ dilectum in se deferunt vt fasciculum, seu sacculum myrrhæ passionibus oppletum, crucique confixum, vt æque, ac si & ipsi myrrhæ vnguentum facti essent, cum Apostolo dicant: *e In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur, aporiamur, sed non destituimur*, id est, rerum omnium penuria premimur, sed non opprimimur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur: humiliamur, sed non confundimur; *Semper mortificationem*, seu (vt legit Ambros.) mortem *Iesu Christi in corpore nostro circumferentes*, id est similitudine quadam mortem Christi exprimimus, tot affectionibus, & mortibus quotidie obnoxij, sicue eumdem Christum in se deferunt bottrum Cypri candidissimum, ac fragrantissimum ob vitæ propriæ candorem, vt vna cum eodem Apostolo dicere queant: *f Vita Iesu manifestatur in nobis*: cum ipso resurgentes, botrosque sic se exhibentes, sicut & ille botrus est per resurrectionem, atq; adeo quæ sursum sunt quærentes, non quæ super terram: ita vt propterea cap. 7. huius Cantici sponsus ipse de spiritalibus hisce Ecclesiæ vberibus loquens, dicat: *g Statura tua assimilata est palmæ, & vbera tua botris*.

7 *Prælati sancti sunt vnguenta pretiosissima, dum in se exprimunt similitudinem vitæ & mortis Christi.*

e 2. Cor. 4. 8.

f 2 Cor. 4. 10.

g Cant 7. 7

Vnguenta porro cum sint, & sint instar botri Cypri, facti & ipsi botri, merito additur huic ipsi tertiæ laudi, quod odor ipsorum sit super omnia aromata: odor namque ipsorum quatenus sunt vnguenta, ea ratione, qua explicata est, est odor Christi, prout & Apostolus testatus est, dicens: *h Christi bonus odor sumus Deo in iis, qui salui fiunt, & in iis, qui pereunt*. Est odor illius myrrhæ, cuius fasciculus Christus in medio ipsorum commoratur: est odor illius balsami, illiusve Cypri, cuius botrus inter ipsa defertur Christus: *i* Quicquid enim agunt, in nomine Christi faciunt, fatentes Christum esse, qui in ipsis operatur: quicquid patiuntur, in nomine Christi patiuntur, *k* adimplentes ea, quæ desunt passionibus illius, quæue is reliquit sibi subeunda in membris suis. Quapropter haud mirum, si istiusmodi odor eorum sit super omnia aromata, si vniuersis emineant præclare gestis, quę sapientes mũdi, vel scriptis, vel voce docent propter virtutis gloriam agenda, vel toleranda. Enimuero Christi fragrãtia vnguentis optimis, & quibuscumque virtutum actibus ita est præstantior, vt haud suaue oleant vlla virtutum aromata, vlli virtutum actus, ni ex ipso impertitum suscipiant odorem, quippe qui est ipsemet odor; & ob eam rationem vnguentum effusum nominatur, quod semetipsum effundens, odorem aliis impertiat.

Prælatorum Sanctorum odor, sicut & odor Christi est super virtutes, ac dicta & scripta sapientum mundi.

h 2. Cor 2. 15.

i Coloss. 3. 17.

k Coloss. 2. 24.

Encomij istius paraphrasticus sensus hic est.

Tam insignis est *soror mea sponsa* Ecclesia, pulchritudo Sanctorum Prælatorum, qui spiritalium vberum locum in te obtinent ob perfectionem charitatis, qua vt boni pastores animam suam dant pro ouibus suis; vt præ tam singularis perfectionis decore obstupescens, exclamare cogar: *Quam pulchra sunt vbera ista tua!* Atqui gaudio illo suo, illave festiua promptitudine, qua ex perfecta ista charitate quibuscunq; molestijs, ac morti quoque pro ijsdem ouibus suis se expositos exhibent, pulchiores redduntur ijdem, vt vbera tua sunt, multo magis, quam vinum: neque enim vinum

Paraphrasis. Commu. Patrum sensus.

læto, ac iucundo illo ſuo, quod in vitro præ ſe fert, ita allicit intuentes, ſicut ij promptitudine, gaudioq; iſto nedum ſubditos, ſed & me quoque ad ſe alliciunt, quem etiam inebriant virtute ipſa ſua efficaciſſima, in gaudio iſto laticante, ſicut & ſubditos inebriare conſpiciuntur; quod ſane vinum quantumlibet potentiſſimum pulchritudine ſola efficere nequit in quoquã. Fragrantia quoque præſtantiſſimæ huius charitatis eorum, quam exinde ſuſcipiunt, quod mortem meam vt faſciculum myrrhæ, vitamque meam vt botrum Cypri in ſe circumferunt, tanta eſt: vt vnguenta ſuauiſſima iure appellari ij debeant; atque adeo *odor* ipſorum, quo per charitatis, reliquarumque virtutum exhibitionem ſuauiter olent, ijs, cum quibus conuerſantur, eſt ſuper *omnia aromata*. meus namque odor is eſt, cuius fragrantia vnguentis optimis præſtat.

Verſ. X. ca. IV. *Quam pulchræ ſunt mammæ tuæ, ſoror mea ſponſa: pulchriora ſunt vbera tua vino, & odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata.*

Expositio III.

De ſecunda ſponſa, quæ eſt Anima Iuſti.

8 *Miſericordiam piæ animæ Deus admiratur, quatenus ea refert diuinã pulchritudinem.*

SI quid eximij, ſi quid pulchri reperiri poſſet vmquam, quod admirationem, atque ſtuporem Deo incuteret, in quem nec admiratio, nec ſtupor cadit vllus, oporteret, vt illud diuinum aliquid eſſet, vel quod eximia ſui pulchritudine diuinam præ ſe ferret pulchritudinem: cum igitur is in hac ſententia repræſentetur obſtupeſcens mammarum animæ pulchritudinem, haud aliud profecto pulchri commendatum in ipſa anima exiſtimare debemus, quam id, in quo potiſſimum ea ad diuinam accedit pulchritudinem.

Miſericordia eſt fortitudo & gloria Dei

a *Pſ.92.1.*

Quod ſi ſubtilius perſcrutemur, in quonam maxime Dei eluceat pulchritudo in anima, inuenie mus, id eſſe miſericordiam, de qua in Pſalm. dicitur: *a Dominus regnauit, decorem indutus eſt: indutus eſt fortitudinem.* Miſericordiam autem eſſe fortitudinem Dei, apertis hiſce verbis teſtatur Iſaias: *b Vbi eſt zelus tuus, & fortitudo tua, multitudo viſcerum tuorum, & miſerationum tuarum?* quo loco eamdem miſericordiam & decorem, & gloriam eiuſdem Dei eſſe, ſubindicat verbis iſtis, quæ hæc relata præcedunt: *Attende de cælo, & vide de habitaculo ſancto tuo, & de ſolio gloriæ tuæ.* Quæ eſt enim gloria iſta, qua decoratur ſolium Dei, niſi ipſa eius miſericordia? de qua per eumdem Prophetam dictũ eſt.

b *Iſa.63. 15.*

c *Iſa.16.5.*

c Et præparabitur in miſericordia ſolium eius. Hinc eſt, quod in ſacris litteris nullo frequentiori, nullove illuſtriori, quam iſto miſericordiæ, & miſerationum titulo decoratum illum reperimus: cum aliquando dicatur Deus miſerator, ſæpius Deus miſericors, Deus miſericordiarum, & miſerationum, nonnumquam Deus clemens, & alijs huiuſcemodi appellationibus, quibus ita ipſum deliniebant ſancti quique Patriarcharum, & Prophetarum, ſicut deliniri ea appellatione ſolent puellæ, qua pulchræ dicuntur, & pulchritudinis titulo decorantur, quo nihil eæ habent glorioſius. Hanc ergo miſericordiæ pulchritudinem tam inſigni admiratione obſtupeſcens cœleſtis ille ſponſus in pia illa anima, quæ ſoror eius eſt, vt conſors diuinæ naturæ, quæve & ſponſa pariter ipſius eſt vt illi vnita per charitatem, præſtantiſsimo hoc eam euehit encomio, dicens: *Quam pulchræ ſunt mammæ tuæ, ſoror mea ſponſa!* Non eſt, cur hoc loco detineamur, ad prohandum, quod ſpiritalia piæ animæ vbera, & mamme ſint ipſa eius miſericordia: iam enim probatum eſt ſupra in expoſit. tertia alterius vberum en comij, quod habetur in verſ. 5. huius cap. 4. Quod autem iſta miſericordiæ pulchritudo ea ſit vna, quæ maxime ad diuinam accedit pulchritudinem, quodve per conſequens eadem ſit perfectiſsima, atque adeo & vnicum, ac ſingulare ſpiritalis pulchritudinis, quæ in perfectione ſita eſt, miraculum, ex verbis Redemptoris noſtri colligitur, quibus nos ad tam eximiam promouet pulchritudinem, dicens: *d Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt*: pro quibus in eodem ſenſu apud Matthæum dixiſſe reperitur: *e Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt*: prout & ſæpius notatum eſt.

d *Luc. 6. 36*

e *Matt. 5. 42.*

6 *Miſericordia præfertur contemplationi.*

Præter hanc primam laudem, qua per magnam admirationem iſtam animæ ſanctæ miſericordia celebrata eſt, ac ſi quoddam eſſet ſpiritalis pulchritudinis miraculum; in verbis ijs, quæ ſubiecta ſunt (*Pulchriora ſunt vbera tua vino*) ſecunda eiuſdem miſericordiæ adijcitur laus, quæ haud aliunde deſumitur, quam ex ipſamet eius pulchritudine, ſecundum quam & vino præfertur omnium rerum præſtantiſsimo, vino, inquam, contemplationis, de qua Dominus in Euangelio aperte proteſtatus eſt, quod optima ſit, dicens: *e Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea in æternum.*

e *Luc. 10. 42.*

Vinum eſt ſymbolum contemplationis.

Pro cuius inſignis laudis intelligentia, ſupponendum primo, vinum in ſacris litteris, atque apud ſanctos Patres vſurpari aliquando ſolitum pro ſymbolo contemplationis: ſiue quia contemplatione lætificantur deuotorum hominum corda æque ac vino, de quo in Pſalm. *f Et vinum lætificet cor hominis*: ſiue quia eadẽ contemplatio mentem attollat, & quaſi alis quibuſdam ad cæleſtia faciat euolare, ſicut & vinum, quod mentem pariter non ſecus, ac alæ corpus, euehit, & modo huc, modo illuc volitare facit perquam agiliter: vnde factum eſt, vt Dionyſium vini Deum antiqui Φλεων Dorico vocabulo, quod pennatum ſonat, cognominarent, prout notat Pauſanias libro tertio.

f *Pſ.103.15*

Pauſanias

Supponendum ſecundo, idcirco diuinum ſponſum piæ animæ ſpiritales miſericordiæ, ac beneficentiæ mammas, ſpirituali per amplificationem comparaſſe vino contemplationis, vt laudem iſtam in illas conferret pulchritudinis omnibus numeris abſolutæ, qualem extitiſſe neceſſe erat, quæ ſibi ſtuporem iniecciſſe viſa ſit.

Porro, cum hac vnica re deturpari aliquatenus poſſet tã inſignis huius miſericordiæ pulchritudo, quod per ipſam pia anima remoueretur à contemplatione, quam optimæ partis locum obtinere, atque adeo optimam quoque eſſe, conſtaret ex relata Domini ſententia; occaſione iſtius eluendæ maculæ deſumpta, tãtum abeſſe innuit, vt per hoc miſericordia, ac beneficentia aliquam pulchritudini ſuæ inferret maculam, vt exinde illuſtriorem contraheret decoris laudem, quia comparata contemplationi, ita pulchrior illa appareret, vt merito dici ad piam animam queat: *Pulchriora ſunt vbera tua vino.*

Miſericordia quomodo ſit præſtantior contemplatione.

Verum cum ex hoc ſuppoſito inferri videatur, miſericordiam, eiuſve ſtudia præſtare contemplationi, cum tamen contrarium tenendum ſuadeat & præcitata Saluatoris ſententia, & illa Theologorum aſſertio, ſecundum quam actus religionis præſtantior definitur miſericordia, omnibuſue virtutibus moralibus, vt docet S. Thom. 2.2. quæſt. 81. artic. 6.

S. Thomas.

Primo dicendum, haud abſurdum, nec falſum id eſſe, quod miſericordia præſtantior aſſeratur ipſa contemplatione, tametſi contemplatio, quatenus pro ſpecie orationis ſumitur, optimus ſit religionis actus: Tum quia miſericordia, prout exprimitur hoc loco per vberum nomen (quod & amorem ſonat) nedum miſericordiæ opera continens, ſed & opera charitatis in proximos complectens, abſque vlla dubitatione præſtantior religione eſt, vt colli-

colligitur manifeſte ex illo Euangelij, quo, cum Scri-
a Marc. 12. 33. ba quidam dixiſſet: *a Diligere proximum tanquam ſeipſum, maius eſt omnibus holocauſtomatibus & ſacrificijs*: eius dictum approbauit & Dominus: ſic enim ſubijcit Euangeliſta: *Ieſus autem videns, quod ſapienter reſpondiſſet, dixit illi: Non es longe à regno Dei*: Tum quia, tametſi religio, & ipſamet contemplatio, abſolute loquendo, præſtantior miſericordia ſit ratione obiecti (vt ſcholaſticis vtar terminis) Miſericordia nihilominus propter frequentes, vrgenteſque neceſſitates proximi præſtantior eſt, quia & Deo pariter gratior: Vnde fit, vt opera religionis, & contemplatio pariter, quã optimam partem pronunciauit Ieſus, neceſſario, & recte omittenda ſint ſæpius propter opera miſericordiæ, vt colligitur ex ea Domini ſententia, qua apud Matthæũ
b Mat. 5. 23 dicitur: *b Si offers munus tuũ ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo*:
c Matth. 25. 34. & ex eo, quod in die iudicij *c* ex miſericordiæ exhibitione potius, quam ex actibus contemplationis ad dexteram gloriæ collocandi dicantur fideles, vt apud eundem habes Euangeliſtam.

Miſericordia licet non ſit melior contemplatione, ſe tamen pulchrior. Cant. 1. 2.

Secundo ponderanda bene ſunt verba, quibus in hac laude miſericordia præfertur vino contemplationis; dicitur enim ſignate: *Pulchriora ſunt vbera tua vino*: cum tamen diuerſimode ab ſponſa de ſponſi vberibus in cap. primo dictum ſit: *Meliora ſunt vbera tua vino*. Enimuero Dei vbera, diuinæ nimirum conſolationes, meliora prædicata ſunt vino; quia ſecundum omnem ſtatum vitæ tam præſentis, quam futuræ meliores, atque præſtantiores ſunt voluptatibus mundi, quæ per vini metaphoram ibi ſunt deſignatæ: At ſponſus non ait, piæ animæ vbera, eiuſue miſericordiam, eſſe meliora, ſed tantum *pulchriora vino* contemplationis: quia, tametſi ſecundum ſtatum præſentis vitæ, pulchritudine, quæ ſita eſt in quadam congruenti proportione, contemplationi præſtet aliquando, eique præferenda ſit, non tamen propterea ſequitur, miſericordiam ſimpliciter meliorem eſſe contemplatione, quæ per ſe optima eſt.

Simile. Bonum, & pulchrum quomodo differant, cum idem re vera ſint.

Hoc probari poteſt exemplo vini, cuius metaphora hic aſſumpta eſt: experientia enim probamus aliquod vinum & colore, & claritate alio pulchrius eſſe: cum re vera nihilominus illo non ſit melius ſecundũ ſubſtantiam, & ſecundum ſaporem, guſtum, atque virtutem: Hæc autem diuerſitas exinde prouenit, quod vinum ipſum diuerſimode conſideramus; etenim, quamuis bonum, & pulchrum idem ſint in ſubiecto, prout alias oſtenſum eſt ex Dionyſio: differunt tamen ratione; quia bonum proprie reſpicit appetitũ, at pulchrum proprie reſpicit vim cognoſcitiuam: pulchra ſiquidem ea dicimus, quæ viſa placent: Vnde colligitur, quod licet ſecundum naturam ſuam contemplatio ſit melior miſericordia; tamen, quatenus in hac vita miſericordia maiorem habet proportionem cum natura humana, quæ miſerijs ſubiecta eſt, atque etiam cum ipſo Deo, vt reſpicit hominũ miſerias, pulchrior ea aſſeritur vino contemplationis, cum omnis cognitio fiat per aſſimilationem. Pulchrior nedum hominum oculis, qui per illam vident, miſerijs ſuis ſubuentum iri, verum & oculis etiam Dei, qui in hominum miſerias ſunt ſemper coniecti, atque adeo in miſericordia, qua dictis ſubuenitur miſerijs, aſſimilatos ſibi vult homines, dum ait: *d Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter cœleſtis miſericors eſt.*

Dionyſ. de Diuin. nom. c. 4.

d Luc. 6. 36

Miſericordia magis, quam contemplatio lætificat, ac inebriat pulchritudine ſua.

Pulchriora etiam iſta piæ animæ vbera vino contemplationis dicuntur congruentiſſime: nam tametſi contemplatio, inſtar vini lætificet, gaudiumque exhibeat, & inebriet, mentiſue cauſet exceſſum multo efficacius, & melius, quam miſericordia; guſtu tamen hæc efficit, atque ſapore: vnde in Pſalmis dicitur, *e Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus.* & *f Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ & torrente voluptatis tuæ potabis eos*: Atque adeo eum ſolum lætificat, & inebriat, qui ei indulgens, ex guſtu gaudium percipiat,

e Pſ. 33. 9.
f Pſ. 35. 9.

A & ex ipſius potu inebrietur: Pulchritudine vero ſua, (licet hæc quoque ei non deſit) haud cauſat iſtiuſmodi effectus: vnde fit vt præter animam illam, quæ in ipſa potatur, nullus ſit, cui per ipſam immenſum illud voluptatis, & ebrietatis conferatur. At miſericordia ipſamet pulchritudine, quam extrinſecus & diuinis, & humanis exhibet oculis, quotquot eam viderint, lætitia perfundit. Tam ingens autem in ſe continet, aliiſue exhibet gaudium, vt ad illud exprimendum merito in libro Eccleſiaſtici ſit comparata paradiſo, his verbis, *g Gratia*, id eſt, eleemoſyna (vt apparet ex Græco) *ſicut paradiſus in benedictionibus, & miſericordia in ſæculum permanet*. Adeo iucunde illius conſpector eſt Deus: vt tamquam pupillam, & rem ſibi ma-
B xime gratam, quaſi in ipſis oculis ſuis eam conſernet, quo maiori, ac diuturniori voluptate ex ea perfundatur, prout in eodem libro Eccleſiaſtici ſignificatur his verbis: *a Gratiam*, id eſt eleemoſynam, & miſericordiam, *hominis, quaſi pupillam conſeruabit.*

g Ecc. 40. 17

a Eccl. 17. 18.

Miſericordia quomodo inebriet Deum.

Quod vero & ob id quoque pulchriora vino iſta miſericordiæ vbera aſſerat Deus; quia ſui pulchritudine ipſum inebrient, cum & illos quoque vniuerſos inebrient, quibus exhibentur fugenda, ex duabus ſacræ Scripturæ ſententijs ſimul iunctis facile confirmatur: ex loco illo Iſaiæ, quem in præcedenti etiam expoſitione retuli, vbi Dominus ad Iudæorum popu-
C lum ait: *b Adipe victimarum tuarum non inebriaſti me*: & ex altero Oſeæ, in quo idem Dominus dicit: *c Miſericordiam volui, & non ſacrificium*. Quæ verba ſic intelligit Auguſtinus lib. 10. de Ciuit. Dei, cap. 5. vt fiat comparatio ſacrificij ad ſacrificium: Per hoc enim, inquit, quod ſcriptum eſt: Miſericordiam magis volo, quam ſacrificium: nihil aliud, quam ſacrificio ſacrificium prælatum, oportet intelligi: quoniam illud, quod ab hominibus appellatur ſacrificium, ſignum eſt veri ſacrificij.

b Iſa. 43. 24
c Oſeæ 6. 6

Auguſt.

Porro autem miſericordia verum ſacrificium eſt teſtante Apoſtolo, qui ait: *d Benefacere, & communicatores eſſe, nolite obliuiſci, talibus enim ſacrificijs placatur Deus.*

d Heb. 13. 16.

D Adeo autem adipe iſtarum victimarum, iſtorumue miſericordię ſacrificiorũ pinguedine inebriatur Deus, vt quodammodo inſtar ebriorum à mente alienatum ob illorum efficaciam ſe exhibeat, aliud facto exhibẽs, quod contra illam ſuam ſit mentem, quam manifeſte ſæpius ſignificaſſet: cuius rei duo pro nunc ſufficiant exempla, alterum, oſtendens vim iſtam in miſericordia ſpirituali, alterum eamdem probans etiam in miſericordia corporali. Primum ex libro Exodi deſumitur, vbi Deus in verbis iſtis *e* (*Tu vade & duc populũ iſtum quo locutus ſum tibi, Angelus meus præcedet te*) prout colligitur ex cap. 33. verſ. 16. vbi dicitur Moſes Dominum
E ſic affatus: *f Si non tu ipſe præcedas, ne educas nos de loco iſto.* Ex quibus manifeſte apparet, Dominum Moyſi ſignificaſſe, eam tunc fuiſſe mentem ſuam, vt haud amplius ipſemet populi illius ductor eſſet, illum ſemper præcedẽs in igne, vel in nube: at Angelo id operis cõmiſſurum, vt loco ſui præcederet: paulo poſt in cap. 33. ipſo Moyſe ad miſericordiæ ſpiritalis opus confugiente, & ad orationem iſtam pro eodem populo, à quo compluribus affectus fuerat contumelijs, & dicente: *In quo ſcire poterimus ego & populus tuus, inueniſſe nos gratiam in conſpectu tuo, niſi ambulaueris nobiſcum, vt glorificemur ab omnibus populis, qui habitant ſuper terram?* Dixit Dominus hac miſericordia quodammodo inebriatus:
F *Et verbum iſtud, quod locutus es, faciam: inueniſti enim gratiam coram me.* Et in cap. 34. eodem Moyſe eiuſdem miſericordiæ potum ipſimet Deo propinante, & dicente: *g Dominator Domine, Deus miſericors, & clemens, patiens, & multæ miſerationis, & verax, &c. Si inueni gratiã in conſpectu tuo Domine, obſecro, vt gradiaris nobiſcum, populus enim duræ ceruicis eſt: & auferas iniquitates noſtras, atque peccata, noſque poſſideas*: quaſi ab huiuſcemodi miſericordia inebriatus & à priſtina illa mente alienatus, reſpondit: *Ego imbecillum videntibus cunctis, ſigna faciã, quæ numquam viſa ſunt ſuper terram, nec in vllis gentibus: at*

e Ex. 32. 34

f Ex. 33. 16

g Exod. 34. 6.

cernat populus iſte, in cuius es medio, opus Domini: Ego ipſe eijciam ante faciem tuam Amorrhæum, &c. & in lib. Leuitici; *h Ambulabo*, inquit, *inter vos, & ero Deus veſter, voſque eritis populus meus.* Alterum exemplum, ſeu potius altera eiuſdem rei comprobatio deſumitur ex libro Danielis: *i* nam cum idemmet Deus per ſomniũ, atque etiam per ſomnij interpretationem mentem ſuam notificaſſet, qua Nabuchodonoſor è regno eijci volebat, atque cum beſtijs commorari per ſeptem annos: Daniel edocens Nabuchodonoſor, qua ratione Deum ipſum ab huiuſcemodi mente poſſet alienare, misericordia vt illũ inebriaret ſuaſit, dicens: k *Quamobrem Rex conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum: forſitan ignoſcet delictis tuis*: ac ſi dixiſſet: Miſericordiam vnicum ac potentiſſimum tibi propono remedium: hac noui inebriari ſolitum Deum: forſitan & tu pariter per illam inebriare ipſum poteris, ſicque ab ea, quam tibi ſignificauit, mente eum remouere, & flectere, vt ignoſcat delictis tuis.

h Leuit. 26. 12.

i Dan. 4.

k Dan. 4. 24

10 *Miſericordia cur vnguentorum nomine appellata.*

Tertiam denique laudem in præſenti ſpiritualium vberum, & miſericordiæ piæ animæ encomio vltimis ijs adiicit verbis: *Et odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata*: in qua tamen vnica eximij odoris laude ex duobus ipſam extollit, ambobus præſtantiſſimis. Primo enim ſubindicat, tanto eam ſibi fragrare odore ſuauitatis; vt vnguenta ipſa eſſe videatur, atque adeo vnguentorum nomine eam appellat, & non vnius vnguenti, ſed plurium vnguentorum: vt deſignet, ita ſibi illam eſſe ſuauem, ſicut ſuaue erat thymiama illud pretioſiſſimum, ex pluribus vnguentis compoſitum, quod ſuper altare thymiamatis ſibi adolebatur.

Miſericordia dicitur ipſemet odor.

Porro, quod nedum vnguentorum, ſed & ipſiuſmet odoris nomine ob ſuauiſſimam ſui fragrantiam ipſa miſericordia recte appellata dicatur, teſtis eſt Apoſtolus Paulus in epiſtola ad Philippenſes, vbi ait:

l Phil. 4. 18

l Repletus ſum acceptis ab Epaphrodito, quæ miſiſtis, odorem ſuauitatis, hoſtiam acceptam, placentem Deo. Quibus in verbis duo ponderanda ſunt: primum, quod non dicit, quæ miſiſtis *in odorem ſuauitatis*, ſed odorem ſuauitatis, ac ſi miſericordia, & eleemoſyna illa, quam miſericordia miſerant, ipſemet eſſet odor ſuauitatis per antonomaſiam. Secundum, quod illam ipſam appellat hoſtiam acceptam, & placentem Deo. Quam vero accepta, & placens Deo ſit hoſtia, exinde colligitur, quod in libro Exodi de altari thymiamatis dicitur: *m Sanctum Sanctorũ erit Domino*: Super quæ verba egregie ait Caietanus, communicari hoc epitheton dicto altari, ad ſignificandum excellentiam ſanctitatis eius ſuper omnia, quæ erant in loco, qui dicitur Sanctum: Super omnia etenim, quæ in anima ſancta ſunt virtutum, miſericordia excellit ſanctitate, ſicut & miſericordia Dei ſuper omnia opera eius: quod alia metaphora ſcriba ille ſignificauit in Euangelio, cum diceret: *n Diligere proximum tamquam ſeipſum maius eſt omnibus holocauſtomatibus, & ſacrificiis*: quicquid enim virtutis anima operatur; tamquam ſacrificium quoddã Deo illud offerat neceſſe eſt, vt acceptabile ſit, & diuinam redolens gratiam, & totum id offerat operæ pretium eſt in holocauſtum: nam ſi pars eius aliqua Domino ſubtrahatur, haudquaquem id eſſe ei poteſt acceptabile, & placens. Iure autem optimo dicitur maius holocauſtomatibus, & virtutum actibus diligere proximum ſicut ſeipſum, cuius probatio ipſa eſt miſericordia, & beneficentia, quia magis redoleat in naribus Domini, vt probatum eſt ſupra, quando oſtenſum eſt, miſericordiam ipſam contemplatione præſtantiorem eſſe atque religione: idque hoc eſt, quod ſponſus deſignat his verbis: *Et odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata*: Æque eſt enim, ac ſi dicat.

Miſericordia hoſtia acceptabilis Deo.

m Exo. 30. 10.

Miſericordia præſtantior omnibus.

n Marc. 12. 33.

Paraphraſis.

Tametſi vniuerſi, quos exhibes, multiplicium virtutum actus ſuaui mihi fragrent odore: atque adeo ij, quibus prædita es, eãrum virtutum habitus aromata iure appellentur; *odor* tamen vberum tuorum, & miſericordiæ tuæ, eſt & plura vnguenta, & vnum vnguentum plura in ſe continens vnguenta, ingenti ſuauitate eſt *ſuper omnia* dicta *aromata*, vtpote mihi fragrantior.

Miſericordia piæ animæ cur Deo ſit fragrantior omnibus virtutibus.

Rationem porro ſi quis inquirat, cur Deo fragrantior omnibus virtutum aromatibus ipſa ſit miſericordia, ea illa eſt, quod odor iſtius miſericordiæ, quæ hoc loco commendatur in pia anima Dei ſorore, ac ſponſa, odor eſt ipſiuſmet Dei, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere: eatenus namque talis anima miſericordiam exhibet in odorem ſuauitatis, quatenus in medio ſuæ ipſius pietatis, ac vberum ſuorum, & naturalis miſerationis Deum collocatũ defert vt faſciculum myrrhæ, vtque exhibentem hominibus immenſam miſericordiam per incarnationem, paſſionem, ac mortem; & vt botrum Cypri ob eamdẽ miſericordiam Euchariſtiæ Sacramentum eiſdem concedentem: atque ab ipſo, quem in medio ſui defert, faſciculo myrrhæ, ac botro Cypri tali perfunditur odore, vt vbera ipſa ſua & odorem diuinæ miſerationis redoleant, & vnguentorum nomen adipiſcantur. Enimuero potiſſima ratio, qua talis anima ad miſericordiam exhibendam promouetur, ea eſt, vt propter Deum miſeris ſuccurrat hominibus, pro quorum ſubleuanda miſeria tantas recolit Deum ipſum exhibuiſſe miſerationes, vt carne aſſumpta mortem pro illis ſubierit, ipſamque carnem ſuam illam, quæ morti ſubiecta fuerat, ac totum ſeipſum in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, cuius typum botrum Cypri gerere oſtenſum eſt ſupra in expoſ. 3. verſ. 13. cap. 1. eiſdem reliquerit præſtantiſsimum miſericordiæ monumentum. Vtque iſtam ipſam Dei miſericordiam in ſe repræſentaret, miſericordem ſe exhibens, Deoque per id ſe aſsimilans, iuxta illud: *Eſtote miſericordes ſicut, &c.*

Ad miſericordiam exhibendam vnde potiſsimum prouocemur.

Miſericordia etiam apud homines exiſtimatur præſtantior omnibus alijs virtutibus.

Alterum, quod in his verbis (*Et odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata*) idem cœleſtis ſponſus ſubindicat, eſt, quod ipſa piæ animæ miſericordia etiam apud homines ſuper omnes aliarum virtutum actus, quæ aromatum inſtar de ſe odorem emittunt, eſſe cenſeatur, omnibuſue virtutibus præſtantior exiſtimetur; præſtantior, inquã, in duobus, in remedio pro illis, quibus actus exhibetur, & in odore boni nominis, quod longe, lateque etiam apud vniuerſum populum ex ipſa eius remedij exhibitione ſuſcitatur. Propter hos duos quippe effectus vnguentorum vocabulo miſericordia exprimitur, quia non inſtar vnius duntaxat vnguenti, quod vnius morbi remedium ſit: Sed inſtar plurium vnguentorum in multiplicibus operibus ſuis tam corporalibus, quam ſpiritualibus omnibus proximorum morbis pro remedio, & medicamẽto inſeruiat opportuniſsimo, omnibuſue eorundem neceſsitatibus ſubueniat: Et quia diuinum quemdam ex ſe ſpiret odorem, fragrantiſsimum bonæ famæ nomen miſericordi caufet animæ, iuxta illud Prouerbiorum: *a Qui pronus eſt ad miſericordiam, benedicetur*, id eſt bono nomine de illo loquentur, bene audiet: *De panibus enim ſuis dedit pauperi.* Et illud Eccleſiaſtici, *b Splendidum in panibus benedicent labia multorum, & teſtimonium veritatis illius fidele*: & alia, quæ relata ſunt ſupra in expoſ. 3. verſ. 5. huius capitis 4. Vide ibi: Vide etiam S. Thomam 2. 2. quæſt. 30. art. 4. vbi probat, miſericordiam præſtare virtutibus vniuerſis, quæ ad proximum ſpectant.

Miſericordia cur appelletur vnguenta.

Miſericordia cauſat bonũ nomen magis quam vlla alia virtus.

a Pro. 22. 9

b Eccl. 31. 28.

S. Thom.

Breuis, ac Paraphraſticus dictorum ſenſus huiuſmodi eſt, vt Deus ipſam obſtupeſcens piæ animæ miſericordiam, exclamet.

O anima, quæ mihi, & *ſoror* propter gratiã, & *ſponſa* es propter charitatem, *quam pulchræ ſunt* ſpirituales *mammæ* iſtæ *tuæ* miſericordia, ac beneficentia! Tantam ſane in te conferunt ſpiritalis pulchritudinis, ſanctitatis, & perfectionis excellentiam; vt quaſi quoddam perfectionis miraculum mihi quoque ſui inijciãt ſtuporem, vtpote ſimilitudinem non exiguam meæ præſeferentes pulchritudinis, atque perfectionis. Neque vero ob id, quod miſericordia, vt ad actionẽ ſpectans,

Paraphraſis. *Philo Carp. Greg. PP. Richard.*

ctans, ab ea, quæ optima pars eſt, contemplatione aliquando te remoueat, aliquando minui arbitreris ingentem iſtam eius pulchritudinem: Quinimo hoc tibi perſuadeas velim, *vbera* iſta miſericordiæ tuæ *pulchriora* contemplatione ipſa eſſe, quæ deſignatur per vinũ, quatenus inſtar vini lætificant, tolluntq; in altum contẽplatiuos: *pulchriora*, inquam; quia externa ipſa ſui oſtenſione magis intuentiũ ad ſe & oculos alliciunt & animos; *Pulchriora*, quia magis præsẽtis vitæ neceſsitatibus opportuna; *pulchriora*, quia neceſſariora. *Pulchriora*, non tamen meliora; quia, etſi contemplatio inſtar vini lætificet, & inebriet, ſapore tamen, & guſtu hæc efficit, non pulchritudine, extrinſecus apparente: At vbera iſta tua nedum homines, ſed & me pariter pulchritudine, & exhibitione ſui mirum in modum gaudio perfundunt, ſicque inebriant, vt quoad fieri licet, à mente quodammodo alienatum me reddant. Tantus inſuper eſt horum vberum miſericordiæ *odor*, vt vnguenta ipſa eſſe videantur, inſtar thymiamatis illius, quod ex pluribus vnguentis compoſitum ſuper altare mihi adolebatur in ſancto. *Vnguentorum* nomine inſignita ea ſunt; quia me inter ipſa defers vt faſciculum myrrhæ, & vt botrum Cypri, qui ob immenſam miſericordiam itidem vnguentum effuſum appellor: atque adeo, cum in illis meum ipſum oleam odorem, is certe eorum odor mihi ſuper omnes virtutũ actus, ac habitus eſt; tametſi & illæ ſuaueoleant, atque etiam aromata ſint nuncupandæ. Hominibus quoque eorum ſpectatoribus vnguenta cum ſint: tum quia inſtar vnguentorum, multiplicium miſeriarum ægritudinum remedia præſtant, tum quia præſtantiſsimã beneolentis nominis fragrantiam excitant: *odor* profecto illorum eſt *ſuper* omnes actus aliarum virtutum, & apud illos fragrantem, & honoratam te reddit magis, quam vllæ aliæ virtutes.

Orginalia Hebræa, & Græca legunt: *Quam pulchræ factæ ſunt mammæ tuæ, & pulchriora facta ſunt vbera tua vino.* Progreſſum piæ animæ ſubinnuere videntur, quem fecit in ipſa miſericordia, quæ etiam ſuperius verſ. 5. commendata fuerat.

Verſ. X. cap. IV. *Quam pulchræ ſunt mammæ tuæ, ſoror mea ſponſa: pulchriora ſunt vbera tua vino, & odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata.*

Expositio IIII.

De tertia Sponſa, quæ eſt Beata Virgo Maria.

11 *Vbera Mariæ miraculum pulchritudinis.*

SI pulchrum id eſt, quod intuentium allicit oculos, & vna cum intuentibus oculis allicit & corda, & animos; vnde καλὸς ἀπὸ τῆ κλεῖν Græco vocabulo nuncupatũ eſt: adeo ſane pulchra in Chriſti oculis B. Mariæ vbera exiſtunt, vt merito illa admiretur quaſi miraculum quoddam pulchritudinis, quando Virgo benedicta, pro peccatoribus preces fundens, ea ſibi oſtendit, quibus virgineo eum lacte nutriuit: ac merito ab illis allectus obſtupeſcens, exclamet: *Quam pulchræ ſunt mammæ tuæ.*

Vbera Mariæ flectunt quodammodo violenter Chriſtum ad miſericordiã.

Porro verbis hiſce nedum ea vbera præſtantiſsimo pulchritudinis encomio euehit Chriſtus eius filius ſimul & ſponſus: at inſuper, dum eodem tempore Virginem ipſam ſororem ſponſamque ſuam nuncupat, ſignificat, ſe allici quidem ad eius preces exaudiẽdas ex eo, quod ſoror ſua ſit ob plenitudinem gratiæ, qua præ omnibus hominibus decorata, magis etiam, quam cæteri vniuerſi, conſors ſibi eſt diuinæ naturæ: & ex eo etiam, quod ſponſa item ſua ſit ob immenſam charitatem, qua arctiſsimo ſibi iuncta eſt vinculo: At per ea, quæ in precibus ipſis oſtendit vbera, vnde ipſe lac ſuxit, nedum allici, ſed & quaſi prædulci quadam violentia flecti.

Vbera Mariæ efficacia qua vinũ iuſtitiæ diuinæ.

Confirmant autem hæc peregregie, augentque eorumdem vberum laudem ea, quæ ſubijcit: *Pulchriora ſunt vbera tua vino.* Pro quorum intelligentia ſupponendum, vini nomine hoc loco iuſtitiam Dei deſignari, qua peccatores in indignatione, & furore puniuntur: quomodo idem vini vocabulum ſæpius in ſacris litteris vſurpari ſolitum oſtendi ſupra in expoſit. eorum verborum: *Quia meliora ſunt vbera tua vino.*

Hoc ſuppoſito, apparet, verbis iſtis noua alia ratione cœleſtem ſponſum mirabilem illam, quam in præcedenti parte huius encomii extulit, comprobare, & efferre vim vberum Mariæ, quæ illa oſtendit, dum pro peccatoribus ſupplicat. Quæ ſane ratio in eo ſita eſt, quod tantum virium in ijs ſit vberibus, vt efficacius ad miſericordiam ipſum alliciant, quam vinum diuinæ indignationis alliciat ad iuſtitiam. Ac bene non dixit: *Meliora vbera tua vino*: Hoc enim pacto vbera duntaxat Dei commendanda ſunt, prout viſum eſt in loco citato capitis primi, quia re vera vbera miſericordiæ diuinæ meliora, ac præſtantiora ſunt vino indignationis & iuſtitiæ itidem diuinæ, iuxta illud: *a Miſericordia ſuperexaltat iudicium*, prout fuſius probatum eſt in cap. primo expoſ. 3. illorum verborum, *Memores vberum tuorum ſuper vinum.* At re vera vbera ipſa Mariæ Virginis, tametſi maximam præſeferant miſericordiam: cum tamen ſint creata & finita, meliora prædicto vino dici nullatenus poſſunt: quia creati ad increatum, & finiti ad infinitum non eſt comparatio. Dixit autem præciſe: *Pulchriora ſunt vbera tua vino*: ad amplificationem efficaciæ vberum tantæ Virginis in vi alliciendi, quæ vis eſt propria pulchritudinis. Et ratio iſtius tam grandis efficaciæ eſt: quia Chriſtus Dominus talium vberum oſtenſione propoſitum ſibi intelligit maximum id diuinæ miſericordiæ opus, quo ad ſatisfaciendum diuinæ indignationi, atque iuſtitiæ, ipſemet, cum in forma Dei eſſet, exinaniuit ſemetipſum, formam paruuli atque lactentis accipiens, factus obediens vſque ad mortem.

a *Iacob. 2. 18.*

12 *Vbera Mariæ orantis pro peccatoribus lætificant Chriſtum magis quam vinum diuinæ iuſtitiæ.*

Nec modicum energiæ ad iſtam horum vberum efficaciam amplificandam addit metaphora vini, quæ aſſumpta hoc loco eſt, ad deſignandam indignationem, & iuſtitiam Dei: per eam namque duo inſignes ſignificantur effectus, quibus efficacius mouetur Chriſtus Ieſus à Mariæ vberibus, quam ab ira, & iuſtitia diuina: Iſti vero ſunt duo præſtantiores, & vehementiores vini effectus, lætificatio, atque inebriatio. Enimuero, quamuis vino diuinæ indignationis lætificatum nouerimus Chriſtum Dominum ex illo Pſalmi: *b Lætabitur iuſtus, cum viderit vindictam, manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris*: eo ſcilicet modo, quo victores exultãtes facere ſolent in ſanguine hoſtium: Multo tamẽ magis lætificatur pulchritudine vberum Mariæ ſibi exhibita, quando per illa allicitur ad miſericordiam præſtandam eidem peccatori, iuxta illud, quod ipſemet ex duabus propoſitis parabolis ouis, ac dragmæ deperditæ intulit, dicens: *c Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente*: & illud Patris filij prodigi de lætitia facta pro filio redeunte, *d Epulari, & gaudere oportebat, quia hic mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus eſt.* In eundem modum tametſi vino diuinæ indignationis inebriatum ſciamus Chriſtum, ſicut inebriatum eodem vino nouimus Deum, & per iſtam ebrietatem ab ea mente alienatum, qua benefacere, & beneficia beneficijs addere ſatagebat, vt colligitur ex illo Pſal. 77. vbi poſt multa enumerata beneficia, quæ Deus Iudaico populo contulerat, poſt enarratam eiuſdem populi ingratitudinẽ, qua Deum vino indignationis affatim potauerunt,

b *Pſal 57. 11.*

c *Luc. 15. 7.*

d *Luc. 15. 2.*

c Pſal. 77. 58. uerunt, ijs verbis: *c In iram concitauerunt eum in collibus ſuis, & in ſculptilibus ſuis ad æmulationem eum prouocauerunt*: paulo poſt ſubiicitur: *Et excitatus eſt tamquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus a vino*: In libro Deuteronomij ad id ipſum ſignificandū, a Deut. 32. 42. quit Deus, *ſagittas meas ſanguine, & gladius meus deuorabit carnes*: Inebriatus nimirum ipſe vino indignationis. Nihilominus hoc quoq; in effectu efficaciora ſunt vbera B. Mariæ, ipſi oſtenſa in eius ſupplicatione pro peccatoribus exhibita: inebriatur ſiquidem Chriſtus amore, & charitate ex eorum aſpectu, talique inebriatur ebrietate; vt à mente illa ſua, qua puniri volebat peccatores, alienetur quodāmodo placatus, & ad aliam mentem traductus, qua eiſdem, nedumparcere, ſed & gratias inſuper conferre decernat: ita vt propterea admodum congruenter ea Salomonis verba vſurpare nobis liceat, iſtiuſmodi dulciſſimā ebrietatem Domino exoptantibus: b Prou. 5. 19. *b Vbera eius* (Mariæ, ſororis, ſponſæ, matriſque tuæ) *inebrient te in omni tempore, in amore eius delectare iugiter.*

Vbera Mariæ orantis pro peccatoribus quomodo Chriſtum inebrient.

13 In tertia denique huius encomij parte, qua dicitur: *Et odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata*: aliam cœleſtis ſponſus affert rationem confirmantem id, quod in prima parte ſignificarat, ab vberibus Mariæ ſibi ab illa oſtenſis, dum preces pro peccatoribus funderet, ita ſe allici, vt quaſi cum quadam violentia ad compaſſionem, & miſericordiam flecti ſe ſentiat, ſimulque & tertiam in eadem vbera confert laudem. Pro iſtorum autem intelligentia, duo prænotanda ſunt. Primum, id, quod manifeſte in libro Apocalypſis c expreſſum eſt, præterquam quod & in alijs quoque ſacræ Scripturæ locis ſignificatum idipſum eſt, aromatum, & vnguentorum metaphora deſignari orationes Sanctorum, non ſolum, quia inſtar aromatum igne ſuccenſorum, in altum eleuantur, iuxta illud Pſalmi: d Pſ. 140. *d Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in cōſpectu tuo*: verum etiam quia eædem, dum pro peccatoribus ad Deum eleuantur, efficiunt, ne ipſorum peccatorū ſcelera ſic Deum ſuo lædāt fœtore, vt illico eos de medio tollat: quin potius ipſæ ſui fragrantia illum delinientes eumdem ad ipſis parcendū commouent: videmus enim quotidie, aromatum ſuffitus, & odoramenta in locis graueolentibus adhiberi, eaque efficere odore ſuo, ne loci illius offendat graueolentia.

c Apoc. 5. 8 *Orationes cur dicantur vnguenta, & aromata.*

Vbera Mariæ ſunt oratio efficaciſsima. Secundo notandum, multo efficaciorem plerumque ad commouendos aliquos ſiue ad compaſſionem, ſiue ad indignationem, vel affectum alium eam eſſe orationem, quæ facto aliquo, ſeu alicuius rei fit exhibitione, quam quæ fit voce, & precibus, atque lacrymis: id quod præclare aſſerit Quintilianus lib. 6. cap. primo, paulo ante medium, his verbis: Non ſolum dicendo, ſed & faciendo quædam, lacrymas mouemus: vnde & producere ipſos, qui perçlitentur, ſqualidos atque deformes, & liberos eorum, ac parentes, inſtitutum: & ab accuſatoribus oſtendi cruentum gladium, & lecta è vulneribus oſſa, & veſtes ſanguine perfuſas videmus, & vulnera reſolui, ac verberata corpora nudari. Quarum rerum ingens plerumque vis eſt, velut in rem præſentem animos hominum ducentium. Et populum Romanū egit in furorem prætexta C. Cæſaris prolata in foro cruenta. Sciebatur interfectum eum, corpus denique ipſum impoſitum lecto erat: veſtis tamen illa ſanguine madens ita repræſentauit imaginem ſceleris, vt non occiſus eſſe Cæſar, ſed tum maxime occidi videretur. His annotatis, tria apparent eſſe, quæ in his verbis, (*Et odor vnguentorū tuorum ſuper omnia aromata*) ſignificantur, vnaque tertiam laudem, & eam triplicem conferri in B. Mariæ vbera.

Quintilia.

Vbera Mariæ quomodo ſint vnguenta pretioſſima. Primo enim vnguētorum nomine decorantur, quo ſignificetur, ipſa eo pacto pro peccatoribus filio oſtenſa, talem eſſe orationem, ſeu B. Virginem ſuam ipſam, quam pro peccatoribus fundit orationem, talem reddere per illorum oſtenſionem, vt inſtar thymiamatis ſacri illius, quod ex pluribus vnguentis confectum in odorem ſuauitatis Deo offerebatur in Sancto, omnem iniquorum illorum, pro quibus orant, fœtorem ab ipſis Dei auertant naribus, ſuaque iucundiſſima fragrantia eum deliniant.

Secundo, iſta ipſa vbera, quatenus hoc pacto vnguenta Mariæ ſunt, talem eſſe orationem: vt & in fragrantia, & in efficacia omnibus alijs aromatibus, omnibuſue aliorum Sanctorum orationibus quantumlibet fragrantiſſimis ſint præſtantiora.

Vbera Mariæ apud Chriſtum ſunt efficaciora omnibus aliorum Sanctorum orationibus. Tertio demum, dum non ſimpliciter ait: *Et vnguenta tua ſuper omnia aromata*: ipſam indicat rationem, quare præſtantiora ea ſint omnibus aromatibus, & omnibus aliorum Sanctorum orationibus, & vnde tantum habeant efficaciæ; nimirum quia odorem ipſiuſmet referant, quem inſtar faſciculi myrrhæ, & botri Cypri in medio ipſorum B. Virgo iam diu geſtarat in carne paruulum, ac lactentem tunc temporis, quando apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris noſtri: hanc ſiquidem immenſam ſuam in peccatores bonitatem, atque miſericordiam, illumque ipſum ſtatum exinanitionis ſuæ, quo tam eximiā mundo exhibuit miſericordiam, vt pro inimicorum, ac peccatorum ſalute infantilibus neceſſitatibus, & humanis miſeriis ſe expoſuerit, tamquam præſentem per illorum oſtenſionem ſibi propoſitum indicat, eiuſdemque miſericordiæ, ac benignitatis ſuæ odorem à longe exhibitum aſſerit.

Paraphraſis. Quod igitur in toto hoc encomio dicitur, tale eſt.

Quam pulchræ ſunt mammæ tuæ, Virgo benedicta: Admiror ſane illa vt inſigne pulchritudinis miraculum: nam tametſi me ad te allicias, & per id, quod ob plenitudinem gratiæ *ſoror mea es*, & per id pariter, quod *ſponſa* mihi es, vnita per ſingularem charitatem: dum tamen in precibus ijs, quas fundis pro peccatoribus, illa mihi oſtentas vbera, ita ab ipſis allicior; vt propemodum violenter ad miſericordiam præſtandam me ſentiam deflecti. *Pulchriora* ſane ea *ſunt vino* indignationis, & iuſtitiæ meæ, & efficaciora in vi alliciendi, quæ propria eſt pulchritudinis: atque adeo violentius ipſa me pertrahunt ad miſericordiam, quā indignatio ad punitionem peccatorum, pro quibus oras: quin, licet iuſtitia inſtar vini me & lætificet, & inebriet, efficacius nihilominus ab hiſce vberibus tuis mihi oſtenſis, & ex pulchritudine illorum gaudio perfundor, & inebrior ita, vt quodammodo à priſtina, qua eidem iuſtitiæ addictus eram, quaſi ebrius mea aliener mente: ſunt inſuper & vnguenta, & oratio efficaciſsima, cum illa mihi in tuis oſtendis precibus: abigunt enim omnem fœtorem peccatorum, pro quibus ipſa oſtendis, ſuaque efficacia vniuerſas aliorum Sanctorum ſuperant orationes, quarum fumus inſtar aromatum ad me eleuari ſolet: totamque vim iſtam exinde habent, quod, vnguenta cum ſint, odorem mihi referunt meum ipſum, quem tunc de me emiſi, quando pro mea in homines miſericordia vnguētum exinanitum factus, paruulus ac lactens in illorum medio baiulatus à te fui.

Verſ.

Vers. X. cap. IV. *Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa: pulchriora sunt vbera tua vino, & odor vnguentorum tuorum super omnia aromata.*

Appendix Expositionum, Ex antiquis Patribus collecta.

14 PAraphrasis Chaldaica: Quam pulchræ sunt super me dilectiones tuæ, soror mea cœtus Israel, quæ comparata es sponsæ pudicæ: quam bonæ sunt super me dilectiones tuæ magis, quam Septuaginta nationum; & nomen bonum iustorum tuorum fragrantius est omnibus aromatibus.

Vbera Ecclesiæ sunt eius doctrina, doctores, & charitas. Gre. Nyss. Theodorit. Pſellus. Anſelm. Caſsiodor. Iust. Orgel. Beda. Greg. PP. Philo Carp. Richard. Vict.

Tres sunt præcipui veterum Patrum sensus encomij huius mamarum, & vberum sponsæ: Quidam enim per Ecclesiæ mammas illius intelligunt doctrinã, vt Gregorius Nyssenus, Psellus, Theodoritus, atque Anselmus: Quidam eos, qui doctrinã ipsam fundunt, Doctores, vt Cassiodorus, Iustus Orgelitanus, & Beda: Quidam charitatem per eadem Ecclesiæ, aut piæ animæ vbera designatam accipiunt, seu etiam misericordiam, atque compassionem, vt Gregorius Papa, Philo Carpathius, atque Richardus de Sancto Victore: In modo tamen explicãdi in singulis fere istorum Patrum diuersitas reperitur, quæ notanda sit.

Gre. Nyss. Profectus doctrinæ Ecclesiæ admirationem Deo causat.

Quoad primum namque sensum Gregorius Nyssenus hom. 9. existimat, hic à cœlesti sponso commendari ipsam Ecclesiæ doctrinam, & fontes bonorum dogmatum ex profectu, & augmento, quo in illis creuit Ecclesia per id, quod soror ipsius extiterit per bonorum operum effectionem; & renouata ad virginitatem per supernam generationem sponsa eius sit: augmentum autem istud talium vberum in eo situm, quod ea non amplius lac fundant nutrimentum infantium, & imperfectorum; sed vinum fluant immortale, doctrinam scilicet immortalitatis, ad lætitiam eorum, qui perfectiores sunt, iuxta lectionem Sept. quæ habet: *Pulchra sunt vbera tua à vino.*

Profectus doctrinæ in quo sit.

Pſellus.

Alio pacto exemplificat Psellus, ait enim: Prius vt rudiores docebat eos, vt Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum vnum Deum adorarent. Quod quidem erat veluti doctrinæ lac: nunc autem monet, vt modestiam, castitatem, temperantiam amplectantur, vt iustitiam diligant, quæ quidem sunt veluti doctrinæ vinum.

Theodorit.

Consentit & Theodoritus, dum id quod iuxta versionem Septuag. dicitur, *à vino*, non sumit comparatiue, id est, plusquam vinum, prout notauimus in prima expositione; sed effectiue, & causaliter, id est, ex vino, & per vinum: Ex vino enim spiritali, inquit, & mystico populo maiorem hauriunt pulchritudinem dicta vbera.

Doctrina Ecclesiæ vnde habeat pulchritudinem.

Anselmus eandem doctrinam præferri inquit doctrinæ, & sapientiæ mundi, quæ vinum dicitur.

Doctrina, & Doctores Ecclesiæ sunt præstantiores doctrina legis.

Quod secundũ sensum, Cassiodorus eatenus Sanctos Doctores mammas Ecclesiæ dictos censet, quatenus simplici doctrina humiles nutriunt. Hæc vbera vino præferri ait: quia initium prædicationis Euangelicæ eorum præcellit legalem doctrinam instar vini asperam: eandem vero laudem hic, inquit, conferri in vbera Ecclesiæ, quæ in principio huius Cantici in Christi vbera collata fuerat; vt per hoc vnitas Christi, & Ecclesiæ commendetur.

Beda.

Pusillos docere quãti sit apud Deum.

Addit his Beda, recte cœlestem sponsum pulchritudinem in sorore, & in sponsa sua laudare, mirarique mammarum: quia magni apud Deum operis, & admirandæ virtutis, cum is, qui ad reuelanda perfectioribus altiora veritatis arcana sufficiens est, nequaquam infirmos primis fidei rudimentis instituere fastidit.

A Recte, inquit, talem animam sororem sibi, ac sponsam Dominus esse testatur: quia nimirum sua eum dilectione, ac coniunctione dignissimam iudicat, quam sui operis imitatricem fieri considerat: Nam & ipse, vt nos de infirmis fortes faceret, infirmari ad tempus, imo & mori, vt nos viueremus non refugit. Ipse, cum esset panis Angelorum in diuinitate, lactescere voluit per assumptionem carnis, vt hominum pusillanimitatem nutriret, ac panis eiusdem cælestis exhiberet capacem.

15 *Greg Pap.*

In explicatione tertij sensus Greg. Papa per piæ animæ, seu Ecclesiæ mammas duplicem significatam inquit dilectionem, Dei, & proximi: per quas mens B sancta omnes sensus suos suaui dilectione nutrit, dum Deo suo charitatis tenacitate conglutinatur; & proximis, si quid vtilitatis habet, quando licet, libenter impendit. Per vinum curam temporalem exprimi ait, qua mẽs sæcularis ita inebriatur, vt ad inuisibilia cognoscenda pæne insensibilis reddatur: Hoc vino pulchriora dici dicta vbera, quia id necat, ea nutriunt: illud oculos mentis turbat, ea acuũt: illud apostatare facit etiam sapientes, ea ipsos idiotas sapientissimos efficiunt.

Charitatis vbera sunt præstantiora vino curæ temporalis.

Philo Carp.

At Philo Carpathius, iuxta versionem Sept. duo vbera prædicta pulchriora dici ait, *à vino*: quoniam duo C præcepta charitatis, & duæ dilectiones, Dei, & proximi à sanguine Iesu Christi, & ab immẽsa Spiritus sancti charitate pulchra effecta sunt: prius enim ipse dilexit nos, indeque verus est amor noster omnis, & perfecta charitas in sponsum, & proximum quemque nostrum: inde perfecta, & accepta sunt opera nostra omnia: charitas quippe vis est, & forma, atque perfectio nostrarum actionum omnium.

Charitas nostra vires habet à sanguine Christi.

Richard.

Aliter Richard, quippe qui per duo piæ animæ vbera sumens duplicem illius compassionẽ, corporalem, & spiritualem erga proximum, per vinum intelligens rigorem illum iustitiæ, qui plurimũ Deo placet & animã ornat, merito, inquit, hic pulchra prædicari istiusD modi vbera in sponsa: quia per hæc ad Dei similitudinem, cui proprium est misereri semper, & parcere, tantum proficit, quantum ipse nouit perfecte compati, & opem ferre: merito etiam huiusmodi vbera præferri vino, quatenus misericordia supra exaltatur iudicium.

Misericordia & compassio præstantior vino rigoris iustitiæ

16 *Tres Patres. Contemplatio & Actio vt piæ animæ vbera, vnde habeant pulchritudinem.*

Præter tres istos magis vulgatos sunt insuper & alij Patrum sensus eorumdem verborum: Nam Catena trium Patrum apud Theodorit. per vbera piæ animæ speculationem, & actionem accipiens, quibus verbis & moribus tamquam infantes anima eas ad pietatem alit, quas instituendas suscepit: Hæc myrifice, ait eE fecta sunt pulchra ex diuinitate gratis eidem animæ concessa, à qua tanquam à vino ea efferuntur tum per assiduam veritatis cognitionem; tum per firmam boni effectricem fidem.

Mammæ Ecclesiæ significant nuptias, vbera vero virginitatem.

Aponius vt diuersa, ac distincte posita accipit mammas, atque vbera Ecclesiæ: mammas enim referri ait ad fœcunditatis benedictionem: vbera vero ad Virginitatis gloriam: Quibus duobus Ecclesia tempore apparitionis Christi pulchra ostenditur, eo quod quotidie concipit, quotidie parit, quotidie lactat, & Virgo est: quod & per Mariam factum.

Rup. Abb. Incarnatio Christi præstantior plasmatione primorum parentum nostrorum.

Denique Rupertus Abbas per hoc, quod B. Mariæ dictum à Christo est: *Quam pulchræ sunt mammæ tuæ!* F ipsius Christi Incarnationem pulchriorem significari ait plasmatione primorũ parentum: Valde enim pulchrius, inquit, de vtero mulieris absque viro virum facere, quam tunc de terra virum, & de costa viri mulierem fecisse: illic namque mulier de viro facta est, quæ perdat, hic de muliere vir factus est, qui perdita saluet.

Commendari vero hanc pulchritudinem per hæc verba, ac si dicat Christus: Pulchritudo operis Incarnationis iucundius spectatur in mammis, siue vberibus tuis, quãdo iam peracta est species tantæ pulchritudinis, quando iam natus lactor mammis tuis, mammis femineis, vberibus virgineis.

Per

Vbera virginea pulchriora vino luxuriæ, vnde vbera alia habent, vt lactent.

Per vinum, quo eadem vbera virginea pulchriora dicuntur, luxuriam ſignificari ait, ex illo Apoſtoli: *a Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria*: Sine cuius vini ebrietate nulla vbera tumeſcere poſſunt, atq; lactare. Fieri autem iſtam comparationem vberum virgineorum ad luxuriam, quæ non eſt res pulchra, per figuram tapinoſim, ſtatum rei magnæ dictis infirmantem: ac ſi dicatur: Magna res eſt virginitas, ſiue integritas vberum, me filium lactantium, nec ſatis laudatur hæc tam pulchra res, dum re maritali, ſiue coniugali pulchrior eſſe prædicatur, ſcilicet lactatione filiorum, quorum vinum eſt, id eſt luxuria, quæ in vino eſt.

a Eph. 5.18

Circa alteram huius ſententiæ partem illam, *Et odor vnguentorum*, ſeu vt legunt Septuaginta, *veſtimentorum tuorum, ſuper omnia aromata*, multiplex quoque eſt veterum Patrum ſenſus: Quidam enim per Eccleſiæ veſtimenta, ſeu vnguenta, virtutes eius, ſeu ipſarum virtutum eius opera intelligunt, quæ præferantur ſacrificijs antiquis, vel etiam virtutibus, & obſeruationibus Antiquorum. Vnde Gregorius Nyſſenus hom. 9. Opera, inquit, Eccleſiæ ſecundum doctrinam Euangelicam effecta, prælata omnibus ſacrificiis antiquæ legis, tametſi & illa odorata inſtar aromatum eſſent, ob fragrantiam, quam præferebant in ſignificatu futuri verbi, quod prædicatur per Euangelium.

Gre. Nyſſ. Opera ſecundum doctrinam Euangelicam ſunt præſtantiora ſacrificiis legalibus.

Indicat porro Nyſſenus, iſta Eccleſiæ opera veſtimentorum nomine appellari: quod haud alio extrinſeco operiantur operimento, prout operta illa erant ſacrificia myſterijs, quæ repræſentabant. Et Theodoritus veſtimenta Eccleſiæ ipſum Chriſtum eſſe ait, iuxta illud, quod in Iſaia legimus: b *Induit veſtimento ſalutis, & indumento lætitiæ circumdedit me*: Iſta porro veſtimenta ſuauius dici inquit fragrantia, quam omnia aromata, per quæ deſignatur omnis virtus legalis.

Theodorit.

b Iſa. 61 10

Virtutes Eccleſiæ præſtantiores omni virtute legali.

Catena trium Patrum per piæ animæ veſtimenta eius intelligens virtutes, iuxta illud Pauli: c *Induite vos viſcera miſericordiæ, benignitatẽ*, & cetera, propter quas odorem diuinitatis refert, & fragrantiora idcirco talia veſtimenta omnibus aromatibus dici ait; quia nihil poteſt comparari fragrantiæ diuinitatis, quam Deo deſponſata obtinet per gratiam.

c Col. 3.10

Virtutibus piæ animæ nil comparari poteſt in fragrantia.

Caſſiodorus, Vnguenta Eccleſiæ fama eſt, ait, virtutum, quæ de Eccleſia fragrat: per aromata legales ſignificari obſeruationes; odorem autem dictorum vngentorum dici ſuper omnia aromata: quia dignitas, & fama Euangelicæ perfectionis ſuperat omnem laudem legalis obſeruationis.

Perfectionis Euangelicæ fama ſuper omnem laudem legalis obſeruationis

Gregorius Papa per animæ vnguenta eas intelligit illius virtutes, quæ ex charitate oriuntur: per aromata illas reproborum virtutes, quæ, etſi abſque charitate ſint, redolent tamen aliqualẽ fragrantiam in mundo: Super has autem, inquit, eſt odor vnguentorum: quia, etſi opera reproborum aliquando hominibus placeant, illa nihilominus, quæ ſancta Eccleſia, & pia anima in charitate conficit, in diuinis naribus ſine ceſſatione redolent.

Virtutes ex ſolæ, quæ ex charitate oriuntur redolent in naribus Dei.

Non tam ad virtutum odorem, quam ad Euangelicæ prædicationis diffuſionem refert hæc Beda; ideo quippe recte dictum ait; *& odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata*: quoniam abſque vllo dubio latius diffuſa per orbem Chriſtianæ fidei prædicatio, quam eorum qui in antiquo erant populo, iuſtorum fama excreuerit.

Euangelica prædicatio latius diffuſa quam fama iuſtorum veteris teſtamenti.

Chariſmata diuinæ gratiæ per vnguenta ſponſæ deſignata aſſerunt Iuſtus Orgelitanus, Aponius atque Anſelmus: notatque Aponius, in plurali *vnguenta* dictum pro multiplici gratia, quæ procedit ab vno Spiritu ſancto: hocue vnguentum præfiguratum per thymiama illud, quod Moyſes ex Dei præcepto componi iuſſit ex quinque ſpeciebus, admixto oleo, vt fieret vnguentum pontificale, prout habetur in libro Exodi cap. 30.

Gratia dicitur plura vnguenta, quæ multiplex ab vno ſpiritu.

Porro odorem, famam, atque ſuauitatẽ iſtorũ chariſmatum præferri, inquiunt Patres citati, vniuerſis rebus ſæculi huius, quæ per aromata deſignantur.

Ambroſ.

Ambroſius libro primo, de Virginibus paulo poſt dimidium, deducit ex hoc loco, mortificationis ſtudium primum eſſe piæ animæ proceſſum, è quo poſtmodum procedat ad perfectam puritatem: ponderãs namque verba iſta, *Et odor veſtimentorum tuorum ſuper omnia aromata*, cum ijs, quæ in ſequenti verſ. habetur, *Et odor veſtimentorum tuorũ, ſicut odor Libani*. Vide, inquit quem nobis tribuas Virgo proceſſum.

Mortificationis ſtudium eſt primus piæ animæ proceſſus.

Primus enim odor tuus ſuper omnia aromata quæ in Saluatoris miſſa ſunt ſepulturam, & emortuos corporis motus, membrorumq; redolet obiiſſe delicias.

Progreſſus piæ animæ qualis.

Secundus odor tuus, ſicut odor Libani, Dominici corporis integritatem (alludit ad nominis Libani interpretationem, quod dealbationem, & candorem ſignificat) virgineæ florem caſtitatis exhalat.

Richardus de Sancto Victore piæ animæ vnguenta, illius miſericordiam, atque compaſſionem ſumit, vt horum verborum ſenſus ſit: Tuæ compaſſionis, & miſericordiæ fragrantiam, ſuauitatis, & vnctionis ſpiritualis, qua tam benigne afficeris ad omnes condolens, gemẽs, orans, ac ſubuenire cupiens, ſuauius omnibus aliarum virtutum operibus redolet; cum charitas ſit omnium virtutum mater.

Richard. Miſericordia eſt vnguentũ fragrantius omnibus aliarum virtutũ aromatib.

Eleemoſynas per eadem vnguenta accipit Rupertus Abbas, colligens id ex Euangelio, vbi Maria effudit vnguenta ſuper pedes Ieſu: odorem autẽ vnguentorũ B. Virginis dici ſuper omnia aromata; quia ſuauitas eleemoſynarum Mariæ fragrantior Chriſto, quam eleemoſynarum aliorum: quatenus Maria non vt ceteri in membris Chriſti, ſed in ipſomet Chriſto munificentiſsima extitit: adde exceſſum fidei, humilitatis, charitatis, quo eas Chriſto exhibuit eleemoſynas.

Rup. Abb. Mariæ eleemoſynæ Chriſto ſuauiores quam eleemoſynæ aliorum omniũ.

Verſ. XI. cap. IV. *Fauus diſtillans labia tua, ſponſa: mel & lac ſub lingua tua, & odor veſtimentorum tuorũ, ſicut odor thuris.*

Expositio I.

Iuxta ſonum litteræ.

DVplex iſtorum verborum aſſignari poteſt ſenſus: Primus, qui ſimplicior, & communis omnium, quotquot viderim Interpretum, eſt: Alter vero ſubtilior, & fortaſſe magis proprius ſecundum ſponſi intentionem.

Secundum ſimpliciorem ſenſum commendat hoc loco ſponſus dilectam ſuam, non iam amplius ex alicuius membri particularis pulchritudine, at ex duplici, qua inſignitur gratia, altera verborum, ſeu potius ipſius loquelæ: veſtimentorum altera: ita tamen tamà ſecunda, quã à prima illam celebrat; vt ex ambabus, ſignificet ſeipſum perfundi ſuauitate, eaque etiam à longe. Extulit quidem & ſuperius in hac ipſa panegyrico verſ. 3. primam gratiam verbis generalibus, dicens: *Et eloquium tuum dulce*: ad amplificationem encomij labiorum, & oris, quod tunc contexebat: At modo labia eadem viciſſim ad amplificationem encomij ipſius loquelæ celebrat, aſſumitque particulares dulciſsimarũ rerum, faui, mellis ac lactis ſimilitudines, vt id efficacius exprimat, quod ibi tetigerat, ſeu ſubindicarat potius, quam expreſſerat, vnico, & generali vocabulo dulcis. Dicens igitur in prima encomij huius parte: *Fauus diſtillans labia tua, ſponſa*: tum à lepore loquendi, tum à prædulcibus verbis ipſis, quæ gratia, ac lepore iſto profert, ſuam extollit ſponſam: & quia tam gratia dicendi ex congruo, ac venuſto labiorum dependet motu; quam etiam verba ipſa ex ijſdem proferuntur labiis, idcirco labia commendans, ait, illa eam præ ſe ferre dulcedinem,

Primus ſenſus.

cedinem, quam exhibere ſolet fauus diſtillans: atque adeo ea ipſa, quæ hiſce labijs proferuntur eloquia, eſſe inſtar illius mellis, quod è fauo diſtillet, iuxta illud prouerbiorum: *a Fauus mellis cõpoſita verba*: & illud Pſalmi de eloquijs diuinis: *b dulciora ſuper mel & fauum*. Quæ ſimilitudo etiam apud profanos Poetas ſæpius vſurpata reperitur, vt apud Homerum lib. 3. Iliad. vbi, cum Poeta ſuauiſsimam Neſtoris eloquentiam exprimere vult, ex illius ore dulcioré melle profluere ait orationem. Fundatur ſenſus iſte in alia ſimili ſententia, qua idemmet Salomon ijſdemque verbis, tametſi in malam partem vſurpatis, in libro Prouerbiorum auertens iuniorem à periculo quod ſimpliciores ſubeunt, intendentes ſuauibus verbis, & gratioſæ loquelæ mulieris meretricis, dicit: *c Ne intenderis fallaciæ mulieris: fauus enim ſtillans labia meretricis.*

a Prou. 16. 24. b Pſ. 18. 11. Homerus. c Prou. 5. 3.

Præclare autem in præſenti encomio addidit Salomon: *Mel, & lac ſub lingua tua*: ad differentiam eorum, quæ in præcitata ſentẽtia dixerat: *Et lingua eius acuta quaſi gladius biceps*. Meretricis enim lingua acuta in fine ſermonis quaſi gladius biceps; quia, etſi aliquantulum mellis ſuper ſe habeat; ſub ſe tamen latitans continet abſynthium amariſsimum: & ideo bene ibi dictum eſt: *Fauus ſtillans labia meretricis; nouiſsima autẽ illius amara quaſi abſynthium; & lingua eius acuta quaſi gladius biceps*. At vero eloquia ſponſæ ſemper ſunt fauus diſtillans, perfectamque exhibent dulcedinem; quia Mel, & lac ſub lingua illius. Mel, & lac ſimul iunxit ad ſummam deſignandam dulcedinem, iuxta frequentiſsimam ſacrarum litterarum conſuetudinem, qua duo iſta prædulcia vnita ſimul adhibentur, vt maiori emphaſi exprimatur id, quod vel alterutro poſſet explicari. Sic innumeris vicibus terram promiſsionis ex eo, quod dulciſsimos proferret fructus, & prædulces exhiberet voluptates, terram lacte, & melle manantem appellatam reperire eſt: quamquam eadem etiam ſimul iuncta maximam quoque iucunditatem, ac prædulcium rerum deſignent abundantiam.

Eſſe ſub lingua, eſt periphraſis cordis.

Quod autem adijcit *d, Sub lingua tua*: periphraſis cordis eſt, prout colligitur ex illo Pſalmi: *d Sub lingua eius labor, & dolor*: & illo libri Iob de impio, & hypocrita: *e Cum dulce fuerit in ore eius malum, abſcondet illud ſub lingua ſua*. Et egregie hac periphraſi ipſum ſignificatur cor tam in duabus præcitatis ſententijs, quam in hoc, quod exponimus, encomio eloquij, & loquelæ ſponſæ: ſubinnuitur quippe, cor eſſe veluti quoddam promptuarium linguæ, quod ſubtus linguam exiſtens eidem ſuggerat verba, quæ proferat, iuxta illas Domini ſententias: *f Ex abundantia cordis os loquitur*. &: *g Quæ procedunt de ore, de corde exeunt*. Ad amplificationem igitur eius laudis, quæ ſponſæ loquelam, & verba celebrarat in prima ea parte, *Fauus diſtillans labia tua*, aptiſsime & hanc ſecundam partem adijcit ſponſus, *Mel, & lac ſub lingua tua*, ſignificans, dulcedinem, quam extrinſecus ſponſa proferret labiorum loquela, haud momentaneam eſſe vel fictam; ſed veram, atque perpetuam, vtpote prodeuntem ex abundantia cordis, & ex immenſa illa dulcedine, quam cor affatim loquenti ſuggereret linguæ eius. Eandem commẽdationis methodum idem ipſe Salomon ſeruauit in libro Prouerbiorum in alio encomio gratioſi, ac ſapientis eloquij, cuius partem iam ſupra citaui. Antequam enim diceret: *a Fauus mellis cõpoſita verba, dulcedo animæ, & ſanitas oſsiũ*: dixit, *Cor ſapientis erudiet os eius, & labijs eius reddet gratiã*: ſignificans nimirum, tunc verba cuiuſpiam & compoſita re vera eſſe, & fauum mellis, ac dulcedinem eſſe dicẽda, quando ſapientia, vnde eſt illorum compoſitio, & dulcedo, ſit ſub lingua illius: quando cor eius exuberans ſapientia atque dulcedine, ſuggeret linguæ, & ori ipſius eruditionem, ſapientiam, & gratiam, vt nimirum erudite, ac ſapienter compoſita verba loquatur, eaque cum venuſtate prædulci, & gratia ſuauiſsima.

d Pſ. 10. 7. e Iob 20. 12. f Mat. 14. 34. g Mat. 15. 18. a Prou. 16. 23.

Porro, ſi ſubtilius perſcrutemur, quodnam potiſsimum illud ſit Mel, atque lac, quod ſub lingua ſponſæ ineſt; & vnde tantam dulcedinẽ cor illius ſuggerat linguę, vt propter eam ipſa eius loquela ſponſo tam dulcis ſit, vt propterea labia, quibus ea proferretur, appellarit fauum diſtillantem Mel; inueniemus, admodum rationabiliter dicendum, id haud eſſe aliud, quam ingentem ipſius ſponſæ amorem in ſponſum ſuum, replentem cor eius: quapropter dulciſsima prius intra ipſum cor formantur eloquia amoris, quæ à Theologis, & in primis à D. Auguſtino lib. 15. de Trinit. cap. 10. verba cordis nuncupantur: eaque dum linguæ eiuſdem ſponſæ ab ipſomet corde, quod ſub illa eſt, ſuggerunt, impertitam eiuſdem amoris dulcedinem per ſenſibilium verborum prolationem profert & lingua: vnde poſtmodum fit, vt merito labia, quæ tamquam eius linguæ inſtrumenta extrinſecus ſtillãt dulcia huiuſcemodi verba, fauum diſtillantem ſponſus appellarit.

Auguſt.

In vltima demum parte commendat ſponſus eamdem dilectam ſuam ex altera gratia, quæ illi extrinſecus prouenit ex veſtimentorum ornamento: ex odore autem potiſsimum iſtorum veſtimentorum hanc in eius gratiam celebrat: quia nimirum ab illo magis moueatur, & ex illo non minus, quam ex eloquio ſuauitate perfundatur.

Thus optimum, candidum, & lucidum.

Quinimo per eam, quam aſſumit, thuris ſimilitudinem, dicens: *Et odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris*: non modo ex odore, ſed ex candore, & ex nitore idem ipſum veſtimentorum ornamentum extollendum eſſe ſubindicat: Enimuero quod optimum eſt thus, atque fragrantius, & hiſce duabus potiſsimum dignoſcitur qualitatibus, ex candore, & ex perlucido, quod ipſi eius inſit candori.

Plinius.

Quod puriſsimum, ait Plin. lib. 12. cap. 14. hoc cãdidum; & in fine eiuſdem capitis, probatur candore: à quo candore Hebraica voce לבנה Lebonach nuncupatum eſt. Quod autem idem ipſum, ſi optimum ſit, debeat eſſe maxime lucidum, præterquam quod ex Theophraſto libro 9. de plantis cap. 4. habetur, colligitur etiam manifeſte ex ſacris litteris: quandocumque enim Deus è thure optimo aliquid faciendum iuſsit, thus lucidiſsimum id nominauit: ſic in libro Exodi *b*, & in libro Leuitici *c*.

Theophr. b Exod. 30. 34. c Leu. 24.

Thuris odor ſignat odorẽ omnium præſtantiſsimũ.

Cum igitur ſponſus dicit: *Et odor veſtimentorum tuorum, ſicut odor thuris*; cenſere debemus, illud in hac ſimilitudine aſſumpſiſſe thus, quod, cum optimum ſit, atque adeo maxime candidum, & lucidiſſimum, ſuauiſsimo etiam fragrat odore: ſicque ſignificaſſe, candida, atque perlucida, maximeque decora veſtimenta ipſius eo fragrare odore, quo optimum fragrat thus. Ad exprimendum autem eximium talium veſtimentorum odorem, aſſumpſit ſimilitudinem odoris thuris optimi potius, quam alterius aromatis, quod thure fragrantius ſit, qualia multa reperiuntur: tum propter myſteria (vt videbimus in expoſitionibus ſpiritualibus) ad quæ abſque vlla dubitatione coniectos ſemper habuit oculos: tũ propter maiorem odoris ſponſæ exaggerationem, cui optime inſeruiebat odor ſacer thuris, quod ex communi omnium conſenſu, vt notat Plinius loco ſupra citato, vt ſacrum, ac Deo ſacratum habetur eo modo, quo Dei nomen ſæpius in ſacris litteris adiectum reperitur alicui nomini item ad exaggerationem: vt cum montes, & cedri Dei dicuntur, vt ſignificentur montes, & cedri altiſsimi, & ſic de ſimilibus: Ita vt eadem ratione per odorem thuris Deo ſacrati, odorem eum ſignificare voluerit ſponſus, qui in genere odorum præſtantiſſimus ſit.

Dei nomen addi cuipiã rei ſolet ad exaggerationem.

Iuxta hunc ergo primum ſenſum, quod hic dicitur, tale eſt.

Paraphraſis.

Tanta ineſt, ô *ſponſa*, in labijs tuis gratia, tantuſve lepor, dum loqueris: vt præ ea, quam exhibent *labia tua*, dulcedine, *fauus ſtillans* iure optimo appellãda videãtur: atque adeo ea, quę per illa profers eloquia,

ſint *mel* ipſum, ſtillans è tali fauo. Quidni vero mihi in primis dulciſsima ea ſint, cum Mel, & lac ſit ſub lingua tua? cum amore, quo in me flagras, ipſa dulcedine oppletum tuum habeas cor, veluti promptuarium mellis, ac lactis, vnde linguæ ipſi tuæ adeo dulcia ſuggerũtur eloquia hæc quæ tuis hiſce labijs proferuntur.

Quid de venuſtate illa dicam, quam in veſtimẽtis exhibes? Ea ſane candidiſsima cum ſint, atque perlucida, odorem referunt ſimilem odori thuris, quod optimum, candidiſsimum, ac luciditſsimum eſt: odorem profecto ſacrum, odorem odorum omnium præſtantiſsimum.

Secundus ſenſus. Secundum alterum ſenſum, qui in principio huius expoſitionis propoſitus eſt, crediderim, ſpõſum, ſicut in præcedenti ſententia reddidit ſponſæ ſuæ vicem paris commẽdationis vberum, dicens: *Pulchriora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis*: Ita & in præſenti ſententia eidem reddere item vicem petitionis, ſeu oſtenſionis deſiderij oſculi eius, provt illa ibidem ſibi paritei tale exhibuerat deſiderium, dicens: *d Oſculetur me oſculo oris ſui*: ſeu, iuxta Originalia, *Ab oſculis oris ſui*: verum honeſtius, ac efficacius id ab eo fieri, quam feciſſet illa.

d *Cant.* 1. 2

Crediderim etiam nedum primam, ac ſecundam partem huius verſus, ſed & tertiam quoque illam, qua dicitur: *Et odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris*, ad idipſum pertinere.

Deduco autem ſenſum iſtum ex hiſtoria, quæ refertur in lib. Geneſis, quando Iacob detulit cibos Iſaac Patri ſuo, vt ab illo benediceretur. Ibi ſiquidem hæc habentur: *a Obtulit*, ſcilicet Iacob, *ei*, ſcilicet Iſaac, *vinum, quo hauſto, dixit ad eum*: *Accede ad me, & da mihi oſculum, fili mi: Acceſſit & oſculatus eſt eũ: ſtatimque vt ſenſit veſtimentorũ illius fragrantiã, benedicẽs illi, ait*: *Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Sicut igitur Iſaac vt primũ vino recreatus; etiam (vt ſacrarum litterarum more loquar) inebriatus eſt, oſculum petijt à dilecto filio, & in oſculandi actu veſtimentorum illius ſenſit fragrantiam; atque adeo, talem commendans odorem, odori illum comparauit agri floribus, fructibus, herbis ſuaueolentibus, necnon & aromatibus pleni.

a Gen. 27. 27.

In eumdem modum & ſponſus poſtquam pulchritudine vberum ſponſæ gaudio perfuſus, in mentis exceſſum raptus eſt, & quodammodo inebriatus; idcirco enim obſtupeſcens dixit in præcedenti verſu: *Quã pulchræ ſunt mammæ tuæ, ſoror mea!* &: *Pulchriora ſunt vbera tuo vino*: honeſta nunc labiorum eiuſdem commendatione, nomineque ſponſæ ipſam compellans, quaſi debitum ſibi oſculum ab ea petit; ac propemodum iis ipſis tacite vtitur verbis, quibus vſum aduertimus Iſaac; *Accede ad me, & da mihi oſculum ſponſa mea*: *Fauus enim diſtillãs labia tua.* Ac, quaſi ipſa vt honeſtiſsima ſimul, ac viro ſuo obedientiſsima ad imitationẽ Iacob obſequentiſsimi itẽ patri ſuo, acceſſerit, & oſculata ſit eum, ſponſus exclamet: *Mel, & lac ſub lingua tua.* ſuauiſsimam, rerumque omnium maxime dulcem illam ſe guſtare ſignificans animi, amorisve exhibitionem, quam cor per oſculum linguæ ſubminiſtraret, & exinde per labia in ipſum transfunderet: Tum eodem pacto, quo Iſaac ſtatim ac in oſculo ſenſit veſtimentorum Iacob fragrantiam, in ea prorupit verba: *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni*: & ipſemet ſponſus, percipiens veſtimentorum oſculantis ſe ſponſæ fragrantiam, dicat: *Odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris*, id eſt, ſicut odor omniũ fragrantiſsimus, provt declaratum eſt in primo ſenſu; vel, iuxta aliam lectionem, vt iamiam notabo; *Sicut odor Libani*: eo modo, quo & apud Oſeã Prophetam de Iſrael dicitur: *b Ibunt rami eius, & erit quaſi oliua gloria eius, & odor eius vt Libani*: in quo ſimilitudo eſt magis conformis ſimilitudini allatæ ab Iſaac: ſicut enim ager plenus ſuauiter admodum fragrat ob flores, herbaſque ſuaueolentes, quibus plenus eſt: Ita & Mons Libani ſuauiſsimo odore redolet, cum multiplicibus aromatum lignis veſtitus ſit, vt ex ſubſequentibus apparet, vbi dicitur: *Nardus, & crocus, fiſtula, & cinnamomum, cum vniuerſis lignis Libani.*

b *Oſe.* 14. 7

Hæc autem omnia haud ita ab ſponſo dici crediderim, quod re vera ſponſa tunc eo ipſo loco ad eum oſculandum acceſſerit: id ſiquidem decori minime congrueret, cum in principio huius capitis Quarti expoſ. 1. verſ. 1. dictum iam ſit, hanc orationem, quæ toto hoc capite continetur, coram ijs ab ſponſo habitam in laudem ſponſæ ſuæ, qui obuij facti erant eidem ſponſæ, per agros aſcendenti, provt viſum eſt in capite tertio. Quinimo, cum totum id, quod vſque ad finem huius capitis dicitur, dicatur per modum vnius, & continuatæ orationis, qua ſpõſus dilectam ſuam multiplicibus deliniens laudibus, illam ad ſecum commigrandum nititur pertrahere, vt dictum eſt ſupra in expoſitione prima verſ. ſexti. Sicut canendo, intentionem iſtam ſuam ſignificaſſe ibi oſtenſum eſt in verſ. 6. & 8. ita & hoc pariter verſ. 11. iſtud aliud intentum, ac deſiderium ſuum, etiam canendo, eidem ſignificet, veriſimile eſt: idcirco nimirum velle, vt ſecum commigret, quo in horto ſuo ſoli exiſtentes, deſideratum ab ea percipiat oſculum; Ac ſi dicat.

Veni de Libano, & cetera, *veni mecũ*; accedes & dabis mihi oſculum, adeo mihi peroptatum. *Labia* ſane *tua*, quibus oſculum ori meo imprimes, *Fauus diſtillans* immenſam mihi dulcedinem; *Mel* ſiquidem, *& lac ſub lingua tua*, corde nimirum ſuggerente ori, & linguæ tuæ animi, amoriſque tui melle, ac lacte dulciorem exhibitionem, quam mihi per ipſa imperties labia; tuncque ſentiens veſtimentorum tuorum fragrantiam, merito dicam; *Odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris*, &c. vt ſupra. Paraphraſis.

Quoad lectionum varietatem notandum primo, pro eo, quod nos legimus; *Fauus diſtillans*; in Hebræo eſſe, נפת תטפנה nopheth titoſphnah, quod ad verbum ſic reddi poteſt iuxta Hebræorum Doctorum ſententiam: *Stillationem ſtillabunt*: vox enim נפת nopheth, quamlibet ſignificat ſtillationem, & quando aliud ei non adiungitur, accipi ſolet in ſacris litteris vel pro ſtillatione aromatis, vel pro ſtillatione faui: Hieronymus pro ipſo fauo accipit ſemper. Quod autem in futuro dicitur; *Stillationẽ ſtillabunt*, facit ad confirmationem eius ſenſus, quem ſecundo loco attuli. Septuag hebraica verba, quæ relata ſunt, ſic verterunt, κηρίον ἀποστάζουσι: *Fauum diſtillant.* Proprius iudicio meo Vulgata habent, *Fauus diſtillans.* Neque enim veritati rei tam conforme eſt, vt diſtilletur fauus, quam vt fauus ipſe melle refertus diſtillet mel: Vnde & Aquila vertit, γλυκασμόν, *dulcedinem ſtillant*: & Symmachus, μέλι, *Mel diſtillant.* Quin & ipſi Septuag. in ſimili ſententia, quæ ſupra relata eſt, Prouerbiorum *c* quinto, eadem ratione vertere iſta ipſa, quæ hic habentur verba; *Mel ſtillant labia meretricis.*

c *Prou.* 5. 3.

Notandum ſecundo, vbi nos legimus; *Et odor veſtimentorũ tuorum ſicut odor thuris*: pro vocabulo thuris in Hebræo eſſe vocem לבנן Lebanon, quæ vt plurimum vſurpari ſolet ad ſignificandum montem Libani; cum è veſtigio ad ſignificandum thus alia ſimilis vſurpari ſoleat dictio, לבנה Lebonach: nihilominus tam iſta, quam illa, ambæ ſunt ancipites, & vtrumque ſignificare poſſunt: Vnde, ſicut in hoc ipſo capite verſu decimoquarto, dictio Lebona poſita eſt ad ſignificandum montem Libani, provt Vulgata aperte ſignificant, dum legunt: *Cum omnibus lignis Libani*: & conſentiũt omnes expoſitores: ita pari modo & in hoc quoque verſu vndecimo, altera dictio Libanon aptiſsime accipi poteſt pro thure poſita, provt ſumpſit Vulgata: præſertim cum & Hebræi quoque conſentiant, montem Libani Libanon dictũ à voce Lebona, quod in illo thus naſcatur. Septuag. etiam vocem ambiguam, ancipiti alia reddiderunt voce λιβάνου; λίβανον autem Græce tam Libani montem, quam thus quoque ſignificat: Gregorius Nyſſenus

aus, Theodoritus, Pſellus, Catena trium Patrum, & Alij ex Græcis Patribus pro thure hoc loco poſitam accipiunt. Ambroſius libro primo de Virginibus è contra, pro monte Libano.

Et certe ambæ lectiones optimè ſunt, duaſque indicant ſimilitudines, quarum vtraque congruentiſſima eſt, vt ex dictis colligere licet.

Verſ. XI. cap. IV. *Fauus diſtillans labia tua, ſponſa: mel & lac ſub lingua tua: & odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris.*

Expositio II.

De prima Sponſa, quæ eſt Eccleſia Sancta.

3 Primus ſenſus.

QVod labia Eccleſiæ ij ſint illius doctores, qui prædicant verbũ Dei, ſancti quique cõcionatores, & diſpenſatores myſteriorum fidei, ſatis ſuperque oſtenſum eſt in ſuperioribus in altero eorumdem labiorum encomio, prout videre eſt in ſecunda expoſit. verſ. 3. huius capitis, vbi & id quoque declaratum eſt, cur ſub labiorum potius, quam ſub linguæ, aut gutturis metaphora Sanctorum prædicatorum encomium contextum ſit in hac panegyrico Eccleſiæ. His igitur ſuppoſitis; pro intelligentia huius encomij eorundem prædicatorum, quod in hoc verſ. 11. eſt explicandum, operæpretium eſt, vt ſingula exactius perpendantur verba. Ac primo, cur ij fauus dicantur. Secundo, cur fauus diſtillans. Tertio, quid ſit, eos habere Mel, & lac ſub lingua: cur & Mel, & lac ſimul: & quare prius nominetur Mel, quã lac. Quarto, quæ ſint veſtimenta Eccleſiæ, quidve commune cum labijs talia habeant veſtimenta. Quinto, qualis ſit eorumdem veſtimentorum fragrantia.

Prædicatores ſunt labia Eccleſiæ.

Prædicatores ſancti cur dicantur fauus. Simile.

Quoad primum: Rectiſſima ratione Sanctos prædicatores verbi Dei fauum appellatos, ex pluribus proportionibus inter illos atque fauum mellis colligere eſt. Prima autem earum eſt, quod, ſicut fauus eſt opus ab apibus fabrefactum, intra quod Mel ab iiſdem efficitur, quod hominum inſeruiat eſui: Ita & prædicatores à Chriſto cœleſti illa ape, de qua in libro Eccleſiaſtici myſtico ſenſu dicitur: *a Breuis in volatibus eſt apis, & initiũ dulcoris habet fructus illius*: ad prædicationis munus electi ſunt, vt in eis, ac per eos deferretur Mel Euangelij, iuxta id, quod ab ipſamet tali ape ſignificatum eſt, cum diceret: *b Ego vos elegi de mundo, vt eatis & fructũ afferatis; & fructus veſter maneat.* Et: *c Ego dabo vobis os, & ſapientiã, cui non poterunt reſiſtere omnes aduerſarij veſtri.*

a Eccl. 11. 3

b Ioan. 15. 16.

c Luc. 21. 15

Notandum vero in hac proportione, congruentiſſime dictum *labia tua* in plurali, at in ſingulari, *Fauus*: quia re vera, tametſi plura ſint Eccleſiæ labia, plures prædicatores; omnes tamen quotquot vere ſunt labia Eccleſiæ, ſunt vnus fauus: quia ab vna eademque ape Chriſto Ieſu effecti ſunt mellis Euangelici delatores, vt dictum eſt.

Simile. Greg. Pap.

Fauus ſecundo recte dicuntur ijdem prædicatores: quia ſicut fauus, tametſi ex vili ceræ materia conſtet, ſuauiſſimum tamen, ac pretioſiſſimum intra ſe continet, defertque mellis liquorem: Ita & ſancti quique prædicatores miſeros quidem ſe fatentur: at in miſera humanitatis ſuæ conditione, in vili cera Mel Euangelij conditum ſeruant, prout ſub alia metaphora ſignificauit Apoſtolus cum dicit: *d Non noſmetipſos prædicamus: ſed Ieſum Chriſtũ Dominum noſtrũ: nos autem ſeruos veſtros per Ieſum: quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucẽ ſplẽdeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei in facie Chriſti Ieſu*, id eſt: vt in facie, & perſona Chriſti Ieſu, tamquam eius legati prædicationem illuminaremus, ſcientiam, ſeu lumen deferremus ſcientiæ claritatis Dei: & ſubdit Apoſtolus: *Habemus autẽ theſaurum iſtum*, ſcilicet ſcientiæ claritatis Dei, & Verbi Euangelici, *in vaſis fictilibus, vt ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis.*

d 2. Cor. 4. 5

Tertio, ſicut fauus de proprio dulcedinem profert, ab apibus in melle ſuſceptam; quod ſi aliquid in eo nonnumquam inſit acris, vel amari, ab extrinſeco id illi exhibitum ſit, neceſſe eſt, alienumue id omne cenſendum ab eius natura: In eundem modum & ſancti quique prædicatores de proprio id tantum prædicant, & proferunt, quod à cæleſti ape habent dulcedinis: atque adeo & per Iſaiã Prophetam *e*, & per Paulum Apoſtolum *f* nuncupantur *Euangelizantes pacem, Euangelizantes bona*: quod ſi quando aſpera, & increpatoria proferunt; eam ſane aſperitatem haud ex propria qualitate habent, ſed ex qualitate audientium, quod conteſtatus eſt idem Paulus, *g* cum Timotheum ſic admonens, *Argue, obſecra, increpa*, addit rationem huiuſcemodi: *Erit enim tempus, cum ſanam doctrinã non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coaceruabũt ſibi magiſtros, prurientes auribus*, & cetera. Et cum ad Corinthios ſcribens ait: *h Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate, & ſpiritu manſuetudinis?* Ac ſi dixiſſet: Ex commiſſo mihi Euangelij munere debeo venire in charitate, & ſpiritu manſuetudinis, pacem vobis afferens: at, quod veniam in virga, & aſpera vobis proferam, ex vobis eſt, ex veſtra eſt voluntate.

e Iſa. 52. 7.

f Rom. 10. 15.

g 1. Tim. 4. 2.

h 1 Cor 4. 21.

Simile.

Quarto, ſicut fauus etſi Mel in ſe contineat, eoque exuberet; tunc tamen vberius ſaltem Mel de ſe emittit, cum motu aliquo contingitur, & comprimitur: Eadem ratione & Sancti Prædicatores intrinſecus referti ſunt ſacrarum litterarũ notitia; vt ad quemlibet interrogationis contactum Mel mittant affatim diuinorum eloquiorũ, iuxta illud Apoſtoli: *i Sermo veſter ſemper in gratia ſale ſit conditus: vt ſciatis, quomodo oporteat vos vnicuique reſpondere.*

i Coloſſ 4. 6

Simile.

Quinto demum eam cum fauo proportionẽ habent ijdem Eccleſiæ Prædicatores, quod ſicut fauus mel puriſſimum continet, atque conſeruat, adeo vt quod ex illo immediate diſtillat, Mel virgineũ merito nuncupetur ad differentiam mellis alio liquore, aliaue re adulterati. Ita & ſancti quique Prædicatores, Mel intra ſe continentes puriſſimæ doctrinæ fidei, prædicatione pariter ſua puriſſimis eloquiis eam abſque vlla alicuius erroris permixtione in auditorum diſtillant aures; ita vt merito & doctrina, & verba ipſorum virginea dici queant, ijdemque cum Paulo Apoſtolo dicere propterea poſſint: *a Nõ ſumus, ſicut plurimi adulterantes verbum Dei; ſed ex ſinceritate: ſed ſicut ex Deo coram Deo in Chriſto loquimur*: In quibus Apoſtoli verbis, ponderanda illa ſunt verba, *ſicut plurimi adulterantes verbum Dei*: plurimi ſiquidem ſunt Prædicatores tam alieni à dicta faui conditione propter commixtionem, quam vna cum melle diuini verbi exhibent; vt adulterantes verbum Dei dici debeant: quia, ſicut adulter non intendit prolem, ſed id duntaxat, vt ſuæ ſatisfaciat libidini: ita ipſi doctrina, & concionibus haud Dei gloriam quærunt, aut proximorum ſalutem: ſed priuatis inſeruiunt commodis. Sicut adulter per commixtionem cum muliere aliena & ſibi, & mulieri ipſi mortem procurat: Ita & iſtiuſmodi Prædicatores adulterantes verbum Dei commixtione propriorum errorum mortem ſibi adſciſcunt, & auditoribus.

a 2. Cor. 2. 17.

Similè.

Quoad ſecundum: dictio *diſtillans* adiecta fauo duplicem ingerit difficultatem: Primam, quomodo diſtillare dicantur Sancti ij Prædicatores, de quibus in libro Eccleſiaſtici dicitur: quod, *b tanquam imbres mittant eloquia ſapientiæ ſuæ*: Secundam, ſi tamquam fauus Mel diſtillare dicuntur, quia verba Dei prædicant, de quibus dicitur in Pſalm. quod *c Dulciora ſint ſuper Mel & fauum*. Haud facile percipitur, qua ratione, dum prædicant, exhibere poſſint mellis dulcedinem, quæ haud au-

b Eccl. 39. 9

c Pſ. 18. 11.

ribus percipitur, ſed guſtu duntaxat: cum tamē certo ſciamus, prædicationem verbum Dei ſtillare in ipſas aures.

Prædicatores boni quomodo & imbres ſapiētiæ mittant, & ſtillare dicantur Mel verbi Dei.

Prima difficultas facile tollitur, ſi ratio teneatur, cur ſtillare dicantur Prædicatores Verbum Dei, quæ ea mihi eſſe videtur, quod ita auditoribus eloquia Dei impertiunt, vt tamen in id potiſsimum ſuum collocent ſtudium; vt nihil ex illo prædulci depereat melle, accommodantes ſe captui eorum, quibus prædicant; &, tametſi imbres mittant ſapientiæ ſuæ in ſcholis, vbi latus eſt ſapientum auditus: in prædicatione nihilominus, qua ignorantibus ſatisfacere debent, & infirmioribus, quaſi intra vaſa, quibus anguſta ſint ora, & quaſi exiguis, ac tenuibus graminibus idemmet Dei verbū diſtillare ſatagunt. Ambo hæc prædicatorum ſtudia in tractandis diuinis eloquijs & exhibendo verbo Dei innuit Moyſes in Cantico Deuteronomij, cum ait: *d Audite cæli, quæ loquor: audiat terra verba oris mei*: Sub cœlorum nomine ſapientiores deſignans: ſub appellatione autem terræ rudiores, & ignorantes. Quoad exhibitionem verbi Dei faciendam cælis ſubdit: *Concreſcat in pluuiam doctrina mea* (ſic legūt Septuaginta) *Et quaſi imber ſuper herbam*: Quoad prædicationem vero eiuſdē verbi terræ exhibendam & ignorantibus, ait: *Fluat vt ros eloquium meum & quaſi ſtillæ ſuper gramina.*

d Deut. 32. 1.

Prædicatores boni non tam aures delinire quā guſtum audientium reficere debent.

Ad ſecundam difficultatem dicendum, idcirco ſponſum Prædicatores, ab Spiritu ſancto ſub labiorum metaphora deſignatos, fauum appellaſſe potius, quam muſicos, & potius dixiſſe, eoſdem Mel diſtillare, quam concentum exhibere; tametſi ea eſſet ipſius intentio, vt in hoc encomio exinde illos commendaret, quod ſuauitate verborum diuinorum, quæ prædicant, recreent auditores: quam ſuauitatem congruentius, vt videtur prima facie, dulcis harmoniæ, ſuauiſque concentus vocum, aut ſoni inſtrumentorum ſimilitudo expreſsiſſet, vtpote à quibus proprie audientium recreantur aures: Idcirco, inquam, ab ſponſo id effectum, vt per hoc ſinguli eorum, qui prædicationis munus in Eccleſia exercere velint, intelligerent, haud in hoc ſitam boni prædicatoris perfectionem, vt eloquentiæ lenociniis audientium deliniant aures: ſed id potius curent; vt, quod externis illorum auribus inſonant, guſtui imprimant eorumdem: verbum enim Dei, quod proficuum ſit, ita vt ipſo & nutriantur, & creſcant fideles in ſpiritu, & ſanctitate, id non exinde habet, quod ſono vocis exhibeatur; ſed quod ita exhibeatur in ſono, vt tamen ſimul exhibeatur vt cibus quo confirmentur audientium corda, & ora eorumdem ſuaui perfundantur dulcedine.

Hinc ſæpius ſub panis metaphora iſtiuſmodi diuina eloquia expreſſa nouimus in ſacris litteris, vt: *e Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.*

e Deut. 8. 3

Hinc & fauo item, atque melli comparata eadem ſcimus. Hinc & anima illa, quæ fructuoſe diuina iſta percipiebat eloquia, guſtu ac ſuauitate eorum perfuſa exclamabat: *f Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper Mel ori meo!* Quibus in verbis indicatur exceſſus dulcedinis diuinorum eloquiorum ſuper omnē aliam dulcedinem: quandoquidem non ſolum dulcia ſunt ſuper Mel ori: ſed & cū reliqua dulcia tranſacto palato non percipiantur, ipſa & fauces inſuper, & totam animam inexplicabili perfundunt dulcedine.

f Pſal. 118. 103.

Prædicatores boni ſunt fauus ſtillans Mel, etiam tum prædicant ea quæ amara ſunt ſenſualitati.

Porro id quoque in præſenti Sanctorum Prædicatorum encomio adnotandum eſt, quod fauus diſtillans ob allatas dicuntur rationes, quando diligentiam adhibent, vt ita verborum Dei ſonum in aures inſonent audientium, vt ſimul in eorumdem ora diſtillent Mel: cum tamen nouerimus, ab illis prædicari nedū pacis, ac Regni cœlorū dulcedinē; ſed & complura, quæ per ſe amariſsima ſunt, vt pœnitentiam, mortificationem, abnegationem ſui ipſius, abrenuntiationem omnium voluptatum ſæculi, comtemptum mundi, promptitudinem ad moleſtiſſima quæque pro Chriſto ſubeunda. Quomodo igitur dicuntur ſimpliciter fauus diſtillans, ſi tantam etiam diſtillant amaritudinem?

Ad hæc dicendum, optima ratione fauum ſimpliciter eos nuncupatos dictoſve diſtillare Mel duntaxat in ora audientium: nam quæ per ſe amara ſunt ſenſualitati, hæc ipſa quatenus ex ipſorum ore diſtillant in audientium item ora, ſunt dulciſsimum Mel; quod ſignificatum habemus in libro Apocalypſis eo loco, vbi Ioanni dictum eſt: *a Accipe librum, & deuora illum, & faciet amaricari ventrem tuum; Sed in ore tuo erit dulce tamquam mel.* & ſubijcitur à Ioanne: *Et accepi librum de manu Angeli, & deuorani illum: & erat in ore meo tamquam mel dulce: & cum deuoraſſem eum, amaricatus eſt venter meus, & dixit mihi: Oportet te iterum prophetare Gentibus, & populis, & linguis, & Regibus multis.*

a Apoc. 10. 9.

Sicut enim Ioanni prædicatori liber diuinorum eloquiorum, tametſi ventrem ſenſualitatis amaricaret, dum tamen in ore eſſet, ac per os verſaretur, erat inſtar mellis: Ita contingit & auditoribus; licet prædicta prædicationis ventri ſenſualitatis amaritudinem præ ſe ferant, quamdiu tamen ea verſant in ore, ſiue cum illa guſtanda ſuſcipiunt, vt diſtillantia ex ore prædicatoris, ſiue cum e ventre ſenſualitatis ad os iterum ea referuntur, ruminantes, ac meditantes in illis, tamquam mel dulcia eis exiſtunt; ita vt non incongrue illud Sampſonis problema, licet in alio ſenſu, vſurpare queant, ac dicere. *b De forti egreſſa eſt* nobis *dulcedo*: Fortis vocabulo grauе accipientes, moleſtum, arduum atque amarum, quale eſt prædicta verbi Dei prædicatio ſenſualitati.

b Iudi. 14. 14.

Hæcque eſt ratio, cur cœleſtis ſponſus poſtquam dixit; *Fauus diſtillans labia tua, ſponſa*: illico ſubiuciat: *Mel, & lac ſub lingua tua*; per linguam quippe Eccleſiæ eoſdem deſignans prædicatores, dum ait, ſub illis æque ac ſub lingua eſſe Mel, & lac, ſignificat, illos ita iugiter palato, in quo potiſsimum guſtus eſt, eam quam prædicaturi ſunt, doctrinam diuinorum eloquiorum verſare ruminantes, ac meditantes in lege Domini die, ac nocte; vt inexplicabilem mellis, ac lactis dulcedinem, prius ipſi guſtantes, inſtar faui poſtmodum ex pleno ore diſtillent in auditorum pariter ora mellis dulcedinem in verbis, quæ proferunt. Ac bene, & neceſſario hæc ab ſponſo adiecta ſunt: *Mel, & lac ſub lingua tua.* Cum enim prima eius intentio iſta eſſet, vt exinde ſanctos Eccleſiæ prædicatores in iſto encomio celebraret, quia affectiua ſapientia eruditi, huic potiſsimum rei indulgeant in ſuis prædicationibus, vt affectum guſtus excitent in auditoribus, operæpretium erat, vt conteſtatum his verbis faceret, illos prius in ſe eumdem guſtus affectū ſentire. Summa etenim, quantum ipſe ſentio (ait Quintilianus) circa mouendos affectus in hoc poſita eſt, vt moueamur ipſi: nec incendit niſi ignis: Nec madeſcimus, niſi humore, nec res vlla dat alteri colorem, quem ipſa non habet: Atque adeo primum, ac potiſsimum eſt, vt afficiamur, antequam afficere conemur. Ita igitur ſcientiam diuinorum boni quique Prædicatores habere debent in corde, vt eloquiorum diuinorum perfuſi dulcedine, ad palatum quodammodo ea verſent, vbi guſtus ita eſt ſub lingua ſitus, vt linguæ, ac prædicationi vna cum verbis affatim eiuſdem dulcedinis copia ſuggeratur.

Prædicatores boni dum afficere alios volunt, prius ipſi afficiſtudent.

Quintil. lib. 6. c. 2.

Quamuis autem ſatis forſan fuiſſet, ſi dictum tantummodo eſſet: *Mel ſub lingua tua*, Duas tamen ob cauſas vna cum melle & lac iungere voluit ſponſus ad amplificationem expoſitæ Sanctorum Prædicatorum laudis. Primo, vt ſignificaret, ita præguſtatam à ſe diuinorum myſteriorum dulcedinem ſanctos prædicatores habere ſub lingua, & in promptu, ad ea prædicanda, dictamque illorum dulcedinem auditoribus impertiendam; vt tamen & prouectiores, & rudiores congruenti ſingulos ratione edoceant: iſtis, qui infirmiores, & rudiores

Prædicatores boni ſingulis congruum exhibere ſtudent doctrinæ cibum.

diores in ſpiritu exiſtunt, tanquam paruulis doctri- A
nam in modum lactis porrigentes; prout ab Apo-
ſtolo Paulo factum legimus, vbi Corinthijs dicit:
c 1. Cor. 3. 2 *c Lac vobis potũ dedi, non eſcam: nondũ enim poteratis*: illis
vero, qui magis illuminatos habent ſenſus, prouec-
tioreſque ſunt, eamdem in modum cibi prædulcis
tradentes. Comeſtionem autem talem ciborum, &
mellis præſertim hiſce congruere exinde colligere
poſſumus, quod & de Domino noſtro Ieſu Chriſto
ad ſignificandum, quod tametſi infantulus è virgi-
ne natus, ac paruulus appareret: perfectus tamen in
cognitione, & ſapientia eſſet ad diſcretionem boni,
d Iſa. 7. 14 & mali, dixit Iſaias propheta; *d Ecce Virgo concipiet, &*
pariet filium: & vocabitur nomẽ eius Emmanuel. Butyrum & B
mel comedet: vt ſciat, id eſt, vtpote qui ſciat, *reprobare*
malum, & eligere bonum.

Prædicationis diuini verbi quam copioſa ſit dulcedo.

Altera vero ratio, propter quam hæc duo ſimul
iunxit cœleſtis ſponſus, dicens: *Mel & lac ſub lingua*
tua: ea eſt, vt per ambo hæc ſimul iuncta, iuxta con-
ſuetam ſacrarum litterarum phraſim, provt oſten-
ſum eſt in prima expoſitione, ingentem deſignaret
eius dulcedinis abundantiam, quam & ipſi guſtu
perciperent Prædicatores, & auditoribus communi-
candam paratam haberent ſub lingua. Ex qua ra-
Dulcedinis verbi Dei guſtum auditoribus exhibere ſatagunt boni prædicatores
tione deducitur etiam ratio, cur prius nominarit
Mel, quam lac: cum enim lac præponendum potius
videretur vt ſymbolum doctrinæ paruulorum: præ- C
poſuit nihilominus Mel eidem: vt innueret, id eſſe,
quod in primis hoc loco laudaret in Prædicatori-
bus, quod in id potiſsimum ſuum adhiberent ſtudiũ,
vt prouectioribus æque ac rudioribus prædicatione
verbi Dei dulcedinem diuinorum eloquiorum gu-
ſtandam exhibeant: in qua quidem dulcedine ſigni-
ficanda Mel abſque vllo dubio primas habet partes,
vnde in libro Eccl. dicitur habere initiũ dulcoris:
quia nimirũ inter omnia prædulcia dulciſsimum ſit.

6 Id demum, quod vltima huius encomij parte dic-
tum eſt: *Et odor veſtimentorum tuorũ, ſicut odor thuris*: in
eorumdem Sanctorum Prædicatorum laudem adie- D
ctum ab ſponſo eſſe, haud dubitandum. Duplex au-
tem laus per hęc verba in illos confertur, quia quod
dicitur, *Veſtimentorum tuorum*, duobus modis accipi
Prædicatores boni nedum verbo ſed & exẽplo bonorum operum auditores ad bonum trahunt.
poteſt; Vel pro veſtimentis ipſorum prædicato-
rum, quæ idcirco veſtimenta etiam Eccleſiæ dican-
tur: quoniam Prædicatores membra illius ſunt: Vel
proprius pro veſtimentis totius Eccleſiaſtici corpo-
ris, atque ipſius Eccleſiæ. Si primo modo ſumantur,
laudantur per verba iſta ſancti Prædicatores exin-
de, quod nedum prædicationis diuinorum eloquio-
rum dulcedine auditores ad rectam, & fidei & vi-
tæ rationem alliciunt; at multo magis idipſum
efficiunt odore, atque exemplo bonorum ope- E
Opera bona cur dicantur veſtimenta.
rum ſuorum, quibus eximiam redolent ſanctita-
tem, quæ bona opera extrinſecus exhibita con-
gruenter admodum veſtimenta nuncupantur, quia
veſtimenta extrinſecus repræſentantur in corpo-
re humano: & quia, inſtar veſtimentorum corpus
exornantium, circundantium, & calefacientium,
ab ijsdem bonis operibus exornantur, & vndique
in ſingulis actionibus, omnive tempore quodãmodo
circundantur; ac demum calor charitatis internus
in eis nedum conſeruatur, ſed & augetur. Non mi-
nus congrue odor iſtorum veſtimentorum aſſeritur
ſimilis odori thuris, ſi ſupponamus, quod in prima
expoſitione probatum eſt, per odorem thuris ſigni-
ficari odorem ſacrum: vel cum Nyſſeno, Theodori-
to, & alijs, odorem diuinitatis, quatenus ſymbolum
diuinitatis thus accipi ſolet: Nam talium Prædicato-
rum veſtimentum eſt ipſemet Ieſus Chriſtus Deus
& homo: quo indutos ſe manifeſtant in iuſtitia, &
ſanctitate veritatis, iuxta eam Pauli exhortationem,
a Eph. 4. 14 qua dicitur: *a Induite nouum hominem, qui ſecundum Deũ*
creatus eſt, in iuſtitia, & ſanctitate veritatis: quẽ ſane no-
uum hominem eſſe Dominum Ieſum Chriſtum,
b Rom. 13. 14. idem teſtatur Apoſtolus ad Romanos, dicẽs: *b Induimini*
Dominum Ieſum Chriſtum.

Si vero nomine *veſtimentorum tuorum* ipſa Eccleſia- *Prædicatorũ laus maxima eſt fructus in auditoribus ex eorum prædicatione proueniens.*
ſtici corporis indumenta ſignificata dicantur, pro-
vt congruentius dicendum videtur: quatenus labia,
ſub quorum metaphora præſens Sanctorum Prædi-
catorum encomium contextum eſt, haud indui ſo-
lent; ita vt aſsignari queant veſtimenta ipſorum:
commendantur ijdem Prædicatores ex fructu, quẽ
in fideli Eccleſiæ populo faciunt, quando ita prædi-
cationis munus exercent, vt id potiſsimum curent,
quo auditores diuinorum, quę ab ipſis prædicantur,
eloquiorum dulcedinem & capiant, & guſtent: pro-
vt ſignificatum vidimus in verbis ijs, *Fauus diſtillans*
labia tua, mel & lac ſublingua tua: Fructus autem is eſt,
quod tunc qui ad fidem per ipſorum prædicationem
conuerſi ſunt, ijque fidelium, qui eos audiendo re-
nouati ſunt ſpiritu mentis ſuæ, de quibus apud Iſaiã
eidem Eccleſiæ dicitur: *c His omnibus velut ornamento* c Iſa. 49. 18
veſtieris: odorem referunt ſimilem odori thuris, *d* bo- d 2. Cor. 2.
num Chriſti, odorem ſe exhibentes in ſancta conuer-
ſatione, Chriſti ſanctitatem ſuis bonis operibus re-
dolentes, illud nimirum Dei implentes mandatum,
quo dicitur: *e Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum.* e Leuit. 11. 44.

Ex hiſce fuſius explicatis, breuis iſte deducitur hu-
ius ſententiæ ſenſus: vt cæleſtis ſponſus hoc pacto
ſponſam ſuam alloquatur Eccleſiam.

Prædicatores ij ſancti, qui in myſtico corpore tuo *Paraphraſis. Commun. Patrum ſenſus.*
C labiorum obtinent munus, *Fauus* ſunt, inſtar faui
à me breui & exigua, ſed præpotenti ape fabrefacti,
quando eos elegi ad id muneris, vt intra vilem hu-
manitatis ceram Mel continentes ſapientiæ diuino-
rum myſteriorum, ad cuiuſlibet interrogationis cõ-
tactum id prædicando effluerent: atque etiam vt præ
ingenti illius mellis copia abſque vlla adulteratione
illud tametſi non interrogarentur effunderent. Dũ
prædicant verbum Dei accommodantes ſe captui
vniuſcuiuſque, ſunt *Fauus diſtillans Mel* dulciſsimum,
cum & ea prædicant, quæ in Euangelio mandantur,
aut conſuluntur, aſpera & amara ſenſualitatis: id
D enim potiſsimum curant, vt quod auribus inſonant
audientium, id in eorumdem diſtillent ora: vt verbi
Dei guſtent dulcedinem, quod licet in ventre ſit ama-
rum, in ore tamen mel eſſe non ignorant: cum & ipſi
pariter idcirco eam ipſam ſcientiam eademve eloquia
Dei, quæ alijs prædicare volunt, in ore habere co-
nentur, atq; adeo quod ſummum in illis ineſt dulce-
dinis, largiſsime à corde ad palatum, vbi guſtus eſt,
ſubminiſtratum ſub lingua deferant, ita vt propterea
dici queat, *Mel & lac ſub lingua tua*: paratam ſiquidem
ij ſemper deferunt deguſtatam à ſe ipſis dulcedinem
ſuauiſsimæ doctrinæ, quam & in ora prouectiorum
E diſtillent in modum mellis, & in ora eorum, qui ru-
diores ſunt, diſtillent in modum lactis dulciſsimi ité
inſtar mellis. Neque vero ex hoc duntaxat commen-
dabiles ij ſunt Prædicatores tui ſancti, quod guſtui
audientium dulcedinem exhibent verbi Dei: Verum
etiam exinde, quod exemplo bonorum operum ſuo-
rum, quæ extrinſecus apparent, æque ac veſtimenta
in corpore, odorem referunt thuris, vtpote induti
Ieſum Chriſtum, illum imitari contendentes in iuſti-
tia, & ſanctitate veritatis. Quin & exinde, quod fide-
les ij, qui prædicatione ſua te, velut ornamento, veſti-
uere, deguſtato melle doctrinæ ipſorum, odorem re-
dolent ſanctitatis ſimilem odori thuris, ſanctitati ni-
F mirum meæ.

Verſ. XI. cap. IV. *Fauus diſtillans labia tua, ſponſa: mel & lac ſub lingua tua: & odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris.*

EXPOSITIO III.

De ſecunda Sponſa, quæ eſt Anima Sancta.

7 SVppoſito, quod ſub labiorum metaphora orationis encomium & in hoc verſu 11. contineatur, ſicut & ſub eadem metaphora alterum item eiuſdē orationis piæ animæ cōtextum vidimus ſupra verſ. 3. vbi expoſitione 3. nonnullæ etiam allatæ ſunt rationes huius metaphoræ.

Primus ſenſus. Duobus modis ea, quæ in ſanctæ orationis laudē hic dicuntur, exponi poſſunt: ijſve ambobus, ſi intelligatur tota ſententia iſta iuxta ſenſum primo loco in littera allatum: Vel enim vnica duntaxat piæ animæ oratio commendatur exinde, quod perfectiſſima ſit, & omnibus numeris abſoluta: Vel in tribus diſtinctis vnius eiuſdemque ſententiæ partibus tres ſpecies orationis eiuſdem animæ laudantur, ad quas tres vniuerſæ aliæ reducuntur cuiuſlibet orationis ſpecies.

Oratio perfecta deuotionem interiorem & bonitatem vitæ habet annexam. Simile. Si velimus, primo modo celebrari piæ animæ orationem illam, quæ ſit omnibus numeris abſoluta, ſupponendum pro eorum, quæ hic dicuntur, intelligentia, quod ſicut in perfecta citharœdi muſica tria ſimul conueniant operæpretium eſt; percuſsio citharæ, melodia ſoni reſonans ex percuſsis chordis, & cantus vocis, adeo vt ſi quodlibet iſtorum trium deſit, iſtiuſmodi muſica perfecta dici minime poſsit; vocis etenim cantus commendabilis haudquaquam eſt, ni concors ſit ſono, ac harmoniæ ſonantis citharæ: nec ſonus ipſe, cum debita poteſt eſſe harmonia, ni citharœdus bene, & ſecundum muſices artem citharæ pulſauerit fides, & ni eæ ipſæ, quas bene pulſauerit fides congruenti ratione extenſæ ſint: ſiquidem quæ remiſſæ ſunt, tametſi artificioſiſsime percuſſæ fuerint, ſonum haudquaquam reddunt harmonicum: Eodem pacto ea demum perfecta definienda eſt oratio quam labia proferunt, & in qua hæc tria ſimul concurrent: Vitæ bonitas, quæ ſe habet inſtar bonæ percuſsionis chordarum citharæ, quatenus potentiæ, atque affectus inſtar fidium ſe habent reſpectu animæ: harmonicus interioris deuotionis ſonus: & concors cum huiuſmodi ſono cātus, eæ, quæ voce proferuntur preces, ac laudationes Domini, quas communi vocabulo orationes peculiariter vulgo appellant. *a Auſer à me tumultum carminum tuorum*, dixit aliquando Deus per Prophetam Amos, *& cantica lyræ tuæ non audiam*: orationes, quę ad ſonum organi inconcinne percuſsi decantatæ ſint, & prolatæ ab anima, quæ chordarnm potentias, affectuſque remiſſos habet, & cui probitas deſit vitæ, tumultum carminum appellans: Eas vero laudationes, & preces, quæ ſono interioris deuotionis non ſunt concordes, cantica lyræ nuncupans. Pſaltes ille Regius Dauid horum, quæ ad perfectam orationem neceſſaria ſunt optime conſcius in Pſalmo 65. hæc tria indicans, ait: *b Ad ipſum*, ſcilicet Deum, *ore meo clamaui*, en primum, *Et exultaui ſub lingua mea*: Liceat mihi hac vti lectione, qua vſus eſt S. Gregorius Papa in fine libri primi expoſitionis, in primum librum Reg. tametſi verior lectio iuxta originalia habeat: *Et exaltaui*.

a *Am.* 5. 23

b *Pſ.* 65. 17

Greg. Pap.

Porro in his verbis: *Et exultaui ſub lingua mea*, indicat ſecundū, ſine quo primum nil virium habet, exultationem interioris deuotionis: Quia vero neutrum iſtorum duorum recte fieri poteſt, vel quippiam valet, ni ſimul adſit & tertium, idcirco adiecit: *Iniquitatem ſi aſpexit in corde meo, non exaudiet Dominus*: ac ſi dicat: Ni ſimul & vitæ ſanctitas ita cum prædictis duobus adſit, vt nedum extrinſecus nil in me appareat, quod prauitatem redoleat; ſed nec in penetralibus cordis mei quidquam ipſe met aſpexerim iniquitatis, oratio mea Domino haud erit accepta, & grata. Cum hæc ita ſe habeant, cæleſtis ſponſus in hac ſententia piæ animæ orationem illuſtriori encomio, quam celebrarat ſupra in verſu 3. hiſce omnibus eam conſtare ſignificat, ac perfectiſsimo modo ſingula in illa eſſe, ſimulque inuicem connexa demonſtrat: id autem efficit, illummet ſeruans ordinem, quem in præcitata ſententia ſeruauit & Dauid. Quod enim is dixit: *Ad ipſum ore meo clamaui*: extrinſecum vocis ſonum deſignans, multo efficacius ſponſus expreſsit præclara admodum ſimilitudine faui ſtillantis, dicens: *Fauus diſtillans labia tua*: nō *fauus*, ſimpliciter, ſed *fauus diſtillans*. Enimuero fauus, ſi abſque melle ſit, nullius eſt pretij, nullumve guſtui profert commodum, nullum ſaporem; cum è veſtigio, ſi melle refertus ſit, non modica eius habetur ratio: ipſumve, quo exuberat, mel diſtillans, ingentem pariter ex ſe profert dulcedinem. Sic & preces illæ, quæ labijs funduntur, ſi ſine melle ſint intrinſecæ deuotionis, & ſine mentis attentione, nil à Deo æſtimantur, nullamve ex ſe proferunt ſuauitatem, nullum & commodum, provt & Apoſtolus Paulus cōteſtatus eſt, cum diceret: *c Si orē lingua, ſpiritus meus orat: mens autem mea ſine fructu eſt*, id eſt, ſi lingua tantum orem abſque deuotione, & abſque mentis attentione, ſpiritus meus, id eſt flatus meus, vox mea tantum orat; at ſine vlla dulcedine, ſine vllo fructu: nam mens mea ſine fructu eſt. *Quid ergo eſt?* id eſt. Quid ergo faciendum eſt? qualis debet eſſe oratio voce prolata vt bona ſit, & fructum afferens? *Orabo*, inquit, *ſpiritu, orabo & mente*, id eſt, orationem ipſam vocalem faciam cum deuotione, & mentis attentione: *Pſallam ſpiritu, pſallam & mente*.

Oratio vocalis ſine deuotione nil valet.

c 1. Cor. 14. 14.

Dicet aliquis, ſi fauus diſtillans eſt huiuſmodi oratio, quæ ſpiritu facta ſit, & mente, quinam ipſa diſtillat, quemue diſtillatione ſua dulcedine reficit? Reficit, perfunditque voluptate atque dulcedine ſua Deum ipſum, in cuius os mel diſtillat interioris deuotionis; conteſtatum id habemus à Regio pſalte in principio Pſalmi 146. dum ad iſtiuſmodi promouens orationem ait: *d Laudate Dominum, quoniam bonus eſt pſalmus: Deo noſtro ſit iucūda, decoraque laudatio*, id eſt, ſuauis ſit, & dulcis. Quam vero iucunda ſit, quamve eadem Deo placeat in Pſal. 61. egregia comparatione idem Dauid exprimere nititur, dicens: *e Laudabo nomen Dei cum cantico & magnificabo eum in laude: & placebit Deo ſuper vitulum nouellum, cornua producentem, & vngulas*, id eſt, pluſquā gratiſsima quælibet victima.

Oratio deuota diſtillat mel in os Dei.

d *Pſ.* 146. 1

e *Pſ.* 68. 31

8 Porro, quia nullatenus anima dulcedinem in os Dei diſtillare poteſt per orationem ſuam, eademque Dominum delectare, ni prius ipſamet in ea delectetur, dulcedinemque guſtet illius, provt & ſupra oſtenſum eſt in verſ. 3. idcirco neceſſario adiectum eſt: *Mel & lac ſub lingua tua*: ſiue enim per id, quod dicitur *ſub lingua*, cor intelligas, provt in prima litteræ expoſitione ſumendum oſtendi: ſiue palatum, & guttur, quæ ſubtus lingua ſita guſtationis ſenſum perficiunt; per verba iſta hoc deſignatur, quod pia anima prius ipſa guſtum in corde ſuo, atque in ſe percipiat ſuauiſsimum in ijs, quas fundit, percibus: tum dulcedinem, quam ipſa guſtat, in ipſummet Deum refundat, diſtillans, tamquam è pleno fauo Mel copioſum. Hunc guſtum ſimplicius expreſsit Dauid, cum verbis illis, *Ad ipſum ore meo clamaui*, adiecit: *Et exultaui ſub lingua mea*: verbo exultaui maximam ſignificans guſtus oblectationem. Vnde & in alio Pſalmo dicebat: *f Iucundū ſit ei*, ſcilicet Deo, *eloquium meum: ego vero delectabor in Domino*: Ac ſi diceret: Vt labia mea ei ſint fauus diſtillans, dabo operam, vt Mel, & lac ſit ſub lingua mea; vt ipſe delecter in Domino. Tametſi autem voces orationis ſint obiectū potius auditus, quā guſtus; melli nihilominus diſtillato è

Oratione ſua delectaturus Deum delectari ipſe prius debet in ea.

f *Pſal.* 103. 34.

lato è fauo in os eas aſsimilauit, indicans nimirum, quod, ſicut eæ ſunt Mel animæ orãtis, & Mel in ore, dum eas in ore habet: ita ſibi pariter Mel ſunt ex illo eius ore ſtillatũ in os ſuũ: quia non tantum ad ſuas admittuntur aures, ſed & ad os, atque adeo earum dulcedinem nedum auditu, ſed & guſtu percipiat, quaſi & ipſe quoque emiſſas ab anima orante voces illas in ſuo acceptas ore, per illud eas verſet, proferendo illas ſibimetipſi.

Oratio ea eſt Deo grata quæ fit ab anima oriente ſemet, & orationẽ ſuam Ieſu Chriſto.

a *Eph.4.14*

At id, quod ſane piæ animæ orationem reddit & illuſtriorem & Deo iucundiorem, illud eſt, quod ipſamet anima, haſce effundens preces, & ſeipſam & orationes pariter ſuas, *a* induit Dominum Ieſum Chriſtum, iuxta conſilium Apoſtoli ſuperius relatum, exhibens ſe humilem & interius, & exterius Chriſto Ieſu in iuſtitia, & ſanctitate: Nec nõ & ipſas, quas fundit preces, Patri ſimul, ac ſponſo offerens veluti indumento opertas meritis glorioſiſsimis eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſuper altare crucis ſe ipſum obtulit in holocauſtũ maxime omnium acceptabile, ad inſtar Iacob, *b* qui hœdinis pellibus manus, collumque operuit; ſicque ea cooperta palpanda Iſaac obtulit patri. Hæc autem omnia modicis hiſce verbis, *Et odor veſtimentorũ tuorum, ſicut odor thuris*, peregregie deſignata ſunt: ſiue. n. veſtimenta accipiamus, quibus pia anima exornata comparet ante Dominum in perfecta oratione ſua, odor illorũ in naribus Dei eſt ſicut odor thuris, id eſt, ſicut odor Chriſti, qui de ſemetipſo ait in lib. Eccleſiaſtici: *c Ego quaſi λίβανος*, id eſt thus, *nõ inciſum, vaporaui habitationem meam*: Ita nimirum *d* Chriſtum induta, vt vita illius manifeſtetur in ipſa, non ſecus ac veſtimenta, quæ extrinſecus operiunt corpus, manifeſtantur in corpore ipſo. Siue alia illa eiuſdem animæ ſumamus veſtimenta meritorũ, quibus cooperta, & exornata vniuerſa bona illius opera, & in primis orationes cæleſti ſponſo proponit, & manifeſtat: odor pariter iſtorum veſtimentorum eius veriſsime dicitur ſicut odor thuris, illius nimirum thuris, quod ſuper altare crucis ad ignem ardentiſsimæ charitatis oblatum eſt in odorem ſuauitatis, meritorum Chriſti in cruce confixi.

b *Gen.27. 26.*

c *Eccl.24. 21.*

d *2. Cor.4.*

Quod ergo iuxta primam orationis piæ animæ commendationem in præſenti dicitur encomio tale eſt.

Paraphraſis.

Oratio tua, ô ſponſa, perfectiſsima eſt, & omnibus numeris abſoluta: quatenus enim voce profertur, inſtar faui Mel mihi diſtillat prædulcis deuotionis, deuotæque attentionis, qua me voluptate perfundis: diſtillas autem mihi eam, quam tu prius vberibus deguſtas in corde, & in ſpiritali palato, ac gutture tuo dulcedinem: propter quam dulcedinis deguſtationem iure optimo dici debet, *Mel, & lac* eſſe *ſub lingua tua*. Quod vero me maxime allicit ad iſtas tuas exaudiendas preces, quove maxime in illis oblector, *odor* eſt, quo & tu, illas fundens, redoles in veſtimentis tuis: induta ſiquidem Dominum Ieſum Chriſtum, eius vitam, atque virtutes in me manifeſtans, odore fragras ſimili odori eiuſdem, qui thus illud eſt præſtantiſsimum, euaporans habitationem ſuam: *odor* quoque, quo eædem tuæ redolent orationes in iis, quibus indutas, & coopertas eas mihi offers meritis, ſuauiſsimus mihi eſt, ſicut odor Chriſti crucifixi, qui inſtar thuris fragrantiſsimi ſuper altare crucis ad ignem ardentiſsimæ charitatis oblatus eſt mihi in odorem ſuauitatis: Nec mirum. eius enim merita ſunt hæc orationum tuarum veſtimenta.

9 Primi ſenſus altera explic.

Orationis ſunt tres ſpecies, vocalis, mentalis & quæ fit per bona opera.

e *Pſal. 118. 164.*

Quod ſi ſecundo modo hæc ſumpſerimus, vt dicta in encomium trium ſpecierum orationis vnius eiuſdemque piæ animæ, ſupponendum, tribus modis orare poſſe vnamquamque animam: vel voce exrrinſecus prolata, quomodo oratur in Eccleſia ad exemplum Dauid Regis dicentis: *e Septies in die laudẽ dixi tibi*, qualis eſt & omnis oratio vocalis: vel abſque vocis exterioris prolatione, mente duntaxat meditando, & laudando Dominum, de qua in Pſalm. dicitur: *f Memor fui dierũ antiquorũ, meditatus ſum in omnibus operibus tuis, & in factis manuũ tuarũ meditabar: Expandi manus meas ad te*, ſcilicet orans: quæ oratio ab eo, quod mente fit, oratio mentalis nuncupatur: vel tertio operatione, bene ſcilicet agendo ſecundum virtutes varias, quin etiam bene agendo ea ipſa, quæ ad præſentem vitam tranſigendam neceſſaria ſunt, iuxta quod ab Apoſtolo dicitur in prima epiſt. ad Corinth. *g Sine manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*: & in ea, quæ eſt ad Coloſſẽſes. *h Omne quodcũque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Ieſu Chriſti facite, gratias agentes Deo, & Patri per ipſum*: Vnde Baſilius homilia 2. in Iulittam colligit, à iuſtis quibuſq; perfecte impleri id Domini præceptũ; *i Oportet ſemper orare, & numquã deſiſtere*; Secundum quod & Paulus ait: *k Sine intermiſsione orate*: quia (vt bene aſſerit Beda in Lucam ſuper citatam Domini ſententiam) non deſiſtit orare, qui non deſiſtit bene agendo iuſtus eſſe.

Orationis continuæ præceptum quomodo impleatur.

f *Pſ.142.5.*

g *1.Cor.10. 31.*

h *Coloſſ. 3. 17.*

i *Luc.18.1.*

k *1. Theſſ.5 17.*

Ex hoc igitur ſponſam ſuam commendans cæleſtis ſponſus, quod hiſce tribus ſpeciebus orationis interpolatis vicibus oret, ſicque continuatis precibus ſibi iuncta permaneat, ſingulas iſtarum orationum eius laudibus euehit, metaphoris, ac ſimilitudinibus peregregiis.

Oratio vocalis quam apte comparetur fauo ſtillanti.

Ac primo, orationem vocalem labiorum metaphora deſignans, vtpote labiis ipſis prolatã appellat fauum diſtillantem: per quam faui ſtillantis ſimilitudinem primo ſingularem iſtiuſmodi in eam confert laudem; quod quaſi ad os Domini fiat; ita vt quotquot profert voces, tot mellis ſtillas in dictum Dei os ſtillet: ideo quippe huiuſcemodi mellis dulcedine oblectatus ipſemet exclamat aliquando: *l Vox tua dulcis*. & : *m Eloquium tuum dulce*.

l *Cant.2.14*

m *Cant.4.3*

Oratio ea dulcis Deo, quæ fit corde contrito, & contributato.

n *Pſ 50.19. Simile.*

Quin etiam per eamdem ſimilitudinem & modũ indicat, quo hæc diſtillatio in os Domini fiat largiter, & abundanter: is vero eſt, ſi oratio ipſa facta ſit in ſpiritu contribulato, in animo contrito: *n Sacrificium enim Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatũ Deus non deſpicies*. Nam ſicut ad hoc vt fauus diſtillet mellis copiam, operæpretium eſt, vt comprimatur: Ita ad hoc, vt fauus precum labiorum mellis dulcedinem in Dei os ſtillet, neceſſe eſt, vt compreſſus ſit vel per contritionem, vel per tribulationem aliquã; atque adeo bene oratio præſertim vocalis dicta eſt fauus ſtillans; quia tunc maxime quælibet anima iuſti illam profert, cum tribulatione aliqua premitur, iuxta illud: *o Ad Dominũ cum tribularer, clamaui, & exaudiuit me*. &: *p In tribulatione mea inuocaui Dominũ, & ad Deum meũ clamaui: & exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meã: & clamor meus in cõſpectu eius*, quod millies repetitum inuenies in ſacris litteris.

o *Pſ. 119.1*

p *Pſal.17.7*

Extollit deinde ſecundam orationis ſpeciem, aptiſsimo ſane nomine eam deſcribens ſimul, ac laudans his verdis: *Mel, & lac ſub lingua tua*: Orationem mentalem eam deſignans eſſe, quæ haudquaquam lingua, & labiis promitur, æque ac vocalis: at quæ ſub ſilentio fit, promiturque ſub lingua, corde nimirum, & ſummo guſtu animæ orantis. Ponderantes autem exactius verba iſta, *Mel & lac ſub lingua tua*: plura comperiuntur per ea ſignificari, quæ in præſtantiſsimas iſtius mentalis orationis laudes redundent.

Oratio mentalis eſt conſeruatrix guſtus qui percipitur è ſtudio orationis, & cõtemplationis.

Ac primo perbelle præcipua eius proprietas ſubindicatur, quæ in eo ſita eſt, quod myſterium contẽplationis, cuius guſtus animæ exhibetur, haud illico pertranſit; ſed in illo ipſa diutius detinetur anima orans: quodve guſtus ille qui ex deuota oratione vocali percipitur, & per eamdem orationem mentalem animæ conſeruatur. Videtur namque verbis hiſce ſponſus alludere ad id, quod à quibuſdam effici ſolet, qui, cũ prædulce aliquid guſtu perceperint, haud illico deglutiunt, ſed quo magis in præguſtata oblectẽtur dulcedine, in ore id verſant, tenetq; quã diuitius poſſunt ſub lingua, vbi vis poſita eſt guſtus.

Orationis mentalis præſtantia ſuper orationem vocalem.

Significatur ſecundo excellentia huius orationis mentalis ſuper orationem vocalem, eaque ex triplici capite. Primo, ex maiori, quam continet, dulcedine: Secundo, ex eo quod cibo vnicuique congruenti nutriat, ac reficiat: Ac tertio, ex eo quod animũ à terrenis hiſce abſtrahat ad cæleſtia.

In oratione mentali quã ingens ſit copia dulcedinis.

Quoad primum: Notanda diuerſitas laudis eius, quæ in orationem vocalem collata eſt in prima huius encomij parte: & iſtius quæ in hac ſecunda parte confertur in orationem mentalem: illa ſiquidem comparata eſt fauo, ex quo aliquæ mellis diſtillent guttæ: iſti vero mel, & lac ſimpliciter tribuitur. *Mel & lac ſub lingua tua*: ex ipſa namque haud iam quædam mellis guttæ diſtillant; at maxima ei ineſt dulcedinis mellis, atque lactis copia, maximæ & delectationes, quod quam vere dictum ſit, ex ijs patet, quæ idem-met Dominus apud Iſaiam ſignificauit, dicens:

a Iſa. 56. 7. *a Adducã eos in montem ſanctũ meũ* (meditationis nimirum) *& lætificabo eos in domo orationis meæ.* Quarum delectationum abundantiam explicare ſacræ litteræ ſolent aliquando ſub metaphora torrentis voluptatis, vt in Pſalm. 35. b Pſ. 35. 9.

b Torrente voluptatis tuæ potabis eos: & nonnunquam etiam ſub metaphora fluminis, ac

c Iob 20. 17. torrentis mellis, atque lactis, vt in libro Iob *c* de impio: *Non videat riuulos fluminis, torrentes mellis, & butyri*, quod eſt ipſius lactis pinguedo.

Per orationẽ mentalem nedum delectamur, ſed & nutrimur.

Quoad ſecundum: Non tantum mel, ſed & lac dicitur eſſe in oratione mentali: quia ex ipſa nõ modo habentur dulcedines guſtus, ac delectationes ſpiritus; at inſuper cibamur lacte, quo nutrimur in vita ſpirituali, quæ ſita eſt in calore charitatis, prout vita corporea ſita eſt in calore naturali, qui per ſenſibiles cibos & augetur, & conſeruatur. Porro cibus quo in anima augetur, & conſeruatur charitatis calor, & vita ipſa, meditatio eſt diuinorum operum, contemplatio Dei, & conſideratio cæleſtium myſteriorum, provt alias exinde probatum eſt, quod in

d Tob. 12. 19. libro Tobiæ Angelus Raphael dixit: *d Ego cibo inuiſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, vtor*, Dei nimirum contemplatione. Bene autem ſpiritualis iſte cibus, qui in oratione mentali exhibetur, nomine lactis potius quam alterius liquoris, aut cibi ſignificatus eſt; vt perſuaſi per hoc redderemur, cibum iſtum eſſe talem, qui ab vniuerſis hominibus, ſiue ſint in vita ſpirituali incipientes, ſiue perfecti, comedi poſſit: hoc namque ex omnibus cibis, quibus homines veſci ſolent, vnius duntaxat lactis proprium eſt (vt alias quoque eſt ponderatum) quod & infantes, & iuniores, & ſenes illud comedere, & bibere queunt, cunctiſque nutrimento eſt. Vnde forſitan factum eſt; vt cum Deus populo Iſraelitico pollicereturſæpius dare terram delicijs, ac perfectiſsimorum ciborum copia abundantem, terram fluentem melle, & lacte eam nuncuparit, per mellis nomen delicias innuens; per lac vero cibos ſuauiſsimos, atque perfectos.

Oratio mẽtalis inducit ecſtaſim.

Quoad tertium, per hoc ipſum, quod vna cum melle adiectum eſt & lac, deſignatum eſt, orationẽ mentalem nedum præbere piæ animæ delicias, & cibum, quo in vita ſuſtentetur ſpirituali; verum etiam cibum huiuſcemodi præbere, qui vim habeat inducendi dulciſsimum ſoporem ecſtaſis, eleuans animam à ſenſibilibus, & terrenis ad cæleſtia: lac ſiquidem talem habere vim inducendi ſoporem, præterquam apud eos, qui de qualitatibus rerum naturalium tractant, pro indubitato habetur: colligitur etiam ex libro Iudicum loco ſæpius citato,

e Iud. 4. 20 *e* vbi Iahel dicitur lacte ſoporatum reddidiſſe Siſaram.

10 *Orationi deditus in ea habet quicquid neceſſarium eſt ad vitam ſpiritualem.*

Tertiam vltimo loco cœleſtis ſponſus laudibus celebrat orationis ſpeciem, qua pia anima bene operando orat, dicens: *Et odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris.* Circa quæ verba, primo notandum, quam congrue in hoc orationis encomio tertiã ipſius ſpeciem ſub veſtimentorum metaphora deſignarit, idque poſtquam dixit: *Mel & lac ſub lingua tua.* Enimuero, quia cæleſtis encomiaſtes id maxime intendit, vt certiorem vnumquemque redderet, per ipſam vnam orationem, cuius encomium hic contexitur, omne id præſtari, quod animæ neceſſarium ſit ad vitam ſpiritualem bene degendam; cum ex tribus, quæ neceſſaria exiſtunt ad tranſigendam vitam corpoream, cibus, delectatio, ac veſtimentum, duo prima per eam exhiberi oſtendiſſet, cum dixit: *Mel & lac ſub lingua tua*, vt explicatum eſt: ne quis exiſtimaret, tertium per ipſam minime præſtari, atque adeo verendum, ne animæ, quæ dedita eſt orationi, calor charitatis extinguatur, aut ſaltem debilitetur ob frigus tepiditatis, atque peccati, ſeu ob æſtus vehementiores concupiſcentiæ, quæ ambo arcentur per indumenta extrinſecus ambientia corpus, aut animam: idcirco hanc tertiam orationis ſpeciem, quę virtutum operatione perficitur, veſtimenta nuncupat.

Veſtimenta animæ ſunt virtutum opera, & in primis ſubiectio, & obedientia.

Porro quod virtutum operationes veſtimenta ſint piæ animæ, ab Apoſt. Paulo conteſtatum habemus in Epiſt. ad Coloſ. vbi ait: *f Induite vos, ſicut electi Dei ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, ſupportantes inuicem, & donantes vobismetipſis, ſi quis aduerſus aliquem habet querelam, ſicut & Dominus donauit vobis, ita & vos: ſuper omnia autem hæc charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.*

f Coloſſ. 3. 12.

Et ſi vnico verbo volumus ſcire, quis ſit ornatus veſtimentorũ piæ animæ, quæ ſponſa Dei eſt, ipſa eſt ſubiectio, & obedientia: quia illa ſponſo ſuo ſubiecta eſt Deo, obtemperans mandatis illius, provt colligitur ex hiſce Petri verbis: *a Mulieres ſubditæ ſint viris ſuis: quarum non ſit extrinſecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus:*

a 1. Pet. 3. 3.

Sed qui abſconditus eſt cordis homo, in incorruptibilitate quieti, & modeſti ſpiritus, qui eſt in conſpectu Dei locuples. Sic enim aliquando & ſanctæ mulieres ſperantes in Deo ornabant ſe, ſubiectæ propriis viris, &c.

Virtutum operatione oratio efficaciſsima.

Ne quis autẽ ambigeret veſtimenta iſta eſſe pariter orationem, ſicut eſt & vocalis, & mentalis, eaſdemque habere vires, egregie dixit: *Et odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris.* Quis enim ignoret, thus in ſacris litteris ſymbolum eſſe orationis, ſicut odorem thuris ait eſſe odorem horum veſtimentorum: vt innuat, illam haud quamlibet eſſe orationem ordinariam, quales multæ à nobis fieri ſolent, quarum fragrantia nulla eſt: at eſſe ex earum numero, quæ in odorem ſuauitatis vſque ad celſiſsimum Dei thronum inſtar thuris aſcendit, qualem ſuam orationem eſſe optabat Dauid, cum diceret: *b Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in cõſpectu tuo.* Quidni vero bona pię animæ opera, ſanctarumque virtutum actus, & diuinorum mandatorum obſeruatio in odorem ſuauitatis inſtar incenſi eleuentur ad Dominum, clamoremque ſuum inſtar efficaciſsimæ orationis in Dei aures immittant? ſi de prauis operibus, peſsimiſve Sodomorum ſceleribus dictum ab ipſomet Domino reperimus in libro Geneſis: *c Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatũ eſt nimis. Deſcendam, & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere cõpleuerint*: Et Angeli paulo inferius ad Loth dixerint: *d Delebimus locũ iſtum, eo quod increuerit clamor eorum coram Domino*: Et ſi ſanguis per homicidij ſcelus effuſus, propriam habet vocem, qua de terra clamet ad Deum, ipſomet Domino id conteſtante, atque dicente: *e Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra*: cur non & virtutum actibus vox tribuatur, qua inſtar orationis clament ad Dominum? Sane apud Principes mundi vt plurimũ plus vocis habent iuges miniſtrorum famulatus, ſedula, exacta, grataque obſequia operibus præſtita, quam ſupplices quęque petitiones: hinc fit, vt ſi quando hiſce, qui talia eis exhibuerint obſequia, aliqua ingruerit perſecutio, & tribulatio, tametſi ij nil petierint, illico eis opem ferant: quin & ſæpius, cum plures ab aliis ſibi porrecti ſint libelli ſupplices, vt aliquid eis conferant vel honoris, vel cenſus, vel dignitatis, obſequia & famulatus

b Pſ. 140. 2

c Gen. 18. 20.

d Gen. 19. 13.

e Gen. 4. 10

Similes.

iſtorum

istorum potius exaudiunt; tametsi ij nil voce flagitent, nullumve dederint libellum supplicem: quia nimirum ea ipsa eorum opera, in sui obsequium ab illis exhibita, efficacius orant, & clamãt apud ipsos, qui gratitudinem præ se ferre studeant in singulos. Idipsum moris etiam apud cælestem principem, ac Dominum dominantium esse, compertum optime habuit Dauid aliquando, adeo absque vlla particulari petitione, absque alio libello supplici dicebat: f *Exaudi Domine iustitiam meam*, quæ scilicet sita est in bonis operibus, quibus tibi iugiter inseruire conatus sum: ac pro certo habens iustitiam istam esse efficacissimam orationẽ, subdit statim: *Intẽde deprecationem meam: Auribus percipe orationem meã nõ in labijs dolosis*, id est, non eam orationem, quam labia proferunt, quæ plerumque in ipsomet actu orandi dolosa existunt, quando laudem in te conferunt, cum cor orantis longe est à te; sed orationem istam quam ipsa iustitia mea profert, per quam iustitiam cor meum tibi ex intima inseruit charitate.

f *Psal.16.1.*

II Bene igitur piæ animæ, quæ huiusce modi iustitia Deo inseruit, atque indumentis virtutum, & bonorum operum vestita ante Deum adstat, ab ipso, qui eius est sponsus, dicitur: *Et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris*. Id est sicut odor efficacissimæ orationis. Et quidem, quod primum illud vestimenti genus ab Apostolo numeratum, viscera misericordiæ, odorẽ redoleat thuris, aperte habetur in lib. Ecclesiastici, vbi Sapiens ille dicit: g *Conclude eleemosynã in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo*. Quodq; & præstantissimum illud subiectionis, & obedientię vestimentum assignatum sponsæ à Petro Apostolo, eumdem pariter redoleat thuris odorem, vimque habeat orationis item efficacissimæ, colligitur non obscure ex iis Psalmi verbis, h *Subditus esto Domino, & ora eum*: quibus propheta regius insignem istum orationis modum edocens piam animã, quasi quid tale dicere videtur: subditus esto Domino per verã resignationem, & obtemperans mandatis eius: hacque subiectione, & humili obedientia absq; alijs precibus ora ipsummet Deum. Quã vero efficax istæ sit orãdi modus, exponit in præcedẽtibus verbis, cum dixit: i *Revela Domino viã tuã, spera in eum; & ipse faciet*, id est, si reuelaueris Domino viam tuam: si coram Domino, & in conspectu illius te exhibueris decurrentẽ viam mandatorum ipsius atque virtutis: si tuam in eum spem illi ostenderis; tametsi nullum aliud adhibeas orationis genus, quo ipsum vel externa, vel interna, deprecceris voce: ipse nihilominus faciet, illud scilicet omne, quod tibi petendum ab eo esset. Quare tam prompte faciet? nisi quia ipsamet reuelatio prædicta, spesque sibi exhibita, odorem ei redoleat thuris, sitque oratio efficacissima? vnde postmodum illico subiectum est: *subditus esto Domino, & ora eum*: eo sensu, quẽ explicaui. Quod deniq; istud vltimũ orandi genus, quo indumẽta virtutum exorant; tametsi vltimũ collocatũ in hoc, quod exponimus orationis encomio, primas inter omnes orationis species tenere, dicendum sit, saltem quoad suauitatis fragrantiam in naribus Dei, & quoad efficaciam, exinde non incongrue deduci, probarique potest, quod quando in sacris litteris tribuitur excellens aliquod, eximium, atque arduum effectum orationi, ei potissimum tribuitur orationi, quæ sit facta per exhibitionẽ alicuius actus virtutis: sic in libro Ecclesiastici dicitur: k *Oratio humiliantis se nubes penetrabit*: vbi quod per nomen orationis intelligi debeat ipsemet humiliationis actus colligitur ex his, quæ paulo post subiecta sunt, verbis hisce; *Et donec propinquet, non consolabitur*, id est non admittet consolationem; *Et non discedet, donec Altissimus aspiciat*. vbi notandum, quod non dicitur: donec Altissimus audiat, prout dicendum fuisset, si sermo esset de oratione, quæ voce profertur interna, vel externa, sed *donec Altissimus aspiciat*. Enimuero haud vox est, quæ aspicitur, sed actus ipse humilitatis, quem humilians semetipsum, diuinis exhibet oculis. Iacobus quoque Apostolus a admonẽs fideles, vt cũ *quis infirmatur*, inducant *presbyteros Ecclesiæ*, qui *orent super eum, vngentes illum oleo in nomine Domini*: cum insignes postmodum, atque sublimes numerat effectus orationis, haudquaquam eos tribuit orationi illi peculiari, quæ voce profertur, sed potissimum alij huic orationis speciei, quæ actu exhibetur virtutis: atque ipsum fidei actum orationis nomine exprimens, ait: b *Et oratio fidei saluabit infirmũ, & alleuiabit eũ Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei*: quamquam enim communi expositorum sententia per orationem fidei eo loco orationem fidelem intelligi sciã, eam scilicet, quæ fidem coniunctam habeat, quando profertur voce: aptissime nihilominus actum fidei potius intelligendum mihi persuadeo ex eo, quod & Dominus noster in Euangelio secundum Marcũ, cum de oratione agit, qua quidpiam à Deo petendũ est cum fide, primum illud aliud proponit, docetque orationis genus, quod Iacobus orationem fidei appellat, quodve, cum in ipso actu fidei situm sit, absque expressa alia petitione efficacissimum est inter omnes orationis species: sic enim ait: c *Habete fidẽ Dei: Amen dico vobis, quia quicunq; dixerit huic monti: Tollere, & mittere in mare, & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit, quia quodcũque dixerit fiat, fiet ei*, & subdens de oratione, addit: *Propterea dico vobis, quodcũque orantes petitis, credite, quia accipietis, & euenient vobis*. Ponderanda sunt prima illa verba: *Quicũq; dixerit huic monti, Tollere, &c.* per ea siquidem actus exprimitur fidei, imperãtis monti, vt tollatur, non petitio à Deo, vt montem tollat: quamuis in eo actu fidei ob oculos sibi proposito orationem aspiciat Deus, non eam, quæ voce promitur; sed eam, quæ exhibetur virtutum actibus, de quibus nunc dicitur: *Et odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris*.

a *Iaco.5.14*

Fidei actus est oratio efficacissima.

b *Iaco.5.15*

c *Marc.11.22.*

Itaque in encomio isto Deus exinde piam animam commendans, quod iugi instar fidelissimæ spõsæ sibi iuncta sit oratione, quæ ob conditionem præsentis status tribus modis variatur, singulos istorum modorum breuiter verbis hisce commendare videtur.

Cum preces labijs effundis, quasi *labia* ipsa *tua* sint *fauus*, ad os meum appositus, suauissimam mihi exhibes dulcedinem in singulis vocibus ijs, quas instar mellis è fauo isto tuo in meum distillas os: idque tunc largius stillas, cum in spiritu contribulato, & in animo contrito, quasi fauum comprimens, tuas fundis orationes. Multo autem præstantius, multoque suauius mihi iuncta es, quando alia ratione oras in silentio, absque vllo labiorum motu, sub lingua deprecans in corde, summoque contemplationis gustu: tunc sane *mel & lac* abscondis *sub lingua tua*, haud illico perceptam deglutiens dulcedinem; at, quam degustare cœpisti, diutius per os mentis versare satagens: Tunc non iam habes stillas duntaxat mellis, at thesauros mellis, & lactis torrentes voluptatum. Nec dulcedinis tantum gustus per mel designatus exhibetur tibi in mentali hac oratione: at & cibus lactis infirmitati tuæ apprime idoneus, quo & nutritur, & augetur in te vitalis calor charitatis: quove plerumque in soporem ecstasis inducta à terrenis hisce abstraheris ad cœlestia. Neque vero timendum, ne cum orationi vacas, frigore tepiditatis, aut peccati cuiuspiam, vel æstu concupiscentiæ offendaris, quasi nuda existens: habes siquidem vestimenta, quibus & contegeris, & exornaris, virtutum habitus, atque actus, & subiectionem in primis, atque obedientiam, qua mihi sponso tuo subiecta, singulis meis parere studes mandatis: quæ sane vestimenta tua & ipsa vim habent orationis efficacissimæ: *odor* namque illorum est *sicut odor thuris*, quod super aureum altare incensum vsque ad conspectum meum eleuatur in odorem suauitatis, directa nimirum & hac oratione, sicut & incen-

Paraphra-sis.

Oratio quæ fit per bona opera, primas tenet inter species orationis.

f *Psal.16.1.*

g *Eccl.29.13.*

Obedientia Deo exhibita est oratio efficacissima.

h *Psal.36.7.*

i *Psal.36.5.*

k *Eccli.35.21.*

Humilitatis actus est oratio efficacissima.

sum

sum illud in conspectu meo tunc, cum singulos eorum actuum conspicio.

12 Secundus sensus princip.

Vt alter ille sensus principalis, quem secundo loco attuli in prima litteræ expositione, ad spiritum reducatur, apteturque ad piam animã: Supponendum id, quod supra ponderatum est in exposit. tertia illorum verborum vers. 3. huius capitis, *sicut vitta coccinea labia tua*, sub labiorum metaphora in sacris litteris designari solitam orationem, non tam ob id, quod labiis proferatur, cum alioqui plerèque sint orationes, eæque præstantissimę, quæ absque labiorũ prolatione promuntur, quam ob id, quod per hanc labiorum metaphoram subinnuitur quædam mutua, ac reciproca communicatio spiritus inter Deũ, atque animam orantem, quatenus labiis osculum susciptur, ijsdemque etiam osculum exhibetur, ac per dicta oscula reciproca sit communicatio spiritus, quæ est præcipuus ipsius orationis effectus, & in qua præstantior sita est illius excellentia.

In corde deuoto fit mutua communicatio spiritus inter Deum & animam.

Hoc supposito, subtilissime profecto cœlestis sponsus debitam hanc, reciprocamque communicationem spiritus à sancta illa anima, quę sponsa eius est, efflagitans, atque ad spirituale osculum eamdẽ inuitans, ait, *Fauus distillãs labia tua: mel & lac sub lingua tua.* Dum enim eius labia, quæ ipsum osculantur, fauo distillanti comparat, subdit, sub lingua eius esse item mel & lac, id indicat, cuius maxima habenda est ratio in materia orationis, & reciprocę cõmunicationis spiritus, nimirum, per orationis osculum Deo impressum eatenus communicari spiritum ab anima eidem Deo, quatenus per precedens Dei osculum diffusa est gratia in labijs animæ, quibus id Deus impressit. Hinc est, quod anima ipsa, cui optime hæc comperta erant in principio huius Cantici antequam vllum proferret verbum, significauit, se prę vniuersis rebus exoptare præueniens istud Dei osculum, illudve efflagitans, dixit: *d Osculetur me osculo oris sui:* quinimo, postquam diuina hac dignata est gratia, per osculum, quod ab illo in suis susceptit labijs, eam in eisdem labijs susceptit & gratiam, eum & spiritum distillandæ orationis, vt vna cum Regio Psalte dixerit: *e Immisit in os meum canticum nouum*: en spiritum à Deo susceptum, vt oraret: addit postmodum quomodo susceptum istum spiritum mutua reciprocatione labiis ipsis suis, oratione sua illi osculum imprimendo communicarit, dicens, *Carmen Deo nostro*, id est, canticum, quod ipso orandi actu vt suauissimum carmen Deo redderetur: quodve per labia Deum osculantia tamquam per fauum instar mellis distillaret in osculatum Dei os. Quanam vero ratione comparando labia sponsæ ad fauum stillantem, hæc subindicat? per id, quod non fauo simplici, sed fauo stillanti mel ea comparauit labia, & orationes. Porro si mellis eius, quod fauus distillat, naturam consideremus, inueniemus, id è cœlo profluere: quamquam enim apes videantur esse, quæ illud intra fauos efficiunt: re vera tamen apes deferunt potius, quod è cœlis super folia, & flores defluxum ore intra suos condiderint ventres, è quibus id postmodum intra fauos euomunt: cuius rei testis est Aristoteles lib. 5. de historia animalium cap. 22. Plinius lib. 11. cap. 12. & Galenus lib. 3. de alimentorum facultatibus: Mel antem (inquit Aristoteles) non ipsas facere apes, sed rorem cadentem deferre, argumento est, quod vno, aut altero die cellas melle completas inueniant apiarij. Item autumno, mel postquam detractum est, non reparatur: cum tamen illo etiam tempore flores proueniant. Sublato itaque melle, & cibo aut nullo, aut exiguo extante, repetent certe apes munus mellis conficiendi, si ex floribus possent accipere. Et Plinius, Mel, ait, ex aere venit, siue ille est cœli sudor, siue quædam siderum saliua, siue purgantis se aeris succus: vtinam esset & purus, ac liquidus, & suæ naturę, qualis defluit primo. Nunc vero, è tanta cadens altitudine, multumque, dum venit, sordescens, & obuio terræ halitu infectus. Præterea è fronde, & pabulis potus, & in vterculos congestus apum: ore enim euomunt. Adhæc, succo florum corruptus, & alueis maceratus, totiesque mutatus, magnam tamen cœlestis naturæ voluptatem affert. Ibi optimus semper, vbi optimorum foliolis florum conditur. Sicut igitur fauus distillans illud distillat mel, quod è cœlis defluxum in ipsum delatum est: ita & labia piæ animæ, eiusdemque orationes, quibus Deum sponsum suum ea osculatur, dulcissimum in osculatum à se Dei os stillant mel spiritus, atque gratiæ ipsis suis precibus diffusæ, quod sane mel è cœlesti, ac diuino ore effusum prius accepit: *a Effundam* enim, dicit Dominus apud Zachariam Prophetam, *super domum Dauid, & super habitatores Ierusalem spiritum gratiæ, & precum*. Effusum autem spiritum istum è diuino ore in labiis suis, intra abdita cordis ita conseruat anima, vt cor iugiter eum linguæ promptum exhibeat congruentissime, ideoque ei dicitur: *Mel, & lac sub lingua tua*, mellis, ac lactis nominibus eximia prædicti spiritus dulcedine, ingentique eiusdem dulcedinis copia designata. Istam dulcedinem in effusione spiritus vna cum oratione, atque etiam cum ipsomet orantis corde nedum stillare, sed & largius ab osculantibus labijs effundi, eæ contestantur loquendi formulæ, quibus in sacris litteris orantes animæ aliquando dicunt: *b Effundo in conspectu eius orationem meam. c Effudi in me animam meam. &: d Effundite coram illo corda vestra.*

a Zach 12. 10.

b Ps 141 3. c Psal 41. 5. d Psal. 61. 9

Mel, & lac dicitur idem spiritus: mel, quia dulcissimus è cœlo delatus instar mellis in fauum: lac, quia substantiosus, vt ita dicam, & nutritiuus, atque adeo instar lactis ex osculo Domini exhibitus. Enimuero ea est labiorum Dei conditio, dum piam animam meditationi vacantem osculantur, vt & instar vberum se habeant, vberum munus præstent, provt & ora auium idipsum efficere conspicimus, & loco vberum se habere, atque vberum munus explere erga pullos suos: atque adeo congruenter ipsamet sponsa in principio huius Cantici osculum oris Dei simul ac vbera eiusdem efflagitans, dixit: *e Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino*: & Deus apud Oseam Prophetam, spiritum, de quo nunc est sermo, quem per osculum exhibet, quasi lac pollicetur, vt notat Hieronymus super Oseæ verbis hisce: *f Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinẽ, & loquar ad cor eius*: per quam locutionẽ ad cor, osculũ ipsum designari ost, sum est supra in expositione tertia citatorum verborum *Osculetur me osculo oris sui*. Supposito igitur, quod Deus piam animam sponsam suam tunc potissimum temporis, quando ea cum ipso manet, contemplationi indulgens, illam osculatus sit osculo oris sui, iuxta eius desiderium; ac per huiusmodi osculum in os eius effuderit spiritũ gratiæ, atque precum, è cuius spiritus fonte dulces ex eius corde emanant precum voces per linguam, atque per labia non carnalia modo, sed & spiritalia prolatę: quod hic dicitur, tale est.

Spiritus qui effunditur in oratione, quomodo dicatur mel & lac.

Labia Dei dum deuotã animam osculantur explent vberum munus.

e Cant. 1. 2.

Hieron. f Ose 2. 14.

Etheſauro cordis tui, sponsa, submiſtratum, promptumque habes sub lingua tua, quem ex prouenientę osculo meo copiosum susceptisti, spiritum instar mellis dulcissimum, instarque lactis substantiosum. Accede ergo tu modo ad me, veniens mecũ ad montem myrrhæ, & collem thuris per studium meditationis, & orationis; tuque da & mihi amabo in oratione tua osculum: *labia* siquidem ipsa *tua*, tuque orationes, quibus osculum mihi imprimes, erunt *fauus distillans*, vtpote quæ, instar faui mel distillantis, quod è cœlo in ipsum delatum est, melleum è cœlis in se diffusum spiritum precum cum tuo coniunctũ animo in meum distillabunt os, dum in affectuosis, quas promes, vocibus cor tuum in me effundes.

Paraphrasis.

Oratione deuota pia anima susceptum à Deo spiritum stillat in os eiusdem Dei per osculum spirituale.

Mel è cælo defluit.

Aristoteles.

Plinius.

Quod

13 Quod adiectum est, *Et odor vestimentorũ tuorum sicut odor thuris*, seu, *sicut odor Libani*, duobus modis iuxta hunc sensum accipi potest. Vel vt eodẽ modo dictũ, quo præcedentia, *Fauus distillans*, &c. vt denotans aliud effectum consequens præsuppositum osculum oris Dei, quod præcedit osculum animæ, ori diuino impressum, ita vt duplex in hoc versu significetur reciproca communicatio inter Deum, atque animã eius sponsam, ambas in studio meditationis, seu per studium meditationis præstitas, alteram spiritus, quæ explicata est in primis iis verbis, *Fauus distillans*, &c. vt visum est: alteram vero odoris, atque fragrantię sanctitatis quę in hisce exprimitur, *Et odor*, &c. Enimuero, si bene recolimus, quando in principio huius Cantici sponsa efflagitans osculum, atque vbera Dei dilecti sui, dixit: *g Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino*: persuasum habẽs, quod in ipso Dei osculo talis in os suum effundendus esset spiritus, qui & instar mellis dulcissimus, & instar lactis maximæ essẽt substantiæ, vt iamiã declaratũ est; adiecit illico hæc verba: *h Fragrantia vnguentis optimis: oleũ effusum nomen tuum*: quibus significauit, se ex illo osculo, seu per accessum Dei ad ipsam, eo osculo insuper cõtracturam ab illo odorem sanctitatis diuinæ: quandoquidẽ ipsius labia, quibus osculũ sibi imprimeretur, & quibus lactaretur æque ac vberibus, fragrantiora essent vnguentis optimis: &, quod maius est, is esset ipsemet odor sanctitatis, atque adeo oleũ, & vnguentum effusum iure optimo nominaretur: certum est enim, vnguentum effusum odorem impertiri omnibus, quæ tetigerit. Nunc ergo sanctitatis odorem reciproca cõmunicatione ab anima osculante ipsum per affectuosas orationes sibi pariter exhibendum in interioris, & exterioris vitæ sanctitate, asserit Deus verbis hisce: *Et odor vestimentorũ tuorũ sicut odor thuris.* Siquidem anima, quæ eo peruenit, vt præexposito modo & à Deo osculata sit in studio meditationis, & tales coram Deo effuderit preces, vt per orationes ipsas suas illum osculata sit, habet certe vestimenta, quæ eius exhibeat oculis, Iesum Christum, cui & in interiori, & in exteriori habitu similem se studet exhibere; quæ odorem sane illi referunt similem odori thuris, quod ipsius Dei symbolum esse ostendi: similem, inquã, odori sanctitatis eius, quam ex illo contraxit, æque ac si dicatur.

g Cant. 1. 2. *In oratione deuota fit mutua exhibitio odoris sanctitatis inter Deum atque animã se osculantes.*

h Cant. 1. 3.

Paraphrasis. Habens *mel, & lac sub lingua tua*, Spiritum gratiæ, à me per meum osculum tibi effusum, si & tu pariter me fueris osculata, *labia* ipsa *tua fauus* mihi erunt *distillans* in os meum dulcissimum mel precum tuarũ: simulque accedens ad me osculandũ, odore me recreabis sanctitatis tuæ eo, quem ex me contraxisti, cum te deosculaturus: *odor* siquidẽ *vestimentorum tuorum*, habitus vitæ tuæ secundum virtutem, erit *sicut odor thuris*, sicut odor sanctitatis meæ: induta namque Iesum Christũ filium meum eas illius, quas meditaris virtutes, & quã tibi ipse impertitus sum diuinæ sanctitatis fragrantiam, in meas refundes nares in odorem suauitatis, eo ipso tempore, quo me tuis osculaberis precibus.

14 Ob orationẽ deuotam confert Deus animæ odorem perfectæ sanctitatis. Possunt secundo hæc ipsa verba accipi non vt denotantia effectum consequens osculum Dei; & concomitans osculum piæ animæ, vt explicatũ est; sed vt denotantia effectum consequens osculum, quod pia anima oratione sua impresserit in os Dei: obtentam scilicet seu præstitam à Deo perfectã sanctitatem ob osculum precibus ei exhibitum. Hic autem sensus confirmari potest ex duobus Sacræ Scripturę locis. Primo ex illo Geneseos, è quo in prima expositione sensus iste etiam secundum litteræ sonum desumptus est: ibi enim hæc verba habentur: a *Accessit Iacob, & osculatus est Isaac patrem suũ: statimque vt sensit Isaac vestimentorũ Iacob fragrantiam, benedicens illi, ait: Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*: In his etenim verbis apparet, odorem Iacob factum similem odori agri pleni, postquam is, exhibito patri osculo, benedictus est à patre ipso suo, à Domino hac ipsa benedictione odoris agri pleni collata vestimentis illius: quem odorem ipsomet benedictionis actu iam fragrantem Isaac sensisse, indicant ea verba, *Statimque vt sensit vestimẽtorum eius fragrantiam*, in quibus aduerbium, vt, haudquaquam sumendum tamquam significans prioritatem: sed vt significans potius identitatem temporis: In Hebræo non habetur, sic enim legitur: *Et accessit, & osculatus est eũ: Et odoratus est odorẽ vestimentorum eius, & benedixit eum, & dixit*, &c. Vt sensus sit: Accessit Iacob, & osculatus est Isaac patrẽ: Isaac autem & sensit odorem vestimentorum filij osculantis se, & simul benedixit: *Ecce odor*, &c. Non benedixit, quia sensit odorem; sed benedicens, sensit odorem; Quod, tametsi iuxta corticem litteræ aliquantulum durius dictum videatur: tamen iuxta sensum spiritus re vera ita se res habet: Prius enim pia anima osculata iam à Deo in studio meditationis per eas, quas promit preces, accedit, & ipsum vicissim exosculatur Deum, vt explicatum sæpius est: Tum propter preces ipsas, quibus labia eius, instar faui distillant mellis dulcedinem in os Dei, Deus hanc ipsi confert benedictionem: *Ecce odor filij mei, sponsæque meæ, sicut odor agri pleni*: & cum benedictione benedictionis confert effectum, gratias nimirum multiplicium virtutum, simulque odorem sentit sanctitatis, ex collatis hisce virtutibus redolentis.

A B

C Confirmantur hæc altero loco illo Psal. *b Diffusa est gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternũ.* Quæ verba non inepte ad sponsam adaptat Ecclesia in officio B. Mariæ, & sanctarum Virginum, aliarũque mulierum: tametsi sponsæ proprie sint dicta à Christo Domino: Quia namque diffusa est gratia in piæ animę labijs, ita vt propter diffusam gratiã ipsæmet eius preces sint fauus distillans Deo, quẽ orãs exosculatur: propterea benedicit illam Deus, quantum est ex parte sua in æternum, conferens ob ipsas eius preces illi prædictam multiplicium virtutum benedictionem. Porro, cum eę virtutes sint vestimẽta, quibus piam quamque animam induendam asserit Apostolus, provt supra ostensum est, cõgruentissime sane cœlestis spõsus ait: *Et odor vestimentorum tuorum, sicut odor Libani*: indicans nimirum, simulque promittens sponsæ, si secum tetenderit, accedẽsque ad se per studium contemplationis, ipsum precibus suis fuerit osculata, ob ipsas eius preces tantas illi collaturum virtutum gratias, quantæ aromatum fragrantissimæ arbores, quanti suaueolentes & herbę, & flores, & fructus in Libano sunt: ita vt *odor* istarum virtutum, quibus induetur, futurus sit *sicut odor* ipsius mõtis *Libani*. Neque vero hæc duo, quæ dixi per hæc verba significari, sibi inuicem contraria censenda sunt: nam & per osculum Dei, quod præcedit effusas preces, sanctitas præstatur piæ animæ, & etiam per ipsas preces consequentes exhibentur virtutũ multipliciũ gratiæ, quibus augetur eiusdẽ animę sanctitas.

b Psal. 44. 3.

D Sensus breuis explicatio.

E

F

Vers. XI. cap. IV. *Fauus distillans labia tua, sponsa: mel & lac sub lingua tua: & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.*

Expositio IV.

De tertia Sponsa, quæ est B. V. Maria.

15 SI virginitatis symbolum apis est, prout manifeste asserit Ambrosius lib. 1. de Virginibus, deduciturque ex illius natura, qua iuxta Maronis dictum lib. 4. Georg. *Virgilius.*

— nec concubitu indulgent, nec corpora segnes
In Venerem soluunt: aut fœtus nixibus edunt.

Qui Glorioſissimam Virginem Mariam virginitatis magistram apem dixerit, haud sane à veritate aberrabit: siquidem instar apis, quæ mel cœleste è floribus ore suo legit, & in sua condit interiora, & ipsa cœlestem quamdam diuini spiritus, cuius *Maria apis attrahens mel, cum oscularetur Christum.*

cuius mel typus est, participationem è Christo Iesu, qui dixit: a *Ego flos campi*: tunc potissimum verosimile est attraxisse, non minus quam Apostoli eundem spiritum ex ipsa insufflatione eiusdem filij eius susceperunt, cum illum ad sua deferens vbera exoscularetur.

a Cant. 2. 1.

Porro eam, quam tunc suxit mellis, ac diuinitatis participationem sub lingua sua condidisse, vt promptam semper haberet ad illismet promēdam labiis, quando pro ijs, quorum patrocinium suscepisset, orationes effusura esset ad filium Deum, & hominē, ipsemet exoratus ab illa filius, hisce testatur verbis: *Fauus distillans labia tua, sponsa: mel, & lac sub lingua tua*: prosequitur namque & in hac sententia, quod in superiori versu cœperat, orationis eius encomiū: Tribus etenim mediis B. Virgo orationes suas, eas præsertim, quas pro peccatoribus fundit, efficaciſsimas reddit ad filium pariter, & sponsum, vt Deum & hominem. Primo, ostensione vberum suorum, de quo actum est in versu præcedenti. Secundo, prolatione precum ad instar iaculorum, seu ignium tormētariorum, quos vulgo artificiatos appellant, ipsis vberibus, quasi è duabus turribus propositis, emissarū. Tertio, robore, & decore armorum, quibus induta suauem quodammodo vim illi infert, quem deprecatur: de duobus hisce postremis medijs agitur in præsenti vers. 11. Quale autem sit precum eius medium, exprimit cœlestis sponsus his verbis: *Fauus distillans labia tua, sponsa: mel, & lac sub lingua tua*: in quibus dum orationem B. Virginis sub labiorum metaphora designatam, fauum appellat stillantem simpliciter, non explicans, quid stillet, ad subsequentia ista; *Mel, & lac sub lingua tua*, se referre videtur, indicās nimirum, talem esse fauum, qui distillet mel, & lac: quæ duo Virgo benedicta sub lingua quasi sub prōptuario conseruat, vt prompte ea, & lingua proferat, & effundat labijs: duo enim sunt, quæ in precibus ipsis suis proponit filio, vt illum flectat.

Oratio Mariæ tribus mediis fit efficaciſsima ad Christum.

Maria commemoratione gratiarum quas à Christo suscepit, & obsequiorum quæ ipsa illi exhibuit, eum flectere nititur ad misericordiam.

Primum, quas ab eo suscepit, gratias immensas, eamque in primis, qua dignata est ex illius osculo, dum ex eius labijs, propriis item labijs mel attraxit diuini spiritus. Alterū vero, quod ipsamet illi sugendum exhibuit lac. Enimuero cum optime norit, magnifici principis id esse moris, vt nulla re magis promoueatur ad præstandum id, quod aliquis petat, quam si efflagitans commemoret, quas iam ab ipso suscepit alias gratias: eumve, qui grati animi sit, cōmemoratione impensorum pro illo obsequiorum quam maxime flecti ad concedendum, quicquid ab ipso expoſcatur, filium suum Iesum Christum Regē magnificentiſsimum simul, atque gratiſsimum deprecans, flectere illum satagit ad misericordiam in peccatores cōmemoratione tum immensarum gratiarum, quas ab illo suscepit, sub mellis metaphora designatarum; tum impensorum obsequiorum, quæ ipsa ei exhibuit in educatione illius; quæ obsequia sub vna lactis metaphora hic designata sunt; quia lactis exhibitio primas teneat inter obsequia reliqua.

Neque vero quemquam moueat, quod extra naturam faui videatur id, quod dictū est, labia, & orationem B. Virginis esse fauum distillantem lac, & mel; quia lac non è fauo, sed ex vberibus stillet: nā sicut dici potuit apud Isaiam *b* Prophetam, quod Christus Iesus, è Virgine natus, cum adhuc infantulus esset in præsepio, vt notat Hieronymus in cap. 7. eiusdem Prophetæ, lac, & mel manducaturus foret tunc temporis, quando nihil aliud comedit, quā id, quod ex vberibus matris suxit, quasi vbera Mariæ emiserint nedum lac, sed & mel, ita haud absurde dicitur è fauo, nedum mel, sed & lac distillare.

b Isa. 7. 15.

Hieronym.

16

Maria orat filium, exhibens se illi indutam fortitudine & decore.

Tertium denique, quod adhibet medium, ad efficaciores reddendas orationes suas B. Virgo, & arma, quibus induta vim, quā dixi, iucundisimā suo infert filio, sunt ipsamet vestimenta eius: quæ autē ista sint ipsius vestimenta, ex libro Prouerbiorum manifeste colligitur: agens quippe ibi Sapiens de muliere forti, eiusque encomia prosequens, hæc ait: c *Fortitudo, & decor indumentum eius*. Ecquę vero duobus hisce vestimentis validiora reperiri queunt arma? Hæc & illa ipsa sunt, quibus indutus etiā cœlestis sponsus, quasi validisimis præcinctus armis, regnū mundi huius in suam restituit potestatē, idemve & stabiliuit: vnde in Psalm. dicitur: d *Dominus regnauit, decorē indutus est, indutus est Dominus fortitudinē, & præcinxit se: etenim firmauit orbē terræ, qui nō cōmouebitur. Parata sedes tua Deus ex tunc: à sæculo tu es*, id est: A sæculo quidē tu es Deus, & ex tunc ab æterno parata sedes tua: At Dominus Iesus Christus tunc regnum inijt, cum decorem indutus est, ac fortitudinem, & præcinxit se, armauitq; hisce armis ad corrigendum, firmandumve orbem terræ: ita vt is haud amplius ab ipso amoueatur. Decore se indutam exhibet B. Virgo Maria, cū puritate admirabili, & incredibili sanctitate decoratam filio se repræsentat, oratura pro peccatoribus: ita vt de ipsa quoq; nō incongrue id dici queat, quod de sponso dictū est in Psal. 44. e Specie sua, & pulchritudine sua, intendere, prospere procedere, & regnare, adipiscendo regnum gratiæ pro ijs peccatoribus, pro quibus preces effundit. Fortitudinis vero indumēto præcinctā se offert, quatenus in precibus ipsis suis eam adhibet violentiam, quā filio suo regi nouit esse pergratam; ardore ac vehementia orationum violenta, rapiens ab illo regnū prædictū, recolens, quæ ab eo dicta sunt in Euangelio: f *Regnum cœlorum vim patitur & violenti rapiunt illud*: Intellige tamen hæc omnia, iuxta Canones Theologicos, de consecutione dicti regni gratiæ peccatoribus per meritum Mariæ non de condigno, sed tantum de congruo: & non absque dispositionibus prærequisitis ad iustificationem in peccatoribus ipsis, pro quibus Virgo benedicta filiū suum deprecatur.

c Prou. 31. 25.

d Ps. 92. 1.

e Ps. 44. 5. *Maria orās pro peccatoribus, quomodo fortitudine induta dicatur.*

f Mat. 11. 12.

Porro duo ista armorū genera, duoque vestimenta Mariæ, fortitudo, & decor, quibus induta deprecatur, tantas obtinent vires, vt vel eorum odore id omne vt plurimū à cœlesti Rege obtineat Virgo gloriosa, quod suis prętendit precationibus; atque adeo præclare tertium istud adhibitū medium celebrans ille ait: *Et odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris*: designans nimirum, quod sicut odor thuris tantas habuit vires, g cum sibi adoleretur ab Aaron, vt per illum redditus statim sit placatus contra sceleſtos, & peccatores, prout exponitur in libro Sapientiæ, vbi dicitur: a *Properauit homo sine querela deprecari pro populo, proferens seruitutis suæ scutum orationē, & per incensum deprecationem allegās, restitit iræ, & finem imposuit necessitati*. Ita & odorem talium vestimentorum in sanctiſsima Virgine deprecante, easdem multoque efficaciores habere vires.

Mariæ vestimentorum atque armorum quibus induta agreditur filium in oratione quanta sit vis.

g Num. 16. 21.

a Sap. 18. 21.

Quod ergo in vers. isto 11. dicitur, tale est.

Paraphrasis.

Dum orationibus tuis Virgo, sponsaque mihi dilectiſsima, peccatoribus & veniā, & gratiam à me niteris impetrare, *labia* sane *tua* sunt *fauus*, & fauus *distillans mel* gratiæ, quā ex meis contraxisti labiis, cum ea deoscularis, quave repleta es per obumbrationem virtutis Altisimi: distillans & *lac*, quod mihi ministrasti: *mel* enim istud, istudve *lac sub lingua tua* seruas prompta ad proferendū, quandocunque instet necessitas obtinendi aliquid per orationem: distillas quippe tunc mel illud, commemorans in precibus tuis, quas à me suscepisti gratias: distillas & lac commemoratione ministeriorum illorum, quæ mihi præstitisti in me educando. Quid dicam de vi vestimentorū, quibus prę cincta precibus ipsis me aggrederis, decore, ac fortitudine induta? vel odore ipsorū profecto me superas; *odor* namque *vestimentorū tuorū sicut odor thuris*: quia sicut odor thuris, quod in odore suauitatis deuotus adolet sacerdos, placat me contra sceleſtos commotum: Ita & odore istorum vestimētorum tuorum, quibus præcincta dulcem precibus tuis vim mihi infers, placatus abs te reddor erga peccatores quantumlibet maximos, pro quibus supplicationes effundis.

Vers.

Vers. XI. cap. IV. *Fauus distillans labia tua, sponsa: mel, & lac sub lingua tua, & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.*

Appendix Expositionum, Ex antiquis Patribus collecta.

17 *Orationes piorũ fauus distillans.*

PAraphrasis Chaldaica: Et in tempore, quo orant sacerdotes in atrio sanctuarij, labia eorum stillant fauum mellis: Et lingua tua est instar sponsæ honestę in sermone tuo: cantica, & laudes dulces sicut lac, & mel: & odor vestimentorum sacerdotum sicut odor aromatum Libani.

Doctores sancti sunt fauus stillãs mel sacræ doctrinæ. Veteres Patres.

Tres sunt præcipuæ istius sententiæ partes: prima, *Fauus distillãs labia tua*: secunda, *Mel, & lac sub lingua tua*: & tertia, *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris*. Primæ partis communior veterum Patrum sensus est, vt sub labiorum metaphora iterum commendentur Sãcti Doctores, ac Prædicatores Ecclesiæ, qui fauus stillans dicti sunt ob id quod instar faui pleni & ipsi mel stillent sacrę doctrinæ. Ita Theodoritus, Cassiodorus, Gregorius Papa, Philo Carpathius, Iustus Orgelitanus, Aponius, Beda, Anselmus, atque Bernardus.

Greg. PP. Prædicatores fauus distillans, dũ dulcedinem sapientiæ in corde latentẽ prædicatione manifestant.

Porro, quod in his Patribus notandum est, id primo est, quod ait Gregorius Papa, dicens: In fauo mel latet, & cera videtur: Rectè ergo labia sponsæ fauus vocantur: quia dum in carnis fragilitate sapientia magna habetur, quasi mel in cera absconditur: quando vero electus quisque prædicat, quando cœlestia gaudia nescientibus reuelat, tunc fauus distillat: quia quanta dulcedo sapientię in corde lateat, per oris fragilitatem audientibus manifestat: vnde scriptum est:

b 2. Cor. 4. 7 *b Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.*

Beda.

Secundo, quod notat Beda dicens, non repugnare, quod supra sponsæ labia vittæ, & nunc comparentur fauo: cum hic satiando fauces delectet; illa crines vinciendo constringat: iste intus reficiat; illa foris liget. Iidem namque Doctores & vittæ sunt in præceptis salutaribus, & fauus in promissis cœlestibus: Vittæ, cum nos à fluxu carnalium voluptatum refrænant: Fauus, cum supernorum nobis gaudiorum dona promittunt: Item vittæ sunt in eis, quæ apertè agenda, vel vitãda esse docent: Fauus in illis, quæ typicè gesta, vel dicta quid intus arcani salutaris habent, pandunt.

Prædicatores sancti quomodo sint & vitta constringens, & fauus distillãs mellis dulcedinem.

Greg. Nyss. Tres Patr. Ambros. Sermo iusti fauus mellis. Sermo iusti qualis sit.

Gregorius Nyssenus hom. 8. non tam prædicatores Ecclesiæ, quam sermonem ipsum piæ animæ fauum dictum censet, qui stillet mel eruditionis: cui consentiunt Catena trium Patrum. Ambrosius serm. 13. in Psalm. 118. vers. 7. qui ait: Rectè sponsæ dicitur: *Fauum distillant labia tua, sponsa, &c.* Os enim iusti distillat sapientiam: de ore iusti suauitatis, & misericordiæ mella procedunt: in ore iusti nullus dolus, nulla fallacia, nulla est amaritudo peccati. Fusiusque Richardus de Sancto Victore. Hunc, inquit, fauum congerit anima de diuersis scripturæ floribus, hos perquirit, his insidet, de his suauitatem spiritualis dulcedinis extrahit, & elicit: scientiam inflantem segregat, & contemnit; ædificationem potius perquirit, suaueolentes sententias, non pomposam eloquentiam eligit; sanctorum quoque exempla, & dicta spiritualia inuestigat, & mente perlustrat, qui vtique flores erant, & sicut palma florebant: horũ sicut sancta erat vita, ita dulcia & suauia erant, quæ proferebant, & docebant: ad huiusmodi flores peruolat: ab his spirituale mel colligit. sed præcipuè de flore illo singulari,

18 *Richard. Labia piæ animæ quomodo fauus distillans, & quomodo hunc fauum ea congerat.*

c Isai. 11. 1. *d* Cant. 2. 1. qui processit de *c* virga Iesse, *d* flore campi, & non horti. Huic amore, atque fide inhæret: de hoc precis importunitate sugit mel gratiæ; de huius plenitudine accipit gratiam: per huius spiritum diffunditur charitas in corde eius, & pietatis accipit vbera; atque in labijs eius diffunditur hæc gratia, vt supernæ dulcedinis saporem spiret, & alijs propinet.

Ambros. Cassiod. Philo Carp. Aponius. Theod.

Fauum stillantem Scripturam sacram asserunt Ambrosius sermone citato, Theodoritus, Cassiodorus, Philo Carpathius, atque Aponius. Vnde Theodoritus, Iam, inquit, faui mellis, qui in Doctorum gestantur labijs, sunt diuinæ Scripturæ quæ continent apes tum cerę, tum mellis effectrices, sacros nimirum Prophetas, & Apostolos, qui per Spiritus S. prata volitantes, & diuinarum Scripturarum construentes cellas, easque doctrinæ melle, ac nectare distendentes, vtilitatem ad nos transmiserunt. Ac ceræ quidem littera videtur similis, melli vero sensus, qui in eo reconditus est. In melle cibum, in cera lumen accipit Philo Carpathius, & ambo reperiri inquit in eadem Sacra scriptura.

Script. sacra fauus mellis.

Hugo Vict. Fauus distillans Verbum caro factum in Virgine.

Hugo de Sancto Victore erudit. Theol. ex Miscellaneorum lib. 1. tit. 115. Fauus, inquit, Verbum caro factum in Virgine, distillans redundantiam significat: ipsum enim totum redundans, & gratiam fundens: quia quod fecit, & dixit, doctrina fuit: quod fuit medicina. Ideo distillans: quia vnicuique secundum mensuram gratiæ infundens.

19 *Greg. Nyss. Tres Patres. Theodorit. Cassiod. Beda. Richard. Sub lingua habet lac, & mel pia anima, quia prægustauit dulcedinem diuinitatis & humanitatis Christi.*

Secunda parte (*Mel, & lac sub lingua tua*) communiori sensu indicatur modus, quo diuinorum sermo conseruatur, & ministratur, iuxta audientium conditionem: imperfectioribus lac, perfectioribus mel: vt sub lingua dicatur seruatus, quasi in promptuario, in corde. Ita Gregorius Nyssenus homil. 8. Tres Patres, Theodoritus, Cassiodorus, Beda, atque Richardus, qui mel, inquit, & lac sub lingua. i. refectionem robustorum, & consolationem paruulorum: prægustauit enim dulcedinem futuræ vitæ, vbi reficiuntur animæ diuinitatis Christi fruitione; & humanitatis eius lacte. Ex hac abundantia habet anima vbera, quibus perceptam suauitatem proferat, quæ tanto plus sapiunt, & ædificant, quanto datum est ei, discere hæc in experientia, & docere ex sententia.

Ambros. Mel & lac sub lingua, est sermo absque simulatione, & amaritudine. a 1. Pet. 2. 2

Ambrosius, Quomodo, inquit, mel, & lac sub lingua tua, cum dolum lingua tua componat? vt aliud concipias pectore, aliud forensi sermone prætendas, vt decipias incautum, cum tibi Petrus Apostolus dicat, vt deponas omnem malitiam, & fucum simulationis abjicias, dicens: *a Sicut dudum genuti infantes, rationabiles, & sine dolo lac concupiscite?* Ostendens enim nobis, quid sit, mel, & lac habere sub lingua, docet, vt non maledicere maledicentibus: sed benedictionem referre nouerimus: nesciamus odisse nisi viam iniquitatis. Videatur idem Ambrosius lib. 1. de virginibus, circa medium, pluribus hæc aptantem ad Virgines.

Greg. Pap. Prædicatores boni mel & lac sub lingua habent: quia quod prædicat in se habere nititur.

Alio pacto Gregorius Papa: nam in suis commentarijs falsi, inquit, Prædicatores mel in lingua portant, quod sub lingua non habent: quia cœlestia gaudia aliquando prædicat, cum ipsi terrestria bona totis desiderijs appetant: Sancta vero mens mel in lingua prætendit; quia sapientiæ dulcedinem loquendo ostendit, quod veraciter prædicans audientes tanquam mellis dulcedine reficit: lac gerit; quia congruenti sibi doctrina paruulos quosq; in Ecclesia nutrit: sub lingua autem hæc omnia sibi ipsi reseruat, quia internã dulcedinem assiduè secum portat. In lib. vero 15. moral. cap. 5. Plerique, ait, iustorum dum quosdam agere peruersè conspiciunt qui duris sunt increpationibus feriendi, linguæ asperitatem sumunt: sed sub lingua mentis suæ benignitatem contegunt: Vnde sanctæ Ecclesiæ sponsi voce dicitur: *Mel, & lac sub lingua tua:* qui enim mentis dulcedinem aperire infirmis nolunt, sed loquentes quadam eos asperitate feriunt, & tamen inter verba aspera quasi latenter quiddam dulcedinis intermittunt, hi videlicet non in lingua, sed sub lingua habent dulcedinem: quia inter dura quæ proferunt, emittunt quædam blanda, & dulcia, quibus mens possit ex benignitate refoueri.

Mel, & lac sub lingua habent qui inter asperas correctiones interponunt quiddam benignitatis.

Iust. Org. Aponius.

Iustus Orgelitanus, & Aponius, sicut per lac eruditionem intelligunt paruulorum, ita per mel vulnerum, & peccatorum medelam accipiunt.

Philo Carp. Mel est prædicatio præ-

Philo Carpathius, per tria hæc, mel, lac, & vestimẽtorum odorem tria designari existimat: Per mel,

nitentiæ, lac est legis institutio, vestimenta Ecclesiæ Euangelij observatio. Anselmus.

prædicationem pœnitentiæ: per lac, legis institutionem: per odorem vestimentorum quasi odorem thuris, obseruationem mandatorum Christi in odorem suauitatis.

Anselmus per mel, & lac significari posse ait corporea alimenta, quæ dicantur esse sub lingua sponsæ, id est inferiora, & indigniora, quam lingua eius, id est spiritualis doctrina, quæ est in lingua illius.

Alimẽta corporea sunt indigniora doctrina spiritualis. Bernard.

Deniq; Bernardus sententia penultima tria distinguit in Doctoribus Ecclesiæ. In lingua, sub lingua, & super linguam: In eorum lingua dicit esse durum quid sonans: quia, *b Verba sapientis quasi stimuli, & sicut claui in altum defixi*: durum autem in lingua quid sonãs ait esse laborem illum, de quo in Psalm. dicitur: *c Qui fingis laborem in præcepto*: laborem fictum: quomodo enim non fictus, vbi non labor, sed requies inuenitur? dicente Domino: *d Tollite iugum meum super vos, & inuenietis requiem animabus vestris*: Mel enim est sub lingua, in qua est labor iste fictus: Supra linguam autem eorumdem ait esse ineffabilia illa, quæ non licet homini loqui. Miseri, dicit Bernardus, qui solum quod in lingua sonuit, attendentes, nec quod sub lingua reconditum, nec quod supra linguam repositum fuit, capere potuerunt.

Doctores Ecclesiæ in lingua habent laborem, sub lingua requiem, & super linguã ineffabilia mysteria.

b Eccl. 12. 11.

c Psal. 93. 20.

d Mat. 11. 30.

In tertia parte, communiori sensu per vestimenta sponsæ, eius bona opera: per thus oratio intelligitur à Cassiodoro, Gregorio Papa, Philone Carpathio, Beda, Anselmo, & Richardo de sancto Victore. Vnde Cassiodorus ait: Vestimenta Ecclesiæ sunt bonorum operum ornamenta iuxta illud Apocalypsis: *e Byssinum iustificationes sunt sanctorum*: & illud Iob: *f Iustitia indutus sum, & indui me sicut ornamento, & diademate, iudicio meo*: Thure autem sanctarum orationũ munditia designatur: atque adeo vestimenta Ecclesiæ thuri comparãtur: quia omnia illius opera quasi orationes sunt: in cunctis enim quæ agit, semper Dominum deprecatur, & tali modo impletur illud, quod Dominus dicit: *g Oportet semper orare*.

Gre Papa Phil. Carp. Beda. Anselmus. Richard. Cassiodor.

e Apoc. 19.

f Iob. 29. 14

Vestimenta Ecclesiæ sunt bona opera.

g Luc. 18. 1.

Operibus bonis oratur, & impletur præceptum continuæ orationis.

Philo notat, bona opera dici vestimenta animæ; non solum quia per ea teguntur præterita mala, verum etiam quia per ipsa conseruatur, & augetur innocentia: non enim satis est, mala non agere, nisi & bona peragamus.

Opera bona vestimenta sunt animæ. Beda.

Beda, concinit, inquit, hic versiculus cum eo, qui supra dictus est: *Et odor vnguentorum tuorum super omnia aromata*: Illic etenim nomine vnguentorum infusio sancti spiritus, qua corda fidelium illustrantur, atque ad spiritale certamen præparantur, ostenditur: hic vocabulo vestimentorum ea, quæ foris sunt, iustorum facta demonstrantur: vnde & pulchra distinctione ea, quæ per homines fiunt opera, odori thuris comparantur: quæ vero diuina largitione fiunt dona, modum comparationis excedunt, dum odor vnguentorum Ecclesiæ super omnia dicitur aromata transcendere.

Operum bonorum nostrorum, & eorum, quæ dono Spiritus sancti in nobis sunt, discrimen.

Anselmus. Oratio, & bona opera debent esse simul iuncta.

Anselmus notat, per id, quod fama bonorum operum per vestimenta designatorum odori thuris, id est bonæ deuotioni in oratione comparatur, significari, placere Deo simul ista in aliquo, orationes, & bona opera, alterumque non placere sine altero.

Greg. Nyss. Anima sancta per virtutum actus assimilatur diuinæ naturæ.

Gregorius Nyssenus etiam per vestimenta piæ animæ multiplices accipiens virtutum actus, quibus ipsa virtutis vita contexta est, per thus autem diuinitatem, ac Deum ipsum, cui thus sacratum adoletur, dum dicitur: *Et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris*: hunc inquit esse sensum: Tuum, ô sponsa, virtutum indumentum imitatur diuinam beatitudinem, per puritatem, & impatibilitatem, assimilata naturæ, ad quam patet aditus: Talis est enim odor tuorum vestimentorum, vt sit similis thuri, quod Dei honori dicatum est.

Virtutes quã cõgruentiam habeant cum vestimentis.

Declarat Nyssenus perbellè, quam congruentiam habeant virtutes cum vestimentis, dicens: Quoniam non est vniformis vita, quæ ex virtute agitur, sed quemadmodum in tela, aut panni textura per multa fila, quorum alia quidem in rectũ, alia autem in transuersum diuisa ars extendens, facit vestem: Ita etiam in vita, quæ ex virtute agitur, multa oportet concurrere, per quæ bona texitur vita, sicut Apostolus ad Galatas hæc fila enumerat, per quæ consistit textura bonorum operum, *a* charitatem, dicens, gaudium, pacem, longanimitatem, benignitatem, & quæcunque sunt huiuscemodi, quibus ornatur, qui cælestem induitur incorruptionem ex vita terrena, in quam eadit interitus.

a Gal. 5. 22.

Tres Patres: Actiones animæ sanctæ directæ sunt ad salutem multorũ.

Nysseno consentit & Catena trium Patrum, nisi quod similitudinem odoris vestimentorum sponsæ cum odore thuris, refert ad similitudinem actionum, quibus quodammodo induitur sponsa, ad similitudinem diuinæ prouidentiæ, quæ cunctis in rebus cernitur; cum & sponsa ad imitationem Dei salutis multorum curam gerat.

Theodorit. Vestimenta sponsæ Christus.

Apud Theodoritum vestimenta animæ haud alia sunt, quam Christus; quia enim, inquit, sponsa Christum induta est, qui Deus est, & homo: ideo bene, inquit, dici ei: *Et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris*: diuinitatem enim indicat thus.

Iust. Org. Vestimenta Ecclesiæ sunt iusti.

b Isa. 49. 18

Iusto Orgelitano vestimenta Ecclesiæ, omnes sancti, qui præclari in verbis, & operibus reddunt suauitatem odoris ex illo Isaiæ: *b Viuo ego dicit Dominus, quia his omnibus velut ornamento vestieris*, &c.

Aponius. Eleemosynarij sunt vestes Ecclesiæ, & similes martyribus.

Aponius per vestimenta Ecclesiæ illos intelligens, qui in Dei honorem decimas de iustis laboribus suis ipsius Ecclesiæ ministris largiuntur, egenisve ministrant indumenta: istorum famam similem pronuntiare, inquit Spiritum sanctum ijs, qui sacrificium Dei efficiuntur, id est martyribus per thus designatis; eo quod thus soli Deo in odorem suauitatis offerri iussum sit.

21

Rup. Abb. Maria dulcis pariter & in ore & in corde ob mutua, quæ à Christo suscepit, illive dedit oscula.

Totam sententiam istam aptant ad B. Virginem Mariam tum Rupertus, tum Hugo de Sancto Victore, sed diuersimode. Siquidem Rupertus per id, quod in primis duabus partibus dicitur, inquit, Beatam Virginem Mariam dulcem esse in ore, & in corde: hoc est, inquit, quod nunc dico: *Fauus distillans labia tua*: subiungens: *mel & lac sub lingua tua*: id est in animatua, ibi tibimetipsi dulciter sapit fauus eloquij tui, fauus distillans à labijs tuis, labijs gratiosis: Fauus tuus ego sum, mel tuum, & lac tuum ego sum; quia Deus tuus, & filius tuus ego sum: hoc tua sentit anima: hæc tua sonant labia, aliud loqui non potes, quam quod in pectore habes: ex abundantia cordis labia tua loquuntur. Ex quo me natum vidisti, mecum dedicata es fauo dulcis eloquij, simulq; osculo oris mei, osculo oris tui: & satisfactum est etiam sic fidei tuæ, spei, & dilectioni tuæ: Fidei per dilectionem dicentis: *c Osculetur me osculo oris sui*: Per vestimenta Mariæ bona illa eius opera designari dicit Rupertus, quæ in Christum materna, & plusquam materna charitate operata est, quorum odor similis dicitur odori thuris, ac si idem Christus dicat: Sic in omnibus famulata es mihi mater, & Virgo fidelis tanquam Deo, cui soli debetur odor thuris in sacrificio suo, quamuis essem ego paruulus tuus, paruulus homo.

Maria ministrans Christo filio suo, illi vt Deo ministrabat.

c Cant. 1. 1.

Hugo Vict. Maria à tota Trinitate commendatur, quia in labijs suscepit osculum Patris, in lingua Verbum, & in vnguẽtis Spiritũ sanctũ. In incarnatione Mariæ labia osculata, fauus distillans ob Christi conceptionem.

Hugo autem in sermone de Assumpta Maria, qui habetur in fine tomi 2. operum ipsius, hęc pertractãs, pro vltimis verbis, *Et odor vestimentorum tuorum*, &c. apponit, *Et odor vnguentorum tuorum super omnia aromata*, vltimam partem superioris vers. 10. & ait, tria hic commendari in B. Virgine, labia, linguam, vnguenta; in labijs osculum, in lingua alloquium, in vnguentis odorem; ita vt tota Trinitas veniat ad Virginem, quæ susceperat in labijs ab ore Patris osculum: susceperat in lingua Patris Verbum, & in vnguentis Patris, & Verbi Spiritum: Fauus, inquit Hugo, mel & ceram habet: mel diuinitas est, cera humanitas: Fauus Verbum caro factum est in Virgine: Ac si Deus dicat: Ego expertus sum, quod laudo: *Fauus distillans labia tua*: Ego deuinctus tibi charitate, osculo oris mei labia tua pressi, simulque dulcedinem infudi, & à dulci dulcedinem expressi. Valde impressi dulcedinem, & verè expressi suauitatem, quando meum tuo in te sociaui,

& per

& per tuum à te cum meo pariter, & tuo exiui. Mea diuinitas mel erat, & tua humanitas cera erat, & inde meipsum fauum feci, & factus sum: & ecce *Fauus distillans labia tua*: quod enim impressum est in te, assumptum est de te, & ipsum factum est dulcedine plenum in me: quod factus sum, modo sum: quod autem sum, semper sum: tamen vtrumque verè sum, & quod factus sum, & quod sum; alterum ex te; alterum ante te. *Mel, & lac sub lingua tua*: Verbum sub carne tua, sub lingua tua, quia verbum: sub lingua tua, quia absconditum. Mel & lac Deus, & homo: mel diuinitas, lac humanitas: Mel de rore cęli venit: quia diuina natura supra omnia est: lac de carne exprimitur: quia humanitas de deorsum assumpta est. *Odor vnguentorum tuorum super omnia aromata*: quia omnem gratiam vincit tua sublimitas, omnem perfectionem superat tua dignitas: quia spiritus in tua humilitate requieuit singulariter, qui in tua virginitate miraculum nulli comparabile fecit: idcirco *odor vnguentorum tuorum super omnia aromata: Spiritus enim sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.*

Mel & lac sub lingua Mariæ, verbū sub carne.

Mariæ sublimitas gratiæ Spiritus sancti super omnes animarum puratum creaturarū gratias. Lucæ 1.

Vers. XII. cap. IV. *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.*

Expositio I.

Iuxta sonum litteræ.

1 VArians sermonem, seu cantionem istam suā panegyricam sponsus in sponsæ suę pulchritudine celebranda toto hoc cap. 4. laudare quidem cœpit encomio generali: particularibus specialium postmodum eius membrorum laudationibus eandem euexit eius pulchritudinem: redijt tum ad generales omnimodæ illius pulchritudinis laudes in vers. 7. particulariaiterum commendatorū membrorum aggressus encomia, magna cum accessione resultante ex illis dilectæ suæ extulit pulchritudinem à vers. 9 incluſiue vsque ad versiculum istum 12. quem præ manibus habemus: quasi circulum deniq; perficiens, orationemq; concludens, vt & finis cum principio sit consentiens, ab hoc vers. 12. vsque ad finem capitis generale prosequitur eiusdem pulchritudinis encomium, idque cum maxima pariter accessione, duabus adhibitis similitudinibus è rure desumptis: altera horti, fontis altera; quas ambas similitudines primo quidem simpliciter, & vniuersaliter profert in vers. isto: at longius postmodum, & summa cum eloquentia explicat in subsequentibus. Assumpsit autē horti similitudinem: tum quia efficacissima sit ad præstantissimæ pulchritudinis excellentias breui oratione consignādas: tum maximè, quia per illam vt per singulare, & vehementissimum argumentum sponsæ ipsi suæ, quam tantis euehebat laudibus, persuasurum se confidebat, vt è periculosis, arduisve locis ijs, quibus tunc commorabatur, secum ad montem myrrhæ tenderet, & ad collem thuris, prout supra eidem significarat vers. 6. & 8. quia nimirum ibi hortum suū habebat delicijs aptissimum, ac maximè tutum, & aromatibus consitum, de quo in principio capitis sexti: ibique non vnus ille duntaxat erat hortus, sed horti plures, vtpote in proprio hortorum loco, vt ex citato principio capitis sexti colligitur, vbi hæc habentur: *a Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis.* Sic igitur illam appellans hortum conclusum, vtpote maximè delicioſum, ac reseruatum, & aromatibus cōsitum, vt in subsequentibus dicitur: ad hortorum locum eam tendere debere subindicat: propter hanc quippe rationem in fine huius Cantici sic illam compellasse, videbimus: *b Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam.* Porro, vt ista horti similitudo efficax esset ad extollendam ipsius sponsæ pulchritudinem, alteram ei adiunxit similitudinem fontis: Hortus enim absque aquis symbolum potius est extremæ turpitudinis & horroris, prout colligitur ex illis Isaiæ verbis: *c Erubescetis super hortis, quos elegeratis, cum fueritis velut quercus, defluentibus foliis, & sicut hortus absque aqua.* Quapropter apud eundem Prophetā, vbi insignes explicantur prærogatiuæ, quibus pia anima ob misericordiam proximo exhibitam decorabitur, hisce pariter ambabus similitudinibus simul iūctis expressas eas cernere est, vbi dicitur: *d Et eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarū, cuius non deficient aquæ.* At vero multo maiori cū emphasi adhibet eadem hoc loco Salomon dum non hortum irriguum simpliciter, sed *hortū cōclusum* spōsam appellat, idq; iterato repetit; nec fontē aquarum simpliciter eā dicit, at *fontem signatum.*

a Cant. 6. 1.

b Can. 8. 13

c Isa. 1. 29.

d Isa. 58. 11

Horti conclusi similitudine tres exprimuntur laudes pulchritudinis sponsæ. Simile.

Quinque etenim laudes, easque omnes præstantissimas in suam ipsam confert sponsam per similitudines hasce; tres per primam horti concluſi, & duas per alteram fontis signati. Primo siquidem eam celebrat ex omnimoda pulchritudine in omnibus, & singulis membris, eaque solida, ac tuta: vtpote, quæ sit instar pretioſi horti, in quo omnia sint exquisita, arbores, flores, & fructus: aptè, perbelle, polite, ac ordinate vniuersa disposita, & concinnata, areolæ herbarum, florum, atque aromatum, ambulacra, & ea in primis, quæ topiario opere siue in vasibus, siue in parietibus elaborata, & contexta quodammodo sunt: quæ omnia eo tutius in sua ibi perseuerant pulchritudine, in sua politie, & concinnitate, quo minus à quoquā deturpari, dissipari, aut perturbari possunt, cum hortus seruatur concluſus. Extollitur secundo per eandem horti concluſi similitudinem sponsa exinde, quod ipsa sui pulchritudine, & decore cōciliatrix sit voluptatis, atque deliciarum: ad hoc namque à Principibus hortos fieri nouimus, vt ad voluptatem eo se conferant: Et in Scriptura sacra voluptas cū horto quasi necessario connexa existimatur: Vnde apud Ezech. dicitur: *e Terra inculta facta est vt hortus voluptatis:* & apud Ioelem eodem pacto dicitur: *f Quasi hortus voluptatis terra coram eo:* Isaias quoque. *g Ponet*, inquit, *desertum eius, quasi deliciæ, & solitudinem eius, quasi hortum Domini: gaudium, & lætitia inuenietur in ea.* Tertia denique laus in eandem confertur ex hoc, quod non hortus voluptatis, vt sic, sed *hortus concluſus* dicitur: ea vero est pudicitiæ decus, quo prædicta duo præconia maximè illustrātur, cuius & tantam sponsus habet rationē: vt ob illam potissimum pulchritudinem admiretur dilectæ, & voluptatē capiat ex ipsamet insigni pulchritudine eius: quia nimirum sibi vni ea aduertit seruata æquè, ac hortus cōclusus Domino, eiq; vni, qui clauem habeat, flores, & fructus intactos seruat, & omnem pariter voluptatē.

Voluptas horto quasi necessario annexa. Simile.

e Ezech. 36. 35

f Ioel. 2. 3.

g Isa. 51. 3.

Simile.

Per alterā fontis similitudinem commendatur insuper eadē sponsa ex ijs gratijs, quibus ita eius exuberat pulchritudo, sicut fons signatus purissimis aquis ex se, & in se defluentibus redundat. Gratiarū autem nomine illam intelligo venustatem, quæ exhibetur & in aptis pulchrorum membrorum motibus, & in loquela, & in decoris gestibus: hasque congruentissima aquarū fontis signati metaphora celebratas arbitror: quia ita è pulchritudine profluunt, & pulchritudini insunt, sicut aquæ ex fonte profluunt, & in fonte existunt, præsertim quādo fons ipse concluſus est. Commendatur denique per eandem similitudinem fontis signati ex puritate virginali, vltra pudicitiam generi cam, & ex insigni Virginitatis. Ecquod enim aliud signaculū, quo fons signatus dicitur, nisi ipsius virginitatis signaculū, quo prædictæ gratiarū aquæ in sua puritate seruantur limpidæ quove sponsa ipsa purissima suo seruatur spōso? Ac propter istud eius insigne crediderim, haud simpliciter sponsum sponsam illam appellasse: sed ad pudicitiam, Virginitatemve eius insinuandam addidisse & nomen sororis, cū dixit: *Hortus concluſus soror mea sponsa, hortus cōclusus fons signatus.* Quorū verborū breuis, ac paraphrasticus hic erit sensus.

2 *Fōtis signati similitudine duæ exprimuntur laudes sponsæ. Simile.*

Instar horti pretioſi, atque concluſi in omnibus, ac singulis membris pulcherrima es, voluptatemque exhibes, tantoque magis mihi pulchritudine ipsa tua affers voluptatem, quāto maiorem in te aduerto pudi-

Paraphrasis.

citiam, qua mihi vni tuum omnem exhibes decorem, ſicut hortus concluſus vni & Domino ad voluptatem inſeruit. Quinimo, cum immenſis redundes gratijs, ſummaque venuſtate, & in primis cum puritate Virginali ſis decora, inſtar fontis ſignati, è quo largius aquarum copia profluit, & in quo item conſeruantur limpidæ: *Fons* certè es *ſignatus* ſignaculo virginitatis ita ſponſa mea; vt ſis pariter pudiciſſima & virgo inſtar ſororis item meæ.

Quoad lectionum varietatem tria breuiter notanda ſunt. Primum Hebraicam vocem נעול nangul, quam & Septuag. & Vulgata verterunt, *concluſus*, maiorem habere vim: propriè enim ex vi verbi (vt notant Hebræorum Doctores) ſignificat non ſimpliciter concluſus, ſed concluſus ſera, vel peſſulo.

Secundum, vbi ſecundo loco reperitur *hortus*, in textu Hebraico, nunc non legi גן gan, prout legendum eſſe indicant antiquę verſiones Septuag. & Vulgatæ, prout & in quibuſdam Codicibus legi, aſſerunt etiam quidam Hebræorum, verum pro גן gan, haberi גל gal, cuius ſignificatus proprius eſt ſcaturiginis, & fontis, vt colligitur ex libro Ioſue 15. 19. vbi Vulgata habent, *irriguum ſuperius, & inferius*: atque adeo ſecundum lectionem iſtam ſic verti debent Hebraica: *Hortus ſera concluſus ſoror mea ſponſa: ſcaturigo, ſeu fons ſera concluſus, fons ſignatus.* Iſidorus tamen Clarius non in ſignificatu prædicto eam vocem accepit, ſed in ſignificatu portæ; ſic enim habet in ſua verſione: *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, porta concluſa*, &c. quem ſignificatū eidem dictioni tribui poſſe, notat R. Salomon in ſuis Comment. ſuper Cant. at nō ex lingua Hebraica, ſed ex Syriaca: Sicque ſecundum ſignificatum iſtum tres erunt ſimilitudines, horti, portę, ac fontis: portæ autem clauſæ ſimilitudinem ad virginitatem deſignandam habemus apud *a* Ezechielem.

Iſidor. Cla. *R. Salomon.* *a Exc. 44. 2.*

Tertium denique, quod notandum ſupereſt, illud eſt, quod participium ſignatum, vt colligitur tam ex textu Hebraico, quam ex verſione Septuag. propriè ſignificat ſignaculo, ac ſigillo ſignatum; non ſolum ſ. clauſum, ſed & inſuper ſigillo ſignatum.

Verſ. XII. cap. IV. *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus.*

Expositio II.

De prima Sponſa, quæ eſt Eccleſia ſancta.

3 QVod in verſ. 6. huius capitis ſimplicibus verbis ijs, *b Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*, à cęleſti ſponſo in laudem pronuntiatum eſt Eccleſiæ Catholicæ, illud ipſum modo duabus ſimilitudinibus, horti concluſi, ac fontis ſignati magna cum epithaſi repetito ab eodem celebratur encomio. Pulchritudo ibi totalis in Eccleſia celebrata eſt omniſve maculæ excluſio; at in quonā ſita ea eſſet totalis pulchritudo, quæ eſſent maculæ, quive defectus ab illa excluderentur, explicatum eo loci minime eſt: Explicatum autem peregregiè vtrumque in hac ſententia ambabus ſimilitudinibus. Ac primum ipſa horti concluſi ſimilitudine ſignificatur, merito eam dictam totam pulchram; quia, inſtar horti pretioſi, multiplices viuendi ſtatus, varioſque gradus, & ordines ita bene diſpoſitos in ſe contineat, vt propemodum ornatiſsimas eos dicas areolas, in quibus & complures complantati ſunt ſancti, qui inſtar humilium herbarum viles quidem, atque demiſſos ſe exhibeant; ſed ipſamet, quam præ ſe ferunt, humilitate, & innumeris ſuperborum morbis conferunt ſanitatem, & odorem referunt ſanctitatis.

b Can. 4. 6.

Omnimoda Eccleſiæ pulchritudo in quonam ſita ſit.

Simile.

Areolæ Eccleſiæ vt horti, quæ ſint.

Herbæ quæ.

Flores qui.

Multos item aſpicias, qui inſtar florum etſi fructu doctrinæ nutrire nequeant; odore nihilominus ſuarum virtutum, & decora ſua conuerſatione externa conferunt pulchritudinis non modicum areolis, & ordinibus, in quibus inſtar gemmarum enitent. Quid dicam de excelſis illis, atque ſublimibus, qui inſtar præſtantiſſimarum arborum fructificantium in ſuis ipſis ordinibus, & fructu paſcunt doctrinæ, & reficiūt ſuauitate exemplorum bonorum? Ambulacra recta, ac ſpatioſa, & lata augent pretioſi horti pulchritudinem: nec minus ſanè ſpiritualis pulchritudinis acceſſio fit Eccleſiæ ex rectis illis animabus, quæ charitate dilatatum cor habentes, latum, ac ſpatioſum Deo ſe ſternunt ambulacrum, ita vt Deus ipſe manifeſtè dicat: *c Inambulabo in eis.* Quod ſi præ omnibus pulchritudinem eidem horto ſenſibili ea conferre cenſentur, quæ opere topiario affabre contexta ſunt, & Italicè appellantur, *Spalliere*, vel è myrto, vel è buxo, vel è cedris, vel è floribus, vel herba, arboreve alia: Et ſpiritali certè horto, ipſi inquam Eccleſię, ſumma per eos confertur pulchritudo, qui ad inſtar topiarij operis, quaſi plures frutices, ſeu etiam plures arbores ſuper pariete obſeruantiæ legis dininæ, vel ſuper Chriſto, qui eſt murus talis horti, ita per mutuam charitatem ſimul inuicem contexti, atque connexi ſunt, & in operibus, & in operum meritis, vt Chriſtū ipſum, cui tanquam muro ſimul innituntur, & à quo ſic connexi ſeruantur, & ſuſtentantur, exornent tanquā ſtragulum textile magnificis operibus pictum: *d Glorificatur* etenim *Deus in conſilio*, & connexione *ſanctorum*: tametſi per ſe ipſum laudabilis ſit, & glorioſus in ſæcula. Iſtiuſmodi vero ſancti in modū operis topiarij in Eccleſiæ horto ij ſunt fidelium, qui mundo renuntiantes, vniqueDeo adhærere eligentes, ac propterea cum Propheta intra ſe dicentes: *e Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam*: in Congregationibus, & in monaſterijs cœnobiticam vitam degentes, ita in vno Chriſti pariete ſimul ſunt charitate contexti; ramis communium exercitiorum, & floribus ſanctorū operum, & fructibus meritorum: vt ab inuicem nequeant diſiungi, niſi à Chriſto pariter diſiungantur. Sicut autem in terreno horto, qui perpulcher ſit, perpulchra hæc habens topiarij operis, conſpiciuntur ex ijs ipſis fruticibus, atque arboribus, quæ muro ſimul contextæ adhærent, eminentes ſuper murum rami in modum variarum figurarum eodem topiario opere contexti; ita vt iucundiſſimo aſpectu hic videre tibi videaris eminentem nauim, illic turrim, ibi hominem armatum ſagittas iacientem; vno loco pauonem, alio gallum; in illa parte ceruum, in altera capream, & alia huiuſmodi, quibus mirum in modum eius horti excreſcit pulchritudo: Ita inter illos ipſos, qui in Congregationibus, & monaſterijs viuunt, inſtar topiarij operis charitate ſimul connexi, & pariter legi Domini, Chriſtoque inhærentes, complures cernere eſt tanquam ramos eminentiores ſuper parietem diuinæ legis, quatenus nedum præcepta, ſed & conſilia obſeruant; & ſupra Chriſtum pariter eiuſdem Eccleſiæ murum, iuxta id quod ab illo prænuntiatum legimus in Euangelio Ioannis, vbi dixit: *a Amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet*: quæ verba non tantum intelligenda ſunt de operibus miraculorum, prout ea intelligit Chryſoſtomus homil. 12. in Acta Apoſtolorum, & Auguſtinus tract. 72. in Ioannem; vel de maiori populorum conuerſione, vt eodem tract. 72. idem accipit Auguſtinus; verum etiam de operibus ijs, quæ iuſti faciunt; dum non ſecundum carnem ambulant reportantes victoriam contra dæmonem, mundum, & carnem. Vnde Origen. homil. 7. in lib. Num. Vere, inquit, maius mihi videtur, quod homo in carne poſitus, fragilis, & caducus, fide tantum Chriſti, & verbo eius armatus, ſuperet Gigantum, & dæmonum legiones: quamuis ipſe ſit, qui vincit in nobis; plus tamen eſt, quod per nos vincit, quam quod per ſe vincit: plus tamen eſt, adde & tu, quod per miſeros, infirmoſque homines eximia operatur opera ſpiritalia, quam quod per ſe operatur. In hunc ergo ſenſum complures aduertere eſt Religioſos in Congregationibus, ſuper Chriſtum Eccleſiæ murum eminentes, inſtar prædictorum ramorū, in terreno horto ſuper

Arbores Eccleſiæ qui ſint.

Ambulacra Eccleſiæ quæ.

c Leu. 26. 12.

Religioſi ſunt inſtar operis topiarij in Eccleſia, vt hortus eſt.

d Pſ. 88. 8.

e Pſ. 72. 28.

Similes.

Religioſi ſanctiores quomodo Chriſto ipſo, cui inhærent dicantur eminentiores.

a Ioan. 14. 12.

Chryſoſt. Auguſt.

Origenes.

super muro eminentium : E quibus hunc nauim di-
b Pro.31.14 cas, *b Factum quasi nauim institoris, de longe*, id est è cælis, *portantem panem suum* doctrinæ mysticæ, atque cælestis : Ille tibi videatur turris, robore deuotionis suæ instar turris vniuersam tutam conseruans Congregationem : de talibus quippe dictum est in fine huius
c Can.8.10. Cantici: *c Vbera mea sicut turris*: Alius armati militis formam præ se ferens, existens *fortis in bello, & pugnans cum*
d 2. Tim.2.3. *antiquo serpente*, qui iuxta consilium Apostoli, *d Laborat sicut bonus miles Christi Iesu*: Alius insignis, atque spectabilis decore sanctitatis suæ quasi pauo spiritualis, oculos ad se alliciens intuentium. Nec ibi desunt, qui in galli formam se effictos ostentent, solicitudine non pigri ad nocturnas Dei laudes nedum semetipsos, sed B
& alios excitantes, galli intelligentiã, de qua in libro
e Iob 38.36 Iob, *e Quis dedit gallo intelligentiam?* in se repræsentantes, quatenus aduentantem ad tenebricosa peccatorum corda diuinæ misericordiæ solem præintelligũt, atque prænuntiant: Quosdam ibidem videre est, qui ceruos sese exhibeant, dum ad Dei fruitionem anhe-
f Psal.41.2. lantes, sæpius eas exclamant voces : *f Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum : ita desiderat anima mea ad te Deus.* Quosdam etiam, quos capreas dicas præcursus velocitate, qua viam mandatorum Dei currere satagunt. Quibus omnibus in multiplicibus, ac varijs hisce, alijsve similibus formis super Christum Ecclesię murum eminentibus adeo excrescit ipsius Ecclesiæ pulchritudo, vt si per horti similitudinem hæc sola significaretur, efficacissima sanè ea censenda esset, dum C
hic adhibita est ad amplificandam talis sponsæ pulchritudinem.

4 *Ecclesia quasi proprius locus voluptatis Dei ob eximiã sui pulchritudinem. Simile.*

Attamen multo efficacior eadem similitudo est: nam per ipsam insuper significatur, talem, tantamque istam esse Ecclesiæ pulchritudinem ; vt propter eam iam quasi peculiaris locus voluptatis Deo illa sit, vtpote instar horti voluptatis exhibita, ad quam è cælis descendat, voluptatem ex ea percepturus: non secus ac celsissimi quique Regum, ac Principum terrenorũ, qui, tametsi in regijs ciuitatibus, in nobilissimis palatijs, opulentissimisq; ædibus exuberent vniuersis ijs, quæ inter delectabilia annumerantur ; ad illum nihilominus tendunt frequentius hortum, quem artifi- D
cio summo conseuerint, sibique seruent conclusum, vt exinde capiant voluptatem.

Ecclesia hortus voluptatis Dei, quatenus sancti, qui in ea sunt, voluptate perfruuntur. Simile.

Porro, si exactius perscrutari velimus, quonam pacto Deus, à quo omne bonum, & qui fons est omnis voluptatis, voluptatem ex spiritali Ecclesiæ horto capiat, inueniemus, eatenus illum dici istiusmodi capere voluptatem, & eatenus Ecclesiã dici eius hortum voluptatis, quatenus ijs exuberat delicijs, quibus exultant, qui in ea sunt fideles, ac sancti : ita vt sicut areolas viridantes, flores, & fructus horti ob id lætos appellare consueuimus : quia lætitiam ac voluptatem præbeant: Ita è vestigio, multoque proprius hortum voluptatis Ecclesiam nuncupemus ; quia eius fideles E
ex ipsa percipiant voluptatem : lætos dicamus & flores, & fructus, atque arbores illius spirituales : quia quotquot in ea instar celsarum arborũ sublimes sunt celsitudine virtutum, quotquot fructus bonitatis se exhibent, quotquot & bono Christi odore instar florum suaueolent, inexplicabili exultant lætitia : cuius rei testem habemus Isaiam Prophetam : is etenim enarrans qua ratione Dominus Ecclesiam sibi facturus esset hortum, & hortum voluptatis: vt in ea, & ex
g Isa.51.3. ea voluptatem caperet, ait: *g Consolabitur Dominus Sion, consolabitur omnes ruinas eius, & ponet desertum eius quasi delicias, & solitudinem eius quasi hortum Domini. Gaudium, & lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis:* F

Ex voluptate Ecclesiæ voluptatem percipit Deus.

Qua in re insignis admiranda est Dei in Ecclesiam suam propensio, excessiuus amor, & incomprehensibilis bonitas : quandoquidem eo ipso tempore, quo sponsam suam consolatur, ex actu cõsolationis illius, consolationem & ipse percipit maximam : dumque delicijs eam cumulat, gaudiumve exhibet atque lætitiam, gaudio & ipse perfunditur & exultatione, deliciasve suas dicit eas, quibus illam implet sui præsentia:

A hoc namque crediderim, significare eum voluisse in lib. Prouerb. cũ dixit: *h Deliciæ meæ esse cũ filijs hominum.*

5 *Ecclesia eatenus sine macula, quatenus est hortus conclusus muro sacr. Script. & Christ. à vt earum ostio. Simile.*

Ex his iam patet, quam efficaciter ipsa horti similitudine explicatum sit, quomodo Ecclesia tota pulchra sit; per id tamen, quod haud *hortus* simpliciter, seu *hortus Regius*, aut *hortus voluptatis*, sed *hortus conclusus* ea appellata est, idemque appositum iterum eidem horti similitudini adiectum est, dum bis repetita illa est, ad duo illa significanda, quibus totalis constat Ecclesiæ pulchritudo, de quibus & hucusque actum est : Illud pariter explicatur, quomodo nulla in ipsa Ecclesia sit macula, nullum vitium, nullusve defectus: Enimuero quemadmodum in hortum talem, qualem pro similitudine hoc loco adhibitum, credere est, pretiosum, regio opere excultum, atque etiam irriguum, maculæ non irrepit turpitudo aut deturpatio aliqua; ni aditus ad illum feris fiat, & pertranseuntibus hominibus, per quos herbę conculcentur & flores, vel fructus ex arboribus diripiantur, vel viæ deturpentur & ambulacra, vel ea ipsa vastentur, quæ opere topiario ingenti contexta sunt labore ; atque adeo cum bene conclusus, seraque obfirmatus custoditur à dominis, nil huiuscemodi maculæ, nilve prædictorum defectuum in eo aduertere est: In eumdem modum, cum experientia constet, eatenus in particularem alicuius Prouinciæ Ecclesiam maculas irrepere, vel in confusione graduum, ministeriorum, statuum, atque ordinum: vel in conculcatione humilium, & eorum, qui instar florum, bono exemplo, bonoque sanctitatis odore suauiter redolent: vel in deturpatione sanctarum animarum, in quibus Deus ambulare consueuit : vel etiam in deuastatione Religionum: quatenus illi aditus quispiam patentior relictus est in pariete sacrarum litterarum, & obseruantiæ legis diuinæ, quo à Domino tota circumdata fuerat : ita vt aliunde, quam ab ostio, *a* quod est Christus, diabolus singularis ferus, a Ioã.10.9.
& hæretici ferarum omnium pessimi, & etiam peruersi quique fidelium in ipsam irrumpentes, totam eam maculis conspergant, deturpantes, vastantes, atque exterminantes falsis dogmatibus, vanis illecebris, prauisque exemplis, & persuasionibus suis. Merito Catholica, Orthodoxa, & Romana Ecclesia dicitur semper nedũ *hortus*, sed *hortus conclusus* ; atque adeo & tota pulchra, & sine macula: Murum siquidem habet præfortem illas ipsas Scripturas sacras, in quibus vniuersas suas constitutas habet diuitias, vtpote desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum, continentes verba, iudiciave Domini: ita vt propterea non incongrue ijs id aptari queat, quod de terrenis diuitijs profertur in libro Prouerbiorum : *b Substantia di-* b Prou.18.
uitis, vrbs roboris eius, & quasi murus validus circumdans 11.
eum. Murum autem istum habet vndique occlusum, nec aliud in eo reperire est ostium, quam illud vnum, de quo in Euangelio Christus Dominus ait: *c Ego sum* c Ioã.10.9.
ostium: per me si quis introierit, saluabitur : Quin & istud ipsum ostium ita seruatur obseratum : vt murum ipsum penetrare nemo queat, atque in conclusum Ecclesiæ hortum ingredi, nisi idemmet Christus Iesus, qui ostium est, illud aperiat claue Dauid, quam habet, iuxta illud Apocalypsis: *d Hæc dicit Sanctus, & verus, qui* d Apo.3.7.
habet clauem Dauid: qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit : ipse etenim solus clauem habet scientiæ sacrarum Scripturarum, & illorum in primis mysteriorum, quæ ad se pertinent, quibus vniuersæ eæ refertæ sunt: ipse earum notitiam, cui vult, aperit, & cui vult claudit: ac profecto cum aliquis aperuerit, haud quidquam periculi est spiritali horto: nam, cum quis per tale ingrediatur ostium, ingreditur sanè non vt vastator, sed vt bonus operarius.

6

Porro, quæ per horti conclusi similitudinem tam præclarè explicata sunt, non minus sanè egregiè ad maiorem confirmationem per adiunctam similitudinem alteram fontis signati comprobãtur; idque non minus congruè, quam necessario. Enimuero quid pulchritudo membrorum omnium decori haberet, si diffusa per membra singula deesset gratia ? quidve

horto ineſſet decoris ex pulchra areolarum diſpoſitione, ex copia aromaticarum arborũ, ex plantis perpulchrorum florum, & frugiferis arboribus, de longinquo allatis? quid labor in contexendis operibus topiarijs? quid præfortis muri concluſio, ni aquarum adeſſet copia, quibus debitus cunctis conferretur decor. *Fons* ergo ipſamet Eccleſia dicatur, quæ & *hortus* dicta eſt, & *tota pulchra* eſt prædicata: *Fons ſignatus*, ſiue fons; vt præ aquarum copia quibus ſancti quique illius conſperſi ſunt, & vnus ſit, & plures pariter fontes in ijs omnibus, iuxta pollicitationem illam, quam apud Iſaiam deſcriptam legimus: *e Quæ erat arida, erit in ſtagnum, & ſitiens in fontes aquarum.* Fons quoque eſt aquis doctrinæ exuberans, quibus & areolæ vniuerſorum, qui in ipſa ſunt, graduum, & quicquid ad horti pulchritudinem confert, affatim irrigatur: attamen ita fons eſt hiſce redundans ſacræ doctrinæ aquis, vt fons ſignatus dicatur, quia non tantum tota pulchra pronuntiata eſt: ſed etiam ſine macula, & ſine vllo defectu, aut deturpante aliquo: quamuis enim in terreno horto parum interſit, an aquæ fontium claræ ſint & limpidæ, an vero limoſæ, & corruptæ, quatenus ad hortum irrigandum inſeruiunt: quia herbæ, atque arbores, quas irrigant, radices ſuas defixas habent in terra, & è terra terreſtrem, & craſſum attrahunt humorem: & idcirco quoad hoc neceſſarium minimè eſt, vt fons ipſe concluſus ſeruetur: In ſpiritali tamen horto, & in Eccleſia Catholica: quia ſpiritales ipſius herbæ, & arbores nequaquam in terra, ſed in cælo, atque in Deo ipſo, quem ſuper omnia diligunt, ſuas radices habent, in Dei charitate radicatæ, & fundatæ, vt purũ è cælis ipſis attrahant humorem, quo in ſanctitatis pulchritudine creſcant, operæpretium eſt, vt ſacræ doctrinæ, quæ eis ſubminiſtrantur, aquæ, abſque omni cœno ſint limpidiſſimæ; alioquin ex illis maculas contraherent, prout herbis, & arboribus terreni horti euenire conſpicimus tunc temporis, cum nequaquam ad radices ſed ſuper frondes, & folia aqua iniecta fuerit, quæ vel limo, vel ſanguine, aliove colore ſit deturpata. Idcirco Eccleſia Catholica, quæ has fluit ſacræ doctrinæ aquas, ne eæ ob fœdorum pedum conturbationem deturpentur ab ijs, qui limoſos pedum affectus habent, neve ob mortiferum dogma ab hæreticis iniectum corrumpantur: & ne falſo colore, ab ignorantibus immiſſo, genuinam amittant puritatem, fons ſignatus ſit, neceſſe eſt: ſignatus inquam, ſignaculo cæleſtis Regis, quod nullus audeat attingere: ſignaculo, quod ille ſolus ſoluere poteſt, qui in libro Apocalypſis dicitur extitiſſe *f dignus accipere librum, & ſoluere ſignacula eius*: quive ſicut & oſtium horti eſt, & aperit, clauditque ſeipſum, vt eſt oſtenſum: ita etiam ſignaculum ipſum eſt, quo ſpiritalis fontis aquæ, ſacrave Eccleſiæ doctrina pura, & immaculata ſeruatur.

Eccleſia fons ob aquas gratiarum, & aquas ſacræ doctrinæ.

c Iſai. 35. 7.

Eccleſia Catholica fons ſignatus ſit, neceſſe eſt, vt ſeruetur ſine macula.

Simile.

Simile.

f Apo. 5. 9.

Eccleſia Catholica fons ſignatus dicitur, quia Virgo parit, & puriſſimas effundit aquas doctrinæ ſuper fideles.

Ex quo & id ſequitur conſequenter, quod præcipuæ laudis eſt eiuſdem Eccleſiæ, quodve præ omnibus cæleſti ſponſo iucundum in ea eſt, quæ & ſoror, & ſponſa eius dicitur eo ſenſu, quem ſupra proſecuti ſumus in ſecunda expoſit. verſ. 9. id vero eſt Virginitatis decus. Quis enim ambigat, rem, quæ ſignata ſit Principis ſigillo, ita ipſi vni addictam eſſe Principi, vt quamdiu ſigillum ſuper ſe habeat, puriſſima ſit, & virgo etiam metaphorico nomine dici queat?

Porro ſic Virgo eſt Eccleſia, vt, ſicut abſque amotione diuini ſignaculi, quod ſuper ſe habet, tanquam Chriſti ſponſa innumeros parit filios, iuxta illud Iſaię; a *Quis audiuit vmquam tale? aut quis vidit huic ſimile? numquid parturiet terra in die vna? aut parietur gens ſimul: quia parturiuit, & peperit Sion filios ſuos?* ita pariter abſque eiuſdem ſigilli fractura tanquam fons ſignatus puriſſimas in horti areolas, & plantas ſpirituales effundat aquas, quæ, ni ex ipſo tranſirent eius ſignaculo, & è Chriſto Ieſu, impuræ impuram ſanè & illam arguerent.

a Iſa. 66. 8.

Paraphraſis.

Ex his, quæ hucuſque dicta ſunt, colligi poteſt breuis totius huius ſententiæ ſenſus iſtiuſmodi.

Quæ ſoror, & ſponſa mea es; quia ita perpetuo ſpõſa, ſicut perpetuo & ſoror es: Et quia ita ſponſa, vt inſtar ſororis virgo mihi exhibita ſis caſta: Ita ſanè tota pulchra es in rectè diſpoſitis fidelium ſtatibus, atque ordinibus, & in ſingulis eorum ordinum, qui aliquo præeminent ſanctitatis ſtudio, aliquave virtute, ſicut nobilis, ac pretioſus hortus totus eſt pulcher in areolis, in herbis, floribus, atque arboribus; in ambulacris, & in ijs, quæ topiario contexta ſunt opere. Quin ob pulchritudinem iſtam tuam mihimet Deo tuo voluptatem affers, ita vt merito *hortus* voluptatis Dei dici debeas. Nec defectus quiſquam in te apparet deturpationis, aut demolitionis pulchritudinis tuę; quia es inſtar horti concluſi, ac bene obſerati, in quem nec feræ, nec vaſtator aliquis ingredi poſſit: Es namque & tu muro ſacræ Scripturæ circumdata, oſtium habens mè vnum, qui ſolus admitto, quos voluerim; cum clauem habeam prophetarum: Es inſuper ipſamet tibi in horto concluſo *fons*, quia aquis exuberas diuinarum gratiarum, quas diffuſas habes in ſingulis membris tuis: & *fons* etiam, aquis doctrinæ ſacræ redundas, quibus id omne, quod in te eſt, irrigatur: *fons* planè *ſignatus*, non tamen alio ſignaculo, quam me, qui puras eas pro plantis, quæ in te ſunt, ſeruo aquas; & cui virgo ſeruaris, dum ſic ſignata puriſſimus es fons puriſſimis irrigans aquis.

Verſ. XII. cap. IV. *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus.*

Expositio III.

De ſecunda Sponſa, quæ eſt Anima Iuſti.

7

In orationis ſtudio eatenus pia anima excellens eſt, quatenus eſt hortus concluſus, & fons ſignatus.

COngruenter ſanè admodum poſtquam in præcedenti verſu piam animam ſponſam ſuam exinde commendauit cæleſtis ſponſus, quod inſignis eſſet in omni genere orationis, nũc in præſenti verſ. 12. immediate ex perfecta illam ipſam extollit, & totali pulchritudine, quæ ex virtutum decore prouenit, atque ex affluẽti gratiarum copia, ex arcta cordis cuſtodia, & ex virginali pudicitia, qua quicquid in ipſa vel pulchritudinis eſt, vel gratiæ, id omne ſibi vni ſeruetur intactum, & illibatum: quaſi hoc quoque ſubindicans, inter præſtantiſsimas laudes illas, quas hoc encomio in ipſam confert, quod idcirco adeo ſit excellens in omni genere orationis; quia ſit hortus concluſus, & fons ſignatus; quia ita ſua ſit ſponſa, vt ſit ſimul & ſoror: quia & in vita actiua ſororem ſuam ſe exhibeat, faciens voluntatem Patris, qui in cælis eſt, & in vita contemplatiua inſtar ſponſæ ipſius ſe habeat ipſi vnita.

Horti ſimilitudo quam apte explicet perfectã piæ animæ pulchritudinem ſanctitatis.

Porro, quia duabus ſimilitudinibus horti concluſi, ac fontis ſignati ea omnia exprimit, quæ iam tacta ſunt, vt melius earum ſimilitudinum vis percipiatur, & eæ etiam præſtantiſsimæ, quæ ſub illis, ac per illas orantis animæ deſignantur, laudes innoteſcant, ſingula perpendam exactius.

Ac primũ, quam efficaciter perfecta tam ſanctę animæ, quæ & ſoror, & ſpõſa Dei eſt, ſanctitatis pulchritudo per horti ſimilitudinem explicetur, ex ijs colligitur Apoſtoli verbis, quibus ad Corinthios ait: *Dei agricultura eſtis.* Enimuero, ſi ad hoc, vt quis pulchrum faciat hortum, duo neceſſe eſt habeat ſimul iuncta, & magnas opes, quibus innumera, quę ad horti ſtructuram neceſſaria ſunt, comparentur, & agriculturæ artem, quæ architecturæ expers minimè ſit: alterutrum quippe ſi deſit iſtorum duorum, pulchritudinem pariter horto deeſſe operæpretium eſt.

1. Cor. 3. 9. *Simile.*

Hinc potentiſsimi Principũ, quo in hortis ijs, quos ſumma magnificentia ſibi conſtruunt, nil deſit pulchritudinis, id quod ſibi ipſis deeſt artificij, per alium ſupplere ſatagentes, eum illis præficere curant, qui maximè omniũ expertus ſit agriculturæ artis. Quinimo, ſi quando contingat, vt Princeps quiſpiam eius artis ſit gnarus, tunc profecto is, quem ſibimet facit,

cit, hortus omnimoda decorus est pulchritudine. De potentia & opibus cælestis sponsi nihil est, quod aliquid dicam: omnipotens enim est, & Dominus vniuersorum; quam vero idem ipse, qui & omniscius est, necessariam etiam ad pulchros hortos construendos agriculturæ calleat artem, ex vnius horti, quem aliquando plantauit, patet pulchritudine, quæ certe talis extitit, vt propter eam merito paradisus voluptatis sit appellatus: quia nimirum tam eximia decorus esset pulchritudine; vt præ illa cælestis quodammodo paradisi exhiberet voluptates: vnde in libro Geneseos duobus hisce nominibus inexplicabilem illius pulchritudinem describens Moyses, ait: *Plantauerat Dominus paradisum voluptatis à principio*. Quod si sensibilem, ac terrenum primum illum hortum, quē haud pro se, sed pro homine plantauerat (vnde & scriptura dicit post prædicta verba immediate: *In quo posuit hominem, quem formauerat*) tam pulchrum effecit, vt paradisus voluptatis appellari potuerit: quanto pulchriorem existimandū est construere spiritalem hortum, cum piam animam illam, quæ soror & sponsa ipsius est, hortum non iam pro quoquam efficit hominum, vel Angelorum, sed pro semetipso, sibique vni seruatum? Merito sane hortum conclusum illum appellat, & hortum conclusum iterum eam dicit: Cōclusam namque talem seruat animam: conclusam inquam, nequitiis, nedum sensibilibus, sed & spiritualibus, ne in eo contingat, quod in primo illo contigit horto, in quo homini mulier data est in adiutorium, per quam tamen peccato irretitus is est; in quem & diabolo ingredi licuit, cuius opera & peccatum, & ipsamet turpitudo in tam pulchro disseminata est paradiso: Conclusam item claue seruat eamdem, conclusam hominibus quibuscunque, conclusam & Angelis ipsis: nec his quippe, nec illis ad eam vmquam patet aditus, nisi cum vt ministri ipsius clauem habent à se eius sponso exhibitam diuinæ charitatis.

Genes. 2. 8.

Conclusum hortum piā animā quomodo esse iat Deus, & cur conclusum.

8

Est autem in spiritali isto horto id omne pulchritudinis, quod in pulcherrimo reperiri potest horto terreno; sunt areolæ perbelle ordinatæ, & quasi ad perpendiculum adæquatæ, & complantatæ, ipsæ nimirum eius potentiæ, in quibus nihil inest confusionis, nihilve demissionis, prout in potentiis aduertere est impiorum, quæ sunt & distortæ, à diuina deuiantes rectitudine, & præ confusione multiplicium rerum, quibus plenæ sunt; ex vna parte elatæ spiritu superbiæ, ex alia vero demissæ ob inania, & vana, quæ in se admittunt: sunt & suaueolentes, medicinalesve herbæ sanctarum cogitationum: sunt flores sanctorū desideriorum, sui fragrantiam vsque ad cælum emittētes: sunt arbores habituum infusorum: sunt & pulcherrimi, & suauissimi ex arboribus hisce producti fructus actuum vniuscuiusque virtutis; sunt quoque speciosiores eæ arbores, in quibus artificiosus operis topiarij nexus, atque textura diuinos mirum in modum oblectat oculos, habitus, inquam, charitatis in Deum, atque in proximum, è quorū textura fructus pariter pendent actuum charitatis, reliquis fructibus vniuersis dulciores, ac pulchriores. Nec desunt ibi ambulacra rectissima, nempe exercitia orationis, meditationis, lectionis, operum manualium, & officiorum pietatis, ac misericordiæ, quorum rectitudinem his verbis describit Isaias Propheta: *a Semita iusti recta est, rectus callis iusti ad ambulandum:* vbi quod dicitur, ad ambulandum, non inepte etiam ad Deum referri potest, quem constat vna cum ipso iusto per rectū istiusmodi callem ambulare, prout clarius ipsemet explicat in libro Prouerb. dicens: *b In vijs iustitiæ ambulo, in medio semitarum iudicij*: quæ sane ambulacra, quatenus per illa ambulat Deus, intra hortum ipsum, ipsamque animam directa, & complantata sunt, in eius videlicet mente, quam Deus mouet ad studia illa: ita vt propterea, referēte Apostolo Paulo, dicat: *c Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo*. Inhabitat quippe is in pia anima, dum illam in bono perseuerantem efficit; inambulat vero, dum voluntati, & menti illius proponit, vt per varia proficiat virtutum studia; dum eam ad sancta promouet exercitia. Inambulans autem per tam pulchrum hortum spiritualem is ipse, qui est pater omnium consolationum, & fons cœlestium deliciarum, inexplicabili perfunditur voluptate, dum admirabilem eius conspicit sanctitatis pulchritudinem: dum, propriis quodammodo manibus legens flores purissimorum desideriorum, & colligens fructus operationum virtutis, ex variis habituum arboribus dependentes, iisve summa se pascens cum delectatione, prout ipsamet sponsa conteſtatur inferius in c. 6. dicens: *d Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis, & lilia colligat*: in medio fragrantissimarum herbarum, & sanctarum cogitationum cōquiescit, prout fatetur in libro Prouerb. dicens: *e Eruditis interfum cogitationibus.*

Pie anime vt horti descriptio pulchritudinis.

a Isa. 26. 7.

Ambulare Dei in pia anima quid sit, & quomodo fiat.

b Pro. 8. 20.

c 2. Cor. 6. 16.

Ambulans Deus in anima, quomodo voluptatem ex ea capiat.

d Cant. 6. 1

e Pro. 8. 12.

9

Quod autem in spirituali isto horto & pulchritudinem maxime auget, & maiores Deo ingerit voluptates, est ingens ipsius animæ pudicitia, qua quicquid in se est vel bonarum cogitationum, vel sanctorum desideriorum, vel habituum, aut actionum virtutis, id omne illa vni seruatum custodit Deo sponso suo, à quo cogitatio omnis, omne desiderium, omneque datum optimū, & omne donum perfectum plantatum in ipsa est, oblectatq; hoc maxime Deum, quod sibi soli ad huiusce modi hortum pateat aditus, solumque in eo inhabitare, & inambulare sibi liceat: atque adeo non tam exinde sponsam istam suam commendat, quod *hortus* sit, quam quod, cum sit hortus, sit *hortus conclusus*.

Voluptatem ex pia anima exinde potissimum capit, quod hortus conclusus est.

Horti conclusio duplex: vna à Deo, altera ab ipsa pia anima.

Hortus conclusus pia anima dicitur: quia à Deo conclusa seruatur.

f Ps. 124. 3.

g Isa. 62. 6.

Conclusio porro ista, qua ab horto arcetur omne id, quod est alienum à Deo, duplex est: ideo bis dicitur, *hortus conclusus, hortus conclusus*. Altera ex parte Dei, seu ab ipsomet Deo, qui hortum sibi plantauit; de qua in Psal. dictum est: *f Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui*: vbi montium appellatione Angelorum custodia designatur, de quibus per Prophetam ait Dominus: *g Super muros tuos Ierusalem constitui custodes: tota die, & nocte non tacebunt*: circundāt quippe Angeli sancti, & custodiunt hortum Dei: at clausuræ fortitudo non tam ex ipsis prouenit, quam ex ipsomet Domino, qui ita circundat eum; vt sit murus eius fortissimus, imo non vnus murus, sed plures muri, super quos illi innixi concludunt, ex parte sua custodiētes, atque clamantes intra cor piæ animæ: quod & ipsimet fatentur, cum aliquando intra istum hortum ingredi cupientes, vt ministerium impleant salutis, dicunt: *h Saluator ponetur in ea murus, & antemurale: aperite portas, & ingrediatur gens iusta, custodiens veritatem:* ac si dicant: Scimus, Deum Saluatorem tuum te ita arcte concludere, vt & pro muro, & pro antemurali te cingat: Aperi tu tamen nobis portas cordis tui, potētiarumque tuarum, neve extimescas: ingredientibus enim nobis intra te hortum Dei nostri, ingredietur gens sancta, & iusta, atque custodiēs veritatem: quin aperi audacter, quia nobiscum Deus: sic namque canit Ecclesia in quadam Antiphona secundæ Dominicæ Aduentus: *Aperite portas, quia nobiscum Deus.* Loquuntur autem in plurali, quia omnes, & singulas eas alloquuntur animas sanctas, quæ hortus Dei sunt.

h Isa. 26. 1.

Porro hoc, quod inquiunt, *Aperite portas*, alteram illam indicant clausuram, propter quam iterum replicasse dixi sponsum verba ista, *Hortus conclusus*, quæ est ex parte ipsius animæ, quatenus ipsamet, diuina adiuuante gratia, arctissimam sibimet adhibet custodiam sui ipsius, tot obseratas in se retinens portas, quot habet potentias. Nonne validissimam portam oculis adhibet, dum vna cum sancto Iob ait: *a Pepigi fœdus cū oculis meis, vt non cogitarem quidem de Virgine?* Non negligit, portam obserare auribus, orique suo, recolens per sapientem quemdam id sibi consultum iis verbis: *b Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia & seras auribus tuis.* Quidni vero præfortem ori suo faciat portam, cum sciat, per Salomonem dictum: *c Qui custodit os suum, custodit animā suam.* Quin si quādo casu aliquo ablatam, seu fractam portam

Hortus conclusus pia anima dicitur ob sedulam custodiam sui ipsius, & potentiarum suarum.

a Iob 31. 1.

b Eccli. 28. 29.

c Prou. 13. 3

tam iſtam in ſe aduerterit, confugit illico ad primum artificem Deum, ſponſumque ſuum, ac ſui ipſius periculum illi proponens, ait vna cum Propheta: d *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circunſtantiæ labiis meis: vt non declinet cor meum in verba malitiæ.* Quod ſi potentiis hiſce ſenſuum exteriorum tantas, adeoque validas portas cuſtodire nititur obſeratas; multo ſane maiorem adhibet diligentiam, vt portas validiores habeat potētiis interioribus, eaſve ſeris timoris Domini concluſas: imaginationi vnam, aliam intellectui, aliam memoriæ, aliam denique voluntati: quas omnes vnico verbo conſulit Sapiens, cum ait: e *Omni cuſtodia cuſtodi cor tuum.*

10 *Fons eſt pia anima ob ingentem copiam gratiarum.*

Quia vero, iuxta illam Prophetæ pollicitationem, qua piæ animæ dicitur: f *Et eris quaſi hortus, & ſicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ:* eatenus inſignem horti pulchritudinē ſponſa habet, quatenus diuinæ gratiæ aquis redundat, è quibus potiſimū aquis certum eſt prouenire illud omne quod pulchrum, quodve & ſanctum in ea: g *Gratia enim Dei ſum, id quod ſum,* dicebat Apoſtolus: idcirco appellata eſt, non ſolum *hortus concluſus,* ſed & *fons ſignatus,* prout & à Chriſto Domino factum legimus apud Ioannem, vbi dixit: h *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam:* Aqua, inquit, fiet fons: at ſponſus non aquam hic dicit fontem, ſed ipſammet animam ſponſam ſuam appellat fontem per epithatin, quaſi amantium more dicere velit: Tantis affluis gratiis, nedum gratum facientibus: ſed & gratis datis, & donis Spiritus ſancti, vt tumet fons quodammodo dici queas ob multiplices, eoſque præſtantiſsimos dictarum gratiarum effectus, quos inſtar aquarum exhibes in cogitationibus, in verbis, atque in operibus.

Fons ſignatus cur dicatur pia anima.

Ac bene non dicitur *Fons* ſimpliciter, ſed *Fons ſignatus*: Quæ enim tam inſigni decora eſt ſanctitatis pulchritudine, tamque pudica in ipſamet pulchritudine ſua ſeruanda; vt *hortus concluſus* dici meruerit, eadem exiſtens *Fons* ob gratiarum copiam, *fons* dici debuit, nedum *concluſus*, at etiam *ſignatus*, cum in ipſiſmet gratiis adeo eximiis, in ipſiſmet gratiarū effectibus Virginem caſtam ſe Chriſto exhibeat, ea tantummodo cogitans, ea & loquens, & faciens, quę Domini ſunt.

Triplex ſignaculum piæ animæ propter quæ dicitur fons ſignatus.

Triplici porro ſignaculo ſignatus eſt huiuſmodi fons, atque ob triplicem cauſam. Primum ſignaculum eſt ſponſus ipſe Dominus Ieſus, qui propterea in capite octauo huius Cantici ait: i *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum.* Secundum eſt Spiritus ſanctus, de quo Apoſtolus ad Epheſios ait: k *Credentes ſignati eſtis.* Græce ἐσφραγίσθητε, id eſt, ſigillati eſtis, *Spiritu promiſſionis ſancto.* Tertium eſt ſedula ipſius animæ cura, qua ſtabilem, immotamque ſe Dei ſponſam, & ab omni peccatorum labe immunem ſtudet ſeruare, de quo idem Paulus ad Timotheum dixit: l *Firmum fundamentum Dei ſtat* (id eſt, electi ij, qui fūdati ſunt in fide Chriſti, quive ſunt Dei fundamentum, immoti permanent) *habens ſignaculum hoc: cognouit Dominus qui ſunt eius, & diſcedat ab iniquitate omnis, qui inuocat nomen Domini*, id eſt, hoc pro ſignaculo adhibentes animabus ſuis, quod cogniti ſunt à Deo, & quod ſunt eius, & demum quod qui fidelis eſt, debet ab iniquitate diſcedere.

Pia anima fons ſignatus Chriſto Ieſu vt ſignaculo.

Fons itaque eſt primo *ſignatus* ſignaculo, quatenus Chriſtus Dominus, è quo omnis dimanat gratia, cordi ipſius animæ ſemet imprimens, per ingentē, quam illi infundit ſui dilectionem, ita eam ex omni parte concludit: vt aquæ gratiarum minime effundantur, & pereant: ſed ſibimet conſeruatæ eo ad ſe tendant in altum recta, vnde & deſcenderunt iuxta ſenſibilium etiam aquarum naturam: ſicque verificatur, quod ſupra relatum dictumque ab ipſomet eſt: m *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternā.* Et profecto piæ animæ, quatenus eſt fons, iſtud primū ſignaculum adeo eſt neceſſarium: vt abſque illo, facillime gratiis omnibus deſtituta eſſet, inſtar fontis ſine aqua, quo nihil turpius conſpici poteſt: congruerētve ei illa Pſalmi verba: n *Sicut aqua effuſa ſum, & diſperſa ſunt omnia oſſa mea:* id eſt, virtutes, bonaque omnia, quibus ita fulciebar, ſicut oſsibus fulcitur corpus. Spiritus quoque ſanctus adhiberi huic debet fonti proſecundo ſignaculo, quo concluſus ſeruetur in ſanctificatione, quæ propterea frequentiſſime in ſacris literis nominatur ſanctificatio ſpiritus; quia nimirum ſponſus, qui nedum Eccleſiam, ſed & piam quamque animam o exhibuit ſibi *glorioſam ſponſam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi: ſed vt ſit ſancta & immaculata:* idcirco, iuxta Apoſtoli dictum, p *ſignauit eam, & dedit pignus ſpiritus in corde* illius; vt per illū nedum ea ſanctificaretur, ſed & eandem in ſe conſeruatam contineret ſanctificationis aquam, ſanctitatem, ac puritatem, cuius & pignus, & ſignaculum ipſe eſt Spiritus S. ſine quo gratiarum aquæ illico deturpantur.

Pia anima fons ſignatus Spiritu ſancto vt ſignaculo.

o *Eph.* 5. 27

p 2. *Cor.* 1. 22.

11 *Pia anima fons ſignatus ſignaculo curæ ſedulæ ſui ipſius, ac gratiæ conſeruandæ.*

Verum, tametſi duo iſta ſignacula ſufficientiſſima per ſe eſſent ad conſeruandam piam animam in gratia, & in puritate, ac ſanctificatione illibatam; nihilominus, quia & Chriſtus Ieſus, & Spiritus S. ita ipſam ſignant, vt ſimul liberam eam relinquant, operæpretiū eſt, vt & tertio inſuper ſignaculo ipſa, Deo adiuuante, ſemet ſeruet ſignatam, ſolicita in cuſtodienda, quam deſuper accepit, diuina gratia: tantillum enim terreni, quod intra ſe admittat, ſufficiens eſt eius deturpare puritatem: tantillum quoque admiſſi peccati venialis ſufficiens eſt totam ipſam commouere, prout videre eſt in fonte inſenſibili, quem, ſi vel lapillum immittas in eum quietas continentem aquas, totum commotum aſpicies, & licet aquæ non minuantur, perturbatæ nihilominus in multiplices gyros moueri eas videbis, vnde poſtmodum fit, vt inquietæ ſint in fonte: id quod frequentius in compluribus obſeruare eſt ſpiritualibus, vt, quamuis in gratia exiſtant, non habentes in ſe peccata mortalia, in gyrum tamen cōmotas ſe ſentiunt, & inquietas in ipſiſmet, quæ operantur, bonis operibus, & in ſanctis iis ſtudiis, in quibus, diuina impellente gratia, ſeſe exercent. Fons igitur, ſignaculo iſto ſignatus ſedulæ curæ conſeruandi ſe in gratia, & cauendi omne peccatum, eſſe debet anima, quæ ſoror & ſponſa Chriſti eſt: Tali porro animæ veriſsime dicitur à cæleſti ſponſo: *Hortus concluſus*, &c. *Fons ſignatus*: Ac ſi dicatur: Quę *ſoror* mihi es in vita actiua faciens voluntatem Patris; quæve & *ſponſa* mea es in contemplationis ſtudio mihi vnita, *hortus* es magnificentiſsimus, à Patre meo plantatus ad noſtrā voluptatem: eam in te habes ſpiritalem pulchritudinem, quam in pulcherrimo horto admirari ſolēt homines, in potentiis, in bonis cogitationibus, in ſanctis deſideriis, in habitibus infuſis, in virtutum actibus, atque in ſtudiis ſāctitatis; ita vt iure optimo *hortus* Dei, & *hortus* voluptatis eidem Deo dici debeas. Quod autem maximam nobis ingerit voluptatem in iſta pulchritudine, illud eſt præſtātiſsmum pudicitiæ decus, quo quicquid in te vel boni eſt, vel pulchri, mihi vni ſeruatur: es quippe *hortus concluſus* à me, & memetipſo obſeratus, qui murus, & antemurale te circundo: & *hortus* etiam *concluſus* portis arctę cuſtodię, quas tu ipſa adhibes potentiis tuis.

Simile.

Paraphraſis.

Exurgit vero pulchritudo tua iſta omnis exinde, quod hortus irriguus es, tanta exuberans diuinarum gratiarum copia, vt iam *fons* pariter appellāda ſis: *fons* autem es ob haſce gratias, & cum gratiis hiſce triplici ſignatus ſignaculo, me nimirum, quem ſuper cor vt ſignaculum geſtas, & ſuper brachia: Spiritu S. quo à me item obſerata es: & tertio, quo tu temetipſam ſignatam cuſtodis, ſedulo ſtudens, vt non turbetur ea, quæ in te eſt, gratiæ aqua, curamque adhibens, vt ſponſam te meam ſerues, nil, quoad fieri poteſt, in te admittens peccati, nilve terreni, quibus vel perturberis, vel deturperis.

Verſ.

d *Pſ.* 140. 3.

e *Prou.* 4. 23

f *Iſa.* 58. 11

g 1. *Cor.* 15. 10.

h *Ioan.* 4. 14

i *Cant.* 8. 6.

k *Eph.* 1. 13.

l 2. *Tim.* 2. 19.

m *Ioā.* 4. 14

n *Pſ.* 21. 15.

Vers. XII. cap. IV. *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.*

Expositio IIII.

De tertia Sponsa, quæ est Beata Virgo Maria.

12 *Mariæ Virginitatis cũ partu coniunctæ encomium præstantissimũ.*

TAmetsi frequentia in hoc Cantico reperiantur encomia eius, quæ in Dei genitrice Maria admirabilis maxime fuit Virginitatis cum partu coniunctionis, vt in iis, quæ iam exposita sunt vidimus, & in subsequentibus pariter videbimus: nullum tamẽ prę-stantius eo est, quod in hac habetur sententia. Nec vsquam ita aperte, & tantis modis ista explicatur, & commendatur vnio duarum rerum istarum, Virginitatis, & partus, adeo inter se iuxta naturæ ordinem incompossibilium, sicut in hoc vers. vbi prius duplici appellatione duplex hæc dignitas in vna B. Maria celebratur, vtpote quæ & sponsa Dei sit, tunc despõsata, quando virtus Altissimi obũbrauit ei, quando concepit de Spiritu sancto, & Verbum caro factum habitauit in vtero ipsius: & simul quoque eodem tempore propter Virginitatis prærogatiuam ita sponsa extiterit illibata, ac si soror esset.

Secundo egregia horti concluſi similitudine idipsum, quod duplici subindicatum est appellatione, maiore cum emphasi in eadẽ celebratur apertius: Enimuero dum *hortus* nuncupatur, ita sponsa ea esse significatur, vt instar horti, qui fructus in se, & ex se profert, & ipsa fructum intra vterum suum ex se protulerit in Incarnatione verbi, de quo Elisabeth, cum adhuc ille intra vterum contineretur, dixit: *a Benedictus fructus ventris tui*. Dum vero ita *hortus* dicitur, vt simul quoque *conclusus* pronuntietur, insignis altera celebratur eius prærogatiua Virginitatis, vtpote quæ ita talem concepit filiũ è Spiritu sancto, Virgo perstitens, sicut hortus conclusus fructus profert, etiam dum est conclusus: At quia non tantum in cõceptione, verum etiam in partu, atque post partum hanc conclusionis, atque Virginitatis retinuit prærogatiuam, vt hoc pariter in ipsa extolleretur, merito adiectũ est iterum: *Hortus conclusus*, quamuis adhibita ista similitudo, si ex horto terreno sumatur, non attingat veritatem huiusce rei tam mirabilis: quia fieri naturaliter nequit, vt fructus ex horto productus extra hortum deferatur, vt aliquo pacto quispiam in eo pateat aditus, per quem is saltem vnus ingrediatur, & egrediatur, qui fructum productum colligit, & foras emittit: Maria tamen mirabiliter hortus conclusus semper extitit, quia idemmet Deus conclusam eam seruando, & ingressus in ipsam est, cum in primo instanti Incarnationis productus quodammodo fuit instar fructus, & egressus ex ipsa est vt fructus, mundo exhibitus vniuerso: quod apertius Ezechieli sub metaphora portæ clausæ, per quam tamen sic clausam Deus ingrediatur, & egrediatur, significatum est ab ipsomet Domino, vbi Propheta ait: *b Et dixit Dominus ad me: Porta hæc clausa erit, non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa Principi*: Vnde crediderim, motos esse nonnullos, vt secundo loco pro, *hortus conclusus*, ex Hebraico verterint, *Porta conclusa*, vt notatum est in prima expositione.

Simile. Maria hortus ob fructum, & partum.

a Luc. 1. 42.

Maria Virgo in partu & post partum.

Simile.

b Ezc. 44. 2

13 *Fõtis signati appellatio quam recte exprimat Mariæ Virginitatem in partu, & post partum. Greg. Nyss.*

Hæc denique omnia similitudine alia fontis signati efficacissime confirmantur à cęlesti sponso: Pro cuius similitudinis vi percipienda notandum, in sacris litteris nonnunquam sub aquarum metaphora, filiorum, vel cõceptionem, vel partum designari, id quod præsertim ex c. 5. libri Prouerb. colligitur manifeste, è quo loco explicatio pariter petenda est allatæ ab sponso similitudinis, prout facit Gregorius Nyssenus, & alij, licet in altero sensu; ibi siquidem Sapiens ait:

a Prou. 5. 15

a Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui: Derivantur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide: Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui: sit vena tua benedicta: Seu vt habẽt Sept. *Fons tuus aquæ sit tibi proprius*: Quæ verba, etsi illis secundum litteram Salomon eum alloquatur iuuenem, quem erudiendum susceperit, dehortansque à fornicariæ commercio, ad propriæ coniugis amorem illũ deducat, suadens illi, vt filios ex ea procreet, qui ipsum in plateis honore afficiant, & de quorum natalibus certus sit: ac proinde etiam ipsa eius coniux, in qua, & ex qua aquæ dictorum filiorum æque, ac ex fonte deriuant, benedictionibus repleatur; iuxta mysticum tamen sensum nil prohibet, vt tanquam prophetia assumi queant, prout & complura, quæ in eodem libro habentur, tanquam Prophetiæ à Sanctis Patribus accipiuntur; & hic ipse locus ab Augustino sumitur lib. 2. contra Cresconium, quasi præcise hæc dicta sint ad Deum, prædictumque in illis, quod ab ipso Deo faciendum erat cum B. Maria, quam primo sapiens appellet nominibus cisternæ, ac putei, in quibus sunt quidem aquæ, sed intus contentæ, congruitque in primis cisternæ nomẽ: quandoquidem cisterna eas cõtinet aquas, quæ è cælo defluxerint: cõgruit & nomen putei: quia & puteus eas habet aquas, quæ absque vlla hominũ opera intra ipsummet scaturiunt, nec opus habet, vt aperiatur, quo in eum defluant aquæ. Scimus autem, B. Mariam filium intra suum cõcepisse vterum, cum Verbum è cœlo descendẽs, carnem ex ipsa, & intra ipsam assumpsit absque vlla hominum opera, & absque vlla Virginitatis læsione, ita vt propterea iure optimo ad Deum Patrem dici potuerit; *Bibe aquam de cisterna tua, & fluẽta putei tui*, id est, habeto filium de Maria Virgine, illoque perfruito, qui de cælis intra eius vterum sic descendit, vt instar aquarum scaturientium, virginitate seruata, cõceptus in ipsa sit. Per partum deinde eiusdem Mariæ egrediatur filius iste in mundum, totique orbi exhibeatur palam instar fontium multorum & instar aquarum per plateas diuisarum. *Habeto tamen tu solus eum*, signata permanente matre ipsius signaculo virginitatis: *Nec sint alieni* hoc in filio *participes tui*. *Sit vena* ista, fonsque iste tuus, è quo filius ipse tuus deriuauit foras, instar aquarum: *sit*, inquam, Maria *benedicta* inter mulieres; quia talem edidit partum: ipsa *fons aquæ sit tibi proprius*, tuo nimirum signatus signaculo, etiam dũ aquæ ex ipsa dimanant, etiam postquam dimanarũt, tum in partu, tum etiam post partum filij tui, in quo nemo hominum tibi particeps esse potest. Quod ergo fusius sub metaphoris aquarum, & fontis, in quo aquæ continentur, vel è quo aquæ dimanant, in illis significatur verbis per Salomonẽ; hoc in modicis hisce alijs verbis: *Fons signatus*, per eumdem Salomonẽ breuius sub eadem quoque metaphora exprimitur peregregie in hoc vers. 12. siquidem, dum B. Maria exinde commendatur, quod *fons signatus* sit, non tantum virginitas commendatur, prout primo aspectu apparet: verum etiam partus: vnde factum est, vt esset vera benedicta: tum quia ita fons extitit: vt & cum filium in vtero suo, prout fons aquas, intra se cõtinuit per nouem menses; & cum item, quasi fons, aquas è se emittẽs, filium ipsum suum ex vtero suo per partum emisit, semper Virgo permansit, signata signaculo virginitatis, quæ est sponsarum Dei signaculum: atque adeo instar fontis signati.

Maria cisterna, & puteus. Simile.

Tota igitur præsentis encomij vis in hoc sita est, vt Mariæ singularis hæc tribuatur prærogatiua partus cum Virginitate coniuncti: Ac si dicatur.

Paraphrasis.

Quæ *soror mea* es, in virginitate perdurans, simulq; & *sponsa* item mea in partu, *hortus* es ob filij cõceptionem: sicque in ipsa filij conceptione es hortus; vt tamen *hortus conclusus* dici debeas, cum concluſa perstiteris in virginitate: quinetiam, cum instar horti fructum edidisti in partu eiusdem filij, *conclusus hortus* dici debes; quia adhuc concluſa & Virgo perseueraſti, & perseueras: Ideoque etiam fonti cõparata; quod nedum aquas in te cõseruasti, sed & foras pariter emisisti, pariẽs filium, quem in vtero tuo habueras: *Fõs signatus* appellãda es; quia fons Dei proprius, signatus

semper

ſemper ſignaculo illius, ſignaculo virginitatis, quo deſignatas ſeruare ſe ſtudent, quotquot illi deſponſatæ ſunt Virgines.

Verſ. XII. cap. IV. *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus.*

Appendix Expoſitionum, Ex Antiquis Patribus collecta.

14 PAraphraſis Chaldaica: Et mulieres tuæ, quæ nuptę ſunt viris, honeſtæ ſunt ſicut ſponſæ honeſtæ, & ſicut hortus voluptatis, ad quem nullus vir habet poteſtatē introeundi, niſi iuſti, quorum animæ mittuntur illuc per manus Angelorum. Et virgines tuæ abſconditæ ſunt, & reconditæ in penetralibus, & ſignatæ ſunt ſicut fons aquarum viuētium, qui oritur ſub arbore, & diuiditur in quatuor capita fluminum: & niſi eſſet ſignatus in nomine magno & ſancto, egrederetur, & flueret, & inundaret vniuerſum mūdum.

Coniugatarum, & virginum bonarum encomium.

Duas iſtas ſimilitudines ad idipſum ſignificandum allatas exiſtimantes aliqui ex Patribus, vnica pariter expoſitione ſimul ambas complexi ſunt. E contra vero alij, quaſi eædem ad diuerſa ſignificanda ſint allatæ, ſeiunctim ſingulas expoſuere.

Inter eos, qui coniunctim illas expoſuere, præcipuus eſt Greg. Naz. qui in oratione, quam habuit ad Gregor. Nyſſ. per ambas ſignificatum intelligit amicum fidelem, ait quippe: Amicus fidelis, hortus clauſus, fons obſignatus, quæ oportune aperiūtur, & cōmunicantur. Quibus verbis indicatur egregius ſenſus, nimirum, Amicum fidelem ſemper debere eſſe promptum ad opem ferendam, & communicanda bona amico ſuo, cum illi fuerit neceſſarium; ita vt quemadmodum ad hortum, quem concluſum tenemus, ſemper, cum fructibus indigemus, confugere poſſumus, ſicut & ad fontē ſignatum, cum aquæ nobis ſunt neceſſariæ, ſumus namque ſecuri, quod & ibi fructus, & hic limpidiſſimas reperiemus aquas: Ita tuti ſumus, quod in amico fideli id omne reperiemus promptum, quo indigemus opis ipſius.

Greg. Naz.

Amicus fidelis eſt hortus concluſus & fons ſignatus. Simile.

Idem tamen Nazianzenus oratione in laudem Cypriani, per eaſdem ſimilitudines intelligit deſignatam virginem quamlibet, quæ ſoli Deo ſeruata ſit. Ambroſius quoque libro primo de Virginibus aliquantulum ante finem, pro encomio virginum eaſdem accipiens, ait: Amat ſponſus generari in hortis, in quibus eum Suſanna, dum deambularet, inuenit, mori prius, quam violari parata. Qui ſint autem horti, ipſe demonſtrat, dicens: *Hortus concluſus*, &c. *Fons ſignatus*: eo quod in hortis huiuſmodi impreſſam ſignaculis imaginem Dei, ſinceri fontis vnda reſplendeat, ne volutabris ſpiritualium beſtiarum, ſparſa cœno fluenta turbentur. Hinc ille murali ſeptus ſpiritu pudor clauditur, ne pateat ad rapinam. Itaque ſicut hortus furibus inacceſſus, vitem redolet, fragrat oleam, roſam renidet, vt in vite Religio, in olea pax, in roſa pudor ſacratæ virginitatis inoleſcat. Accingere itaque Virgo, &, ſi vis huiuſcemodi tibi vt hortus aſpiret, propheticis eum claude præceptis: *Pone cuſtodiam ori tuo, & oſtium circunſtantiæ labiis tuis.*

Idem Naz. Virgo fidelis hortus concluſus, & fons ſignatus. Ambroſius. Virgines quomodo hortus clauſus, & fons ſignatus.

Virgines tūc hortus clauſus, & fons ſignatus ſūt, cum ſilentio os ſuum cuſtodiunt.

Proſequitur autem eloquentiſsime ipſemet Ambroſius in lib. 3. item de Virg. aliquantum poſt dimidium, hūc ipſum ſenſum, quoad hoc præſertim quod virgines ideo hortus clauſus, & fons ſignatus dictæ ſint, quia debent clauſum cuſtodire os.

In libro autem 10. Epiſt. epiſt. 82. Virginitatis encomium in eiſdem ſimilitudinibus celebratum ſumens, dicit: Bonus hortus Virginitas, quæ plurimos boni ferat fructus odoris: *Hortus concluſus*, quia vndiq; vallata eſt muro caſtitatis: *Fons ſignatus*: eo quod Virginitas ſit fons, & origo pudicitiæ, quæ inuiolata cuſtodiat integritatis ſignacula: in quo fonte imago Dei luceat: quia cum munditia corporis congruit etiam puritas ſimplicitatis.

Idem. Virginitas eſt hortus concluſus, & fons ſignatus.

A Hieronymus quoque epiſt. 22. ad Euſtochium, ad eiuſdem Virginitatis cuſtodiam, & ad clauſuram Virginum Chriſti hæc aptans, ait: Rurſus à ſpōſo audies: *Hortus concluſus*, &c. *Fons ſignatus*: Caue, ne domum exeas, & velis videre filias alienæ Regionis, quamuis fratres habeas Patriarchas, & Iſrael parente læteris. *a* Dina egreſſa corrumpitur: Nolo, te ſponſum quęrere per plateas: nolo, tt circumire angulos Ciuitatis.

Hieronym. Virginibus clauſura quā ſit neceſſaria.

a Gen. 34. 1.

In libro autem primo contra Iouin. circa dimidiū, ad beatam Mariam Virginem Virginum eaſdem referens ſimilitudines. Quod clauſum eſt, inquit, atque ſignatum, ſimilitudinem habet Matris Domini, Matris, & Virginis: vnde & in ſepulchro Saluatoris nouo, quod in petra duriſsima fuerat exciſum, nec ante, nec poſtea quiſquam poſitus eſt: Et tamen hæc Virgo perpetua multarum eſt mater Virginum: ſequitur enim, *Emiſſiones tuæ Paradiſus*, &c.

15 *Idem.*

Maria hortus concluſus, & fons ſignatus, quia Virgo & Mater.

Ad eamdem Virginem Dei genitricē referunt hæc Iuſtus Orgelitanus, & Rupertus Abbas, qui eam ſolam re vera hoc encomio celebrādam exiſtimat: quia ipſa ſola *hortus concluſus* extitit, & *hortus concluſus*: nam eius duntaxat vterus fœcundus, & incorruptus in conceptu, & in partu. Solamente vel anima *fons ſignatus* ex eo, quod *b Spiritus ſanctus ſuperuenit in eam, & virtus Altiſsimi ſubumbrauit ei*: atque adeo mens eius nulli vitio, nulli ſpirituali nequitiæ fuit vmquam penetrabilis.

Rup. Abb. Maria hortus concluſus in corpore, in mente, & anima fons ſignatus.

b Luc. 1. 35.

16 Eorum qui diſiunctim has interpretantur ſimilitudines, quidam eas referunt ad Eccleſiam, quidam ad piam animam.

Ac primam quidem ita ad Eccleſiam aptant Gregorius Papa, ac Philo Carpathius, quatenus vallata eſt muro charitatis: Hortus enim ſancta Eccleſia exiſtit, inquit Gregorius; quia dum populos multos in fide gignit, quaſi flores pulchros bona terra emittit: qui hortus concluſus bene eſſet dicitur; quia charitate circumquaque munitur, ne intra numerum electorum reprobus aliquis ingrediatur.

Philo. Greg. PP. Hortus concluſus muro charitatis Eccleſia eſt.

Eodemque ſenſu ante Gregorium Auguſtinus libro quinto de Baptiſmo contra Donatiſtas capite vigeſimo ſeptimo, in iuſtis duntaxat hortum concluſum Eccleſiam eſſe exiſtimans, dicit: Qui in Eccleſia ſunt mali Chriſtiani, ſunt ſpinæ, in quarum medio eſt Eccleſia ſine macula, & *c ſicut lilium*, quod in eodem Cantico dicitur. Inquantum ergo *lilium*, intantum, & *hortus concluſus*, & *fons ſignatus*: in illis videlicet iuſtis, qui in occulto Iudæi ſunt in circumciſione cordis: Omnis enim pulchritudo filiæ Regum intrinſecus, in quibus eſt certus numerus Sanctorum prædeſtinatorum ante mundi conſtitutionem: Illa vero multitudo ſpinarum ſiue occultis, ſiue apertis ſeparationibus forinſecus adiacet ſuper numerum.

Auguſtin. Eccleſia eſt hortus concluſus, & fons ſignatus tantum in iuſtis & ſanctis.

c Cant. 2. 1.

Caſſiodorus, & Beda hortum concluſum dictam inquiunt Eccleſiam; quia munita auxilio Redemptoris ſui, & præſidio Angelorum.

Caſſiodor. Beda.

Anſelmus hortum dici, inquit Eccleſiam; quia proferat diuerſa virtutum genera, in quibus ſponſus delectatur, & paſcitur: cōcluſum hortum eſſe, quia vallata fide, & operibus: bis hortum concluſum eam appellatam, quia ſit hortus ex Iudæis, & hortus ex Gētibus.

Anſelmus. Eccleſia hortus concluſus fide & operibus, ex Iudæis & Gentibus.

Denique Hugo de S. Victore libro Inſtitution. Monaſt. Sermone ſexageſimo, tomo ſecundo, per hortum Eccleſiæ intelligit ſanctam eius cōuerſationem, ex qua virtutum, & bonorum operum germina oriuntur. Concluſum hunc hortum ait, quatenus forti munimine diſciplinæ vndique munitur, ne fraudulentus hoſtis vſpiam irrumpat. Bis vero hortum concluſum eamdem nominari: vt per hoc duplex fructus eius, fides, ſcilicet, & operatio, ſiue coniugium, & cōtinentia, aut etiam diſtinctio Dei, & populi, vel certe vita actiua, & contemplatiua exprimatur.

Hugo Vict. Eccleſiæ cōuerſatio eſt hortus forti munimine diſciplinæ concluſus.

17 Eamdem primam ſimilitudinem ad piam animam aptant Gregorius Nyſſenus homilia nona, Tres Patres, Theodoritus, Pſellus, Ambroſius. Gregorius Papa, & Richardus de Sancto Victore; licet inter eorū aliquos

Greg Nyſſ. Tres Patres Theodorit. Pſe. us.

aliquos non modicum ſit diuerſitatis. Nyſſenus quidem, & alij Græci, qui primo citati ſunt, ipſammet animam hortum concluſum dictam putant, quatenus multiplices habens virtutū arbores, ſepe atque muro vallata ſit mandatorum diuinorum, ne ferus, atque diabolus in eam ſe intrudat, eamque deuaſtet.

Anima S. hortus muro mandatorum Dei concluſus.

Simili modo Gregorius Papa, Vnaquæque, inquit, anima ſancta hortus concluſus eſſe intelligitur, quia dum virtutes nutrit, flores gignit, & dum virtutum exhilaratione ſe reficit, fructus, quos generat, eadem cuſtodit. Concluſus enim hortus dicitur: quia dum bona ſua intentione vitæ æternæ abſcondit; dum humanas laudes omnino contemnit, ipſa bona intentione ſe circumſepit, ne ad interiora rapienda hoſtis antiquus irrumpere poſſit.

Greg. Pap. Anima S. hortus vallo ſanctæ intentionis concluſus.

Laudes pro bonis operibus fugiendæ.

Et Richardus, hortum eam animā dici, ait, in qua excolūtur virtutum plantaria, & ſpiritualium ſtudiorum germina, quęve foditur, dum in ea vitia radicitus extirpantur, & mores conuertuntur, & foditur diuinæ paſſionis memoria, quatenus Chriſti doloribus condolens, de peccatis propriis dolet, quibus tantis beneficiis ingratam ſe recolit. Concluſum vero hortum bis dici, quia ſe cuſtodiat extrinſecus ſera ſilentij concluſam, & exteriorum ſenſuum cuſtodia, & etiam intrinſecus abſcondendo bona, quæ facit, ne humanæ laudes aditum reperiant in ſe apertum.

Richardus Anima S. hortus extrinſecus ſilentio, & cuſtodia ſenſuum, & intrinſecus bonorum ſuorū occultatione concluſus.

18 Obſcurius Ambroſius in lib. de Iſaac, & Anima, c. 5. eodem fere ſenſu, Laudatur, ait, ſponſa, eo quod hortus ſit, habens in ſe odorem agri illius pleni, *a* de quo Iſaac ad Iacob. Bona ergo anima fragrat odores iuſtitiæ: & fortaſſe ager eſt Patriarcha, hortus eſt anima inferioris alicuius, quaſi agri portio, & hortus clauſus, ne incurſetur à beſtiis.

Ambroſ.

a Gen. 27. 27.

Idem.

Quamquam idem Ambroſius tum in libro ſexto Epiſtolarum, epiſtola quadrageſima ſecunda ad Sabinū, tum in libro de bono mortis capite quinto, non tam ipſam animam, quam eius mentem hortum eſſe, colligat ex hoc loco, ſi quidem in citata Epiſtola hæc habet verba: Salomon in ſpiritu paradiſum in homine eſſe euidenter declarauit: Et quia myſteria exprimit vel animæ, & Verbi, vel Chriſti, & Eccleſiæ: ideo ait de virgine anima, vel Eccleſia, quam volebat virginem caſtam aſſignare Chriſto: *Paradiſus concluſus ſoror mea ſponſa, paradiſus concluſus, fons ſignatus.* Paradiſus Græce, Latine hortus dicitur. Deniq; Suſanna in Paradiſo erat, & Adam in Paradiſo erat, & ſic legimus; Ergo non te moueat, quod alij Codices Latini *hortum* habent, alij *Paradiſum*. Ibi ergo eſt caſta vxor, vbi virgo, licet virgo excepta habeat clauſtra, & ſignacula ſua: ſed vtraque in paradiſo, vt aduerſum æſtus corporis, & carnis flagrantiam refrigeretur virtutum vmbraculis.

Paradiſum in homine eſſe & piam animam eſſe in paradiſo.

Et coniugata caſta, & Virgo ambæ ſunt in paradiſo.

In libro vero de bono mortis probans, Platonem in Sympoſio hortum mentis ex hoc loco collegiſſe, ait: Hinc hortum illum ſibi Plato compoſuit, quem Iouis hortum alibi, alibi hortum mentis appellauit. Iouem enim & Deum, & mentem totius mundi dixit: In hunc introiſſe animam, quam Venerem nuncupat, vt ſe abundantia, & diuitiis horti repleret, in quo repletus potu iaceret Porus, qui nectar effunderet. Hoc igitur ex libro Canticorum compoſuit: eo quod anima Deo adhęrens, in hortum mentis ingreſſa ſit, in quo eſſet abundantia diuerſarum virtutum, floreſque ſermonum.

Idem Ambroſ. Hortum mentis, & paradiſum ex ſacra Scrip. colligit Plato.

19 Similitudinem alteram fontis ſignati communiori ſenſu ad cognitionem & doctrinam referunt Patres: Sic Theodoritus, quem ſequuntur Gregorius Papa, & Richardus de Sancto Victore, Fontem ſignatum vel Eccleſiam, vel piam animā dici arbitratur ob id, quod cum aquis diuinæ gratiæ, vel etiam cognitionis diuinorum myſteriorum ſint refertæ inſtar fontis, nequaquam tamen omnibus eas effundunt, expoſitaſve proponunt: ſed dignis duntaxat; pro quo facit illud Domini in Euangelio: *b Nolite ſanctum dare canibus.*

Theodorit. Greg. Papa Richard. Fons ſignatus eſt Eccleſia, & pia anima, quatenus gratias & cognitionem myſteriorum Dei haud omnibus exponunt.

b Mat. 7. 6 Ambroſ.

Ad quem ſenſum reducuntur, quæ ait Ambroſius lib. de iis, qui myſt. initiantur cap. 9. dum aſſerit, hoc ſignificare ſponſum, ſignatum debere apud te manere myſterium, ne violetur operibus malæ vitæ, atque adulterio caſtitatis: ne diuulgetur, quibus non conuenit, ne garrula loquacitate diſpergatur in perfidos. Bona ergo debet fidei tuæ eſſe cuſtodia, vt intemerata vitæ, ac ſilentij integritas perſeueret.

Fons ſignatus eſt pia anima ob bonam fidei cuſtodiam.

Caſsiodorus, quem ſequitur Beda, fontem ſignatum ipſam Eccleſiam appellari ait, quia doctrinæ cæleſtis manat fluentis, quibus credentes in peccatis lauat, & veritatis ſcientia potat: Dici etiam ſignatum, quia ſermo fidei Euangelicæ veritatis ſignaculo munitus eſt, ita, vt neque hæretici, neque maligni ſpiritus fidem Catholicam violare, aut in eam irrumpere valeant.

Caſsiodor. Beda. Eccleſia fons ſignatus ob doctrinæ fluenta ſignaculo Euāgelicæ veritatis ſignata.

Mentem piæ animæ fontem ſignatum dictam cēſuit Gregorius Nyſſenus, exponitque locum iſtum ex alio Prouerbiorum loco, vbi iuxta verſionem Septuaginta dicitur: *c Fons aquæ ſit tibi dulcis, & ſit tibi ſoli, neque vllus alienus eius ſit tecum particeps:* ſic declarat, vt, quemadmodum ibi Salomon prohibet, ne in alienos conſumatur aqua fontis, ita hic teſtetur, fontem minime effundi in alienos, vt tantumdem ſit, *ſignatus*, ac ſi dicatur, cuſtoditus. Nomine fōtis Nyſſenus exiſtimat ſignificari facultatem cogitatiuam (dic tu mentem ipſam) è qua omne genus ratiocinationis, & cogitationis ſcatet, ac emanat in nobis: qui tunc in alienos vſus conſumatur, cum in vitiorum, ſeu etiam in carnalium rerum cogitationes effunditur: tunc vero in proprium animæ deriuet vſum, cum in ſuo verſatur horto, Dei irrigans plantationes virtutum, quando omnis cogitatio verſatur circa ea, quæ ſunt eidem piæ animæ conducibilia, & bonorum exhibent procreationem. Domino ſuo obſignat hunc fontem, inquit Nyſſenus, puritas, nullo limo cogitationum conturbans id, quod eſt cordis lucidum, & aereum.

20 *Greg. Nyſſ.*

c Prou. 5. 15

Mens, quæ ea tantum cogitat, quæ Domini ſūt, eſt fons ſignatus ſignaculo puritatis.

Catena quoque Trium Patrum ſignatum fontem piæ animæ mentem dici, exiſtimat, ne inimicus adueniens cognitæ veritatis aquam falſis opinionibus cōtaminet; Fontem quoque dici propterea, quod pias erga Deum, ac diuinas fundat cogitationes, *ſignatum* autem, quia ſigno eiuſdem Dei, vt imago ipſius, ſit obſignata.

Tres Patr. Mens pia e animæ dia bolo fons ſignatus ſignaculo diuinæ imaginis.

Quibus conſentit Ambroſius, dum in libro de Iſaac cap. 1. dicit: Caue, ne vigor mentis tuæ, coitu quodam corporeæ voluptatis inflexus emolliatur, atque in eius amplexus omnis diſſoluatur, & fontem eius aperiat, qui debet eſſe clauſus, & ſeptus intentionis ſtudio, & conſideratione rationis.

Ambroſ. Fons ſignatus eſt pia anima, dum vigorem mētis cuſtodit à voluptatibus.

In eodem libro cap. 5. animam ipſam ſanctam fontem ſignatum ob id dici inquit: quia, integritate ſignaculi perſeuerante, fide propria peccata diluerit: & quia imago Dei inuiſibilis in illa exprimatur.

Idem Amb.

Eamdem animam fontem ſignatum dictam ob id arbitratur Philo Carpathius, quod in baptiſmo ſignaculum Ieſu Chriſti acceperit eius ſanguinis fonte abluta: Vnde infert, non licere amplius ſponſæ adulterino diaboli ſigillo inſculpi. Aponius quoque & Anſelmus ad baptiſmi ſacramentum hæc referunt.

21 *Philo. Fons ſignatus pia anima ob baptiſmi Sacramentum.*

Auguſtinus tamen lib. 2. cont. Creſconium cap. 14. & 15. reprobans opinionem, & expoſitionem hæreticorum, per fontem ſignatum intelligentium baptiſmi ſacramentum, dicit, haudquaquam baptiſmum intelligi debere, ſed illud Spiritus S. donum, quo diffunditur charitas in cordibus noſtris, cuius fōtis largo, & inuiſibili flumine lætificat Deus ciuitatē ſuam, de qua Propheta: *a Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei:* Spiritus namque ſanctus vere eſt fons ſignatus; quia eius doni particeps eſſe non poteſt aliquis à iuſtitia alienus: vere proprius Eccleſiæ Chriſti, cui multo ante prophetatū eſt: *b Fons aquæ tuæ ſit tibi prouius, & nemo alienus communicet tibi.*

Aponius. Anſelmus. Auguſtin. Fons ſignatus haud eſt ſacramentū baptiſmi, ſed Spiritus ſanctus.

a Pſ. 45. 5.

b Prou. 5. 17

Probat autem Auguſtinus, non poſſe intelligi de Baptiſmo, vt volebant Donatiſtæ: quia Sacramentum Baptiſmi commune eſt Hæreticis, & Catholicis, bonis, & malis.

Ad

Greg. Pap. Spiritus S. eſt fons ſignatus, & lumen ſignatum.

Ad Spiritum ſanctum refert hæc & pariter Gregorius Papa, dicens: Dicitur fons iſte ſignatus, idipſum quod in Pſalmo 4. dictum eſt, *c Signatum lumen*: Sanctus enim Spiritus, mentem, quam replet, & illuminans irrorat, & irrorans illuminat, vt & de luce eius anima videat quid appetat, & de rore eius ſe refrigeret, ne laſſeſcat.

c Pſ.4.7.

Verſ. XIII. cap. IV. *Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorũ cum pomorum fructibus: cypri cum nardo.*

Verſ. XIV. cap. IV. *Nardus, & crocus, fiſtula, & cinnamomũ cum vniuerſis lignis Libani: myrrha, & aloe cum omnibus primis vnguẽtis.*

Expositio I.

Iuxta ſonum litteræ.

Quas in verſ. 12. ad amplificandam dilectæ ſuæ pulchritudinem ſpõſus vix attigit horti, ac fontis ſimilitudines, eas iam fuſius, & ingenti artificio, ac eloquentia incipit dilatare, exorſuſq; à prima in duobus hiſce verſibus 13. & 14. peregregiam horti proſequitur deſcriptionem, ita tamẽ hanc facit deſcriptionem horti præſtantiſſimi, vt aſſerens, illam talem eſſe hortum, in quo id omne ſit, quod vel ad pulchritudinem, vel ad amœnitatem, vel ad ſalubritatem, vel etiã ad commodum neceſſarium ſit, atque ad vtile, & delectabile, probatum ſimul relinquat, in ea nihil deeſſe, quod deſiderandum ſit pulchri, iucundi, venuſti, ac delectabilis.

Emiſſionum vox quid ſignificet. Titelmanus expoſit. in Cant. Gilibertus Abb. ſerm. 35 in Cant.

Porro, cum ex Originali Hebraici textus voce id vnum habeamus, per *emiſſiones*, haud quaſlibet ſignificari emiſſiones, ſicut à nonnullis exiſtimatum eſt, aſſerentibus, referri has poſſe ad emiſſiones aquarum, vt pertinentes ad ſecundã fontis ſimilitudinem, quos merito reijcit Hieronymus Almonacyrius, at illas proprie, quas emiſſas conſpicere eſt in horto, ſiue eæ ſint plantæ, quas hortus ipſe emittit: ſiue ſint propagines, quę emittũtur ex vna, vel pluribus arboribus, earum ramis ſubterram extenſis, atque ſuppreſſis, prout ſumitur in illo Pſalmi: *d Extendit palmites ſuos vſque ad mare, & vſque ad flumen propagines eius*: ſiue ſint rami ipſi ſimpliciter emiſſi, atque extenſi vnius, aut plurium arborum: ſiue denique eæ ſint gemmæ, quæ primo vere ex ijſdẽ arboribus emittũtur: Hebraica etenim vox, שלח ſcialach, à verbo itẽ שלח ſcialach, quod mittere, & emittere ſignificat, generale nomẽ eſt, ſicut & vox, qua vſi ſunt Septuaginta, ἀποστολαὶ, & noſtra, *Emiſſiones*: ita tamen generale, vt ex communi omnium ſentẽtia hoc loco ad id referri debeat, quod vel ex horto, vel in horto emittitur, & profertur.

d Pſ.79.12

Triplex aſſignari poteſt eorum, quæ hic dicuntur, ſenſus.

Primus ſenſus.

Primus, vt ſignificetur ſingulas ſponſæ, vt eſt hortus metaphoricus, propagines, ſingulos ramos, ſingulasve gemmas pretioſæ, & omni arborum genere excultæ paradiſo ſimiles eſſe.

Secundus ſenſus.

Secundus congruentior, vt ſignificetur eas omnes propagines, quæ ex ipſius innata pulchritudine tamquam ex natiuis arboribus emittuntur, eſſe paradiſum, atque paradiſum repræſentare pretioſiſsimam, & omni amœnitate, & ſalubritate refertam: Ita vt, ſecundum hos duos ſenſus, non tam natiua hic commendetur ſponſæ pulchritudo, quam ea, quæ ex illa inſigni pulchritudine decora, tamquã ex arbore propagines emittuntur, atque reſultant in geſtibus, in motu, in verbis, atque in operationibus, quæ omnia ita venuſta, ac iucunda eſſe dicuntur; vt vel ſingula eorum diſiunctim, vel vniuerſa ſimul paradiſus merito dici queant præ voluptate quam conferunt.

Quinimo, ſi propriam nominis huius propaginum ſignificationem ſubtilius perpendamus, egregio ſane artificio encomium prædictorum, quæ extrinſecus apparent, quæve è pulcherrima ſponſa proferuntur, & emittuntur, natiua ipſa eius euecta percipitur pulchritudo, quæ præ pudicitia vni duntaxat ſeruetur ſponſo, reliquis vniuerſis abſcondita, atque occulta: vt quod hic dicitur ſit confirmatio, ſeu potius amplificatio eius laudis qua celebrata iam fuit iis verbis, *Hortus concluſus.* *Append. ſenſuum I. & II.*

Enimuero propagines apud Latinos proprie eæ dicuntur vites vetulæ, quæ in terra ſuppreſſæ, in plures poſtmodum vites iuniores erumpunt, atque excreſcunt.

Et quia in compluribus etiam cæterarum arborum idipſum plerumque fieri ſolet, vt propaginentur ſuppreſſæ in terra, vnde poſtmodum plures emittuntur progemmantes ramuli in diſtinctas excreſcentes arbores, iuxta eundem ſignificatũ propagines & eædem appellentur: Itaque dum ſponſus, poſtquam ſponſam ſuam exinde commendauit, quod eſſet hortus concluſus, & modo ſubiicit: *Emiſſiones* id eſt propagines, *tuæ paradiſus*, &c. tantumdem eſt, ac ſi dicat.

Inſtar horti pretioſi in omnibus, ac ſingulis membris pulcherrima certe es, voluptatemque exhibes: tantoque mihi pulchrior, & magis grata iſta tua eſt pulchritudo, quanto magis abſcondita: quandoquidem præ tua, qua excellis pudicitia, inſtar horti concluſi concluſum, atque abſconditum id omne mihi conſeruatũ obtines, quod in re eſt pulchri, atque decori; Quinimo etiam dum ſic abſcondita es reliquis vniuerſis, quaſi vitis aut alia arbor propaginata, & in terra ſuppreſſa, ea ipſa, quæ extrinſecus è te emittuntur, atque progemmant inſtar emiſſionũ, atque propaginum, verba, geſtus, motus & operationes, nedum vniuerſa ſimul, ſed & ſingula quæque præ ingenti, quam aſpicientibus afferunt, voluptate paradiſus iure optimo nuncupari queunt, paradiſo ſane ſimilia, omni arborũ genere excultæ, & omni voluptate inſigni: Quanto ergo præſtantior paradiſus ipſamet innata pulchritudo tua abſcõdita, è qua iſta emittũtur? *Paraphraſis.*

Tertius denique ſenſus, qui mihi magis arridet, vtpote verior, ac congruentiſſimus cæterorum, eſt, vt illud ipſum hic explicetur fuſius, quod breuius in ſuperiori ſententia in tacta horti ſimilitudine aggreſſus fuerat ſponſus, nempe encomium innatæ pulchritudinis præſtantiſsimæ, & omnibus numeris abſolutæ: nam eaquæ ad gratiam, & venuſtatem eiuſdem pertinent, ſiue loquela, ſiue geſtus, aut motus in actionibus, ad alteram fontis ſimilitudinem ſpectare, oſtenſum eſt verſu ſuperiori. *Tertius ſenſus.*

Pro cuius ſenſus intelligentia, tria ſupponenda ſunt. Primum, paradiſi nomine idem ipſum ſignificari, quod nomine horti, vt bene probat Ambroſius in lib. 6. epiſtolarum, epiſtola 42. ad Sabinum: quamquã non ad quemlibet hortum deſignandum nomẽ iſtud vſurpari ſoleat, ſed peculiariter ad ſignificãdum hortum pretioſum, & amœnum, prout ſumptum eſt in libr. Eccleſiaſtes 2. *a Feci mihi hortos, & pomaria*, Græce *paradiſos*: Vnde hortus ille nobiliſsimus, in quo primum poſitus eſt Adam, antequã peccaret, dictus eſt Paradiſus voluptatis, & per tranſlationem ob hoc ipſum, quod hortus voluptatis hoc nomine inſignitur, accommodatur idem nomẽ cœleſti patriæ, in qua eſt omnis plenitudo voluptatis, ſicut illud vſurpaſſe nouimus Paulum, *b* cum poſtquam dixit ſe *raptum* fuiſſe *vſque ad tertium cælum*, ſubiicit, *raptum* ſe *in paradiſum*. *2 Paradiſi nomen quid ſignificet. Ambroſ.* *a Eccl 2. 6.* *b 2. Cor. 12. 4.*

Supponendum ſecundo, ex tribus potiſsimũ fieri, vt hortus aliquis talis ſit, vt paradiſus, id eſt hortus pretioſus, & voluptatis dici debeat: ex nobilibus, quę in eo cõſitæ ſunt, plantis, atque arboribus: ex perpulchris & prædulcibus, quæ ex arboribus pendent, pomorum fructibus: ac demum ex ſuaui, quam redolet, fragrantia: atque adeo congruenter ſponſus, poſtquam appellauit dilectam ſuam hortum concluſum ſimpliciter, vt illuſtriorem hanc eius redderet laudem addidit modo, talem eſſe hortum, qui merito

dici

dici debeat paradiſus: quandoquidem nil eorũ trium deſit in illo: ipſæ etenim plantationes eius omnia ea præſtant: ipſæ conſtituunt, efficiuntue huiuſmodi paradiſum: quin eædem ſunt ipſemet Paradiſus; nam ex ijs complures ſunt, quæ pulcherrimis onuſtæ ſunt malis punicis: complures, è quibus alij pendent pomorũ fructus delicatiſſimi: complures demũ, quæ ſuauiſſimum fragrãt odorẽ, è quibus prima, ac pretioſiſſima conficiuntur vnguenta. Quare quod dicitur: *Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum*: non ideo dici exiſtimãdum eſt, quod iſtiuſmodi hortus mala punica duntaxat proferat: proferre enim & reliquos fructus indicãt, quæ ſubiecta ſunt verba, *Cum pomorũ fructibus*: nominata ſunt autẽ in primis mala punica, tum propter myſteria, quæ per ea ſignantur, vt in ſubſequentibus expoſitionibus declaratur: tũ quia mala punica in Palæſtina ſpecioſiſſima proueniret, plurimique fierent. Ex fructibus quoque nominata potiſſimum ſunt poma; quia pulchriora, atque adeo amoribus dicata, prout alias oſtenſum eſt, cum de malo ageretur.

Supponendũ tertio, per paradiſi huius ſimilitudinẽ, eiuſdemque deſcriptionem ſponſum, quaſi in epitomem quandam, omnia membrorũ ſponſæ encomia, quorum catalogum hucuſque in toto hoc quarto capite fecit, recolligere, ſimulque dilectam ipſam ſuam celebrare ex recta membrorũ diſpoſitione per ſimilitudinem diſpoſitionis variarum, ac multipliciũ plantarum, quæ paradiſum efficit: ex colore cõcinno cum admixta dulcedine, per ſimilitudinem malorum punicorum, & fructuũ aliorum: ex verbis, quæ ſumma cum gratia & venuſtate ore proferebar; ea ſiquidem ſubinnuere videtur appellatio illa emiſſionum, qua plantas cum frondibus expreſsit: ac denique ex ſuaui odoris fragrantia, per ſimilitudinẽ tot arborum aromaticarum: vt confirmatum redderet, quod ſuperius dixerat: *Odor veſtimentorũ tuorum ſuper omnia aromata: Et odor vnguentorum tuorum ſicut odor thuris*; ſeu, *ſicut odor Libani*.

Paraphraſis. His ſuppoſitis, quod hic dicitur tale eſt.

Membra, quibus inſtar plantationum conſita es, & quibus tuum extenſum eſt corpus, & ea, quæ ex ore tuo emittis verba, inſtar ramorum, aut gemmarum, & foliorum ex plantis emiſſorum, ſunt ipſemet paradiſus: tantam nempe præ pulchritudine, ac dulcedine ſua cõferunt voluptatem; vt iure optimo aſsimilanda ſint paradiſo, in qua & ſpecioſiſsima conſpiciantur mala punica, & prædulcia, pulcherrimoque colore perfuſa ſint poma, quæue ſuauitatẽ redoleãt vnguentorum præſtantiſsimorum, habens in ſe *cypros cum nardis, nardum, & crocum, &c.*

Enimuero & ſpecioſiſsima membra ipſa tua inſtar mali punici, atque inſtar pomorum concinno, & eleganti colore rubentia, ingentem obtinent, præbentque dulcedinem, odoremque & pariter referunt præſtantiſsimorum aromatum.

Quoad enumeratarum arborum ſignificationes, naturas, atque proprietates multi multa dicunt. Mihi id quod apud expoſitores omnes pro certo, & indubitato habetur, ſat eſſe videtur; vt omnes, & ſingulæ ſpecies ſint aromaticę, quæ idcirco iugatim enumerẽtur ſingulæ cum ſocia; quia fortaſſe, quæ ſimul coniunguntur ſympathiam quandã habeãt inter ſe, prout myrrham, & aloe exinde habere colligimus, quod in ſcriptura ſacra *a* ſæpius ea ſimul iuncta reperire eſt, prout & apud Poetam Latinum ob hanc ſympathiam laurum, & myrthum ſimul iuncta videre eſt in Bucolicis:

a Io. 19. 19

Virgilius Ecloga 2.

Et vos ô lauri carpam, & te proxima myrthe,
Sic poſitæ, quoniam ſuaues miſcetis odores.

Plinius. Certe ſympathiam ac ſimilitudinem odoris Cyprini, atque Nardini ex Plinio habemus lib. 12. cap. 12. Ne tamen omnino ieiuni hac in re ſimus, quid quoad ſingulas iſtarum arborum ſentiam, quæ ſcilicet ſingulæ earum ſint (neque enim concors hac in re eſt expoſitorum ſenſus) breuiter indicare non pigebit. Et quidem quæ de tribus earum ſpeciebus dicenda eſſent, dicta iam ſunt in ſuperioribus, vbi videre vnicuique ea licet, de Cypris ca. 1. verſ. 14. de Nardis eodem capite 1. verſ. 12. de Myrrha item cap. 1. verſ. 13. Nardus coniungitur cum cypro, atque cum croco, quæ forſitan ex præallata regula tam cum cypris, quã cum croco habet ſympathiam: Crocus quid ſit, conſtat: Vide Plinium lib. 21. cap. 6. Dioſcoridem lib. 1. cap. 26. & Galenum lib. 7. ſimpl. medicam. Fiſtulam eſſe eam aromaticam herbam, quæ alio nomine calamus appellatur, patet & ex verſione Septuag. quæ καλαμον habet: & ex ipſa Hebraica voce, קנה Kaneh, quam etiam Hieronymus calamum vertit Exodi 30. 23. Iſa. 43. 24. Ierem. 6. 20. & Ezech. 27. 19.

Cyprus. *Nardus.* *Myrrha.* *Crocus.* *Fiſtula.*

Porro hæc illa herba eſt, quæ calamus odoratus communiter dicitur, de quo videndus eſt Theophraſtus lib. 9. cap. 7. Plinius lib. 12. cap. 22. Dioſcorides lib. 1. cap. 17. atque Galenus lib. 8. ſimplicium medicam. De Cinnamomo videndus eſt Theophraſtus lib. 6. ca. 2. Plinius lib. 12. cap. 19. Dioſcorides cap. 12. lib. 1. & Galenus lib. 1. de Antidotis, vbi ait, eam eſſe differentiam inter cinnamomum, & caſsiam (non eam, quam modo caſsiam vulgo appellant, ſed quam Italice nuncupamus *Cannella*) vt optima caſsia à peſsimo cinnamomo parum diſtet: Vnde haud dubitandum, diſtinctam eſſe à caſsia, tametſi complures Doctorum ſint, qui pro eadem aromatica ſpecie & caſsiam, & cinnamomum ſumendum aſſeuerent: ex Hebraico etiam nomine idipſum confirmatur: nam cinnamomum & hic, & Prouerbiorum 7. dicitur קנמון Kinnamon: caſsia vero Exodi 30. 24. קדה Kiddah, vbi pro diuerſa ſpecie à cinnamomo numeratur: vel alio nomine קציעות Ketzingoth in Pſalmo 44. verſ. 9. Circa id, quod dicitur, *Cum omnibus lignis Libani*, nota, apud Hebræorum expoſitores, necnon & apud omnes, qui nouas verſiones ex Hebræo fecerunt, nomen Libani pro thure accipi, ita vt per hæc verba ſignificentur omnia ligna thurifera. Vox enim quam Septuag. & Vulgatæ interpretes reddiderunt *Libani*, nõ eſt לבנון lebanon, prout ſupra in verſ. 11. eſt notatum, vbi dictum eſt: *Sicut odor Libani*: ſed eſt לבונה lebonah, quę ad thus deſignandum vſurpari proprius ſolet. Nihilominus cum ambæ voces tam pro thure, quam pro Libano monte ſignificando ſæpius vſurpentur, vt oſtenſum eſt ſupra in loco citato verſ. 11. ita vt propterea bene noſter Interpres ibi verterit: *Sicut odor thuris*: & bene etiã hoc loco verterit: *Cum omnibus lignis Libani*: non arbores thuriferæ duntaxat per hæc verba ſignificantur; ſed vniuerſa illarum plantationum genera, ex aromaticis præſertim, quæ in monte Libano proueniunt: conſtat quippe, Libanum montem aromaticis plantis eſſe plenum; & in hoc ſenſu fere communiter à ſanctis Patribus iſta verba accipiuntur. De Aloe haud conſtat inter Doctores, quidnam ſit; neque hic videtur ſumi pro illa herba, & humili planta, quam communiter ſic appellatam videmus in Italia, de qua Plinius lib. 27. cap. 4. Dioſcorides lib. 3. cap. 22. & Galenus lib. 6. ſimplicium medicamentorum: Vnde quidam dictionẽ Hebraicam אהלות ahaloth vertunt, ſandalum, quæ eſt arbor, ſpecie, & odore præſtans. Alij putant eſſe illam arborem odoratam, quæ à Græcis ξυλαλόη dicitur. Sept. Hebraicam vocem retinuerunt ἀλωθ: Aquila vertit ἀλωή: ad idem credo nomen alludens, quem ſecutus eſt noſter Interpres. Certe talem eſſe herbam, aut arborem neceſſe eſt, vt ex ipſa pretioſum fiat vnguentum, quod cum myrrha iungi ſolet in ſacris litteris, Prouerb. 7. 17. Ioan. 19. 19. vnde in Pſalm. 44. verſ. 9. vbi in Hebræo dicitur: *b Myrrha, & Abaloth, & caſsia à veſtimentis tuis, &c.* & Septuag. verterunt, σταχτὴ, & Vulgata, guttam: atque adeo non incongrue generali nomine Symmachus hic eandem vocem Hebraicam vertit, θυμίαμα, & Caſsiodorum expoſitione in Cantica ſuper hunc locum, exinde hæc habere verba crediderim: Aloes lignum eſt ſuauiſsimi odoris, adeo vt vice thymiamatis altaribus adoleatur. Id ſane apud omnes pro comperto, & indubitato habetur, iſtius ligni, qualecumque illud ſit, ſuccum, ſiue, quod ex eo prouenit

Aloe.

b Pſ. 44. 9.

vnguentum, amariſſimum eſſe, ſicut & quod proue- A
nit è ligno myrrhæ: atque adeo vna cum ipſo myrrhę
vnguento adhiberi ſolitum ad mortuorum corpora
c Io.19.19 condienda, vt colligitur ex Euangelio Ioannis, c idue
quia ea à putredine ſeruet. Quod vltimo loco dicitur:
Cum omnibus primis vnguentis: vel, vt eſt in Hebræo, *Cum omnibus capitibus aromatum*: haud quaquã ſignificat, ipſa vnguenta, & aromata eſſe in horto, ſed metonymice eorum arbores, è quibus pretioſiora vnguenta proferuntur, & è quibus præſtantiſsima conficiuntur vnguenta, eſſe in iſtiuſmodi horto.

Quoad lectionum varietatẽ, præter ea, quæ hucuſque dicta ſunt, duo hoc loco prætereũda minime sũt. B
Primum, Hebraicam vocem שלחיך ſcielachaich, quam noſter Interpres ſecutus Sept. vertit, *emiſsiones*, ab vniuerſis fere ijs, qui ex Hebræo nouas cuderunt tranſlationes, verti, *plantationes tuæ*; quo ſignificatu accipiendam eam oſtendi, tertium proſequens ſenſum:
R. Salomon. Rabbi tamen Salomon in ſignificatu arearum terræ in horto extenſarum illam accipit, ac ſi dicatur: *Areæ tuæ*: Quinimo non deſunt, qui eandem ſic reddendam cenſeant: *Horti tui paradiſus*, quem ſignificatum eam habere aliquando, pro confeſſo eſt apud Hebræos.

Secundum, dictionem alteram רמנים megaddim, quam noſter vertit, *pomorum*, non tantum ſignificare poma; ſed etiam quicquid eſt delicatũ, ſiue in fructi- C
bus, ſiue in rebus aliis: quinimo delicias ipſas, Sept. eam reddidere ἀκροδρυῶν, quam vocem etſi aliqui ad nuces reſtringant, ac ſi ij verterint: *Cum fructu nucũ*, melius tamen in generali ſignificatu poſita ſumetur pro omni genere pomorum, in quo ſignificatu eam
Ambroſ. Hieronym. accepit Ambroſius lib. de Iſaac, & anima cap. 5. & Hieronymus libro 1. contra Iouinianum, legentes ſecundum ipſam verſionem Sept. Interpretũ, *Cum fructum pomorum*. Quin & omnes fere Græcos Patres in eodem ſignificatu eandem ſumpſiſſe, ipſorum indicant commentarij. Atque hæc ſignificatio tam proprie illi congruit, quam altera nucum, vt colligitur ex ijs, qui de ea ſcripſere. Hæſychius Suida, & alij, vertunt ἀκροδρυα: Sicque omnes conuenient verſiones tam Sept. quam Vulgatæ, atque etiam Symmachi, qui apertius vertit, ὀπωρῶν, *pomorum*.

Verſ. XIII. cap. IV. *Emiſsiones tuæ paradiſus malorum punicorũ cum pomorum fructibus: cypri cum nardo.*

Verſ. XIV. ca. IV. *Nardus, & crocus, fiſtula, & cinnamomum cum vniuerſis lignis Libani: myrrha, & aloe cum omnibus primis vnguentis.*

Expositio II.

De prima Sponſa, quæ eſt Eccleſia Sancta.

4 Primus ſenſus. SI Eccleſiæ ſanctæ emiſſiones, quaſue è ſe emiſit propagines, ipſa ſunt eius verba, ipſa ſunt & opera eius, adeo ſane cõgruenti metaphora iſtud, quod nũc exponimus, contextum eſt eorum encomium, vt plane conſtet, talem encomiaſtem haud hominem eſſe, ſed Deum. Enimuero & paradiſus dicuntur, & non F
quilibet paradiſus, ſed paradiſus molorum punicorum cum pomorum fructibus, & cum omnibus præſtantioribus aromaticis plantationibus: ſicue hoc verum eſſe ſubindicatur, vt & ſingula quæque iſtarum emiſsionum talis aſſeratur paradiſus. Singula namq; ipſius Eccleſiæ verba, verba ſunt vitæ æternæ, ſicut & verba Chriſti; eadem quippe ſunt, de quibus dictum
a Ioa.6.68 b Ioa.6.63 eſt: *a Verba vitæ æternæ habes*: ſingula fragrantiam redolent Spiritus ſancti, vitamque conferunt charitatis, ſicut & Chriſti verba, de quibus ille dixit: *b Verba, quæ ego loquor vobis, ſpiritus, & vita ſunt*: Singula eiuſdem & opera inſtar paradiſi cibos continent ſuauiſsimorum fructuum, paradiſus ſunt cibi vitæ æternæ:

Verba Eccleſiæ dicuntur paradiſus, quia ſunt verba vitæ æternæ.

Opera Eccleſiæ paradiſus dicuntur, quia vitæ æternæ ſunt.

quicquid enim ex ſe emittit operationis, tale profecto eſt, quale eius ſuadet & ſpectatus, cum ait: c *Operamini non cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternã*. Porro, vt percipiatur vis iſtius encomij, allatæque ſimilitudinis, ſupponendum eſt, ei potiſsimũ paradiſo prædictas, iuxta hunc ſenſum, aſsimilari emiſsiones Eccleſiæ, cuius fructus cauſat vitam æternã, & in quo is regnat, qui iuxta hortum crucifixus eſt Chriſtus Ieſus: ad quod regnum latro ille reſpexit, quando ſimul cum Chriſto crucifixus, dixit: d *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum*: quod ue & Dominus Ieſus paradiſum nuncupauit ſecundum probabilem complurium opinionem, cum latronis preces exaudiens, reſpondit: e *Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiſo*: Æque eſt enim, ac ſi dixiſſet: Tu petis, vt memor ſim tui in regno meo, & ego dico tibi, quod hodie particeps mecum eris huius regni præ eximia, quam exhibet, æternæ felicitatis voluptate, paradiſus merito appellati: Paradiſus vero iſta haud in alio ſita eſt, quam in viſione diuinæ eſſentiæ, cuius tu particeps effectus, mecum hodie regnabis, cumulataque perfrueris beatitudinis voluptate. Huic itaque paradiſo ſponſus emiſsiones aſsimilat Eccleſiæ ſanctæ, paradiſo, quæ & regnum eſt, & vna cum ſingulari voluptate vitam præbet æternam: Idcirco enim ait: *Emiſ-* C
ſiones tuæ paradiſus malorum punicorum: quoniã mala punica corona quadam inſignita, regni ſunt ſymbolum, eaue, quam intra ſe cõtinent, dulcedine pulcherrimo adiuncta fructui, ſuauitatem præ ſe ferunt, quæ in tali exhibetur regno, ac paradiſo ſpecioſiſsima. Bene autem ad mala punica pomorum fructus adiecti ſunt, vt pomis ipſis, quæ amoris ſymbolum eſſe oſtendimus, ſignificaretur id, quod in tali paradiſo vna cum regno, ac beatitudinis voluptate neceſſario adiunctum nouimus, charitatis nimirum perfectio. Nec minus apte in huiuſcemodi *paradiſo malorum punicorũ cum pomorum fructibus* eſſe dicuntur *cypri cum nardis*, vniuerſa- D
que ligna Libani, quæ præſtantiora proferunt aromata, & è quibus prima, ac pretioſiora conficiuntur vnguenta: per has quippe aromaticas arbores reliquæ deſignãtur virtutes ſanctorum, quæ eatenus quidem ligna Libani appellentur, quatenus in ardua, ac periculoſa vita iſta temporali exercentur, quam per Libani montem ſignificari vidimus ſupra in verſ. 8. vbi dicebatur: *Veni de Libano ſponſa, veni de Libano*, id eſt, de periculoſa, arduaque iſta vita. Eatenus vero in paradiſo eſſe dicuntur, quatenus ibi fixas habent radices, vnde & humorem traxere diuinæ gratiæ, ex qua, ſiue per quam in augmentum quoque creuere: & quatenus etiam earum merita ibi complantata ſunt, ac inſtar aromatum, & pretioſiorum vnguentorum ſuauiſ- E
ſimam in naribus Domini, ſanctorumue omnium, qui ibi commorantur, ſpirituum ſui emittunt fragrantiã.

Paraphraſis. Quod ergo hic dicitur iuxta ſenſum illum, quem primo loco allatum videre eſt in prima expoſitione, tale mihi eſſe videtur.

Verba, & operationes Eccleſiæ, quatione ſunt paradiſus. Quas ex te emittis verborum, atque operationum emiſsiones, ſane inſtar paradiſi illius ſunt, qui paradiſus malorum punicorum cum pomorũ fructibus ob id dicitur, quod regnũ cõferat felicitatis æternæ, perfectionemq; charitatis: hæc namque eadem illa præſtare comperiuntur. Quinimo in illis ipſis odor percipitur ſanctitatis ob eas, quas ſuadent, ac præ ſe ferunt virtutes, quibus inſtar aromaticarum plantationum inſignis illa complantata eſt paradiſus.

Primi ſenſus altera explic. Quamuis hæc bene ſe habeant, ſi per Catholicæ Eccleſiæ propagines, nomine emiſsionũ expreſſas, illius intelligantur verba, & operationes, prout oſtẽſum eſt. Tamen, cum ex iis verbis Pſal. 79. *Extendit palmites ſuos vſque ad mare, & vſque ad flumen propagines eius*: è quibus potiſsimum ſignificatũ iſtum vocis emiſsionũ eruunt Doctores Hebraicæ linguæ periti, colligatur, propagines Apoſtolicæ Eccleſiæ eſſe particulares diuerſarum Prouinciarum, diuerſarumque Vrbium Eccleſias, ſicut propagines Iſraeliticæ Eccleſiæ eæ antiquitus erant particulares Synagogæ, atque Eccle-

Emiſsiones & propagines Eccleſiæ Catholicæ ſunt Eccleſiæ particulares.

ſiæ,

ſiæ, quæ in ſingulis quibuſque Tribubus, & ſingulis ijs erant Iudææ Ciuitatibus, & Oppidis, quæ extẽdebantur vſque ad mare, & vſque ad flumen Euphratem: Dicendum, hac ratione eam amplificari laudem, qua in ſuperiori ſententia Eccleſia Catholica euecta eſt ſimilitudine horti concluſi, vt ſignificetur, non duntaxat ipſam, vt Catholica, & vniuerſalis eſt, eſſe paradiſum; ſed & ſingulas quaſque particulares Eccleſias, quæ inſtar propaginum, tamquam à matre arbore ex ipſa emiſſæ per vniuerſum terrarum orbem extenduntur, eſſe pariter paradiſum, illi nimirum ſimiles paradiſo, in quo tanta eſt *participatio in idipſum*, tam concors cohabitatio, tamque arcta communio, vt congruentiſſima metaphora *paradiſus malorum punicorum* appelletur: quandoquidem in malis punicis melius, quam in vllo alio fructu concors, arctaque illa eius repræſentatur participatio in multiplicibus granis, arctiſſimeque, & congruentiſſimo ordine ſimul connexis. Deſcribit autem cœleſtis ſponſus paradiſum iſtam malorum punicorum, addens duas præcipuas eius conditiones, vt illas nedum in Eccleſia vniuerſali, at & in particularibus Eccleſijs, quæ tali paradiſo dicuntur ſimiles, eaſdem aliquo pacto eſſe, non dubitaremus. Conditionem primã deſignat per verba illa, *Cum pomorum fructibus*: Secundam vero, per ſeptem aromaticas plantas, quas in eo aſſerit eſſe, *Cypros, & nardos, crocum, fiſtulam, cinnamomum, myrrham, & aloe*, adiecta duplici generali particula, *Cum vniuerſis lignis Libani*, &, *Cum omnibus primis vnguentis*: Per primam conditionem, perfectam indicans charitatem, cuius hieroglyphicum poma eſſe, oſtendimus, per quam charitatem efficitur, vt tanta in ea reperiatur participatio in idipſum: Per conditionem vero alterã ſub metaphora ſeptem plãtarum aromaticarum, quarum odor vndequaque ſpirat, ſeptem deſignans ſanctorum ordines, qui in paradiſo illo plantati, & radicati ſunt, Angelicos Spiritus, Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, Martyres, Confeſſores, & Virgines cum vniuerſa Sanctorum omnium cohorte, quorum ſuauiſſima ſanctitatis fragrantia nedum cœleſtem totam perfundit paradiſum, ſed & in terreſtrem quoque ſpirat paradiſum eccleſiaſticam. Quod ergo hic dicitur tale eſt.

Eccleſia Catholica eſt paradiſus paradiſorum Eccleſiæ particulares, quomodo ſint paradiſus, & ſimiles paradiſo cœleſti.

Paraphraſis.

Nedum vt Catholica, & vniuerſalis Eccleſia, paradiſus es, at ex te paridiſo tamquam ex vna matre filiæ; & tamquam ex vna arbore, quæ paradiſus ſit, plures prodeunt paradiſi: Enimuero ſingulæ propagines tuæ, ſingulæ particulares Eccleſiæ ſunt *paradiſus malorum punicorum*, illi propemodum ſimiles cœleſti paradiſo, in quo concors, arctiſſimaque eſt cohabitantium vnio: de ſingulis quippe illis quoquo modo id dici fas eſt, quod de cœleſti Ieruſalem dicitur: *a Cuius participatio eius in idipſum*.

a Pſal. 121. 3.

Neque in hiſce emiſſionibus tuis deficiunt fructus pomorum, cum charitas vna ſit, quæ talem multorum fidelium efficit concordem participationem. Quod ſi in cœleſti paradiſo ſeptem ſuaueolent Sanctorum ordines, totaque fragrat cœleſtium ſpirituum curia, & in emiſſionibus hiſce tuis ſeptem ſunt dona Spiritus ſancti, præſtantioreſue gratiæ, quibus ſancti quique earum Eccleſiarum fideles, Spiritu S. vncti, ſuauiſsimam vndique effundunt ſanctitatis fragrantiam.

Diſcrimen quo Eccleſia Catholica, & Eccleſiæ particulares ſint paradiſus.

Circa hunc ſenſum, notandum diſcrimen, quo Eccleſia Catholica dicitur paradiſus, quoue particulares Eccleſiæ, quæ propagines illius ſunt, paradiſus item pronuntiantur. Cum enim illa *hortus, ac paradiſus concluſus* dicta ſit: emiſsiones tamen eius haud pari modo paradiſus concluſa aſſerũtur, ſed abſque vlla concluſionis mentione ſimpliciter *paradiſus malorum punicorum*, &c.

Eccleſia Catholica tantum eſt paradiſus concluſa & omnino tuta.

Et bene, nam, tametſi tam iſtæ, quam illa paradiſus ſint, vtpote cœleſti paradiſo ſimiles (vt oſtenſum eſt) de Catholica nihilominus tantum Eccleſia dici proprie poteſt, quod paradiſus concluſa ſit: ita vt eam neque Satan, neque hæreticorum feræ exterminare queant; quia Apoſtolica eſt, dicente Domino Principi Apoſtolorũ: *b Simon ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua:* quod particularibus Eccleſijs haud competere crebrę multiplicium eccleſiarum in compluribus Regnis, atque Prouincijs vaſtationes, atque defectiones à fide recta teſtantur.

b Luc. 22. 31.

Quod ſi iuxta ſecundum litteræ ſenſum, quem primo iſto congruentiorem dixi, haudquaquam ſingulæ emiſsiones, & propagines ſeiunctim, ſed vniuerſæ ſimul paradiſus aſſerantur; dicendum, præclare cœleſtem ſponſum hoc loco id explicare, quod vix attigit in ſententia ſuperiori, cum dixit: *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, hortus concluſus*: Enimuero, cum ibi Catholicam Eccleſiam tam per appellationem pudiciſsimæ ſponſæ ſuæ, quam per ſimilitudinem horti concluſi hac decoraſſet laude, quod cœleſti ſimilis eſſet paradiſo: quandoquidem æque, ac illa, de qua in libro Apocalypſis dictum eſt: *c Veni, & oſtendam tibi ſponſam vxorem agni: & oſtendit mihi Ciuitatem ſanctam Ieruſalem*: ipſa quoque ſponſa eiuſdem agni eſſet: ſponſa inſtar ſororis pudiciſsima: & inſuper, ſicut illa proprius eſt veræ voluptatis locus, ita & ipſa *hortus eſſet concluſus*, vt ad voluptatẽ ipſimet Deo inſeruiat. Tamen quia hæc ſubindicata potius, quam explicata ibi fuerant, quo patentior adeo eximia eius laus fieret, ſic illam modo explicat, dicens: *Emiſsiones tuæ paradiſus malorum punicorum*: conteſtans nimirum, eo pacto ipſam eſſe hortum concluſum, atque adeo pretioſiſsimum, pulcherrimum, ſummæque voluptatis, vt plane paradiſus nõ immerito dici queat, cum particulares Eccleſiæ, quas inſtar propaginum ex ſe emittit, ſint quodammodo ſimiles cœleſti paradiſo, ſeu potius eam reddant paradiſum, illi propemodum ſimilem, qui ob ſummam collætantium, concordemue cohabitantium vnionẽ *paradiſus malorum punicorum* appellatur. In eo vero potiſsimum ſimilitudo ipſius Eccleſiæ ad cœleſtem illam paradiſum ſita eſſe ſignificatur, quod concordem ſeruat fidelium participationem, cum tamen plures in ſe contineat diſtinctas Eccleſias particulares: ſicut & cœleſtis paradiſi *participatio in idipſum* eo eſt præſtantior, quod plures in ea cohabitent, diſtinctique Sanctorum ordines, quos deſignant ſeptem, quæ hic enumerantur, aromaticæ arbores.

6 Secundus ſenſus. *Eccleſia Catholica cœleſti paradiſo ſimilis, quia ſponſa Chriſti, & quia voluptati eſt Deo. Simile.*

c Apoc. 21. 9.

Eccleſia Catholica cœleſti paradiſo ſimilis ob concordem fidelium participationem. Simile.

Neque vero minus apte vniuerſæ Eccleſiæ particulares per eas ſeptem arbores deſignantur, quam per eaſdem vniuerſi deſignentur cœleſtium ſpirituum ordines: Septenario quippe numero vniuerſitatem Sanctorum ordinum ſignificari, exinde conſtat, quod, etſi ſeptem nominentur arbores: adiicitur tamen, *cum vniuerſis lignis Libani*, aromaticis nimirum: Et iterum, *cum omnibus primis vnguentis*, id eſt, cum omnibus arboribus, quæ pretioſiora proferunt vnguenta.

Eccleſiæ particulares vniuerſæ deſignantur aptiſsime per metaphoram ſeptem arborum aromaticarum.

Porro ſicut in lib. Apocalypſis ſeptenario numero vniuerſitas particularium Eccleſiarum ſignatur, iuxta fere communem ſacrorum Doctorum ſententiam, tametſi dicatur: *a Ioãnes ſeptem Eccleſiis, quæ ſunt in Aſia*: eæque poſtmodum nominatim enumerẽtur: Et ſicut ibidẽ vniuerſæ Eccleſiæ particulares per *b ſeptem candelabra aurea* ſignificatæ referuntur: tum quia inſtar candelabrorum conſpicuæ, & manifeſtæ ſint, exinde quod lucem mundo exhibeant Chriſtum, qui de ſemetipſo dixit *c Ego ſum lux mundi*: ſplendoriſue ſanctitatis emittant radios: tum quia charitate decoræ appareant, quæ per aurum deſignatur, iuxta illud, quod in eodem lib. Apocalypſis legimus: *d Suadeo tibi emere aurum ignitum*: Ita etiam hoc loco eædem particulares Eccleſiæ per ſeptem ſignificatæ ſunt arbores aromaticas, quia odore manifeſtæ ſint, odorem deferentes noritiæ Chriſti, vt ait Apoſtolus, *e* quia Chriſtum exhibeant vnguentum exinanitum, quia ſanctitatis fragrantiam longe læteque diffundant: ac demum quia charitate calidiſsimæ exiſtant, prout & aromaticas arbores calidiſsimas eſſe aſſerunt Naturales.

Simile.

a Apoc. 1. 4.

b Apo. 1. 12.

c Ioa. 8. 12.

d Apo. 3. 18.

e 2. Cor. 2. 14.

Denique in eo etiam Catholica Eccleſia cœleſti ſimilis eſt paradiſo, quod ſicut illa in medio cœleſtium ſpirituũ, inter quos prædicta eſt *participatio in idipſum*, Deum

Eccleſia Catholica ſimilis cœleſti paradiſo,

quia in medio sui Deum habet, multas particulares Ecclesias vnientem.

Deum habet, à quo sunt omnes voluptates, & à quo vniuersæ hauriuntur perfectæ felicitatis deliciæ, Deū, per fructus pomorum omnium designatum, & expressius iuxta Hebraicæ vocis significationē fructum deliciarum appellatum: Ita & ipsa in medio emissionum suarum, particulariumue Ecclesiarum eundem habet Deum, concordem inter eas vniuersas efficientem vnionem in vno spiritu, in vna fide, & in vno baptismate, delicijsque spiritualium gaudiorum omnes, ac singulas perfundentem, prout & Ioanni in præallegata visione legimus ostensum, *f in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis*, id est Angelum, repræsentantem Christum filiū hominis; seu potius, similem filio hominis, nempe, haud iam hominē mortalem, ac passibilem; sed impassibilem, & immortalem: atque adeo similem tantummodo homini, in omnes nimirum Ecclesias influentem, singulasue amore complectentem, & vniuersas simul vnitas conseruantem.

f *Apo.* 1.13

Paraphrasis.

Quod ergo hic dicitur iuxta hunc sensum, tale est. Ita *sponsa mea* pudicissima *hortus conclusus* es, vt Ecclesiæ ipsæ particulares, quas instar propaginum ex te emittis, sint paradisus, paradisumque te reddant, cœlesti propemodum similem paradiso: sicut enim illa, ita & tu pariter in ipsis *paradisus malorum punicorum* dici non immerito potes ob concordem fidelium vnionem similem participationi sanctorum illius in idipsum: cuius sane concordis cohabitationis Sanctorū, vnionisue fidelium exemplar in malis punicis exhibetur: & sicut in illa complures sunt Sanctorum ordines, instar aromaticarum arborum suauissimam sanctitatis fragrantiam longe, lateque spirantes: Ita & in te complures complantatæ sunt Ecclesiæ particulares, quæ & ipsæ, instar aromaticarum plantationum odorem notitiæ Christi deferunt, Christumue ipsum vnguentum exinanitū fidelibus exhibent, & sanctitatis quoque suæ fragrantiam latius diffundunt, atque etiā charitatis calore instar earumdem arborum calefaciunt corda fidelium.

Quod si in cœlesti paradiso, cum sint tot distincti ordines, diuersęque mansiones: eius tamen *participatio est in idipsum*: quia Deum in medio sui habet, exhibentem omnem gustum, omnesue delicias: quia alioquin haud esset *paradisus malorum punicorū*, nisi esset *cum fructibus pomorum*, cum ipso scilicet fructu deliciarum: Et tu pariter in tot tantarum Prouinciarum, Vrbium, atque etiam tantarum domorum Ecclesijs æque, ac mala punica in pluribus granulis concordem seruas vnionem; quia me in medio tui habes fructum deliciarum, exhibentem fructus pomorum omnium, omnisue charitatis, cuius typus ipsa sunt poma.

Si in eodem significatu emissiones pro propaginibus positas sumentes, proprie ipsum propaginum nomen accipiamus, vt significat vitem, aut aliam arborem in terra suppressam, emittentem ex se plura germina: seu etiam ipsamet huiusce modi germina emissa ex tali vite, vel arbore propaginata, prout etiam iuxta sonum litteræ non incongrue accipi hic posse, ostensum est in Appendice secundi sensus ibi allati: illud ipsum per hæc verba, *Emissiones tuæ paradisus, &c.* impletum demonstratur in sancta Ecclesia, quod à Domino prænuntiatum aliquando nouimus, tametsi sub alia metaphora, cum loquens de semetipso, vt caput Ecclesiæ est, dixit: *g Nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.*

7 Append. primor. sensuum. *Christi mors, & Ecclesiæ consepulta cum Christo capite suo germinauit plures Sanctorum ordines*

g *Io.*12.24.

Porro, quod hoc loco idipsum ab eodem Christo Domino dicitur, in laudem ipsius Ecclesiæ dicitur, atque adeo efficacius: dicitur, inquam, in laudem Ecclesiæ; quia simul cum capite suo & illa pariter commortua est, iuxta illud Apostoli: *h Quoniam si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*: &, sicut commortua est; ita etiā simul cum illo resurrexit: resurrexit autem in germinibus ijs, quæ simul cum illo emisit, in propaginibus & emissionibus suis. Idcirco istam eius renouationem, qua mirum in modum in pulchritudine, & decore sanctitatis excreuit, laudibus celebrans, & ipsas eius emissiones commendat, & simul, vnde tantum ei prouenerit decoris, indicat.

h 2.Cor.5.14.

Exinde enim quod ipse, qui de semetipso dixit: *i Ego sum vitis vera*, instar vitis, postquam in cruce mortuus est, in terra suppressus fuit ac quodāmodo propaginatus, innumeræ excreuerunt Ecclesiæ emissiones, atque propagines, ex ipso progerminantes. Has emissiones merito paradiso assimilat Spiritus sanctus, qui Ecclesiam ipsam horto concluso assimilarat, vt ex hoc colligeremus, vnam eamdemque esse catholicam Ecclesiam, atque ipsas eius propagines & emissiones.

i *Ioan.*11.1. *Ecclesia catholica, & ipsius propagines vnusmet hortus.*

Porro, tametsi simpliciter sumpta dicta sint *hortus conclusus* generaliter: respectu tamen emissionum suarum, haud generaliter comparata est paradiso, sed *paradiso malorum punicorum cum pomorum fructibus*, in qua sint & aromaticæ arbores omnes, quotquot in monte Libano reperiuntur, quæue pretiosiora proferunt vnguenta: *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus: Cypri cum nardis*, &c. Enimuero duo sunt genera sanctorū, qui ex propaginata vite vera, ex grano mortuo subtus terrā, & ex Christi morte maiori impetu charitatis instar propaginum excreuere in Ecclesia: Alterū Martyrum, qui sanguine fuso martyrium pro nomine Iesu, ac pro cōtestāda eius fide subiere, quorū ingentem numerum in primitiua Ecclesia Christi mortem consecutum, non ignoramus: Alterum vero eorum, qui eadem sane erga Christum accensi erant charitate, qua & Martyres, eodem feruore in eius fide defendenda verbo, atque sanguine, quibus tamen martyrij effectus per realem effusionē sanguinis defuit; quamquam cum martyrij desiderio mortui sint pro illo, qui pro ipsis est mortuus: ita vt propterea æque, ac martyres charitate reliquis Sāctorum generibus præstantiores existimandi sint ex illa Redemptoris nostri sententia: *a Maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.*

Ecclesia catholica, vt cum Christo consepulta quomodo paradisus in propaginibus Duo Martyrum genera sunt præstantiora germina & Emissiones Eccl. propaginatæ in morte Christi.

a *Io.*15.13

Ab hisce igitur ambobus Sanctorum generibus, quos tanquam præstantissima germina ex se protulit, quibus & maxime illustratur, paradiso *malorum punicorum cum pomorum fructibus* Ecclesia sancta comparatur: seu potius ipsa eius germina talis paradisus pronuntiantur: siquidem mala punica frequentius in sacris litteris ex multorum Sanctorum Patrum consensu vsurpantur pro symbolo Martyrum illorum, qui pro Christi fide suum fuderunt sanguinem, idque saris congruenter, cum in ipsis granula insint, sanguineo colore rubentia, ita vt, qui ex illis exprimitur liquor, sanguinem præ se ferat.

Mala punica symbolum sunt Martyrum.

Neque vero minus cōgrue alterum Sanctorum genus designatur symbolo fructuum pomorum: nam cum adeo insignes sint charitate, haud aptiori metaphora poterant exprimi quam metaphora pomorum, quæ sunt ipsius charitatis hieroglyphicum, vt ostensum est sæpius. Quin eadem poma ipsomet colore id quoque designant, quod sanctos istos primo sanctorum genere facit distinctos: Poma etenim sunt quidem perfusa sanguineo colore, sed ex parte duntaxat, eoque colori, cādido, aut aureo perbellē admixto: sicut & Sancti isti, Martyres sane & ipsi sunt, at voluntate tantum, & desiderio, quo martyrij desiderio, ex affectu charitatis prodeunte, coniuncto cum candore puritatis, ac vitæ sanctitatis in oculis Domini se habēt instar eorum pomorum.

Pomorum fructus symbolum martyrum voluntate & desiderio.

Simile.

Porro, quia præter hæc duo, complura variaque alia genera item Sanctorum fidelium in ecclesia ex eadem Christi morte, ex ligno vitæ propaginato excreuerunt instar emissionum, atque propaginum, & excrescunt quotidie, quibus etiam cōstat sancta Ecclesia, vt paradisus est: idcirco bene in eo paradiso, cui similis dicta est, dicūtur esse *Cypri cum nardis*, atque aliis arboribus aromaticis, quarum fructus aromata sunt, & vnguenta, quæ conferunt odorem, robur, sanitatē, & incorruptibilitatē ijs, quibus illata sint corporibus, quæue vniuersæ calidas habent naturas: Enimuero quotquot fidelium excellunt sanctitate in Ecclesia, siue Prælati,

8

siue

siue subditi; siue Doctores, siue idiotæ; siue coniugati, A siue cælibes; siue Religiosi, siue sæculares, vniuersi instar aromaticarum arborum se habent: calidi omnes charitate sunt, bonum Christi odorem in sancta conuersatione exhibentes: necnon & vnguenta proferentes sanctæ eruditionis, vel bonorum exemplorū, quibus nedum odorem Christi alijs impertiunt imperfectioribus, sed & sanitatem pariter ijsdem præstant, & robur spirituale, præseruantes illos à peccatorum corruptione, quantum in se est.

Martyres desiderio tantum fructum sunt in cælo repositi, alij sancti adhuc viuentes sunt arbores aromaticæ. Simile.

Insigne autem discrimen inter istos sanctos, atque prima illa duo genera Sanctorum subindicatur in ipsa locutionis forma, qua hic vsus est Spiritus sanctus: siquidem, tametsi omnes æqualiter appellati sint emissiones, & propagines Ecclesiæ; cum omnes, & singuli è Christo per mortem propaginato emissi sint, & excreuerint in Ecclesia: primi tamen haudquaquam expressi sunt sub metaphora arborum, sed fructuū, malorum punicorum, atque pomorum, vt iam visum est; cum reliqui vniuersi è vestigio haud sub fructuum sed sub arborum, tametsi aromaticarum, metaphora sint designati, idque admodum congruenter: nam primi quidem se habēt instar fructuum maturorum, vtpote qui vt martyres diem suum obiere, siue sanguinem re ipsa fuderint, siue affectu tantum, & desiderio: at reliqui Sanctorum, cum in vita præsenti degentes, sancte viuant, se habent instar arborum aromaticarum, quæ multis expositæ sunt periculis, quæue in cōtinuo profectu viuunt: Et ipsis namque, tametsi in iugi viuant profectu in iustitia, & sanctitate, timendum tamen est, quamdiu viuunt, à multitudine insurgentiū tentationum, ita vt propterea Paulus singulis eorum dicat: b *Qui stat, videat ne cadat.*

b 1. Cor. 10 12.

Paraphrasis.

Ita *hortus conclusus*, atq; adeo pulcherrimus, summæque voluptatis es sponsa mea pudicissima ecclesia, vt plane similis sis paradiso *malorum punicorū, cum pomorum fructibus*, in qua vniuersæ consitæ sint, quæ præstantiores sunt, aromaticæ arbores: Enimuero eæ ipsæ, quæ in te ex me Christo capite tuo, instar vitis in morte propaginato, emissæ sunt, & quotidie emittūtur propagines sanctorū germinū, *paradisus* sane sunt *malorum punicorum, cum pomorū fructibus. paradisus* in primis sanctorum Martyrum, tum eorū, quos ob realem sanguinis effusionem mala punica sanguineo præsignant liquore: tum etiā eorū, qui vitæ innocentia, & affectu, ac desiderio Martyres designantur per poma rubra simul, atque candida: Hæ siquidē primæ sunt, atq; præstantiores, quas post mortem meam felicius emisisti. Neque vero in te, vt es paradisus, aromaticæ desunt arbores, eadem propaginata arbore excrescētes: sunt E quippe in te multiplicia Sanctorū genera, alia in Prælatis, & in subditis: in Doctoribus, & idiotis; in coniugatis ac continētibus, in Religiosis, ac sæcularibus: qui sancti profecto omnes instar arborum in cōtinuo quidem sunt vegetationis profectu, & compluribus tentationum periculis expositi cum periculosam hanc degant vitam: Attamen instar aromaticarum arborū, charitatis calore præditi bonum odorem meum referunt in doctrina, & vitæ probitate: necnon & pretiosissima proferunt vnguenta bonorum exemplorū, quibus infirmioribus sanitas, robur, atque incorruptio affatim præstantur vna cum bono odore.

9 Tertius sensus. *Ecclesia est hortus non olerum, sed nobilissimarum plantationum, & arborum.*

Iuxta sensum tertio loco vt probabiliorem in litte- F ra allatum, secundum quem nomine emissionum significatæ dicebantur plantationes ipsæ, atque arbores: Quia superius cœlestis sponsus similitudine horti pulchritudinem Ecclesiæ euexerat, ne quis existimaret, horti appellatione intellexisse hortum olerum: hoc quippe nomine vulgo nuncupari solet locus, in quo vilia proueniunt olera, quæ cito marcescunt; qualem hortum facit diabolus ex vinea Domini, suscitans in ea impiorum collectionem, de quibus per Prophetā dicitur: a *Quoniam tamquam fœnum velociter arescent, & sicut olera herbarum cito decident*: vnde in libris Regum scelestus Achab, eiusdem diaboli typum gerens, dicebat ad iustam Naboth: b *Da mihi vineam tuam, vt faciā mihi hortum olerum: quia vicina est, & prope domum meam.* Hoc loco, melius se explicans cœlestis sponsus, declarat, se per horti nomen significasse paradisum nimirum hortum, nobilissimis consitum plantis fructiferis simul, & aromaticis, summo ordine inter se dispositis, atque adeo & speciosum fructibus præstantissimis, suaueolentem aromatibus pretiosissimis.

a Ps. 36. 2.

b 3. Reg. 21

Porro quæ sint plantationes istæ, ex quibus constat Ecclesia, didicimus ex Propheta, cum in Psalm. 91. c *Ps. 91. 14* dixit: c *Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt*: Ex quo etiam Psalmi loco colligimus discrimen, quo se habent iusti, qui sunt plantationes Ecclesiæ in præsenti vita, atque in vita futura; in Ecclesia præsentis sæculi, atque in Ecclesia triumphāti, in horto concluso, atque in paradiso cœlesti. In præsenti *Sancti præsentis vitæ ita florent sanctis desideriis, vt deficientibus desideriis, fructus proferant operum. Simile.* etenim vita floresc̄unt quidem, cum sancta desideria habent bene operandi: at necesse est, vt flores parturiant bonorum operum fructus: alioquin nulla istiusmodi florum habetur ratio, si desideria haud deducātur ad opus: & insuper id eis euenit quod floribus sensibilium arborum euenire cōspicimus; vt cum primum fructus protulerint, illico deficiant: deficiunt siquidem desideria illa, cum primum completum fuerit id boni operis, cuius exoptabat quis consummationem. quamquam, sicut in fructibus ipsis semen exhibetur nouorum florum: ita & in perfectione bonorum operum semen quodammodo præbetur, quo noua eiusdem operis perficiendi desideria multiplicentur.

10 *Beati florent in æternum in patria ob tuge desiderium, quo in ipsamet visione desiderant videre.*

Verum in futura vita in Ecclesia triumphanti, atque in paradiso cœlesti haudquaquam operæpretium est, vt ij, quorum refloruit caro per resurrectionē, vtuc iustorum animæ, quæ ibi iam conplantatæ sunt, fructus proferant, quia vnus dūtaxat ibi est Deus, qui quasi quoddam lignum vitæ in medio paradisi fructū vitæ profert semetipsum, quem comedant, qui viuunt in æternū, cuius dulcedo ipsamet est beatitudo: quinimo ij ipsi, quos in terris positi protulere fructus bonorum operum, quodammodo conuertuntur in flores desiderij, adeo vt tales arbores floreant in æternum, cum illud vnum, quod ibi operantur opus fruitionis æternæ felicitatis flos quoque quodammodo sit desiderij, prout colligitur ex ijs Petri verbis, quibus in sua prima Epistola ait: d *In quem desiderant Angeli prospicere.* Quæ Gregorius Papa in vlt. ca. lib. 18. Moral. refert ad visionem diuinæ essentiæ, iungensque ea cum illis Domini verbis: e *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est*: & cum alijs item Prophetæ Dauid: f *Satiabor, cum apparuerit gloria tua*: hæc tria simul in vnum conuenire dicit in Beatis, fruitionem Dei, desiderium, atque saturitatem, ita vt dici possint idem quodammodo actus, qui dicatur fruitio, quatenus in illo fructus comeditur suauissimus diuinæ essentiæ, quæ videtur: dicatur quoque saturitas, quatenus ad satietatem talis est comestio, adeo vt nil reliquum supersit, quod ob defectum afferat anxietatē: ac demum dicatur pariter desiderium; quia ipsamet saturitas ita absque fastidio est, vt desiderium iunctum simul habeat, situe desiderium sine anxietate. Vnde crediderim, congruenter in capite 5. huius Cantici sponsam dixisse Deum sponsum suum g *totum desiderabilem*, concludēdo proprijssimo, ac peregregio eo epiphonemate descriptionem illius: quia ij, qui eius fruuntur visione, toti sunt in eius desiderio: ac propterea, vt sunt cœlestes plantationes in cœlesti illa paradiso, floribus semper florere dicuntur, vt habes in Psal. *Et florebunt in æternum ante Dominum*: h *Iustus vt palma florebit*: & in loco supra citato: i *Plantati in domo Domini: in atriis domus Dei nostri florebunt.* cum è vestigio in ijsdem iustis, prout in horto concluso, ac terrestri paradiso, & in præsentis sæculi Ecclesia complantati sunt, non tam flores requirantur, quam fructus; non tam desideria, quam opera: vnde in subsequentibus dicitur: k *Videamus, si floruit vinea, si flores fructus parturiunt.* Hinc etiam in præsenti sententia, cum iidem

d 1. Petr. 1. 12. Greg. PP. *Tres actus, visio, saturitas & desiderium in beatis vnus quodammodo actus sunt.*

e Matth. 18 10.

f Ps. 16. 15.

g Cant. 5. 16.

h Ps. 91. 13.

i Ps. 91. 14.

k Cant. 7. 12.

iusti paradiso assimilantur, ei assimilantur paradiso, A qui haud florum sit, sed fructuum: tametsi nemo sit, qui ignoret, fructus præueniri à floribus: sic enim dicitur: *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus*: quin, vt intelligeremus, in ijs quoque plantationibus, quarum haud alius est fructus, quam aromata, fructus ipsos potius spectari, quam flores, vltimo loco ea adiecta sunt verba: *Cum omnibus primis vnguentis*. Dum ergo Ecclesia Catholica iustis, qui in se instar plantationum sunt, huiuscemodi assimilatur paradiso, in quo omnia pulchra sint, in plantationibus omnia concinna; siue spectetur ipsarum plantationum dispositio, siue vna cum emissis plantationibus emissę B conspiciantur frondes viridantes: siue conijciantur oculi in rubentia mala punica, aut in alia poma pulchris decora coloribus, siue denique suaueolenti attendatur fragrantiæ.

Ecclesia præsentis sæculi, vt est in iustis nil in se habet, quod non sit pulchrum, concinnum, & delectabile.

Iuxta tertium hunc sensum nihil in ipsa esse asseritur, quod non sit maxime concinnum & maxime pariter delectabile, quatenus constat ex iustis, ac si per cœlestem sponsum dicatur.

Paraphrasis.

Hortus conclusus es sponsa mea pudicissima Ecclesia: nō tamen hortus olerum marcescentium, & hominum malignantiū, qui *sicut olera herbarum decident*, sed iustorum: sancta enim es in sanctis, qui in te sunt, pulcherrima, maximeq; decora: atque adeo & *paradisus*: Quin C iusti ipsi, qui è te emissi, & in te instar arborū complātati sunt, *paradisus* existunt, paradisum te reddentes, ac paradisum decoris, ac voluptatis tum aptissimo, quo inter se dispositi sunt ordine quasi ordinata in pulchro corpore membra: tum verbis, quæ è se instar viridantium foliorum emittunt: tum speciosо, quem in fructibus bonorum operum intuentium oculis exhibent, colore charitatis, atque candoris, & innocētiæ vna cum dulcedine admixto: tum demum & suauissimo, quem etiam ad absentes longe lateque effundūt, sanctæ conuersationis odore.

Vers. XIII. cap. IV. *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorū cum pomorum fructibus: cypri cum nardo.*

Vers. XIV. ca. IV. *Nardus, & crocus, fistula, & cinnamomum cum vniuersis lignis Libani: myrrha, & aloe cum omnibus primis vnguentis.*

Expositio III.

De secunda sponsa, quæ est Anima Iusti.

11 Primus & secundus sensus.

ANima eius, quæ ob eximiam sanctitatis pulchritudinem horto conclusо meruit comparari, & eæ pariter, quas ex se profert, emissiones, atque propagines paradisus nunc à sponso dicuntur: Quod si qua de re verificari id potest, de eius profecto orationibus verificari crediderim: Eæ siquidem tanquam propagines quædam sunt ex internis erumpentes præcordiis: ipsæ congruentissime appellantur emissiones eius, quæ hortus conclusus est; quia & ex corde, & ex ore cœlū versus emissæ sunt. Si istiusmodi emissiones paradisus simpliciter dicerentur, facile præstantissimam istam F & intelligeremus, & explicaremus earum laudem; quod & ipsa, quæ illas emittit, & Deus pariter, ad quē eædem emittuntur, talem ex ijs percipiant voluptatem, quæ non immerito voluptati comparari queat paradisi: id quod verissimum ij esse norunt, qui exercitio addicti sunt orationum, quiue in illis, ac per illas & Deum, & se ipsos oblectant, prout ille fatetur, qui

a *Ps.* 103. 34 ait: *a Iucundum sit ei eloquium meum: Ego vero delectabor in Domino*. At id quod difficilius, sed tamē illustrius hoc facit earum orationum encomium, est, quod paradisus quidem dicuntur, & paradisus particularibus quibusdam conditionibus descriptus: conditiones vero assignatæ ad tres reducuntur, ad id, quod sit *paradisus malorum punicorum*, quod sit *cum pomorum fructibus*: ac tertio quod sint in illa multiplices, atque præstātiores arbores aromaticæ, & suauissimo odore fragrantes.

Oratio cur paradisus dicatur.

12 Primorum sensuum I. applic.

Dupliciter autem conditiones istæ in eximiam harum orationum laudem possunt redundare: quia dupliciter ea, quæ hic dicūtur, possunt exponi: Vel enim per hæc exinde hæ orationes commendantur, quod perfectissimæ sint, æque adeo iucundissimæ simul, & efficacissimæ: Vel ex fructu ipso, quem sua perfectione proferunt, & efficacia.

Orationes bonæ tres conditiones requirunt ad hoc, vt paradisus dici queant.

Primo modo eę commendantur piæ animæ orationes, quæ tres adiunctas habent conditiones, propter quas sunt paradisus. Prima, si nitantur potissimum in sanguine Christi. Secunda, si vna cum memoria, & oblatione sanguinis Christi adiunctos habeant actus charitatis, affectusque amoris animæ eius, quæ illas emittit. Ac denique si eadē anima sit exornata decore virtutum, vnde iucundæ sint in conspectu Domini, & suaueoleant fragrantiam.

Orationes piæ animæ nituntur in sanguine Christi, ideo dicuntur paradisus malorum punicorum.

Prima conditio, quæ maxime omnium est necessaria, & è qua magis orationes habent, vt paradisus Deo sint voluptatem illi exhibentes, & è cælesti paradiso Deum ad se quodammodo trahentes, designatur sub metaphora malorum punicorum, quæ, cum sint præstantissimi, ac speciosissimi fructus, sanguineoue colore rubentes, efficacissimum Christi præsignant cruorem, quo rubēt istiusmodi orationes: atque adeo paradisum malorum punicorum congruenter eas appellauit Spiritus sanctus: quia & ipsæ, quasi quædam mala punica plena Christi sanguine, effundant illum ante cœlestem Patrem, cum ab anima orante exprimuntur.

Orationes piæ animæ ex internis actibus charitatis Christi sanguinē Deo obijcere debent.

Verum, quia mala ista punica spiritualia exprimi nequeunt, ni simul fortes atque feruentes in anima orante adsint affectus charitatis; idcirco bene pro secunda earum conditione huic primæ coniuncta additum est: *Cum pomorum fructibus*. Dictum est autē supra, D poma esse hieroglyphicū amoris, & charitatis: anima siquidem orans, quo valorem suis conferat precibus, ita Christi sanguinem, passionisque eius merita proponere in eis debet, vt per charitatis affectus, quibus in orando æstuat, affatim ea offerat Patri: quod alia præclara allegoria contestatum voluit ipsemet Dominus, cum *b* Summum sacerdotem ingressurum in sanctuarium ad preces fundendas, & offerenda sacrificia, tunica indui voluit superhumerali tota haycinthina, in cuius extremitate ad pedes ingredientis collocata essent per circuitū quasi mala punica ex hyacintho, & purpura coccoque bis tincto, mixtis in eorum medio tintinnabulis aureis; ita vt singulis malis punicis singula adiacerent tintinnabula: hyacinthina etenim tunica illa cæruleo colore cœlestem in ipsa oratione, qua summus sacerdos apparebat ante Dominū, præ se ferebat qualitatem, propter quam hoc loco paradisus nuncupatur: in eo vero, quod tota per circuitum malogranatis plena erat, quibus adiuncta erant tintinnabula aurea, illud ipsum præsignabat, quod hoc loco perfectis piæ animæ orationibus tribuitur, plenam nimirum sacerdotis orationem esse debere, & exornatam meritis sanguinis Christi Iesu, qui & homo esset, & Deus: hoc quippe significabat hyacinthus cærulei coloris, mixtus cum purpura, coccoque bis tincto coloris sanguinei: cum quibus sanguinis Christi meritis iuncti essent charitatis affectus, quos bene designabant tintinnabula aurea, cum aurum in sacris litteris typus sit ipsius charitatis, cuius affectus instar tintinnabulorum sonori sunt in diuinis auribus.

b *Ex.* 28. 33

13 *Orationes bonæ debent habere virtutum vniuersitatem comitantem charitatem.*

Porro, vt encomium emissionum, & orationū spōsæ sit vsquequaque perfectum, postquam dictum est: *Emissiones tuæ paradisus malorū punicorum cum pomorū fructibus*: adiicitur illico: *Cypri cum nardo, nardus, & crocus, fistula*, &cet. quibus verbis tertia perfectæ orationis laude eædem celebrantur: hæc autem est suaueolentia virtutum omnium, quæ charitatem comitantur, & apte virtutum vniuersitas per septem aromaticas arbores designatur, cum ostensum sit septenarium numerum

merum esse perfectionis, & vniuersitatis; præsertim cum aperte ad hanc ipsam contestandam additum videamus: *Cum omnibus lignis Libani, & cum vniuersis primis vnguentis.*

Crans anima habitibus virtutũ ornata esse debet.

Quo loco animaduertendum est discrimen, quo duæ primæ conditiones expressæ sunt per metaphoras fructuum iam ex arboribus prolatorum, non ipsarum arborum: tertia vero conditio è conuerso haudquaquam per metaphoram aromatum iam prolatorum ex arboribus: sed per metaphoram arborum aromatiferarum. Enimuero, tametsi orationes eæ, quæ bonæ sint, suaueolentes esse debeant odore vniuersarum virtutum: haud tamen operæpretium est, vt actus ipsos earum virtutum, qui ex habitibus tanquã ex arboribus prodeunt instar aromatum, & vnguentorum, re ipsa coniunctos habeant; at id, quod eis est necesse, est, vt iuncti eis sint illarum habitus: neque enim fieri potest, vt anima, quæ orat, quantumlibet virtute prædita sit, actus virtutum reliquarum omnium proferat tunc temporis, cum eas fundit preces: sed ea in re studium adhibere debet, vt earum habitibus exornata ante Dominum oratura comparet, ita vt in precibus ipsis suis, veluti in paradiso habitus ipsos, tamquam arbores aromaticas, consitos habeat. Verum confidentia in meritis passionis Christi, & oblatio sanguinis eiusdem, vna cum affectibus charitatis non habitu, sed actu instar fructuum, iuncta esse debent cum talibus orationibus, quæ paradiso assimilantur: inanes etenim profert preces anima, quæ in orando non profert simul & actus amoris: ideoque Ecclesia quamlibet collectam actuali concludit memoria Christi, eius merita Patri proponens vt necessaria ad quamlibet perficiendam orationem.

Charitatis actus necesse est orationi adsint.

Laus ergo, quæ secundum hanc primam expositionem in feruentes piæ animæ orationes confertur, talis est.

Paraphrasis.

Orationes, quæ ex intimis tuis præcordijs emittuntur, quæve ex ore tuo tamquam propagines de absconditis intra cor tuum vocibus prodeunt paradiso sane similes sunt præ voluptate, quam ex illis tumet concipis, quamve per eas mihi exhibes Deo, sponsoque tuo: in cælesti siquidem paradiso habitans in delicijs, ad illam attrahi, tamquam ad aliam me sentio paradisum; paradisus profecto & ipsæ sunt, *paradisus malorum punicorum cũ pomorum fructibus,* sanguinem exhibentes Iesu Christi, & merita passionis eiusdem actu proferentes, æque ac mala punica sanguineo rubent liquore; vnaque cum sanguine isto affectus promentes amoris & charitatis, designatos per fructus pomorum. Quin insuper in ijsdem ad completam voluptatem suaueolentes aduertere est habitus vniuersarum virtutum, in ipsis tamquam in amœno paradiso, instar aromaticarum plantationum consitos, quorum sane odore mirum in modum recreor.

14 Primorũ sensuum II. applic. Orationum bonarum triplex fructus.

Secundo modo ex triplici fructu eæ ipsæ, quæ prædictas tres habent conditiones, quæve perfectæ, & efficaces sunt eiusdẽ piæ animæ orationes commendãtur ex eo, quod propterea sint paradisus, quæ talibus decora sit fructibus: paradisus, inquam, ipsimet animæ oranti, ob voluptatem, quam percipit ex ijsdem fructibus. Fructus autem sunt illi duo, quos in primis in orationibus fidelium quærendos, significauit Dominus, cum in Euangelio dixit: a *Primum quærite regnũ Dei, & iustitiam eius:* vbi regni Dei nomine præstantissimum omnium designauit fructum vitam beatam, prout recte interpretantur Auctor operis imperfecti in Matt. Beda, & Euthymius, & alij super citatum locum: Nomine vero iustitiæ Dei charitatem significauit, qua impletur omnis iustitia legis, quæve totius diuinæ legis est plenitudo: b *Qui enim diligit implenit legẽ,* c *omnemque Dei voluntatem.* Ac bene æque primo charitatem, iustitiamque ipsam ac regnum cælorum in orationibus petenda præcepit: quia primus, ac præcipuus orationis fructus esse minime potest sine secũdo; & regnum cælorum sine iustitia, & charitate, qua Dei mandata seruentur, obtineri nequaquam potest, iuxta illud eiusdẽ Domini: d *Si vis ad vitã ingredi, serua mandata.* Atq; adeo etiam in oratione Dominica duæ horum amborum fructuum petitiones simul iũctæ proferuntur; e *Adueniat regnum tuum.* Et: *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra:* Et in præsenti pariter encomio in orationibus, quæ paradisus dicuntur, earum duarum petitionum præstantissimos hosce duos habemus fructus simul iunctos, sub duorum terrestriũ fructuum metaphora, malorum scilicet punicorum, atque pomorum: regni quippe cælorum typus ipsa sunt mala punica, non solum ob speciem, & pulchritudinem suam, propter quam tam frequenter eorum in hoc Cantico fit commemoratio; verum etiam ob coronam illam, qua insignita sunt, vt dictum est etiam in secunda expositione, sensu primo. Poma vero esse charitatis hieroglyphicũ ostensum est sæpius: ad designandam autem charitatem prædictam in diuinorũ mandatorum obseruatione sitam, haud simpliciter dictũ est *Cum pomis;* at, *Cum pomorũ fructibus;* vt innumeri indicarentur fructus, qui includuntur in vno fructu charitatis: tot siquidem sunt isti pomorũ, & charitatis fructus, quot & mandata legis quotue ipsorum mandatorum obseruationes. Et licet primus fructus vitæ beatæ, & regni cælorum obtineri re vera nequeat pro sæculo isto in re: obtinetur nihilominus per orationes à pia anima etiam in hoc sæculo in spe, quæ beatitudinis illius tam grandem exhibeat voluptatem, vt per illam anima beatam quodammodo se existimans, orationes eas, quibus certam hanc obtinuit spem, instar paradisi habere dicatur. Beatitudinem istam expressit Apostolus in epistola ad Romanos his verbis: *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei:* vel (vt est in textu Græco) *In spe gloriæ Dei,* id est, Hos beatos reputamus, & prædicamus, ob hoc vnum potissimum: quia speramus gloriam Dei; & in cap. 8. a *Spe,* inquit, *salui facti sumus:* cuius etiam spei gaudium, & voluptatẽ expressit Dominus in Euangelio, cum dixit: b *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra multa est in cælis.*

Orationes piæ animæ quomodo reddantur paradisus per fructum vitæ beatæ in hac vita.

Rom. 5. 2.

a *Rom. 8. 24*

b *Matt. 5. 12.*

Sic, tametsi verum id quoque sit, quod absque speciali reuelatione nemini certo constare possit de cõsecutione secundi fructus charitatis, atque iustitiæ, quatenus nemo scire certo potest, an ipsam habeat charitatem: illa nihilominus coniecturalis notitia, quam eius rei habet anima ex promptitudine, quam intra se sentit immissam, ad Dei legem implendam, sufficiens est item ad eamdem voluptatem causandam, propter quam orationes, quæ talem protulere fructum paradisus dici debeant ipsimet animæ, & paradisus pomorum, id est charitatis: & paradisus etiam fructuum eorumdem pomorum, id est operum iustitiæ, & charitatis ob gaudium, voluptatemque illam, qua in ipsomet boni operis actu ea perfunditur: quã voluptatem Paulus appellat; c *Gaudium in spiritu S.* quo ob Dei honorem propter dilectionem in omni opere bono est gaudendum: qui enim diligit, gaudet in ijs, quæ bene operatur, aut patitur, iuxta illud Iacobi; d *Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis, scientes, quod probatio fidei vestræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet.*

Charitatis fructu quomodo orationes animæ oranti fiant paradisus.

c *Ro. 14. 17.*

d *Iacob. 1. 2*

Porro his duobus præstantissimis fructibus, quorum paradisus dicuntur orationes piæ animæ, adijcitur necessario & tertius earumdem orationum fructus, nempe habitus vniuersarum virtutum: ita vt non minus hi adjecti illos sequantur, quam eosdem duos illa consequuntur, quæ necessaria sunt ad corporalem degendam vitam, de quibus in Euangelio Dominus dicebat: c *Nolite soliciti esse corpori vestro, quid manducetis, aut quid bibatis, aut quo operiamini. Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Præclare autem ad hunc tertium fructum designandum haud æquali locutionis forma vsus est sponsus cum illa, qua prædictos primos significarat: nec. n. dixit: *Emissiones tuæ paradisus cyprorum cum nardo: nardi & croci, fistulæ, & cinnamomi,* &c. prout dixit: *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus:* sed ait: *Cypri cũ nardo, nardus, & crocus,* & ceteræ aromaticæ

15 *Orationibus perfectis necessario reperitur adiectus & tertius fructus habitum vniuersarum virtutum in anima orante*

c *Matt. 6. 31.*

a *Mat. 6. 33*

Orationis fructus præcipui sunt beata vita & charitas.

b *Rom. 13. 10.*

c *Ro. 13. 8.*

arbores in ea ſunt paradiſo, quæ primario eſt malorũ punicorũ cũ pomorum fructibus: vt intelligeremus, deuotas illas piæ animæ orationes, quæ fructus proferunt regni cælorũ, & charitatis, atq; iuſtitiæ, habere etiã conſequenter habitus vniuerſarũ virtutũ, tamquam aromaticas plantationes in deuota anima conſitas: ex quibus, ſeu ex quorum fructu aromatum, ea omnia eidem adijciãtur animæ, quæ ad ſpiritalem vitam bene degendam neceſſaria illis ſunt, medicina, robur, decor, exultatio, incorruptibilitas, ac bonus odor: ad hæc enim omnia inſeruiunt, iſtaquevniuerſa præſtant aromata, atque vnguenta, quæ ex hiſce proferuntur arboribus, quarum hic fit mentio.

Ait igitur cæleſtis ſponſus ad piam animam, quæ clauſo oſtio deuote intra cubiculum ſuum orat.

Paraphraſis.

Hortus concluſus es, ſponſa mea pudiciſsima, dũ ſecundum internam animi intentionem concluſa in cubiculo, & in abſcondito, vbi à me Deo patre tuo dũtaxat videaris, preces tuas emittis: *Hortus* omni virtutũ genere excultus. Quin orationes ipſæ tuæ *paradiſus* tibimet ſunt ob voluptatẽ eximiã, quã ex earum percipis fructibus; *paradiſus* ſunt pariter & mihi ob inſignem, quam & ipſe ex illis percipio voluptatem, cũ eas ita frugiferas aduerto, dũ illas emittis è præcordijs: Eædemque poſtquam inſtar propaginum è tuo prolatæ ſunt ore; *paradiſus ſunt malorum punicorum cum pomorum fructibus*, ob voluptatem, gaudiumque, quod tibi exhibetur per primũ earum fructũ viuæ ſpei regni cælorum, ac beatæ vitævna cum ſecundo itẽ fructu charitatis, atq; iuſtitiæ. In emiſſionibus pariter & orationibus hiſce tuis, & in te orante; vt in amœniſſimo paradiſo conſiti item ſunt vniuerſarum virtutum habitus, inſtar aromaticarum plantationum, per quas tertius tibi prouenit fructus ſuperioribus adiectus, inſtar aromatũ, & præſtantiſſimorum vnguentorum inſeruiens tibi ad medicinã, ad robur, ad decorẽ, ad exultationem, & incorruptibilitatem, atq; ad bonũ odorem; fructus inquam bonæ, ac ſanctæ conuerſationis.

16 Append. primi & ſecundi ſenſus. *Sanctitatis & pulchritudinis internæ encomium ſingulare*

Iuxta ſenſum illum, qui in prima litteræ expoſitione poſitus eſt in appendice ſecundi ſenſus principalis, ſecundum quem propaginum nomen proprie ſumebatur pro vite, & alia arbore in terra ſuppreſſa, atq; etiam pro germinibus, quæ ex tali vite, vel arbore emittuntur, ac propterea emiſſiones appellantur: Euehit hoc loco cæleſtis ſponſus inſigni artificio internam piæ animæ pulchritudinem, de qua per ipſummet in Pſalm. 44. dictum eſt: f *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus*: quamve & ſæpius idemmet celebrat in hoc Cantico.

f *Pſ.* 44.14.

Ita autem internam illam eius pulchritudinẽ ſanctitatemq; extollit, vt cum ea id omne includat, quod, tametſi hominum oculis pateat, abſconditum tamen, ſaltem ſecundum intentionem, ab ipſa ſeruatur, ſimulque & extrinſecam pariter eiuſdem in conſeruãdo venuſtatem, probitatem, ac ſanctitatem mirum in modum euehit. Cõmendarat iam in verſ. 12. abſcõditam hanc pudicam, ſibique vni ſeruatam eius animæ ſanctitatis pulchritudinẽ, appellans illam hortum cõcluſum, vt ſupra explicatum eſt: Nunc ad amplificationem prædictæ ſimilitudinis ſubindicat, ipſã quoad abſconditam pudicitiam iſtam in tam eximia ſanctitate ſeruanda, non modo inſtar horti concluſi ſe habere; ſed & inſtar vitis, aut arboris alterius propaginatæ, atque in terram ſuppreſſæ. Quod quidem quam verum ſit, quam glorioſum ex ijs colligere licet Apoſtoli verbis, quibus ad ſingulos ſanctorum fideliũ ait: g *Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cũ Chriſto in Deo.* Sicut enim arbor, ſubtus terram propaginata mortua quidem videtur: at vitam multo vegetiorem ibi abſconditam obtinet, ita vt, quæ ſenio alioquin tabeſcebat, ſubtus terram abſconditavigorem habeat iunioris, cuius vigoris oſtenſionem in ijs exhibet propaginibus, quas extra emittit: & quæ vna ſuppreſſa iacet, in plures progerminat gemmas, ſurculos, atq; ramos. Eadem ratione & pia quæq; anima peccato, rebuſq; huius mũdi mortua, inſtar mortuæ vna cum Chriſto, qui pro ipſa mortuus eſt, ſepelitur ſubtus terrã, maxima animi humilitate ſeſe demittens, abſcondens ſecundũ rectam intentionem ſuam quicquid in ſe boni eſt, ſanctitatis, atque virtutis: Ibique in tanta humilitate, vbi magis vitæ ſanctæ expers videtur in oculis hominum, ſanctitatis diuinæ vitam obtinet abſcõditam cum Chriſto, vitam gratiæ in ſocietate Chriſti, vitam etiam glorioſiſſimam apud Deum; at mundo in ipſomet Deo abſconditam: quia (vt bene inquit Caietanus ſuper hunc Pauli locum) Sicut Deus abſconditus eſt ab oculis mundi, ita & iſtiuſmodi vita, in qua anima eſt conſors diuinæ naturæ, abſcondita pariter ab ijſdem ſeruatur oculis. Atque adeo animam iſtam, quæ ſuppreſſa hanc agit vitam, Apoſtolus Petrus appellans abſconditum cordis hominem, ait: *Sed qui in abſcondito eſt cordis homo, in incorruptibilitate quietis & modeſti ſpiritus, qui eſt in cõſpectu Dei locuples*, gratiæ ſcilicet & ſanctitatis. Cuius ſanctitatis, vitæque diuinæ illuſtria nihilominus eo ipſo tẽpore, quo ipſa anima ſuppreſſa ſub terra eſt, exhibentur indicia in illis, quæ inſtar germinum ex ea emittuntur verbis, ſtudijs, ac operationibus externis: germinat enim extrinſecus, quæ in abſcondito vegetam hanc viuit vitam, gratiæ vigorẽ, & humorem è Chriſto, cum quo abſcõdita eſt, attrahens, iuxta illud Pſalmi: a *In ſtillicidijs eius* (Dei ſcilicet atque Chriſti) *lætabitur germinans*: taliaque extrinſecus emittit propaginum germina, è quibus diuina eius vita, diuinaque ſanctitatis, quæ in abſcõdito ab ipſa ſeruatur, pulchritudo manifeſtatur, iuxta illud Iſaiæ: b *Gaudebit cor veſtrum, & oſſa veſtra* (potentiæ ſcilicet veſtræ, vigore gratiæ inſtar oſſiũ firmæ, fortes, ac vegetæ) *quaſi herba, germinabunt*: & *cognoſcetur manus Domini in ſeruis eius*. Et illud: c *Sicut terra profert germen ſuum, & ſicut hortus ſemen ſuũ germinat*: *Sic Dominus Deus* (gratia ſcilicet Dei, vitaq; eius, qua ipſa viuit anima) *germinabit, iuſtitiã, ac laudem coram vniuerſis gentibus*: Laudem namque Dei germinat pia anima in verborum propaginibus: quia quotquot profert verba ſiue in orationibus, ſiue in prædicatione, ſiue in conuerſatione, quaſi tot pulcherrima lilia è labijs ipſis ſuis emittit; de quibus labijs & id, quod de ſponſi labijs pronuntiatum legimus dici poteſt, quod *Labia ſint diſtillantia myrrham primam*; & per Oſeam quoque Dominus ait: e *Ero quaſi ros Iſrael, germinabit ſicut lilium*, id eſt quæcunque proferet verba, inſtar liliorum pura erunt, candida, ſanctitatisque æternæ odore ſuaueolẽtia. Præclare autem ad deſignandam propaginum iuſtitiæ germinationem, ſubijcitur illico apud eumdem Oſeam Prophetam: *Et erumpet radix eius vt Libani*: quibus ſignificatur, internam ſanctitatem, in qua anima vt radice omnem habet vigorem, ob gratiæ abundãtiam erumpere etiam extrinſecus in propaginibus operationem iuſtitiæ, & ſanctorum exercitiorum, emittendo ex ſe germina pulchra, fructifera, ac ſuaueolentia, qualia in monte Libani proferuntur. Quam ſimilitudinem, vtpote aptiſſimam ad hoc ipſum ſignificandum apud Iſaiam quoque vſurpatam aduertere eſt in cap. 35. vbi Propheta ambarum iſtarum germinationum in verbis, & in operationibus mentionem faciens, cum de prima dixiſſet: f *Germinans germinabit*: & *exultabit lætabunda, & laudans*: ſubdit ſtatim de ſecunda iſta: *Gloria Libani data eſt ei*. Quæ ſane ſunt & his conſentientia, quæ ab ſponſo dicuntur hoc loco in laudem ambarum germinationum ſponſæ, externarumque propaginum omnium, ſiue quæ in verbis, ſiue quæ in operationibus ex illa emittuntur, dum comparat eas paradiſo malorum punicorum cum pomorum fructibus, in quo vniuerſa conſita ſint ligna Libani, & quæ fructifera ſunt & quæ aromatica.

Caietanus.

Pia anima moriens peccato vitam habet vegetiorem.

g *Coloſſ.* 3.3

Simile.

a *Pſ.* 64.11.

b *Iſa.* 66.14

c *Iſa.* 61.11.

d *Cant.* 5.13

e *Oſe.* 14.6

f *Iſa.* 35.12

Porro maximam habet emphaſim, quod emiſſiones tales piæ animæ, nedum in paradiſo progermina-re dicuntur, aut paradiſo ſimiles aſſeruntur; ſed *paradiſus* ipſe pronuntiantur, quaſi tantum ſanctitatis præ ſe ferant decorem, tantumve voluptatis vel audientibus exhibeant, vel videntibus vel etiam ipſimet Deo, qui audit ſimul, & videt, vtverba omnia, vniuerſæque

17 *Verba & operationes piæ animæ ſunt paradiſus.*

Interna ſanctitas piæ animæ indicia ſui exhibet extrinſecus in verbis, & operationibus.

Germina piæ animæ ſunt diuinæ laus in verbis, & iuſtitia in operationibus.

Verba piæ animæ ſunt inſtar liliorũ

Iuſtitiæ germinatio ſimilis germinationi mõtis Libani.

eius

eius operationes, quin & singula, quæ emittit verba, singulæ orationes, singulique motus, quibus in sanctis ea se exercet studijs, paradisus sint. Ex quo infertur, quid dicendum, quidve censendum de interno eiusdem animæ decore, deque abscondita, quam diuinis oculis exhibet voluptate.

Verba & operationes cur sint & dicantur paradisus.

Præclare autem non simpliciter *paradisus* eędem dicuntur *Emissiones*: sed *paradisus* signate *malorum punicorum, cum pomorum fructibus*, & in qua vniuersæ sint aromaticæ arbores, quibus Libanus decorus est, quæve præstantissima proferunt vnguenta. Per hæc quippe particularia id peregregie sub varijs metaphoris exprimitur, vnde verba talia, talesve operationes habeant, vt paradisus dici debeant, ac videantur. Enimuero, cum mala punica symbolum sint regni cœlorum, vt in secunda expositione, sensu primo explicatum est; & passionis, & sanguinis Christi, vt dictum pariter est in primo sensu huius tertiæ expositionis: Martyrij quoque, vt visum est in expositione secunda, in Append. sensus secũdi; necnon & pudicitiæ ob venustum ruborem, propter quem ex ipsorum similitudine pudicitia in hoc ipso c. superius v. 3. cõmendata est; atque etiam vnionis, & pacis: cumque poma, (vt sæpius dictum est) sint amoris hieroglyphicum, & charitatis; Fructus vero pomorum sint actiones eiusdem charitatis: Cum septem, quæ enumeratæ sunt aromaticæ arbores, vniuersitatem designent virtutum, omnesve singularum earum habitus: aromata vero, & vnguenta, ex illis prolata sint earumdem operationes, plane significatur idcirco verba, & operationes hasce paradisum esse decore, & voluptate, quam præseferunt: quia verba de prædictis tractant, & operationes circa prædicta versantur, & ad illa spectant.

Paraphrasis.

Quod itaque hic dicitur secundum sensum istum, tale est.

Quam insignis, admirabilisve sit internus sanctitatis tuæ decor, & spiritualis pulchritudo pudicissima, quam mihi vni dilecto tuo absconditam, quantum in te est, seruas perseuerans instar horti conclusi, atque instar arboris propaginatæ, & in terram suppressæ, ea ipsa indicant, quæ ex te instar propaginum emittuntur extrinsecus verba, exercitia, & operationes. Enimuero tam verba, quam operationes ipsæ præ sanctitatis, quam præseferunt, decore, præque voluptate, quam conferunt mihi in primis dilecto tuo, nec non & sanctis quibuscunque audientibus, atque videntibus *paradisus* apparent; repræsentant autem paradisũ *malorum punicorum cum pomorũ fructibus, & vniuersis* præstantioribus aromaticis plantationibus: cum & verba de regno cœlorũ sint, vel de passione, & sãguine agni immaculati, vel de martyrio, & cõfessione fidei, vel de pudicitia, vel de pacis vnione, quæ omnia designãtur per metaphorã malorum punicorum; vel tractant de charitate, eiusve fructibus, quorũ typus sunt fructus pomorum; aut de habitibus aliarum virtutum deque illarum vtilitate, atque odore, cum eæ per aromaticas arbores designentur: & operationes, studiaque tua hisce omnibus conformia sunt, atq; ad hæc spectant. Quod si exiguum istud, quod in his emissionibus extrinsecus manifestatur decoris, ac sanctitatis tuæ, tale est; vt vel singula verba tua, vel singulæ operationes paradisus dici queant, quid de interna ipsa & abscondita sanctitate item tua arbitrandum? quid dicendum? quis explicet, qualis ea sit paradisus.

18 Tertius sensus. *Pulchritudo piæ animæ vsquequaque perfecta.*

Iuxta tertium sensum: Insigni encomio per ea quæ hic dicuntur, ipsamet piæ animæ pulchritudo sanctitatis in genere extollitur, & ostenditur vsquequaque perfecta tam intrinsecus, quam extrinsecus; tam in potentijs, quam in earum actibus, tam in verbis, quam in operationibus, tam in virtutum habitibus, quam in earum actibus, tam in oratione, quam in conuersatione: est autem tale quid, quod dicitur.

Paraphrasis.

Ita *hortus conclusus* es, vt nil in te desit, quod ad sanctitatis pulchritudinẽ necessariũ sit: Es pulchra, sanctaque in potentijs tuis, quibus quasi tot plantationibus consita es: ita enim debitum seruant odorem, vt pulcherrimæ paradisi plantationes: *paradisus* enim eædem ipsæ sunt. Pulchra es, & *paradisus* in verbis, quæ instar foliorum emittis; *paradisus* in fructibus pacis, & charitatis; *paradisus* denique in sancta conuersatione, qua per virtutum studia, perque earumdem virtutum operationes odorẽ redoles Christi: quin ex ipsis virtutum habitibus pulchritudinem etiam in orationibus habes: dum ex illis tanquam ex aromaticis arboribus aromatum, & orationum ad cœlum quoque effers fragrantiam.

Pia anima est paradisus tam terrestris, quam cælestis.

Ex hoc loco deducere fas est piam animam illam, quæ eo peruenit sanctitatis, vt sit soror, & spõsa Dei, iure optimo paradisum dici posse, eãdemque habere similitudinem maximam & cum terrestri, & cum cœlesti paradiso, quando charitatem iunctam habet cum reliquis virtutibus vniuersis, ita vt *paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus*, aromaticisque arboribus ob id appelletur.

Cum paradiso terrestri quas similitudines habeat pia anima.

Enimuero cum terrestri primum paradiso, in qua primus homo ante peccatum positus fuerat, hasce habet similitudines. Sicut in illa erant præstantissima deliciarum genera, vnde & dicebatur paradisus deliciarum, & voluptatis: ita & anima sancta ijs exuberat spiritualibus deliciis, & consolationibus, quæ quibuscunque terrenis voluptatibus adæquari nequeunt, quæve nec verbis exprimi possunt, provt alias sæpe probatum est: Sicut in illa nihil erat, quod homini molestiam posset afferre: ita nec in ista quidquam molesti reperire est: *a Pax enim multa diligentibus nomen tuum, & non est illis scandalum*, ait Dauid. & Apostolus: *b Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt sancti*: Etenim etiam ea, quæ molesta communiter esse solent ijs summum afferunt gaudium, iuxta illud Iacobi: *c Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis*. Sicut in illa homo, qui præcipua illius pars erat, habebat iustitiam originalem, qua pacem habebat cum Deo, atque cum semetipso, vnde fiebat, vt dominaretur sibimet, ac reliquis omnibus animalibus: sic & in ipsa idẽ ipse homo pro originali actualem habet iustitiam, de qua Paulus, *d Iustificati*, inquit, *ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus*. Gratiam enim habet anima iustificata, propter quam tam sæpe in hoc Cantico dicitur, *pulchra, dilecta, amica, suauis*, & cet. non secus ac in paradiso illa primus homo gratiam pariter habebat, quia formosus, amicusue Dei constituebatur. Sicut in illa erat lignum vitæ, cuius fructus hominem immortalem reddere aptus erat: ita & in ista simile lignum asserit Sapiens, cum ait: *e Fructus iusti, lignum vitæ*, Charitas nimirum, de qua Apostolus: *f Charitas numquam excidit*: & per quam mors non gustatur in æternum, iuxta illud Domini: *g Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non gustabit in æternum*. Per paradisum illam *h inambulasse Deus* dicitur: & de ista ait ipsemet: *i Inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum Deus*. Ex illa denique *k* oriebatur fluuius, qui diuidebatur in quatuor capita, irrigabatque vniuersam terram, & ex ista egreditur fluuius lacrymarum, qui irrigat vniuersam hominis terram, diuisus in quatuor capita: in lacrymas contritionis, de quibus Dauid contritus ait: *l Lacrymis meis stratum meum rigabo*: Desiderij, de quibus idem Dauid: *m Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus?* Deuotionis, de quibus apud Isaiam pia anima dicit: *n Inebriabo te lacryma mea*: Et amoris ac pietatis, qualibus *o Lacrymatus* dicitur *Iesus super Lazarum*, quem diligebat, qualibus & Maria Magdalene *rigauit pedes Iesu, quem dilexit multum*.

a Psal. 118.
b Rom. 8. 28
c Iacob. 1. 2
d Rom. 5. 1.
e Pr. 11. 30.
f 1. Cor. 13. 8.
g Ioa. 8. 52
h Gen. 3. 8.
i Leu. 28. 12
k Gen. 2. 10
l Psal. 6. 7.
m Ps. 41. 4.
n Isa. 16. 9.
o Ioa. 11. 35 Luc. 7. 38.

Pia anima cælesti paradiso similis, & quomodo.

Cum cælesti quoque paradiso eadem pia anima similitudinem habet aliquam: nam certe si qua in hac lacrymarum valle illius paradisi potest esse effigies, in ipsa est istiusmodi anima: Sicut enim illa est sedes, ac templum Dei, iuxta illud: *p Deus in templo sancto suo, Domi-*

p Psa. 10. 4.

Dominus in cœlo ſedes eius: ſic de anima quoq; ſancta dictum nouimus: *q Anima iuſti ſedes eſt ſapientiæ*: & Apoſtolus animabus ſanctis ait, *r Vos eſtis templũ Dei*. Quod ſi in illa eſt omnis fœlicitas ex eo, quod ſancti ibi Deũ vident, eique iugiter per ardentiſſimum inhærent amorem: Et in anima etiam ſancta ſummam ineſſe fœlicitatem, cum Deum contemplatur, Deum cognoſcit, eique quantum fieri poteſt, inhæret, nõ ignoramus, cum ſcriptum ſit: *a Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*. Et: *b Mihi adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpẽ meam*. Et: *c Beatus populus, cuius eſt Dominus Deus eius*. Et: *d Defecit caro mea, & cor meum* (præ gaudio ſcilicet & fœlicitate) *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*.

q Prou. 12. 24. ſecundum Sept.
r 2. Cor. 6. 16.
a Ioan. 17. 3
b Pſ. 72. 28.
c Pſ. 143. 15
d Pſ. 72. 26

Verſ. XIII. ca. IV. *Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus: cypri cum nardo.*
Verſ. XIV. cap. IV. *Nardus, & crocus, fiſtula, & cinnamomum cum vniuerſis lignis Libani: myrrha, & aloe cum omnibus primis vnguẽtis.*

Expositio IIII.

De tertia Sponſa, quæ eſt Beata Virgo Maria.

19 Christus propago Mariæ.

PRopaginem è Virgine Maria emiſſam, Chriſtum vnicum eius filium extitiſſe, nemo eſt, qui neſciat, cum per Iſaiam Prophetam multo ante prædictum ſit: *e Et aſcendet ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix* ſeu *truncus de terra ſitienti*. Quia tamẽ virgultum iſtud, iſteque ſurculus in multos excreuit, & extenſus eſt ramos, prout peralium Prophetam ſignificatum nouimus his verbis: *f Erumpet radix*, ſeu *truncus eius vt Libani: Ibunt*, id eſt excreſcent, extendenturque *rami eius*, multiplices ſcilicet ſanctorum ordines inſtar ramorũ in illo manentes, vnamque cum illo arborem conſtituentes, ſicut alias & inſtar membrorum vnum corpus cum eodem efficiunt, ex illo deſumentes ſanctitatis vigorem, & augmentum, ac per illum fructificãtes in varijs virtutum ſtudijs: Idcirco, tametſi reſpectu partus naturalis vna duntaxat ſit B. Mariæ emiſſio: quia vnum virgultum Chriſtum, vnicum peperit filium: reſpectu tamen ramorum plures eſſe ipſius emiſſiones, nemo eſt, qui abnuat. Quemadmodum enim non ſolum diſtinctas plantas appellamus diſtinctas emiſſiones horti, ſed etiam diſtinctos vnius eiuſdemque arboris ramos, quos emittens vna eademque terra progemmare, & germinare facit in ipſa arbore; ita non ſolum Chriſtum Ieſum dicere debemus emiſſionem Mariæ, ſed & quoſcunque ſanctorũ ordines, quos eadem virgo quoquo pacto in Chriſto emittit, emiſſiones eius iure optimo dicere fas eſt. Quin ad hoſce indicandos, ipſemet, qui hic loquitur cæleſtis ſponſus, ait: *Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum*, &c.

e Iſa 53. 2.
f Oſe. 14. 6.

Mariæ in vna emiſſione, & in vno virgulto Chriſti plures ſunt emiſſiones, plures ſanctorum ordines.

Plures ſanctorum ordines, etſi inſtar ramorum in vno ſint Chriſto, diuerſiſſimos tamen proferunt fructus iuxta diſtincta ipſorum munia

Quibus in verbis tria mihi efficere videtur. Primo ſiquidem eximium indicat diſcrimen inter myſticas emiſſiones haſce, & terreſtres ramos arborum terrenarum: hi quippe quotquot ex vna arbore emiſſi ſint, vnius duntaxat generis ſunt, eadem proferunt folia, eoſdemue & fructus, tametſi aliquãdo per inſitionis artificium aliquid inter eos poſsit eſſe varietatis. At myſtici Chriſti rami ita ex vno virgulto prodeunt, vt multiplices diſtinguantur in ordines, varios proferentes fructus, diſtinctiſsimiſve ſtudiorum generibus addictos, ita vt propterea quaſi diſtinctæ ſpecie multiplices plantationes enumerentur ſub metaphora plurium arborum, quarum hic fit catalogus: g *Diuiſiones enim gratiarũ ſunt, quãuis idẽ ſit ſpiritus: & diuiſiones miniſtrationũ, quãuis idem ſit Dominus, & diuiſiones operationũ ſunt, licet idem ſit Deus, qui operatur omnia in omnibus*.

g 1. Cor. 12. 4.

Atque adeo cum idemmet Chriſtus Ieſus, qui inſtar virgulti è Virgine emiſſus, homo factus eſt, & inſtar virgulti ſit, & Deus eſſe non deſierit, in plurimis, diuerſiſque ſanctorum ordinibus, quaſi in pluribus ramis diſtinctas ex ſe proferre dicitur plantationes, ſeu ſurculos arborum diuerſarum ſpecierum; omnes tamen aromatiferos: quia etſi diſtincta habeant munia: ſinguli tamen ſanctorum ordines bonum Chriſti odorem proferunt.

Secundo, *emiſſiones* haſce, omneſve ordines iſtos, vt emiſſiones tantæ Virginis ſunt, id quoque eximij habere ſignificat, vt ſinguli ſint quædam *paradiſus* voluptatis, è qua ipſemet, qui Deus eſt beatiſsimus, ſumma cum voluptate prolatos decerpat fructus *malorum punicorum*, atque pomorum: in ſingulis namque illorũ affatim hæc duo fructuum genera reperiuntur, pacis, ac charitatis: Et tametſi diuiſiones gratiarum in eis ſint, ita nihilominus vnanimes ſunt in vinculo pacis, vt in vno malo punico plures granuli arctiſsima iuncti ſunt vnione: & ita tum erga Deum, tum erga proximum flagrant charitate, vt ab amoris actibus numquam deſiſtant, proferentes operationes haſce inſtar fructus pomorum.

20 E quolibet Sanctorum ordine Deus colligit fructus pacis, & charitatis.

Hanc vero laudem in iſtas B. Mariæ emiſſiones ſummo artificio confert idemmet ſponſus, vt cumulatiori Virginem ipſam benedictam euehat encomio: hoc ſiquidem tertium eſt, quod hoc loco agit, quamquã iſtud re vera ab eo ſit primo intentum. Encomium porro præſtantiſsimũ indicatum potius, quam expreſſum, hoc eſt, quod Virgo Glorioſa, quæ iam dicta eſt hortus concluſus ob prærogatiuam Virginitatis cum partu coniunctæ, ita hortus dici debeat, vt tamen non cuilibet horto aſsimiletur, nec quilibet dicatur hortus, ſed hortus, qui & paradiſus voluptatis, in quo ſecundus Adam inhabitaret; in quo idem ipſo ſecundus Adam lignum vitæ prolatus ſit, è quo cum Chriſto fonte vitæ & flumen deriuarit diuinæ gratiæ, quod ciuitatem Dei ſuo lætificat impetu, diuiſum in quatuor capita gratiarum: in gratiam excitantem, gratiam iuſtificantem, gratiam adiuuantem eiuſdem iuſtificationis augmentum, & gratiam perſeuerãtiæ: Sed hortus, qui nedum ob id paradiſus voluptatis dicatur, quod illi ſimilis ſit paradiſo terreſtri, in quo poſitus fuit Adam, vt operaretur, & cuſtodiret illum: verum etiam, quia illuſtrio ri etiam ſimilis ſit paradiſo cæleſti, in quo celſiſsimus inhabitat Deus perfruens deliciis incomprehenſibilibus. Enimuero & in ipſa quoque idem inhabitauit Deus, & ſuper ipſa gauiſus eſt. Sed hortus, qui non modo paradiſus ſit ſimplex, ſed paradiſus paradiſorum tamquam prima paradiſus, è qua multæ aliæ quaſi è radice emittantur paradiſi; & (vt vno verbo dicam) tamquam mater paradiſorum: hæc enim omnia indicare voluit ſponſus, cum vniuerſos Sanctorum ordines, ſinguloſve cuiuſcunque ordinis ſanctos emiſſiones ipſius dixit appellatos paradiſum: vt tantumdem ſit, ac ſi dixerit.

Maria paradiſo terreſtri, atque cæleſti ſimilis, quin & paradiſus paradiſorũ.

Paraphraſis.

Ita es *hortus concluſus* Virgo concipiens, & Virgo pariens, vt *paradiſus* ſis *voluptatis*, nedum terreſtris, ſed & cæleſtis. Quin *paradiſus* paradiſorum es: quandoquidẽ ſinguli quique ſanctorum ordines, qui, tametſi diſtincti inter ſe ſint ob diſtincta munia, & ob diuiſionem gratiarum, vniti tamen ſunt in vno virgulto, quod è te emiſſum eſt; atque adeo ſicut virgultum illud emiſsio tua eſt Chriſtus; ſic & ipſi emiſsiones pariter tuæ sũt: & quatenus *emiſſiones tuæ* ſunt, *paradiſus* quoq; dicẽdi, & licet diſtincti ſint ſtudijs, inſtar diſtinctarum plantationum aromaticarum, omnes tamen æquali ratione ſunt *paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus*: cum omnes æqualiter fructus afferre ſatagant & pacis, cuius arcta vnio in malis punicis repræſentatur, & charitatis, cuius typus mala ſunt, atque poma, ſtudentes, *a Super omnia charitatem habere, quod eſt vinculum perfectionis, & pacem Chriſti exultare in cordibus ſuis, in qua & vocati ſunt in vno corpore*.

a Coloſſ. 3. 14.

Verſ.

Vers. XIII. ca. IV. *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus: cypri cum nardo.*
Vers. XIV. cap. IV. *Nardus, & crocus, fistula, & cinnamomum cum vniuersis lignis Libani: myrrha, & aloe cum omnibus primis vnguētis.*

Appendix Expositionum, Ex Antiquis Patribus collecta.

21 PAraphrasis Chaldaica: Iuuenes autem tui sunt præceptis sicut malogranata, & diligunt vxores suas, & generant filios iustos similes eis, & ideo odor eorum sicut aromata optima horti voluptatis, & sicut cypri cum nardo. Nardus, & crocus, & calamus aromaticus, & cinnamomum cum omnibus lignis thuris: myrrha munda & ligna aloes cum omnibus speciebus laudabilium aromatum.

Apud Patres emissionum vocabulum generaliter sumptum videtur pro rebus quæ emittuntur: ideoq; pro diuersis rebus hic à diuersis accipitur, atque adeo diuersimode locus iste ab illis explicatur. Possunt tamen eorum expositiones reduci ad tres præcipuas.

Gre. Nyss. Ambrosius. Tres Patres. Cassiodor. Greg. Pap. Beda. Emissiones ecclesiæ, & animæ sunt sermones sancti. Ambrosius.

Prima, quæ est Gregorij Nysseni homilia 9. Ambrosij lib. de bono mortis cap. 5. Catenæ Trium Patrum, Cassiodori, Gregorij Papæ, Bedæ, & aliorū, qui per sponsæ emissiones illius intelligunt sermones, qui ex ore emittuntur: tametsi in explicādo toto cōtextu verborum inter se minime conueniant. Beuter Ambrosius, legens; *Transmissiones tuæ paradisus*: In illo, inquit, horto sermones boni sunt, alius, qui culpā coerceat, alius qui iniquitatem corripiat: alius, qui mori faciat insolentiam, & velut sepeliat, quando correptus aliquis erroribus suis renuntiat.

Nyssenus. Sermones boni in cordibus auditorum sunt paradisus plantarum virtutum omnium Virtutis Studium simile arbori mali punici, proferentis fructus malorū omniumque aromatum.

Fusius Nyssenus commendari, ait, piæ animæ sermones, quatenus in cordibus audientiū multas plantant virtutum arbores: Dici autem in primis *paradisum malorum punicorum*, quasi omnes arbores mali punicæ sint; quia virtutis studium, quod plantarint, sit instar mali punicæ, quā difficile fures aggredi queūt: cum & rami eius spinosi existant, & fructus ipsius in duro, atque amaro cortice seruetur inclusus; qui tamen maturus, & apertus & colore visum, & sapore gustum oblectat: sub duro quippe continentiæ cortice fructum virtutis seruatum spirituales fures aggredi minime posse: præsertim si seuera, ac rigida quoque adhibeatur vitæ constitutio, quasi spinis quibusdam eos arcens, ac pungens, qui propius accedere tētarint. Quando vero tempus aduenit, & opportunitas huiusce modi studij fructibus fruendi, tunc non vnum tantum habet mali punicæ saporem. Sed spiritualis ista malus punica (ait Nyss.) deliciarum fructuū malorum omnium fit particeps, variaque & multiplex aromatum natura in istiusmodi inuenitur malis, varia scilicet, multiplexque virtutis ratio.

Tres Patres. Emissiones piæ animæ sunt eius disciplinæ quibus docet.

Catena Trium Patrum haud admodum diuersa ratione ita hæc reddit; Disciplinæ tuæ quibus animas instituis propter fidei plātas, quas in illis inseris, sunt tamquam paradisus, malis punicis consita, super radices insertis quercuum & propterea proprium fructum, tamquam earum fructum ferentibus.

Hieronym. Virginitas paradisus cum concentu virtutum omnium.

Hieronym. lib. 1. cont. Iouin. circa medium: Cum dicitur: *Emissiones tuæ paradisus malogranatorum cum fructu pomorum*: in malogranatis, & pomis, omnium virtutum significatur in virginitate concentus.

Greg. Pap. Emissiones Eccl. sunt eius opera & verba qui-

Gregor. PP. emissiones ecclesiæ, inquit, esse sancta eius opera, sanctaque verba, quibus filios gignit, & nutrit, alios ad martyrium perducens, alios in sancta conuersatione erudiens. Mala punica dicit, sub rubro cortice multitudinem granorum continent; fructus vero pomorum in se refectionis dulcedinem habent.

A Sed martyres dum sub igne tribulationis laborant, dum pro Christo sanguinem exterius fundere non dubitant, multitudinem virtutum interius sibi in mēte congregant. Sancti etiam quique, qui in pace Ecclesiæ viuunt, fructus pomorum gerunt; quia dum per sancta opera proficiunt, proximis exempla tribuunt, quorum exhibitione se, qui volunt reficiunt. Designari autem istorum Sanctorum omnium profectum in virtutibus per enumeratas species aromaticas, inquit Greg. quandoquidem ex his speciebus regalia vnguenta conficiuntur, & ex ijsdem corporum sanitates inueniuntur, ac propterea bene virtutes animarum designant: quibus congregatis, & confectis, & bonus odor opinionis egreditur, & ægris animabus competens sanitas reparatur.

bus filios gignit, & nutrit ad martyrium vel ad sanctam conuersationem.

Virtutum profectus designatur per arbores aromaticas.

Secundus explicandi modus est Origenis homil. 2. ex quatuor in Cant. ante finem, & Theodoriti, qui emissionum voce munera accipiunt, & dotem, quam sponsa misit ad sponsum, quod obscurius ita explicat Origenes dicens: In Cantico Canticorum sponsus amplectitur emissiones sponsæ; ait enim: *Emissiones tuæ paradisus cum fructu pomorum, Cyprus cum nardis, nardus cum crocis.* Amplectitur ergo & in his emissiones, ac munera sponsæ. Obseruare autem est, quod pluraliter primo, postmodum singulariter nardū posuit, quod puto, secundum illam rationem dictum; quia negotiator regni cælorum plures primo margaritas negotiatur vsquequo ad vnam perueniat pretiosam. Et forte, quod dixit: *Emissiones tuæ paradisus cum fructibus pomorum*: illos indicat fructus cum nardis plurimis, quos afferimus ex institutionibus, & doctrina prophetica. Ex doctrina vero ipsius Domini nostri Iesu Christi emissiones nostræ, & munera non plures habent nardos, sed vnam.

22 *Emissiones sponsæ sunt eius munera ad Deum. Origen.*

Cur prius mentio fiat nardi in plurali, & postea in singulari. In lege veteri plura præcepta, in noua autem pauciora.

Theodorit. Mala punica designant charitatem aut multos sanctorum ordines.

Clarius vero Theodoritus, qui vult, Deum piā ita alloqui animam: Hæc omnia misisti mihi, & tempore nuptiarum attulisti. Et primum quidem paradisum punicorum, quæ paradisus nec aliorum fructuum expers erat. Per mala punica significari censet vel charitatem, quam in eo repræsentant, quod sub vno eiusdem mali cortice multa continent grana ita mutuo inter se conserta; vt vicissim minime comprimant, aut corrumpant; sed integrent, conseruent, nisi aliqua in medio putredo nascatur: vel multos sanctorū ordines, per interiecta eorumdem malorum punicorum septa, ac veluti cancella per illorum medium discurrentia designatos. Ideo sponsæ emissiones, inquit Theodoritus, comparat paradiso malorum punicorum: Primo namque charitatis ipsius fructū admiratur: tum alijs quoque virtutum generibus ornatam dicit cum fructibus pomorum. Mox ea sigillatim persequitur: *Cypri cum nardo*, &c.

Pomorum fructus sunt alia virtutū genera.

Ad hunc secundum explicandi modum reduci queunt illorum expositiones, qui per emissiones animæ eius intelligunt virtutes, & qui per emissiones Ecclesiæ multiplicem intelligunt ordinem sanctorum, vel sanctos aliquos particulares. Siquidem Philo Carpathius Apostolos accipit, quod congruit Græco vocabulo ἀπόστολοι, quo vsi sunt Septuagint. Porro Apostolos recte dici, inquit, *paradisum malorum punicorum cum pomorum fructibus*: quia veluti deliciarum horti lauacrum sacri fontis habētes, & tamquam mala punica foris rubentes in laboribus, & ærumnis, ac demum sanguine martyrij complures homines Christi fidei veluti grana pepererunt, hisque tamquam paruulis fructus suauissimos arborum cælestium ad fidei incrementum, & charitatis opera præbuerunt: per has quippe res sensibiles diuinæ illæ, inquit, & cælestes insinuantur. Nam fructus arborum iusta Sanctorum opera, & castitatis odores indicant, & per diuersas, quæ nominantur aromatum species, varius sanctarum virtutum odor, & multiplex fructus sanctitatis ostenditur.

Emissiones sponsæ sunt eius virtutes, & multi sanctorum ordines. Philo Carp.

Emissiones Ecclesiæ sūt SS. Apostoli.

Aponius autem eos accipiens emissiones Ecclesiæ, qui loti sunt aqua baptismatis, has emissiones dici inquit, *paradisum malorum punicorū*: eo quod, nisi quis re-

Aponius. Emissiones Ecclesiæ sūt

natus

ij, qui loti aqua baptiſmi dicuntur paradiſus, induti Chriſtū ſunt ornamentū paradiſi.

natus fuerit ex aqua, & Spiritu S. & induerit Chriſtum, qui malogranati arbore cum pomorum fructibus figuratur, ornamentum eſſe non poterit paradiſi: nam quicumque, inquit, emiſſus ex veteri Eccleſiæ paradiſo fuerit, neceſſe eſt, vt arbori mali punici, id eſt, ſimilis Chriſto ſit, eius in ſe reparando imaginē.

Bernard. Emiſſiones Eccleſiæ tres ordines, coniugatorum, continentium, & Prælatorum.

Bernardus ſerm. 59. ex paruis, ad tres ordines hæc referens, ait: Voxillius cæleſtis Ieruſalem congaudētis huic, quæ peregrinatur in terris. Sunt autem tres emiſſiones: Prima coniugatorum pœnitentium in mundo. Secunda conuerſorum continentium in clauſtro. Tertia Prælatorum prædicantium, & orantium pro Dei populo.

23 Caſſiodor. Iuſt. Orgel Beda.

Sancti ſunt paradiſus malorum punicorum, &c. imitatione vel memoria Paſſ. Chriſti & operibus virtutum.

Generalius ad vniuerſos ordines referunt eadem Caſſiodorus, Iuſtus Orgelitanus, Beda, Anſelmus, & Hugo de Sancto Victore, tametſi diuerſimode totum contextum explicent: nam Caſſiodorus, quem ſequitur Beda, & Iuſtus, ait, Emiſſiones Eccleſiæ paradiſus malorum punicorum fuerunt: quia primum locum in Eccleſia poſt Apoſtolos, martyres obtinuerunt, qui ipſam Domini paſſionem patiendo imitari ſtuduerut: quamuis generaliter omnis multitudo paradiſus malorum punicorum poſſet accipi, qui mala punica ſunt: quia paſſionem ſui Redemptoris ſemper in memoria retinent: & ſicut malum punicum intra vnū corticem multitudinem continet granorum: ita in eccleſia multitudo fidelium intra fidem dominicæ paſſionis continetur, iuxta illud Apoſt. *a Quotquot baptizati eſtis in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati eſtis.* Per fructus pomorum Caſſiod. intelligit opera virtutum, ſiue eos, qui ipſas virtutes opere exercent; particulares vero virtutes ſignificari docet per aromaticas arbores nominatas.

a Gal. 3. 27

Anſelm. Emiſſiones Eccleſiæ ſūt eiuſ filij in diuerſis ordinibus Sanctorum, qui ſunt deliciæ Dei.

Anſelmus, emiſſiones Eccleſiæ illos eſſe, dicit, quos ipſa generat: quorum diuerſi ordines ſignificentur per fructus, & arbores, quæ hic recenſentur. Dici autem haſce *emiſſiones paradiſum*, id eſt delicias: quia delectetur Deus in talibus, ſicut aliquis in paradiſo: ſic autem hæc conſtruit: Emiſſiones tuæ ſunt mala punica *cum pomorum fructibus*, id eſt rubri in perſecutionibus, & qui matura proferunt opera, quorum odore Deus reficitur: Sunt autem *cypri cum nardo*, &c. varia ſanctorum genera, quæ omnia ſunt mihi paradiſus, ait Deus; quia delector in illis, &c.

Hug. Vict.

Martyres quomodo comparentur paradiſo.

Quibus conſentiunt, quæ dicuntur ab Hug. lib. Inſt. monaſt. ſerm. 60. qui, cum notet, præcipuas Eccleſiæ emiſſiones oſtendi eſſe ſanctos martyres per mala punica ſignificatos: Bene, inquit, Martyres paradiſo comparari, tametſi martyrium amaritudinem; paradiſus vero habeat iucunditatem: quia ſanctis martyribus omnia tormentorum genera iucunda fuerunt, & totum eis dulce, imo parum fuit, quicquid eis poteſtas aduerſa pro nomine Chriſtianitatis inferre potuit. Pomorum fructus, qui cum malis punicis eſſe dicuntur, dicit eſſe fructus eorumdem martyrum iuſtitiæ, & gloriæ.

Rich. Vict.

Emiſſiones piæ animæ ſunt eius virtutes & virtutum opera.

Ad virtutes omnes denique refert hæc ipſa Richardus de Sancto Victore, quas inquit eſſe emiſſiones piæ animæ, per mala punica illa intelligens, quæ pœnalia ſunt, & mortificationis, quæ iuge martyrium eſt, atque adeo rubro colore iſtiuſmodi malorum deſignatur, ſicut multitudine granulorum candidorum, qui intra eadem mala cōtinentur, plura eius opera ſignificantur, quæ animam mundant, candidamque reddunt: per fructus pomorum alia intelligēs opera fructifera, & meritoria vitæ æternæ, & fragrantia boni exempli, atque opinionis odore: per aromaticas arbores enumeratas diuerſas virtutes particulares: Hanc paradiſum, inquit, arborum profert, & emittit de radice cordis hortus animæ deuotæ bene excultus, virtutes, & ſpiritualium germina ſtudiorum: & de hoc horto emittitur ad hortum concluſum ſupernæ Ciuitatis Ieruſalem, cuius confortatæ ſunt ſeræ portarum, & omnis excluſa miſeria omniſque incluſa fœlicitas.

24 Tertius explicandi modus indicatur potius quam pertractetur à Caſsiod. quatenus per emiſſiones Eccl. eius incrementa fidei intelligit, & diſſeminationem prædicationis: Vel etiam particulares diuerſarum gētium Eccleſias: Illa enim, inquit, primitiua Eccleſia, quæ in Iudæa quaſi hortus fuit, per vniuerſum mundum multos hortos, id eſt Eccleſias, emiſit, paradiſus quippe Græce, Latine hortus dicitur. Præter hos tres explicandi modos, duos inſuper alios reperio, emiſſionum nomine munera, atque dona intelligentes. Alter eſt Amb. prædictam vocem *emiſſiones* accipiētis paſsiue: ſiquidem in lib. de Iſaac, & Anima c. 5. eas ſignificatas cenſet dotes, atque munera, quæ ſponſus miſit ad ſponſam: Sic enim ait; Laudat etiam munera animæ, quæ miſſa ſunt à ſponſo, quibus dotata veniebat: Dos autem piæ animæ boni odores ſunt, myrrha, & aloe, quibus ſpirat hortorum gratia, & peccatorum fœtor aboletur.

Caſsiodor.

Emiſſiones Eccleſiæ ſūt Eccleſiæ particulares.

Ambroſius.

Emiſſiones Eccleſiæ ſūt munera, quæ chriſtus ad illam miſit.

Alter eſt Ruper. Abbatis, qui actiue eamdem accipiens vocem: vt B. Virginis emiſſiones ſint id omne, quod boni, quodve præclari eſt in mundo. Mirū, inquit, quod cum Maria hortus concluſus ſit, & fons ſignatus, nihilominus, imo & eo amplius emittit omnia bona quibus mundus impleatur, vt *emiſſiones* eius *paradiſus* ſint *malorum punicorum cum pomorum fructibus*: paradiſus ſcripturarum, vel doctrinæ cum bonis, & ſanctis operibus. Per ſeptem aromaticas plātas quæ nominantur, intelligit ſeptem dona Spiritus ſancti, & virtutum vniuerſitatem, ac ſi dicatur.

Rup. Abb. Emiſſiones Mariæ ſunt bona omnia quæ ſunt in mundo.

Quicquid gratiarum, quicquid virtutum, quicquid operationum cæleſtium, mūdus accipit, *emiſſiones tuæ* ſint: vt vbi prius erant ſpinæ, & vepres: vepres, & carduus, lappa, & tribulus, vrtica, & paliurus, vniuerſitas nequitiarū, ibi ſit *cyprus cum nardo, nardus, & crocus, fiſtula, & cinnamomum, myrrha, & aloe*, vniuerſitas gratiarū, iuxta numeri ſeptenarij Sacramentum, *cum vniuerſis lignis Libani, cū omnibus primis vnguētis.* Per ligna Libani intelligit Rupertus fideles excelſos, potentes, ac diuites, in quibus iuxta id, quod dicitur in Pſ. *a Illic paſſeres nidificabunt*: in cedris ſcilicet Libani: nidificāt enim pauperes illorum eleemoſynis ſuſtentati: quas eleemoſynas vna cum reliquis operibus pietatis inquit, deſignari per metaphoram primorum vnguentorum. Pulchra valde varietas harum emiſsionum tuarum huius paradiſi noſtri, vbi & altitudo lignorum Libani, & humilitas omnis aromatici germinis ſpectaculum commune præbebit, ſpirantibus in medio primis vnguentis, id eſt, cūctis operibus pietatis, maximeque eleemoſynis, quibus ſuppleri poterit, quicquid minus ſpiritualis vitæ habuerint etiam potētes, ac diuites, qui quamuis ſæculi curis impliciti ſint, noſtri tamen amici ſunt, ait Deus. Sic quondam *b* in tabernaculo ſaga cilicina, byſſum & purpuram amica extenſione tegebant: ſic ſemper qui ſpiritualibus minus abundant, carnalia ſua ſpiritualibus communicant, vt iure ſpiritualium illorum participes fiant.

Gratia omnis omniſque virtus eſt emiſſio Mariæ.

a Pſ. 103. 17.

Qualem paradiſum efficiant.

Diuites adiuuantes pauperes adiuuantur à pauperib.

b Ex. 26. 7.

25

In explicando, quid per aromaticas arbores ſeu plantationes enumeratas ſignificetur, Sancti patres duplicem rationem ſequuntur; Aliqui enim generaliter illas poſitas inquiunt, ad deſignandas varias virtutes, ſeu diuerſos ordines: Ita Ambr. Hier. Greg. PP. Rup. Abb. & alij, quorum exponendi rationem, & ipſe ſecutus ſum in proprijs expoſitionibus. Alij particulariter vnamquamque arborem conſiderantes, ſingulas particularem aliquam virtutem, ſeu particularem Sanctorum ordinem ſignificare oſtendunt: qua in re diuerſiſsimi inter ſe eſſe comperiuntur. Ne autem tanta diuerſitas vna cum multiplicitate nominatarum arborum confuſionem ingerat, ſingulis arboribus ſeiunctim varias Patrum ſententias apponere ſtatui, omiſsis malis punicis, & pomorum fructibus, de quibus iam viſum eſt, quid quiſque ſenſerit.

Ambroſius. Hieronym. Greg. PP. Rupertus.

Cypri cum nardo (ſeu vt eſt in Græco) *cum nardis.* Greg. Nyſſ. optimam inquit eſſe iſtarum aromaticarū ſpecierum coniūctionem: Cyprus quippe calida, nardus vero odorifera, quo ſignificatur calorem fœtidum haud eſſe bonum, qualis eſt amor carnalis: & terre-

Greg. Pap. Charitas odorem redolens.

norum

norum: sed illum esse bonum, qui per bonum odoré testimonium habeat puritatis, qualis charitas Spiritu sancto feruens.

Tres Patres. Charitas in Deum ac proximum.

Catena trium Patrum in eodé fere sensu, varia per hæc significari inquit, secundum virtutem, genera in Deum, & proximum charitatis.

Cassiodor. Gratia diuina.

Cassiod. gratiam significari ait tamquam manna de cœlestibus venientem: quia cyprus semen simile coriandri habeat, & de manna legimus in Exodo, quod erat quasi semen album coriandri. Consentit Beda, & Richardus.

Beda. Richardus. Aponius. Patientia.

Aponius patientiam accipit, ex eo quod cyprus interpretetur tristitia, vel mœror, vnde ergo, inquit, pomorum ordines in Ecclesia? tristitia si patienter suscipiatur.

Anselmus. Sancti perfecti, & excelsi.

Anselm. Cyprus, cum sit virga gracilis, quæ crescit in magnam altitudinem: & habet grana, vnde fit regium vnguentum, sanctos illos significat, qui crescunt in multam altitudinem virtutum, & proferunt grana bonorum operum, quibus vngitur, & delectatur Deus.

Hugo Vict. Prælati.

Hugo de S. Vict. cyprus donum regiminis significare, inquit, seu Prælatos, & Rectores: ex eo quippe fieri dicitur vnguentum, quod regale appellatur.

Tres Patres.

Nardus. Catena trium Patrū quatuor istas primas species enumeratas cum vniuersis lignis Libani intelligés quatuor virtutes cardinales, cū illis omnibus quæ illis subiectæ sunt plantatæque in sublimitate fidei erga Deum tanquam in monte Libani: Per nardum prudétiam accipit, in qua virtutum omnium rationes summatim continentur: quia & in nardo varia commisceantur aromata.

Cassiodor. Passio Domini.

Cassiod. Nardus, inquit, typus est dominicæ passionis; vnde Maria Magdalene nardo pistica caput, & pedes Iesu vnxit: tuncque nardus in horto Ecclesiæ est, cum sancti quique memoriā Dominicæ passionis venerantur, eique gratias agunt, quod pro ipsorū amore mori dignatus est.

Aponius. Consolatio Sancti Spiritus.

Aponius. Nardus cum frigus de algentibus membris expellat consolationem Spiritus sancti, spemque illius significat, quod dicitur: *Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.*

Anselm. Humilitas Hug. Vict. Rich. Vict. Vnctio dilectionis Dei.

Anselm. Nardus cum sit herba humilis, humilitatis virtus significatur. Idipsum & Hugo Vict.

Richar. item Vict. Nardus, inquit, de quo vnctū est Domini corpus, vnctionem dilectionis Dei in corde significat: quia sic vngimur, vt tribulationis igne non superemur, cum gratia nos reficit, & replet cōtra aduersa fortes facit.

26

Greg. Nyss. Virtus in mediocritate

Crocus. Greg. Nyss. crocum, inquit, ex eo quod naturalem mediocritatem habet caloris, & frigiditatis. virtutis mediocritatem significare, cum virtus in mediocritate, & in medio sita sit. Secundo per eandē croci speciem fidē significari posse, inquit, ex qualitate floris illius, circa quem contingit errare in deligēdo, quinam sint tres fili boni: sicut & circa fidem sæpius error contingit.

Fides.

Theodor. Refrigerium Spiritus sancti.

Theod. cum crocus numeretur inter ea, quæ refrigerādi vim habent, S. Spiritus refrigerationem significare, inquit: Egemus enim ait, non solum calefacientibus nos; sed refrigerantibus etiam, & cupiditates immoderatas comprimentibus.

Tres. Patres Iustitia.

Catena trium Patrum iustitiam secundam ex virtutibus cardinalibus, quatenus crocus mediam vim obtinet inter frigiditatem, & caliditatem, & vtriusque excludit extrema: Sic quippe & iustitia, & defectus, & excessus in virtutibus fugit.

Cassiodor. Charitas.

Cassiodorus charitatem, vt refrigerantem ardorem concupiscentiæ, quia & crocus ignitas febres refrigerare dicatur.

Philo. Patientia, & charitate præstantes.

Philo Carpathius, exercitatos virtute patientiæ, & factis charitatis illustres. Qui veluti triplex croci fructus, ex vna radice dilectionis emanantes, Deo, sibique, & proximis vtiles extiterunt, terrenis rebus angusti, sed cœlestibus amplissimi: castigati, & afflicti corpore, sed anima vegeti, lætissimi & immortales:

Crocus enim maximi odoris est, inquit, folio angusto in capillamenti modum, florem cœlestis arcus colore persimilé, calicis modo ab angusto in latum sese explicantem habet, intra quem fructum triplicem veluti apicem coloris flammei ex vna radicula duplici filo lutei coloris hinc inde munitū profert: gaudet calcari, & atteri pede, pereundoque fœlicius prouenit: ideoque iuxta fontes, & viarū semitas lætissimus est, nec melle, ac dulci, sed vino, aut aqua dissoluitur.

Aponius. Charitas.

Aponius: Crocus ardentibus refrigeria cōfert, hoc est, timorem mortis præsentis expellit, & futuræ vitæ amore accendit.

Anselmus. Sapientia diuina.

Anselmus: Crocus est herba, habens aureum florē, per quem intelligitur diuina sapientia, quæ non debet in aliquo esse cum timore, sed cum nardo, id est cum humilitate.

Hugo Vict. Doct. SS.

Hugo Victorinus: Eruditos Doctores accipiés: Nardus, inquit, cum croco est, dum subiectorum humiliū multitudo sanctorū doctorū sapientia fulgentium pedibus appropinquantes salutarem ab illis libenter audiunt doctrinam. *Fistula*, seu, *calamus odoratus*. Theod. ex illo Psalmi 44. *a Lingua mea calamus Scribæ velociter scribentis*, scripturam diuinam intelligit: Odoratum autem inquit calamum esse, quia lingua docentium pietatem omni suauitate referta est.

27

Theodor. Scr. Sacra. a Ps. 44. 2.

Tres Patres. Temperantia

Catena trium Patrum. Per dulcem calami fistulam, quæ leuis est, & in sublime facile tollitur, temperantia significatur, quæ mentem graui corporeæ cupiditatis onere subleuat, eamque ad spiritalia, & cœlestia sublimem tollit, eorumque corda replet suauitate.

Cassiodor. Humiles spiritu.

Cassio. Ex eo quod breuis arbuscula est, quæ & cassia vocatur, cortice purpureo, fistula significat sanctos humilitate, & patientia præcipuos, pauperes scilicet spiritu, quorum est regnum cœlorum. Purpureus autē cortex significat passionem Christi, quam humiles spiritu semper in corde retinent, & imitari satagunt.

Phil. Carp. Petrus & Paulus.

Ph. Carp. Calamo inquit, & cinnamomo odoratissimis similiter arbusculis, & quorum vsus in medicina plurimus est, cum omnibus excellentissimis lignis Libani. Pet. & Paulus cum ceteris fidelibus cunctis aptissime congruunt, vt omnes cum Christo sepultos in baptismo vnius sanctitatis odoris esse monstraret.

Aponius. Abstinentia.

Aponius, fistula abstinentiæ fructum significat, eo quod in tenerrimis virgultis siccata, à verme propter austeritatem corticis reseruatur, quæ infirmitates viscerum intrinsecus curat: sic & abstinentia exsiccata pelle corporis, animæ medicinæ inseruit.

Hugo Vict. Pœnitentia & pœnitentes.

Hugo de Sancto Victore, fistula, inquit, sunt cōpuncti pœnitentes, quicumque vel in se, vel in aliis peccatorum intrinsecus latentium molestias per gratiam compunctionis, confessionis, vel etiā efficacioris admonitionis expellunt: fistula quippe ad curandas viscerum molestias vtilis est.

28

Greg. Nyss. De cinnamomo mira. Virtutis perfectioni indulgentes.

Cinnamomum. De cinnamomo mira, & quæ supra fidem eidem videtur, narrat Gregorius Nyssenus: Primum aquam bullientem in lebete, si à cinnamomo tangatur, refrigerari illico: quin vna cum aqua etiam circunstantem aerem in algorem conuertere. Secundum habere vim perimendi ea, quæ generantur ex corruptione. Tertium, si fuerit positum in ore dormientis, cum qui dormit, minime impediri, quo minus respondeat ad ea, quæ interrogantur, simulque illum dormire, & sobrias, & ad verbū expressas reddere responsiones. Quas proprietates adeo mirabiles, inquit Nyssenus inueniri in iis, qui virtutis perfectioni operam dant. Tunc quippe cinnamomum, inquit, in anima habent, cum vel feruentes cupiditate, vel ira accensi ratione extinguunt animi perturbationes, aut, cum in somno vitæ præsentis in ore habentes hanc ipsam rationem, ostendunt inerrantem, & inconfusum sensum eorum, quæ dicuntur, per sermonis varietatem imitantes insomnem Angelorum naturam, quos necessario nulla phantasia, aut visio dimouet à veritate.

Theodor.

Theo. Additur calamo cinnamomum quod in veteri lege offerebatur, vt intelligamus, quæ de Deo monumentis sunt tradita litterarum, tum

Ps. sic. Script. dicta laudabilia, & odorifera. Tres Patres. Fortitudo. laudabilia esse, tum odorifera, & his aromatibus comparanda.

Catena trium patrum: Per cinnamomum, cuius natura est calida, atque iucunda, fortitudinis, diuino zelo aduersus impietatem, atque malitiam ardentis, robur indicatur.

Humiles. Casiod. Ans. Rich. & alij humiles accipiunt, qui se viles fatentur: quatenus cinnamomum breuis arbuscula est lutei, ac cinericei coloris.

Aponius Sensus spirituales viuaces sapientiæ. Aponius, cinnamomum, secundum quod vicino capite fistulæ gignitur, & ciuitissime suam viuacitatem seruare probatur, spirituales sensus viuacitate sapientiæ atque abstinentia gigni, demonstrat.

Hug. Vict. Confessores Deum laudantes. Hugo Victorinus: Quia cinnamomi cortex in modum cannæ formatus est, cum per cannam à pueris incisam soleat sonus eorum ore formari: Confessores, sanctiue sacerdotes per cinnamomum designantur, qui non solum corde credunt ad iustitiam, sed & ore confitentur ad salutem.

29

Greg. Nyss. Exprimentes in studiis diuinæ pulchritudinis formam. *Cum omnibus lignis Libani.* Greg. Nyssenus, Libani nomen pro thure accipiens, quod diuinitatis symbolum est. Qui in omnibus, inquit, vitæ studiis in se significat diuinæ formæ similitudinem, in se ostendit pulchritudinem omnium lignorum Libani, per quæ exprimitur forma diuina.

Theodorit. Virtutes omnes, quæ in lege continentur. Theodoritus, omnes virtutes significari, ait, quæ in lege continentur non secundum litteram, sed secundum spiritum, vt per Libanum significetur Ierusalem.

Casiodor. Doctores, & perfecti in Ecclesia. Casiodorus, Ligna Libani, inquit, pulchritudine, ac proceritate, & robore præeminent: ideoque sanctos Doctores, & perfectos quosque in Ecclesia significant.

Anselmus Fortes. Anselmus, omnes fortes, & robustos ad sustinendũ pondus Ecclesiæ, qui sunt Libani, id est candidati in virtutibus.

Richard. Vict. Sublimes operationes humilium. Richardus Victorinus: Sicut fistula, & cinnamomũ humiles iustorum congregationes, ita ligna Libani sublimẽ eorum operationem demonstrant: hæc crescũt in horto bonorum, dum & magna agunt, & apud se humiles semper, & parui sunt.

Hugo Vict. Virgines sanctæ. Hugo Victorinus: Cum Libanus interpretetur dealbatio, & ligna Libani in altum excrescant, sanctæ Virgines per ea designantur, quæ per albam munditiem albent, & ad cœlestia bona se erigunt.

Greg. Nyss. Sepultura Christi societas. *Myrrha & Aloe.* Greg. Nyss. Ostendi per hæc videtur sepulturæ Christi societas: nemo enim fit Dei gloriæ particeps, qui non fuerit primum conformis similitudini mortis eius.

Theodor. Mortificatio Amaritudo tentationum. Tres Patres. Mortificatio. Theodoritus, per myrrham quatenus propria mortuorum est, accipit mortificationem: per aloe, quatenus amara est, tentationum amaritudinem.

Catena trium Patrum, per vtramque significatã intelligit mortificationem ipsam.

Casiodorus, quatenus ambæ resistunt putredini, & vermibus, carnis continentiam, & castimoniam, in illis intelligit.

Anselm. Persecutiones sustinentes. Martyrium. Mortificatio carnis. Anselmus illos qui maiores. & illos qui minores per secutiones sustinent; quatenus aloe minus amara est: Vel per myrrham passionem martyrij: per aloe mortificationem carnis.

Hugo Vict. Continentia. Abstinentia. Hugo Victorinus: Per myrrham continentiam, seu continentes: Per aloe abstinentiam, seu abstinentes: quia vtręque à carne & corde putredines vitiorũ expellunt.

30

Dogmatum sinceritas. *Cum omnibus primis vnguentis.* Greg. Nyssen. per prima vnguenta intelligit dogmatum sinceritatem, dogmata minime adulterata, vel aliquid falsitatis admixtum habentia.

Donatio Spiritus sancti. Catena trium Patrum, omnia Spiritus sancti dona, animas vnguentorum instar recreantia: Nisi, inquit, anima sapiat ea, quæ sunt spiritus, & sanctissima illius dona suscipiat, carnalis sensus mortificationem, quæ per myrrham, & aloem intelligitur, non assequetur.

a 1. Cor. 12. 31. Casiodorus, & Anselmus charitatem accipiunt, de qua Apostolus: *a Adhuc excellentiorẽ vobis via demonstro:* Post myrrham autẽ, & aloem bene prima vnguẽta ponũtur, inquit Casiodorus; quia post carnis continentiam succedit vera Charitas, quæ Deus est, qua ve Deus super omnia diligitur: Neque enim illi, qui mundana dilectione tenentur, id est qui voluptatibus, & illecebris adhuc delectantur, huius charitatis participes esse possiunt.

Charitas quomodo obtinenda.

Philo. Iusti, qui sepulti sunt ante corpus Christi. Anselm. Richard. Hugo Vict. Dona spiritualia præcipua. Philo Carpathius, sicut per myrrham, & aloem eos intelligit, qui Christo in baptismo consepulti sunt: quandoquidem corpus Christi hisce vnguentis vnctũ scimus in sepulturam. Ita per prima vnguenta vniuersos intelligit iustos illos, qui ante corpus Christi sepulti fuerant, & humati.

Anselmus, Richardus, & Hugo Vict. prima vnguẽta præcipua intelligunt dona spiritalia.

Vers. XV. cap. IV. *Fons hortorum, puteus aquarum viuẽtium, quæ fluunt impetu de Libano.*

Expositio I.

Iuxta sonum litteræ.

NOnnullis expositorum visum est, sponsum adhuc prosequi eam, quam cœperat in vers. 13. pretiosi horti descriptionem, & in laudanda dilecta sua, euehẽdaque illius pulchritudine adhuc persistere in metaphora horti. Ita sentit ex Hebræis R. Salomon, & ex nostris Cosmas Damianus Hortolanus, cuius hæc sunt verba. In hortensi parabola persistens sponsus, ab aquarum maxima copia suæ sponsæ cõmendare pergit fœcunditatem. Est autem figurata oratio, in qua contentum pro continente positum videtur: vt propria hæc sit: In te est fons hortorum, hoc est, quo irrigantur multi horti.

1

R. Salomon. Hortol.

Communis nihilominus sensus, qui est & probabilior, & verior, est; vt nequaquam ad horti descriptionem proprie hæc dicta sint, sed ad descriptionẽ fontis insignis: vt sicut in duobus præcedẽtibus versibus spõsus fusius explicarat horti similitudinem ad sponsæ commendationem assumptam, vixque tactam in vers. 12. Ita hoc loco, quam ibidem ob id ipsum tetigerat similitudinem alterã fontis, pari modo explicet latius. Sed in communi etiam sensu istodiuersitas est opinionum: Quidam enim existimant, Salomonem ita superiorem fontis explicare similitudinem, vt proprium quemdam fontem hoc nomine fontis hortorum, puteumque sic nuncupatum, *Puteus aquarum viuentium*, vtrũque è Libano monte deriuatum, ad id assumpserit. Videatur Franciscus Titelmanus auctor huius sententiæ ex relatione cuiuspiam, quẽ montis Libani, ac circumiacentium terrarum oculatũ asserit testem. Videatur & Hortolanus & Almonacyrius, Soto Maior, & alij eadem referentes. Communis certè Antiquorum Interpretum tam nostrorum, quam etiam Hebræorum sententia haud proprie dicta hæc accipit, & signate, sed generaliter: &, tametsi ad eas aquas respectum esse arbitretur, quæ fluunt è Libano, è quo certissimũ apud omnes est, ingentia deriuare fluenta aquarum, quibus plures fiunt, & fontes, & putei, & flumina, vt videre est apud Iosephum lib. 3. de bello Iudaico cap. 18. & Plinium lib. 5. cap. 15 & 16. Sunt tamen, qui ita generaliter hæc fumant: vt nec ad hasce Libani aquas respectum fuisse velint, Libani nomen haudquaquam pro ipso monte Libano appositum asserentes, sed ad designandum locum purum, ac mundum, è quo aquæ fontis, atque putei profluunt. Ita Rabbi Salomon in suis Commentariis, Hebraicæ vocis significatum sequens, secundum quam Libanus interpretatur dealbatio.

Titelm.

Ioseph. Plinius.

R. Salomon.

Saluo meliori iudicio, abstractoque mysterio, de quo in sequentibus expositionibus, ipse crediderim, Libani nomen ita pro monte Libano hic appositum:

vt,

Libanus generaliter, vt designando montem excelsum ponitur.

vt, non tam montem ipsum Libani signate, quam quemlibet altum designet montem, è quo viuæ defluant aquæ: siquidem è celsioribus montibus ingentes fluere aquarum copias, quæ perennes efficiãt fontes, nemo est, qui nesciat: Libani vero meminisse spõsum: quia, cum omnium, qui in Iudæa sunt, montium altior existat, aptior quoque sit ad quemlibet celsum montem metaphorice designandum: provt etiam in vers. 8. huius quarti cap. eodem pacto eumdem montem vsurpasse ostendi pro loco arduo, difficili, ac periculoso. Adde quod, cum hortum suum præstantissimum Salomon saltum Libani appellasset, ad quem secum spõsam deducere satagebat, vt visum est in vers. 7. vnde & similitudinem horti ad eandem sponsam commendandam assumpsit, iure optimo & montem, è quo aquę in eo defluerent, montem appellauit Libani. Id vnum sane intentum est Salomonis, ac sponsi, vt & fontem, & puteum, quibus similem suam pronuntiat sponsam, copiosis, viuis, atque perennibus aquis affluere significet, quales ij solent esse fontes, qui iis fluunt, & constant aquis, quæ ex altis scaturiunt montibus.

2 Primus sensus. *a* Ioan. 4. 6.

Hoc supposito: duplicem arbitror assignari posse eorum, quæ hic dicuntur, sensum: Primum, sumendo tam fontem, quam puteum pro vna eademque aquarum collectione, provt in Euangelio Ioannis, *a* vnus idemque puteus, super quem Dominus Iesus *fatigatus ex itinere sedit*, & fons, & puteus dicitur, vbi præclare Augustinus tract. 15. in Ioannem notat super illa verba: *b Erat autem ibi fons Iacob*: Fontem illum extitisse puteum, quia omnis puteus fons sit, tametsi non è conuerso omnis fons sit puteus: vt hic explicet sponsus, quid intellexerit in adhibita similitudine fontis signati, puteum nimirum lapide occlusum, atque signatum, quo & greges adaquari possent, & irrigari horti hausta aqua, & in canalibus effusa: qualem & in Genesi *c* reperimus, è quo Iacob *amouit lapidem quo claudebatur, & adaquauit gregem Rachel*: Et in Exodo, *d* quo Moyses *adaquauit oues filiarum Raguel*. Porro quia ex eo quod similitudine fontis signati videbatur colligi posse, sponsæ venustatem, atque gratias, sub aquarum metaphora (vt visum est) designatas, ita esse occlusas; vt præterquam ipsimet sponso eæ nulli essent conspicuæ, nullusve earum particeps esset: atque etiam modicas esse, atque exiguas; ita vt propterea quasi modicas aquas in fonte signato occlusas, atque absconditas eas seruari operæpretium foret: congruentissime nũc ad amplificationem collati encomij hæc adiicit: *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano*: indicans, ita ipsam esse quidem fontem signatum, puteumque occlusum, vt tamen omnibus, quotquot in eam coniicerent oculos, quotquot & eius eloquia perciperent, affatim exhibeantur, instar aquarum irrigantium plures hortos, cum è signato fonte hauriuntur: Neque vero exiguas, & ad tempus aliquod solummodo eas habere, ita vt timendum ei sit, ne pereant; sed copiosissimas, atque perennes, instar aquarum viuarum, quæ impetu, id est large fluunt per occultos meatus è cacumine alicuius excelsi montis: Ac si dicat.

Augustin. *b* Gen. 23. 11. & 13.

c Gen. 29. 10. *d* Exod. 2. 17.

Paraphrasis.

Tot ex te profluunt gratiæ, tantaque tui est venustas, vt sis instar fontis limpidissimi, & copiosissimam aquam cõtinentis, ita vt multos hortos irrigare queat: tua enim purissima venustate, tuis abundantissimis gratiis innumeros reficere, & exhilarare potes: Atque istę in te gratiæ pudicissimæ iuges sunt, atque perennes: es quippe *puteus aquarum viuentium, quæ* numquam deficiunt, cum magno *impetu fluant de Libano*: eæque gratiæ ipsæ tuæ sunt quidem in te æque ac in profundo puteo absconditæ, quantum in te est, præ tui pudicitia: attamen sunt instar aquarum viuentium, quæ intra ipsum puteum largius ex alto quopiam defluunt monte.

Secundus sensus.

Alio sensu hæc ipsa accipi possunt etiam ad præallatam fontis signati explicationem, non ad gratiæ duntaxat, & venustatis sponsæ commendationem, sed ad totius pulchritudinis illius amplificationem, sumendo fontem, ac puteum partim pro eodem, partim pro diuerso.

Pro cuius sensus intelligentia, duo sunt supponenda. Primum, quod dicit August. præcitato tractatu 15. in Ioannem, aquam, quæ de terra manat, & vsui præbetur haurientibus, dici fontem: sed si in promptu, & in superficie sit, fontem tantum dici: Si autem in alto, & profundo sit, ita puteũ vocari, vt fontis nomen non amittat. Sic fieri potest, vt aquæ eædem, quæ magno impetu è celso mõte fluunt, prius in profundo aliquo loco suscipiantur, in quo tanquam in puteo sint, dein ex loco illo per cuniculos in altum foras erumpant, fontes constituentes, iuxta vulgatam regulam illam, secundum quam aquæ ex alto defluentes tantum adscendunt, quantũ descenderint. Sic putei *e* aquas adscendentes habes Num. 21. 17.

Augustin.

e Num. 21. 17.

Alterum supponendum id est, quod fons horti, seu fons hortorum, non ad id duntaxat efficitur in horto, vt per illum is irrigetur: verum etiam, vt eiusdemmet fontis pulchritudo spectetur, vtve ex illo quoque in horto voluptas exhibeatur. Hinc est, quod in præstantissimis hortorum, atque pomariorum complures magno artificio constructos videmus fontes, è quibus aquæ instar expansi veli magno impetu defluant, quæ prius impetu etiam grandi per multiplicium fabrefactorum animalium ora sursum fuerãt emissæ: videasque nonnunquam in vno eodemque fonte, varios, iucundissimosque earumdem aquarum ludos: necnon & auium cantilenas audias, & aliorum animãtium voces, & dulcissimam pariter organorum melodiam in aquis, & per aquas defluentes emissam: Easdẽve aquas postmodum etiam ad irrigandum in canales decurrere cõspicias: ita vt, cum quis Principis cuiuspiam pretiosum inuisit hortum, id, quod in eo præ omnibus videre satagit, ipsi sint eius fontes: & si quem præstantiorem in eo sciuerit esse, ad illum curet, vt primo deducatur, vtpote ad rem, quæ pulchra sit maxime, & è qua maiorem percipere queat voluptatem.

Paraphrasis.

His suppositis quod hic dicitur, tale mihi esse videtur. Nedũ pulchra es instar horti, cuius emissiones, & plantæ, atque propagines sunt similes paradiso voluptatis: Sed es quoque pulchra instar fontis signati, cuius aquæ, quando claues aperiuntur, quibus signatæ, atque occlusæ detinebantur, purissimæ effluũt. Affers voluptatem pulchritudine membrorũ; at multo maior ea voluptas est, quam in venustis agendi, aut loquendi modis ex te percipiunt & qui gestus, motusque tuos spectant, & qui te audiunt loquentem: Es quippe præiugi, largissimaque gratiarum copia, instar pulcherrimi fontis ex fontibus iis, qui in nobilissimis spectantur hortis, ad quem fluẽta emittuntur de puteo, & de profunda collectione *aquarum viuentium, quæ* è celsissimo monte *fluunt impetu* grandi, largaque copia: *Es puteus*, sicut & fons signatus, dum absconditas habes gratiarum aquas: habes nihilominus illas perennes, & abundantes *instar aquarum viuentium, &c.* vt illis in temetipsa, quasi in fonte hortorum, voluptatem exhibeas, irrigesve quodammodo intuẽtium corda, perfundens ea voluptate.

3 Tertius sensus.

Ex lectione Hebraica deduci potest & tertius sensus haud sane minus congruus, quam duo isti iam allati. Enimuero pro eo, quod noster Interpres secutus Sept. habet: *Quæ cum impetu fluunt*: in Hebræo est vna tantũ vox, נְזוֹלִים venozelim, quam etsi cõmuniter pro participio sumere soleãt verbi נָזַל nazal, fluere, provt etiam accepere Sept. & noster Interpres, referentes ad aquas viuas: alibi tamen sæpius quasi nomẽ aquarum positam eamdem reperimus, vt Exodi 15. 8. *Steterunt fluenta*, Vulgata, *stetit vnda fluens*: Psal. 78. secũdum Hebræos vers. 16. *Et eduxit fluenta de petra*. Vulgata, *Et eduxit aquam de petra*: Isaiæ 44. 3. *Effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam*: quibus in locis ea dictio non fluxum duntaxat, nec aquam tantum, sed aquam vna cum impetu fluxus significat: sicve etiam in hoc loco ipsam accepisse videtur ex Hebræis

R. Salamon. R. Salomon. quasi quid distinctum ab eo, quod dictũ est, aquarum viuentium, vt tria sint, quæ sponsæ in vno isto versu tribuantur: *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, & fluenta è Libano.* Quam acceptionem scitum etiam ex nostris Patribus video Ambrosium, dũ in Psalm. 118. serm. 17. vers. 8. sic legit: *Fons hortorum, puteus aquæ viuæ, & impetus descendens è Libano.*

Ambros.

Iuxta hanc ergo rationem triplici similitudine triplici encomio insignem sponsæ pulchritudinem extollit sponsus, seu potius ex triplici capite vnam eandemque euehit eius pulchritudinem, aut etiam triplicem eius pulchritudinem celebrat. Prima siquidẽ similitudine fontis hortorum, eius scilicet fontis, quem descripsi in sensu secundo, quive artificiosa structura, concinnaque variarum partium dispositione, & insigni multiplicium rerum ornamento intuentium mirũ in modum oblectat oculos, eximiam illam, quæ in apta totius corporis structura, in concinna membrorum omnium proportione, atque in specioso colore, & in extrinsecis quoque ornamentis extrinsecam commendat sponsæ pulchritudinem, quæ est oculorum obiectum desiderabile, æque ac istiusmodi fons. Similitudine secunda putei aquarum viuentium, eius nimirum fontis, qui aquis viuentibus exuberet, quas tamen in profundo absconditas contineat, neque aliis illas exhibeat, quam iis, qui eius profunda penetrarint ipsasve ex abscondito, atque eius profundo hauserint; aliam eiusdem sponsæ euehit pulchritudinem, quæ interna est, & in profundis animi eius penetralibus, quæve in prudẽtia, pudicitia, ipsaque virtute sita est, haud quaquam omnibus manifesta; sed iis dũtaxat, qui studio, & sedula attentione cum illa conuersantes, eam penetrare, ac quodammodo haurire curarint. Quam pulchritudinem apta admodum metaphora aquarum viuentium exprimit: vt innueret, eam perennem esse, & quæ haud facile corruptionem admittat, provt euenire solet pulchritudini externæ. Tertia demum similitudine impetus descendentis è Libano, seu fluentorum è Libano, aut è monte alio excelso, aquarum scilicet purarum, atque limpidarum, simpliciter absque vllo artificio naturali cursu cum grato murmure defluentium iugiter, hortosve largius irrigantium, tertiam celebrat eiusdem spõsæ pulchritudinem, seu tertiam perfectæillius pulchritudinis partem, quæ sita est in pura quadam venustate, & in simplicitate gratiarũ tam in operationibus, gestis, ac motibus, quam in loquela, ac iis ipsis, quæ profert, verbis, in quibus nihil affectati inest, defluentibus ex ipsa specioſissima instar limpidæ aquæ illius. Et bene hac similitudine hasce commendat gratias: nã re vera, sicut nil in actionibus, verbisque alicuius potest esse molestius, quam affectatio, & impuritas: ita nil gratiosius in iisdẽ, nihilve venustiores reddit eas, quas quis habet gratias, quam si puritas iis insit, atque simplicitas. Hæ cũ impetu fluunt irrigantque, ac voluptate perfundunt, magno impetu amoris. Quod autem tota hac sententia hoc tertio sensu dicitur, tale est.

Simile.

Paraphrasis. Pulcherrima es, & extrinsecus in apta membrorũ proportione, in specioso colore, & in concinnis ornamentis spectantium ad te alliciens oculos, eosdemve oblectans, æque ac nobilis, artificiosusque fons, cuius spectãdi gratia Principum hortos gentes inuisunt: & intrinsecus in prudẽtia, pudicitia, omnique alia virtute, quas instar aquarum viuentium in profundo animi tui, æque ac puteo absconditas contines, iis duntaxat istam exhibens pulchritudinem, istasve animi tui aquas, qui attento studio, virtuteque pari tecum conuersantes, è profundo animi tui, tanquam è puteo ipsas quodammodo hauserint. Pulcherrima insuper es, maximeque delectabilis pura ipsa venustate, ac simplicitate tua, gratiis ipsis, quæ vel in gestis, vel in motibus, vel in loquela, vel etiam in verbis pure, ac simpliciter, absque vllo artificio, & affectatione è te perẽni maximoque amoris impetu profluunt instar limpidarum aquarum è celso aliquo montedefluentiũ, magnoque impetu naturali cursu irrigantium hortos, ad quos deriuatæ fuerint. Impetus quippe huiusce modi gratiarum tuarum tantus est, vt plures, omnesve illos, ad quos fuerint deriuatæ siue per oculos, siue per aures, irriget quodammodo voluptate perfusos.

Quoad lectionum varietatem: In textu Hebraico nil à Vulgata diuersi reperitur, præter id, quod notatum est in principio supradicti tertij sensus circa vocẽ נְזָלִים venozelim, *quæ fluunt* seu *& fluentorum.* In versione Sept. triplex est diuersitas, modica tamẽ: Primo enim pro *hortorũ*, in plurali, habet in singulari, κήπου, *horti.* Secundo sic etiam in singulari habet, ὕδατος ζῶντος, *aquæ viuæ*: Tertio, pro *quæ fluunt cum impetu*, sicut habent Vulgata, legit, ῥοίζοντος, *quæ fluit cũ strepitu.* Quinta editio nec impetum, nec strepitum habet, sed iuxta Hebraicum textum, ῥέοντος, fluentium.

Vers. XV. cap. IIII. *Fons hortorum, puteus aquarum viuentum, quæ fluunt impetu de Libano.*

Expositio II.

De prima Sponsa, quæ est Ecclesia sancta.

TAmetsi fontis nomen tam contentis, effusisve aquis, quam loco, aut vasi, in quo ipsæ continentur, & è quo effunduntur aquarum fluenta, æque tribui soleat: hoc tamen loco ita Catholicæ tribui Ecclesiæ, vt ipsam fontes aquarum continere significetur, per id indicatur, quod subiectum illico est: *Puteus aquarum viuentium*, id est puteus, in quo continentur aquæ viuæ, *quæ*, &c. 4

Extollitur autem iuxta primum litteræ sensum per ea, quæ hic dicuntur, tam ex aquis ipsis, quas cõtinet, quam ex modo, quo eas continet, quove eas impertit, irrigans hortos. Ac, sicut ex primo, qualis sit præstantissima eius pulchritudo ostenditur: ita ex secundo, quales sint tam eximiæ eius pulchritudinis effectus, & augmenta significatur. Primus sensus.

Quoad primum: Certo aliquid asserere dubitarem de aquis, quibus Ecclesia sancta instar exuberãtis fontis repleta est, ni ex sacris litteris apertissime haberemus, aquas istas esse diuinarum rerum sapientiam, vnde omnis pulchritudo, puritas, atque sinceritas in tam eximio aduertitur fonte. Scriptum est enim in libro Prouerbiorum: *a Torrens inundans fons sapientiæ*; hanc de altissimo cœlorum fastigio defluere, is optime norat, qui dicebat: *b Mitte illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ*: Et ipsamet de se per prosopopœiã ad viuum totum id exprimit, quod hoc loco de aquis Ecclesiæ dicitur, cum in libro Ecclesiastici ait: *c Ego quasi trames aquæ immẽsæ de fluuio: ego quasi fluuij Dioryx, & sicut aquæ ductus exiui de paradiso.* Quo loco tantumdẽ est, quod dicitur: *Et sicut aquæ ductus exiui de paradiso*: ac id, quod vltimo hic dicitur: *Quæ fluunt impetu de Libano*: Et quod hic significatur, istiusmodi aquas sic è cœlo defluentes in Ecclesia, tanquã in puteo recipi, & in profunda fossa ad instar aquarum viuentium quæ in ipsa fossa decurrunt perenni motu, id ibidem apertius describitur iis verbis: *Ego quasi trames aquæ immensæ de fluuio*, id est quasi effossa aliqua via immensæ aquæ de flumine aliquo deductæ, quasi fluuius fossilis: *Et quasi fluuij Dioryx*, id est fossa: Et, vt idquoque esset perspicuũ quod eædem aquæ sapientiæ fontem hortorum ipsam constituunt Ecclesiam: apte eademmet Sapientia hoc explicans, post relata verba subiicit illico: *Dixi, d rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructum.* Quãta vero, quãve admirabilis ea sit pulchritudo, & præstantia huius sapientiæ, istarũve aquarũ, propter quã tam insigni encomio Catholica Ecclesia præstantissimæ pulchritudinis, post multa alia eiusdẽ pulchritudinis encomia, hic vltimo commendatur sub hac similitudine fontis talium aquarũ, ex panegyrica oratione, quam de ea sanctus Iob habuit, colligere fas est. Tanti enim eam esse, inquit, adeo speciosam, ac

Aquæ viuæ Ecclesiæ Catholicæ Sapientia, & scientia diuinorum.

a Prou. 18. 4.

b Sap. 9. 10.

c Eccl. 24. 41.

d Eccl. 24. 42.

Sapientia diuinorum quã pulchritudinem afferat Ecclesiæ Catholicæ.

pretio-

pretiosam, vt dicere non vereatur: *e Non dabitur aurum obrizam pro ea, nec appendetur argentum in cõmutatione eius. Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi Sardonycho pretiosissimo vel sapphiro: Excelsa & eminentia non memorabũtur in cõparatione eius: Non adæquabitur ei topazius de Aethiopia, nec tinctuæ mundissimæ componetur*: Quin terrena pulchritudo omnis respectu huiuscemodi pulchritudinis sapientiæ, turpitudo est, atque deformitas. Hinc est, quod sapiens ille tam insignis pulchritudinis conscius, in libro Sapientiæ ait: *f Non comparaui illi lapidem pretiosum: quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius.* Quid luce pulchrius? *Proposui*, inquit, *pro luce habere illam: quoniam inextinguibile est lumen illius.*

e Eccl. 28. 15.

f Sap. 7, 9.

5 *Sapientia diuinorum quam congrue comparetur, & aquæ, & luci.*

Præclare autem sapientia diuinorum, ob quam adeo pulchra est Ecclesia, & aquæ, & lucis metaphora exprimitur in sacris litteris: quoniam & ea, quæ apud Deum summa omnium est sapientia, hisce ipsis ambabus metaphoris simul iũctis significatur in eo psalmi, in quo dicitur: *g Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*: vt ex hoc intelligeremus primo, tunc tãtummodo bonam esse sapientiam diuinorum, cum clara instar limpidarum aquarum extiterit, quæ claritate sua lucem æmulantur, cui nihil admisceri potest rei cuiuspiam, quæ lux non sit. Secundo nihil esse ipsa sapientia velocius nihilve veloci cursu adæquari ei posse, sicuti nec aquis, quæ impetu fluant, nec luci, quæ illico totum permeat orbem. Hinc est, quod & in hoc loco, dum aquis comparatur, iis comparatur aquis, quæ impetu fluant ex alto: & ipsamet sapientia de se in libro Ecclesiastici ait: *h Doctrinam meam quasi antelucanum illumino omnibus & enarrabo illã vsque ad longinquũ*, id est tam veloci cursu in longinquum omnibus doctrinam meam impertio, quã veloci diluculum in vniuersum nostrum sese diffunditorizontem: cuius diffusionis tanta est velocitas, vt philosophi quidam existimarint, illam esse momentaneam. Quam velocitatem comitatur ingens eiusdem, quæ desuper venit, quæve hominibus communicatur, sapientiæ copia, propter quam Iacobus ait: *i Si quis indiget sapientia, postulet a Deo qui dat omnibus affluenter, & non improperat*: & in libro Ecclesiastici comparatur idem Deus in huius sapientiæ communicatione celebratissimis, maximisque iis fluminibus, quorum mentio in sacris litteris fieri soleret; ac simul eadem sapientia æque ac solem, lucem dare, perhibetur: k *Qui implet quasi Phison sapientiam, & sicut Tigris in diebus nouorum*, id est veris, quando innouãtur fructus. *Qui adimplet quasi Euphrates sensum*, id est copiosam intelligentiam. *Qui multiplicat quasi Iordanis in tempore messis: Qui mittit disciplinam sicut lucem, & assistẽs quasi Gehon in die vindemiæ*, id est qui exhibet præsentẽ candẽ sapientiã, quemadmodum Gehon, vel Nilus exhibet copiosissimas aquas tẽpore messis Quã copiam breuius indicat etiã spõsus iis ipsis verbis: *Quæ impetu fluũt de Libano*: impetu fluxus ingentẽ protestãte copiã.

Sapientia Ecclesiæ puritas. *Simile.* *Sapientiæ diuinæ velocitas.* *Simile.*

g Psal. 35. 10.

h Eccl. 24. 44. *Sapientiæ diuinæ ingens copia.*

i Iacob. 1. 5.

k Eccl. 24. 35.

Ecquã vero re magis eiusdem sapientiæ exprimi posset necessitas, atque vtilitas, quam iisdem metaphoris aquæ, ac lucis, sine quibus vita agi non potest, nisi in summa miseria?

Sapientiæ diuinæ necessitas, & vtilitas.

At id, quod maxime in ambabus metaphoris hisce est aduertendum, est eximius modus, quo se habet sapientia, vt potissimum suum consequatur effectum: quem vnum indicat sponsus, irrigationem eum appellans, & irrigationem hortorum. Enimuero inter præstantissimos eorum, qui tam luci, quam aquis tribuũtur effectus, is est præcipuus, quod multiplicium rerũ productionis, & augmenti causa existunt, & plantarum in primis, quæ sunt in hortis.

Sapientia diuina quo modo præcipuum suum consequatur effectum productionis, & augmenti gratiæ. *Simile.*

Porro sicut & lux, & aqua vim productionis, & augmentationis ipsis exhibent plantis, non per id dũtaxat, quod in illarum superficiem, partesque illas, quæ sunt supra terram, influant; sed ob id maxime, quod interiora terræ penetrantes, in eorum influunt radices; ita & sapientia quoque diuinorum, quam instar fontis sancta effundit Ecclesia in prædicatione diuinorum eloquiorum: & instar fulgentissimi solis emittit in lucidissimis doctrinæ radiis, non in eo tantum hominibus, qui sunt in hortis particularium Ecclesiarum, quive vt plantæ Ecclesiæ sunt quoque & horti, & paradisi (vt dictum est in vers. 13.) vim præstat crescendi in gratia, ac in virtutum studio, & producendi fructus earumdem virtutum: nec ipsis hortis Ecclesiarum particularium vim exhibet producendi sanctas plantationes fidelium in eo solum, quod sui prædicatione per externas auditorum aures diffunditur, quodve in particularibus Ecclesiis, & in Scholis docetur, & in tẽplis publice prædicatur: Sed in eo, quod per externum auditum internas penetrat animarũ potẽtias. *a Penetrabilior*, iuxta Apostoli dictũ, *omni gloria ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ, ac spiritus, compagum quoque ac medullarum*: & in eo, quod per terrenas, carnalesue audientium aures ad intima, & profundiora illorum penetrat corda, quibus quasi radicibus vel in Deo, virtutisve studio, vel in terra, atque in mundo instar plantarum homines defixi sunt. Hinc est, quod & in hoc loco sponsus fontem hortorum Catholicam appellat Ecclesiam: quia sapiẽtia quasi aquis terram per irrigationem penetrans, singularum plantarum attingat radices: & in loco sæpius citato Ecclesiastici, sapientia ipsa tam istam irrigationis aquarum, quam alteram influxus lucis metaphoram vsurpans, ait: *b Rigabo hortum meum plantationũ, & inebriabo prati mei fructũ: Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormiẽtes* (somno scilicet mortis peccati, aut somno ignorantiæ) *& illuminabo omnes sperantes in Domino*: eos scilicet, qui in Domino radices cordium suorum habent defixas.

a Heb. 4. 12.

b Eccl. 24. 42. & 43.

6 *Sapientia diuinorum multiplex continetur in vna Ecclesia Catholica*

Notandæ sunt aliquot Ecclesiæ Catholicæ prærogatiuæ, quibus mirum in modum illustrior per hunc sapientiæ decorem esse perhibetur. Primũ enim tametsi tanta sit huius sapientiæ varietas in cognitione diuersissimarum rerum terrenarum, cœlestium, ac diuinarum, multipliciumq; mysteriorum in doctrina historica, mystica, morali, & anagogica: tantaue sit eius copia, vt propterea, quasi multæ eius essent aquæ, multis hortis sufficientes, multas Ecclesias particulares, innumerasque animas irrigantes; in vna tamen Ecclesia contineri dicuntur, & idcirco: *Fons hortorum, & aquarum* pronuntietur; nec dictum sit: fontes hortorũ. Enimuero quamuis in vnaquaque Ecclesia particulari cõplures reperiri sit Doctores, ac sapientes, qui imbres emittant huiusmodi sapiẽtiæ, diuinas edocentes litteras, fidei dogmata prædicantes, profundaq; enarrantes mysteria: per hos tamen eæ irrigantur tanquã per riuos, atq; canales vnius fõtis Catholicæ, & Apost. Ecclesiæ Roman. è quo omnis sanæ doctrinæ tã circa sensum sacræ Scripturæ, quam circa dogmatum fidei traditionem, diuinorumque mysteriorum enodationem, deriuant latices frugiferi: de quo fonte, riuisque ex eo deriuantibus doctrinæ aquas, quæ cibos proferant salutis, conuersasque progerminent animas, in Ps. 64. ait Dauid: *c Flumen Dei* (sic appellat hũc fontẽ hortorũ) *repletum est aquis parasti cibum illorum* (per has sapientiæ aquas) *quoniam ita est præparatio eius*: Ita est præparata Ecclesia; vt quasi flumẽ fonsque exuberãs, omnes irriget hortos, omnesque particulares Ecclesias, sed & singulas quasque animas, per aquas ipsas suas parans eis, quantum ex se est, cibũ salutis, verbique Dei. At opus est vt riui ab hoc fonte deriuãtes, eas deferant, vt horti ipsi Ecclesiarum & animarum germinent: ideo ad Deum conuersus Propheta, hanc ab eo efflagitat gratiã, à quo omne datũ optimũ, & omne donum perfectum, dicens: *Riuos eius*, secundũ Sept. Eccl. Cathol. *inebria*, implẽs. s. illos aquis vnici illius fontis, ac fluminis Apostolicæ doctrinæ, hoeve pacto, hisce æquis *multiplica germina illius: In stillicidiis* quippe *eius* fontis è talibus riuis decidentibus ipsa quæ Catholica est Ecclesia, in hortis suis *lætabitur germinans*, germina profecto Domini delectabilia, germina plantationis Dei, germina iustitiæ, & laudis, germina, propter quæ eidem Ecclesiæ dicatur: *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.*

c Psal. 64. 10.

7 *Sapientiæ diuinæ diſcrimen ab humana ſapientia. Auguſt.*

Secundo, aquæ vnius iſtius fontis, iſtaque vnius A poſtolicæ Eccleſiæ ſapiẽtia, atque doctrina, haud aquæ ſimpliciter, ſed ſignate aquæ viuæ dicitur: *Puteus aquarum viuentium.* Quid ſit autem aqua viua hiſce verbis declarat Aug. tract. 15. in Ioan. Viua aqua dicitur vulgo illa, quæ de fonte exit: illa. n. quæ colligitur de pluuia in lacunas, aut ciſternas, aqua viua non dicitur: & ſi de fonte manauerit, & in loco aliquo ſteterit collecta, nec ad ſe admiſerit illud, vnde manabat, ſed interrupto meatu, tanquã à fontis tramite ſeparata fuerit, non dicitur aqua viua. Ex quibus inſigne colligitur diſcrimen inter ſapiẽtiam diuinam, qua ſuos hortos ſancta irrigat Eccleſia, atque ſapientiam mundi philoſophorum: necnon & modus diiudicandi doctrinam ſanam à falſa putidaue doctrina hæreticorum. Siquidẽ ſapientes mundi inſtar lacunarum, ac ciſternarum erãt, modicas easve & putidas, ac ſæpè etiam mortiferas continentes aquas ſapiẽtiæ terræ, ac prudẽtiæ carnis, de qua Apoſtolus, *d Prudentia*, inquit, *carnis mors eſt*: inſtar aquarum pluuiæ, quæ haud aliud ſunt, quam vapores terræ, tametſi ad cœlum ſpectare videãtur: humana quippe ſapiẽtia, licet circa cœleſtia, ac Deum ipſum aliquando verſetur: terrena nihilominus eſt, terrenus vapor attenuatus per humanas ratiocinationes, & eleuatus per mentis ſpeculationẽ: vnde fit, vt philoſophi iis ipſis ratiocinationibus ſuis ſubtiliſſimis, & de Deo, & de cœleſtibus, & de virtutibus terrena ſapere comperiantur. At vero latices ſapientiæ Apoſtolicæ aquæ viuæ ſunt, quæ vitam conferant æternam: quandoquidem *e fons huius ſapientiæ eſt verbum Dei*, vt dicitur in libro Eccleſiaſtici, quod ſane verbum, verbũ vitæ æternæ eſſe, conteſtatus eſt Apoſtolus Petrus, qui ad Dominum dixit: *a Verba vitæ æternæ habes*: & ſide vnius ſapientis doctrina dictũ eſt per Salomonẽ: *b Lex ſapientis fons vitæ*: quanto magis fons vitæ ipſa ſapientia Eccleſiæ dicenda eſt? Aquæ viuæ ſunt aquæ huius ſapientiæ: quia Eccleſia *fons hortorum* eſt, vitam nimirum hortis per ſuas iſtas impertiẽs aquas: *& puteus eſt aquarum viuentium, quæ impetu fluunt de Libano*: quia ſapientiæ, ac doctrinæ ſuæ aquas è flumine diuinæ reuelationis iugiter fluentes magno impetu Spiritus ſancti habet è celſiſſimo cœlorum faſtigio deriuatas, è fluuio illo indeficienti, quem ſibi aliquando oſtenſum, vidit Ioannes Theologus: vnde in Apocalypſi dixit: *c Et oſtendit mihi fluuium aquæ vitæ ſplendidum tanquam cryſtallum procedentem de ſede Dei, & agni*. Quamuis autem & hæretici ab hoc ipſo fluuio, ſeu etiam ab ipſo fonte, & puteo aquarum viuentium aquas deſumpſerint, aut etiam deſumant, vtpote per quem vnum in orbem terrarum illius diuini fluminis aquæ, diuinorumque ſapientia diffunditur, quatenus ab Apoſtolica Eccleſia ſacras litteras, Sanctorumque Patrum ſcripta accipiunt: dum tamen apud illos iſtæ ſapientiæ huius aquæ in Synagoga Lutherana, Caluiniana, aut alia huiuſmodi collectæ ſteterint, nec ad ſe ſenſum, interpretationem, doctrinamque orthodoxæ Eccleſiæ, vnde ſapientia illa manabat, admiſerint, ſed ſchiſmate facto, & quaſi interrupto meatu, à veri fontis tramite ſeparatæ fuerint, aquæ viuæ dici minime queunt: cum re vera putidæ ſint, corruptæ, atque adeo ex putri ſui corruptione peſtiferæ, integras inficientes Ciuitates, Prouincias, & Regna: vnde poſtmodum tam magna ſequitur animarum ſtrages, quantam noſtris hiſce temporibus ſecutam ingemiſcimus.

d *Rom. 8. 6. Sapientia philoſophorum inſtar aquarum pluuiæ.*

e *Eccl. 1 5.*

a *Ioan. 6. 68*
b *Prou. 1. 14.*

c *Apoc. 22. 1. Sapientia hæreticorum licet ſit circa ſacram ſcripturam, haud tamen aqua viua eſt.*

8 *Sapientia Eccleſiæ & profundiſſimæ ſimul & altiſſima.*

Tertio, per id, quod Apoſtolica Eccleſia ita *fons* dicitur, vt ſimul etiam ſit *puteus aquarum viuentium*, ex ſignificatione nominis putei, quæ ſup. ſenſu 2. expoſit. primæ allata eſt ex Auguſtino, ſignificatur, iſtas aquas viuas, iſtam ſapientiam diuinorum, ſenſumque, & intelligentiam ſcripturarum haud quaquam patentem omnibus eſſe in Eccleſia, quæ propterea etiam ſupra in verſ. 12. dicta eſt *fons ſignatus*: quia haud vniuerſis indifferenter haſce effundit aquas, ſed eam in profundiori ſui parte vt profundiſſimas continere aquas, quæ ita profundæ ſunt, vt ſimul quoque ſint & altiſſimæ. Immenſam quippe huius ſapientiæ altitudinem agnoſcens Dauid, dicebat: *d Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me: confortata eſt, & non potero ad eam*: Super quę Ioannes Chryſoſtomus homilia in Ptalm. ipſum hæc habet verba: Alius, Superat me: Pro eo autem quod eſt, confortata eſt, Alius, Superelata eſt: Quod autem dicit, eſt eiuſmodi: Et tua fruor prouidentia: & quamuis ſciam, te omnia præſcire, & me ex iis, quæ non erant feciſſe; perfectam tamen, & manifeſtam non poſſum tui habere cognitionem, ſed admirabilis facta eſt, hoc eſt, ſuperauit: exaltata eſt ſuper me, validior facta eſt, quam vt mea poſſit ratione comprehendi. Sed tametſi adeo alta ſit, non tamen omnibus alta eſt, ſed altis, elatis, atque ſuperbis: alioquin humilibus, & demiſſo profundoque corde profunda, & ipſa eſt inſtar aquarum putei, in eos, qui in Eccleſia demiſſiores ſunt, tanquam in profundiora putei loca è cœleſti Libano maiori defluens impetu: qua de re Patri gratias agens Saluator noſter dicebat: *e Confiteor tibi, Pater, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis*. Quinimo tantam cum humili ſpiritu alta iſta ſapientia habet connexionem, vt ii, quibus alta eſt, eam haurire nequeant, ni vas demittant intellectus ſui funibus fidei: ni deponant omnem altitudinem extollentes ſe aduerſus ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigant intellectum in obſequium Chriſti, deuincientes illum fide viua, prout ſune ligatur vas, quod in putei profundum demittitur: ſicve per eandem fidem tanquam per funem poſtmodum trahere eis licet demiſſum vas ſui intellectus, plenum diuinæ ſapientiæ aquis: adeo vt totum animæ ſuæ hortum irrigare vnicuique fas ſit, quin & irrigantes multos Eccleſię hortos facto verum oſtendere, quod de ipſa Eccleſia dicitur, *fons hortorum*; cum puteus altus ſit.

d *Pſ. 138. 6*

Ioan. Chryſ.

Sapientia diuinorum eſt in humilibus: & per humilitatem obtinetur.

Quarto demum, per id, quod vltimo loco adiectum eſt vt attributum *aquarum viuentium* iſtarum, *quæ fluunt cum impetu de Libano*, ſeu, vt habent Sept. *quæ fluunt cum ſtrepitu de Libano*: tria ſignificantur, quæ in Eccleſiæ ſapientiæ redundant laudem: Primo enim quatenus iuxta id, quod in litteræ explicatione dictum eſt, aquæ viuæ putei iſtius per occultos meatus abditoſque terræ cuniculos è celſo monte fluere intelligendæ ſunt, ita vt non appareãt longiſimæ, quas in alto monte peragunt, viæ, anfractuſque ipſius, illud ſubindicatur, quod huius ſapientiæ propriiſſimũ eſt, vias nimirum ipſius abditas eſſe ab oculis hominum, quod aperte Sanctus Iob expreſsit, & cum dixit: *f Trahitur ſapientia de occultis hominum*: & cum iterum replicauit: *Vnde venit ſapientia? & quis eſt locus intelligentiæ?* & ideo recte ſubiecit: *Deus intelligit viam eius, & ipſe nouit locum illius*. Videtur quidem ſapientia in Eccleſia, percipitur impetus fluxus aquarum eius de cœlo ex prædicationis ſono: at via quam è cœlis defluens peragat, abſcondita eſt ab oculis omnium viuentium, vnique Deo eſt nota.

9 *Sapientiæ diuinorum viæ in animas ignotæ ſunt hominibus.*

f *Iob. 28. 18. & 20. & 23.*

Secundo, impetus, quo eadem in Eccleſiam fluere dicitur, ingentem illius vim ſignificat: *g Ego enim*, (ait Dominus ad Apoſtolos) *dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere omnes aduerſarij veſtri*. Ac tertio, ſtrepitus, quo item fluere dicuntur, ſonum ſignificat aduenientis Spiritus ſancti, easve ſapientiæ aquas concomitantis ſimul, ac viuificantis.

g *Luc. 21. 15.*

Sapientiæ diuinorum quam ingens vis.

Senſus, qui ex hiſce fuſius dictis colligitur, breuis, ac paraphraſticus hic eſt.

Paraphraſis. *Sapientiam diuinorum mirabitur Spiritus ſanctus*

Pulchra es ob multiplices, quibus conſita es plantas, hortũ, ac paradiſum te reddentes, ob multiplices, quibus maxime illuſtraris eorum, qui in te ſunt, ſanctorũ ordines: At multo certe pulchrior, multoque illuſtrior es ob diuinorum ſapientiam inſtar aquarum limpidiſsimarum claram, velociſsimo curſu, ſummaque copia in te effluentem: hac quippe ipſas irrigas plantas, radiceſque, & corda hominum penetrãs, vim illis irrigatione iſta, tua impertis productionis, & augmenti, atque viroris, & pulchritudinis omnis. Ob haſce ſapientiæ huius aquas *fons hortorum* es: quamuis enim

enim plures horti ſint, quos irrigas, plures Eccleſiæ particulares: Tu tamen ſola proprio nomine hac inſigniri debes laude: quia, etſi aquas iſtas & reliquæ fidelium Eccleſiæ habeant, per te tamen eas habent, & ex te, inquã, viuæ defluunt è cæleſtis ſapientiæ fluuio: non ſicut philoſophorum ſapientia, quæ inſtar aquarum pluuialium, & intra ſectarum illarum lacunas, ciſternaſque diſſipatas collecta inanis, & putida erat: Quin nec eæ Eccleſiæ viuas has habent, ni tuum continuatim ſuſcipiant fluxum, quæ vna Apoſtolica cum ſis, Orthodoxa ſic es, vt *fons hortorum*, & fons vitæ merito appelleris. Aquis porro ſapientiæ iſtius eo maxime decora redderis, quod cum eæ altiſſimæ ſint, & maxime elongatæ ab hominibus mundi, & iis in primis, qui ſapientiores, atque prudentiores apparent: Tu in demiſſioribus, & profundioribus tuis partibus profundiſſimas eas contines defluentes in eis, qui profundiori demiſſi ſunt humilitate. *Puteus* enim es *aquarum viuentium*, nec ſapientibus ſæculi illas exhibes, haud ſinens, illas extrahi à quoquam eorum, ni vaſe intellectus ſui ab illis demiſſo per funem viuæ fidei. Neque vero tam eximiarum aquarum, & huius ſapiẽtiæ, è cælo in te defluentis viæ cuiquam, præterquam vni notæ ſunt Deo: per occultos namq; altiſſimi montis meatus fluunt: *fluuntque* in te de altiſſimo cælo cum tanto *impetu*, vt nullus ſit, qui eis obſiſtere queat: *fluunt* à Deo *cum ſtrepitu* aduenientis & concomitantis Spiritus ſancti, è quo omnis eſt ſpiritualis pulchritudo, omnis decor verus.

10 Secundus ſenſus.

Gratiarum varietate & copia illuſtratur quam maxime pulchritudo Eccleſiæ Catholicæ.

Iuxta ſecundum ſenſum, & inſigni varietate, ingentique copia gratiarum commendari videtur Eccleſia Catholica in verbis hiſce, quod in pluribus Eccleſiis particularibus, quæ quaſi tot horti voluptatis Dei exiſtunt, & in medio ſingularum earum ipſa tamquam pulcherrimus *fons hortorum* mirum in modum & hominibus, & ipſimet Deo præ hortis ipſis afferat voluptatem: quia vniuſmet gratiæ aquas & in altum exhibeat in ordine prælatorum, & elatas demittat in excelſis ſpiritibus, qui humilitatis gratia viles ſeſe fatentur, in tanta diuerſorum ordinum varietate: per quos tamen omnes diuinæ gratiæ præferantur indicia: Quia per eamdem gratiam, quaſi melodiam auium, cæleſtiũq; ſpirituum in Choris cantantium, & laudantium Dominum præ ſe ferat; necnon & ſonum quodammodo organorum manu percuſſorum exhibeat in ſanctis iis fidelibus, qui ſummo vnius conſenſu in variarum virtutum ſtudiis ſeſe exercentes, conſona virtutibus emittunt & opera. Præclare autem adiectum eſt: *Puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano*: vt intelligeremus, hæc omnia idcirco, etiam cum videntur in Eccleſiis particularibus, Catholicę, & Apoſtolicæ tribui Eccleſiæ: quia ipſa in particularibus Eccleſiis *fons* eſt Spiritus ſancti, à quo diuerſæ vnius gratiæ miniſtrationes, munia, atque opera proueniunt: ipſa *puteus*, in quem de excelſo cœlorum monte aquæ viuæ eiuſdem gratiæ colliguntur, cum tanto Spiritus ſancti fluentes impetu, vt per varia, multipliciaque diuerſorum ordinum miniſteria, aſcendentes quodammodo & foras erumpunt: adeo vt vbi ipſa non reperitur Catholica Eccleſia in fide Orthodoxa, nec mirabilis iſta reperiatur, pulcherrimaque varietas effuſionis gratiarum: deficiente enim puteo aquarum viuentium, neceſſe eſt, vt & eximia deſit pulchritudo fontis, & Eccleſiæ, quæ vna cum hoc fonte erant horti deliciarum, ſine eo nemora, lucuſve ferarum factæ comperiuntur.

11 Tertius ſenſus.

Secundum lectionem allatam in tertio litteræ ſenſu, per hæc tria: *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, & fluenta de Libano*, ſeu (vt legit Ambroſius) *Et impetus deſcendens de Libano*: ex triplici prærogatiua eadem commendatur Eccleſia triplici metaphora, fontis hortorum, putei aquarum viuentium, & fluentorum, ſeu impetus aquarum deſcendentis de Libano: Quibus etiam tribus metaphoris tres celebrantur vnius Eccleſiæ effectus, quibus myſticum eius corpus efficitur pulcherrimum, ac maxime glorioſum. Commendatur ergo primo, quod inſtar fontis hortorum ſe habeat in prædicatione diuini Verbi. Secundo, quod ſit inſtar putei aquarum viuentium in Baptiſmo: Et tertio, quod ſit inſtar fluentorum, ac impetus ex alto deſcendentis in deſcenſu Spiritus ſancti. Primum quippe præcedit prædicatio Euangelij: poſt prędicationem ij, qui ad veram fidem conuerſi ſint, verbo prædicationis inſtructi, baptiſmatis aqua renouantur: poſt renouationem per Baptiſmum collatam, confertur Spiritus ſanctus in Sacramento Confirmationis.

Simile.

Ob prærogatiuam prædicationis dicitur Eccleſia *fons hortorum*, quia prædicans verbum Dei per ſuos prædicatores, pulchra eſt, ſicut inſignis hortorum fons: ſicut enim fons ille pulcherrimus eſt, maximamque affert voluptatem ex varietate emiſſionum aquæ, & ex eleuatione, & demiſſione earumdem aquarum: Ita & Eccleſia in prædicando ſpecioſiſſimam ſeſe exhibet in multiplicitate, & varietate diuerſorum myſteriorum, dogmatum, ac mandatorum, quæ profert, erudiens populos: necnon & in altitudine, ac demiſſione eiuſdem doctrinæ fidei, cum in altum eam quaſi aquas eleuans cum Apoſtolo prædicat: *a Quæ ſurſum ſunt, quærite, quæ ſurſum ſunt, ſapite, non quæ ſuper terram*: Et cum Ioanne: *b In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*: ſimulque eamdem doctrinæ aquam deiiciens, cum eodem Ioanne prædicans: *c Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis*. Et quæ ad corrigendos mores pertinent, edocens, cum Apoſtolo item prædicat: *Sobrij eſtote, & nolite peccare, fugite fornicationem: nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria*, &c. huiuſmodi.

In prædicatione diuini verbi Eccleſia ſimilis fonti hortorũ.

a Col 3.1.

b Io.1.1.

c Io.1.14.

1. Pet.5.8.

1 Cor.6.15

Epheſ.5.18.

12 *Ob baptiſmum Eccleſia dicitur puteus aquarum viuentium.*

Ob baptiſmum dicitur: *Puteus aquarum viuentium*: quia in baptiſmo, vt in puteo merguntur, qui baptizantur, quatenus baptiſmus ſimilitudinem gerit ſepulturæ Chriſti: Propterea enim eumdem Chriſtum ſepulchrum ipſum ſuum puteum appellare nouimus in Pſalm. vbi dicebat: *d Non me demergat tempeſtas aquæ, neque abſorbeat me profundum, neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum*, id eſt, non me demergat tempeſtas aquæ tribulationum, neque abſorbeat me profundum anguſtiarum, neque contineat, comprimat, aut occludat me puteus ſepulchri: ac ſi dicat; ex ipſo enim reſurrecturus ſum. Ecquis vero neſcit, quod ab Apoſtolo dictum eſt: *e An ignoratis fratres: quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus: conſepulti enim ſumus per baptiſmum cum illo in mortem?* Super quæ Apoſtoli verba Ambroſius. Quid eſt, inquit, mortẽ? vt quomodo Chriſtus mortuus eſt, ſic & tu mortem deguſtes. Quomodo Chriſtus mortuus eſt peccato, & Deo viuit: Ita & tu ſuperioribus peccatorum illecebris mortuus ſis per baptiſmatis Sacramentum, & ſurrexeris per gratiam Chriſti. Mors ergo eſt, ſed non in mortis corporalis veritate, ſed in ſimilitudine. Cum enim mergis, mortis ſuſcipis, & ſepulturæ ſimilitudinem. Præclare autem ad exprimendam ipſam Chriſti ſepulturam, quam Eccleſia in baptiſmo repræſentat, nequaquam dicta eſt ſimpliciter *puteus*, ſed cum additamento, *puteus aquarum viuentium*: vt intelligeremus admirandam duorum contrariorum, mortis, ac vitæ coniunctionem, quam idem exhiberet baptiſmi puteus, demergens in profundum peccata ipſius, qui baptizatur, & mergitur; ſicque mortuum eum reddens, ac ſimul vitam gratiæ eidem conferens; vtpote cuius aquæ, quæ ſunt viuæ, & vitam exhibentes.

d Pſ.68.16

Baptiſmus eſt ſimilitudo mortis & ſepulturæ Chriſti.

e 1.Cor.10.1.

Amb. lib.2. de Sacram.c.7.

Denique propter exhibitionem Spiritus ſancti, quem poſt Sacramentum Baptiſmi fidelibus ſancta impertit Eccleſia, provt colligitur ex Actibus Apoſtolorum, vbi dicitur: *a Qui cum veniſſent Samariam*, quæ iam receperat verbum Dei, *orauerunt pro ipſis*, qui ſolũmodo baptizati erant; *vt acciperent Spiritum ſanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat: ſed baptizati tantum erant in nomine Domini Ieſu: Tunc imponebant manus ſuper ipſos, & accipiebant Spiritum ſanctum*: appellatur eadem Eccleſia *fluenta de Libano*, ſeu, *impetus deſcendens è*

Ob Spiritus ſancti exhibitionem Eccleſia dicitur fluenta, ſeu impetus de Libano

a Act 8.13

Libano : attributo illi nomine ipſius Spiritus ſancti, A quem & fluenta appellatum nouimus apud Iſaiam,
b Iſa. 44.3. vbi Deus ſic loquitur: *b Effundam aquas ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridam. Effundam Spiritum meum ſuper ſemen tuum* : & nomine itē impetus inſignitū per Prophetā
c Pſ. 45.5. Dauid, vbi ait: *c Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei*: & declarans, quis ſit is impetus fluminis, ſubiicit: *Sanctificauit tabernaculum ſuum Altiſſimus* : haud certe per aliud, quam per ipſum impetum, ac ſpiritum ſanctificationis.

33 Aliud quoque myſterium in tribus hiſce nominibus continetur, quatenus ea Eccleſiæ tribuūtur ad tria prædicta ſignificanda. Enimuero, dum quoad prædicationem haud ſimplex *fons* dicitur, ſed ſignate *fons hortorum*; & quid ipſa prædicans efficiat, ſignificatur, & ſtatus, ſeu habitus ſubindicatur eorū, quibus prædicat: prædicando enim irrigat aquis diuinorum eloquiorum, mittens eloquia ſapientiæ ſuæ. Atqui notum eſt omnibus, irrigationem haud aliud eſſe, quam immiſſionē fontis immittentis aquas ſuas ad plantas, quæ in hortorum terra radicatæ ſint; Sicve Apoſtolicam doctrinam à Chriſto Eccleſiæ capite miſſam ex ipſo Apoſtolorum nomine nouimus; adeoq; neceſſariam hanc miſſionem aſſerit Paulus, vt ſine ipſa auditum verbi Dei fieri non poſſe aſſeueret, dicens:
d Rom. 10. 14. *d Quomodo audient* (participes ſcilicet fontis) *ſine prædicante? Quomodo vero prædicabunt*, exhibentes ſcilicet irrigationem fontis, *niſi mittantur?*

Prædicatio diuini verbi quibus, & quomodo fiat ab Eccleſia.

Quoad baptiſmum Eccleſia non tam fons, quam puteus, ad quem baptizandus accedere debet, & haurire aquam. Simile.

Excitati autem infideles per hanc verbi Dei prædicationem, & è terra exurgentes ope irrigantium aquarum gratiæ excitātis, quo mundi fiant à ſordibus, quas è terra natalium ſuorum, & è terrenis affectibus ipſis ſuis contraxere, operæpretium eſt, vt per ſe ipſos Baptiſmum accedant: Dico per ſe ipſos, vel in fide propria adulti, vel in fide parentum paruuli. Idcirco, quoad ſecundum iſtum ablutionis effectum Eccleſia *puteus aquarum viuentium* nuncupata eſt, ad differentiam fontis hortorum; quo nomine appellata fuerat propter primum effectum irrigationis. Si quidem puteus aquarum viuentium, etſi copioſis abundet, & indeficientibus aquis: minimē tamen illas per ſe emittit, prout fons hortorum, ſed in profundo eas continet, ita vt qui in eis ablui velit, neceſſe ſit, per ſe accedat ad puteum, & vel in eius profundum demittat, vt in vnas mergatur aquas; vel è putei ore hydria fune demiſſa profundas haurjat aquas, quibus lauetur; haurit vero aquas baptiſmi baptizandus ex Eccleſia, vt ex puteo aquarum viuentium; cum fune fidei hydriam voluntatis, ſeu etiam vrnam intellectus ſui in profundum myſterij deiiciens, in externa aquarum ablutione vult, & firmiter credit ablui intrinſecus & animam E ſuam aquis vitam exhibentibus.

14 *Fideles ab Eccleſia promouentur ad bona opera per collationem Spiritus ſancti.*

Porro, quia hiſce aquis abluti ad cæleſtem patriam tendere debet per ſtudium bonorum operum, & per imitationem Chriſti Ieſu, iuxta illud:
e Luc. 14. 27. *e Et qui non baiulat crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus*: per Spiritus S. virtutem Eccleſia illos confirmans, ac robur eis exhibens, quo curſum peragere queant bonorum operum, aptiſſimo ſane nomine vocatur *fluenta de Libano*, ſeu *impetus deſcendens è Libano*: Ita enim illos per impetum ſpiritus cælū verſus impellit, ſicut fluentorum vehementium impetus nauim ad portū impellit, vna cum iis, qui intra eam vehuntur: & ſicut impetus fluminis è celſiſſimo montis faſtigio deſcendentis illum ad optatam impellit terram, qui ſuper tabula, aut ligno aliquo ſit. Etenim & is, qui poſt baptiſmum ſuſceptum Chriſto fatagit confixum eſſe Cruci, & propriam quoque ſuam deferre Crucē mortificationis, dum ipſi indulget mortificationi, ſuper ligno nauigat crucis ſuæ: dum vero Chriſto confixus eſt Cruci, in naui crucis eiuſdem Chriſti nauigat hoc mare præſentis vitæ magnum, & ſpatioſum manibus, vbi naues pertranſeunt, quæ Spiritus ſancti impetu impellantur.

Simile.

Spiritus S. cur comparetur impetui fluentorum.

Paraphraſis. Paraphraſticus ſenſus hic eſt.

In prædicatione diuini verbi ob pulchram multiplicis doctrinæ varietatem, ob concinnam diuinorum oraculorum, quam exhibes harmoniam, ſonorumque Prophetarum, ac Euangeliſtarum concentū pulchra es inſtar fontis hortorum delectabilis: immittenſque has ipſas eloquiorū diuinorum aquas ad Gentes idolis addictas, alioſue infideles terræ affixos, congruo ſane nomine appellaberis *fons hortorum*, quo ſcilicet plantæ hortorum irrigantur: nec minus congrue *puteus aquarum viuentium* nuncupanda es, dum illis, quos irrigatione tua excitaſti, ad fidem conuerſis exhibes Baptiſmi Sacramentum. Competit quippe nomen iſtud peculiariter & tibi propter baptiſmum, & baptiſmo ipſi propter ſimilitudinem, quam habet cum ſepultura Chriſti, puteo aquarum viuentium in eiuſdem Chriſti reſurrectione. Porro in baptiſmo *puteus* es, non fons: quandoquidem ita conuerſis exhibes baptiſmi aquas in profundo Sacramenti, atque myſterij; vt iis operæpretium ſit accedant per ſe ipſos in fide vel propria, vel parentum, quo mergantur, & abluantur. Ablutis autem es impetus fluentorum è celſiſſimo cælorum monte deſcendentium impetu Spiritus S. quo illos confirmas, velociſſimo curſu ad portum æternæ felicitatis eos impellens, mortificationis ligno inhærentes, atque in nauicula Crucis Chriſti nauigantes.

Verſ. XV. cap. IV. *Fons hortorum, puteus aquarum viuentiū, quæ fluunt impetu de Libano.*

Expositio. III.

De ſecunda Sponſa, quæ eſt Anima Sancta.

D QVia difficile ſibi perſuadere quis poterat, qua ratione pia anima gratiarum aquas conſignatas teneret ſimul, & non otioſas, ſed irrigationi expoſitas; apertius id modo explicat ſponſus, dicens: *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ*, &c. Indicans per hæc, perfectionem piæ animæ & ſpiritualis nec in eo ſitam, vt ſibi ſoli quiſque indulgeat (prout error ſpitualium nonnullorum eſt) ſibique ſoli acceptas à Deo reſeruet gratias, nihil ad communem Eccleſiæ & proximorum vtilitatem conferens; nec in eo, in quo alij errant fortaſſe peius, vt in id totum adhibeatur ſtudium, vt acceptæ gratiæ in proximorum vtilitatem effundantur, omni tempore indulgendo prædicationi, & curæ animarum: Sed in alterna horum duorum, & opportuna viciſſitudine curæ ſuiipſius in abſcondendis, ac reſeruandis gratiis acceptis, & curæ proximorum in iiſdem fundendis pro temporis opportunitate. Similitudine quippe fontis hortorum ſignificatur, animam ſanctam ſuis quidem bonis exemplis, ſanctis conſiliis, operibus pietatis, ac verbi Dei prædicatione irrigare hortos variarum Eccleſiarum in variis ciuitatibus, atque Prouinciis; hortos Monaſteriorum, in quibus eam commorari contigerit; hortoſue animarum illarum, cum quibus verſatur: at ſimul quoque eamdem ſe habere inſtar fontis ſignati in F hac ipſa hortorum irrigatione. Sicut enim fons ille, qui irrigationi inſeruit plantarum, per totum diem claue obſeratus permanet: quandoquidem continua, & nimia aquarū effuſione obeſſet potius hortis, marceſcere faciens herbas, ac plantas, vermeſque producens intra hortorum arbores, atque adeo opportunis duntaxat, vel alternis etiam diebus aperitur; vt herbas ipſas proportionata, congruentique irriget irrigatione, horti vireſcant, floreant, & dulces proferant fructus: Ita & pia anima clauſam quidem ſe continens, externam, quoad fieri poteſt, fugit conuerſationē; & contemplationi, propriæque indulgens ſaluti, in virtutis ſtudiis ſe exercet: nouit quippe, nec proximis recte fore conſultum, ſi totam ſe in aliorum effundat curam,

15 *Vitæ ſpiritualis perfectio ſita eſt in viciſſitudine ſui ipſius, & curæ proximorum.*

Simile.

curam, & in sæcularium negotia, vel etiam indulgendo semper & in omni tempore prædicationi: nam cum nemo sine crimine viuat, ex visis eius imperfectionibus offenduntur magis plerumque, & ex nimio ipsius cum sæcularibus commercio scandalum sumunt; vel etiam prædicatum ab ea parui faciunt verbum Dei propter nimiam prædicationis illius copiam: Cum vero tempus id expostulauerit, ad alios irrigandos egreditur, vt sic opportune omnibus prospiciat: sicve eius sanctitatis inspectores ipsam imitari conantur, diuina eius accipiunt consilia, ad eius verba conuertuntur, & vnusquisque congruenti quodammodo irrigatione irrigatus virescit per sancta desideria, floret per bona proposita, & iucundissimos pariter virtutum fructus ad eius profert imitationem.

Anima S. absconditas seruãs diuinas in se existentes gratias, largissime tamen simul illas cõmunicat.

Præclare autem ad hoc ipsum significandum, quod cum pia anima abundantissimis exuberet diuinarum gratiarum aquis; in profundo tamen humilitatis, quantum in se est, absconditas eas seruat, communicans simul & illas largissime omnibus, qui è profunda eius humilitate eas haurire voluerint, alterius similitudinis metaphora nuncupata est *Puteus aquarum viuentium*, &c. Pro cuius similitudinis vi percipienda, sciendum, inter complures, qui fodiuntur, puteos hoc esse discriminis, quod quidam ibimet scaturiunt, vbi fodiuntur, ibique scaturientes eorum consistunt aquæ, & ibi iis duntaxat inseruiunt, qui eo se contulerint ad ipsas hauriendas. Alij vero reperiuntur putei aquarũ haud ibimet scaturientiũ, sed è longinquo eo defluentium, originemque è celso aliquo monte habentium: & hi, cum fluentes habeant aquas, pluribus in locis fodi, multisue inseruire possunt domibus, atque Oppidis. Hi semper pleni comperiuntur, tametsi copia maxima ex ipsis hauriatur aquarum: illico namque ab impetu replentur fluentis: At illi facile, & breui exhauriuntur, cum adeo exigua ibi sit aqua, vbi manat, vt vix diuturniori tempore id impleri possit, quod vna hauritur hora: Istorum aquæ ob perennem fluxum purissimæ existunt, leuissimæ, atque ad potum optimæ: cum è contra aquæ illorum sint grauissimæ, damnosæ, ac sæpius etiam subamaræ. Hinc igitur est, quod piam animam sponsus puteum appellans ob eam, quæ iam assignata est, rationem, congruenter admodum adiecit: *Aquarum viuentium, quæ impetu fluunt de Libano*: significans, eam talem esse puteum, qui vbicumque opus fuerit, inseruiat: tantisve eamdem affluere diuinarum gratiarum aquis, vt haud ambigendum sit, quod euacuetur, dum illas opportune ad Dei impertit honorem: quin, & ipsas eius aquas purissimas esse, omnisue terreni affectus expertes: atque adeo leuissimas, cælestes, salutemque afferentes potantibus, haud sicut aquæ virtutum, & scientiæ mundanorum puteorum sapientum mundi huius, ac prudentum sæculi, quæ, cum è terrenis affectibus scaturiant, ad modicum inseruiunt, illicoque exsiccantur, terrestres, ac turbidæ: atque adeo etiam damnosæ; ita vt multos plerumque causent infidelitatis, superbiæ, & aliorum peccatorum morbos, & amarissimæ quoque sint; vt iure optimo *a* aquas fellis eas dixerit Ieremias. Quod ergo iuxta hunc primum sensũ hic dicitur, tale est.

a *Ier.* 8. 14.

Paraphrasis.

Fons quidem signatus es, ingenti affluens gratiarum copia; at, sponsa mea cum sis, atque adeo filios mihi procreatura, natosve educatura, instar fontis *hortorum* es, qui per totum diem signatus persistens, opportunis temporibus apertus, plantas vtilius irrigat, largius suas effundens aquas: Neque enim ita aliorum vacas saluti, vt tuiipsius negligas curam: neque tibi vni otiosas conseruans elargitas gratias, tuum iis defraudas proximum, sed, tametsi instar profundi putei profunda humilitate tuas abscondas gratias, atque virtutem; impertis nihilominus illas haurientibus eas vel interrogationibus suis, vel attenta obseruatione actuum tuorum, vel ipsamet earum necessitate qualibet & impertis largissime, & vilissime: quando-

A quidem es instar putei *aquarum viuentium, quæ impetu* è celso aliquo *fluunt* monte.

Facit in istius sensus confirmationem id, quod longius prosequitur Paulus in capite sexto secundæ epistolæ ad Corinthios dicens: *a Adiuuantes exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum, sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus*, &c. Quod si quis intelligere velit & rationem, qua instar fontis hortorum apertum se exhibeat ipsemet Apostolus ad fideles rigandos, ex hisce facile percipiet verbis, quibus ait: *b Os nostrum patet ad vos, ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est: non angustiamini in nobis, angustiamini autem in visceribus vestris*: ac si dicat: Instar fontis nos lato ore, & corde in vos effundimus charitatis, & gratiarum aquas: quod si exiguum id est, quod suscipitis, ne id tribuatis angustiæ oris, cordisve nostri, sed angustiæ viscerum vestrorum.

a 2. Cor. 6. 1.

b 2. Cor. 6. 11.

Alio pacto ea, quæ hic dicuntur, iuxta hunc ipsum primum sensum aptari possunt ad eamdem piam animam: vt fontis hortorum appellatione non tam exinde commendetur, quod alios irriget (vt dictum est) quam exinde, quod irriget semetipsam, id quod tunc optime ab ea perficitur, cum simul est & fons signatus, & fons hortorum. Enumero in duabus superioribus sententiis idem ipse cælestis sponsus tot in sponsa sua hortos, ac paradisos malorum punicorum cum pomorum fructibus esse, significauit, quot in ipsa essent virtutum emissiones, propagines, atque plantationes; ita vt ex hoc illa esset maxime commendabilis, quod singulæ eius virtutes, nedum omnes simul, paradisum, & hortum pretiosissimum in ea constituerent. Quamobrem si consequenter, eumdem modo hic loqui velimus, dum fontem hortorum illam ipsam nuncupat, hortorum appellatione internos eius virtutum hortos, seu etiam quas extrinsecus emittit, earumdem virtutum emissiones in verbis, atque operibus designare, censendus est: sicve in hoc versu decimo quinto, ex iugi profectu in ipsis virtutibus piam animam celebrare, simulque indicare, vnde tantum in ea sit incrementum earumdem virtutum; nempe quia ipsa tantis exuberet diuinæ gratiæ aquis, vt instar fontis hortorum per earum exercitationem illas sic in ipsos emittat virtutum hortos, vt non irriget modo, sed & incrementum eis det, quandoquidem aquæ huiuscemodi haud sunt instar aquarum materialium, quæ rigant quidem plantas, at incrementum eisdem conferre per se minime queunt: verum sunt aquæ viuæ vitam exhibentes, & vitæ augmentum per impetum, quo è cælis fluunt, & è Christo, in quo vita est, quive ipsa est vita: è Christo, inquam, vero Libano, atque candore lucis æternæ. Egregie autem per id, quod eam ipsam, quam ob has aquas fontem appellauit, puteum quoque nuncupat, & vt puteo istas ei tribuit aquas, dicens: *Puteus aquarum viuentium, quæ impetu fluunt de Libano*: radicem tangit tanti profectus, tantive augmenti gratiæ, atque virtutum: id enim omne ex profundissima eius humilitate prouenire, indicat nomen profundi putei: nam quia anima sponsa Dei quanto plures in se habet virtutum emissiones, & hortos, ac paradisos, tanto profundius sese demittit, ideo vehementiori impetu, maiorive copia in eam fluunt è spiritali Libano aquæ viuæ gratiæ cælestis: Ex eo vero, quod ob profundam humilitatem puteus est harum aquarum viuentium, quæ è celsissimo fluunt cælorum habitaculo, fit, vt aquæ ipsæ ascendentes constituant ipsam fontem, illos rigantem virtutum hortos, eosdemve vna cum irriguis aquis eleuent ad vitam æternam; vt hoc quoque pacto illud verificetur Redemptoris nostri, dicentis: *c Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis*, id est, salire facientis, & eleuantis *in vitam æternam*. Breuiter ergo, quod hic dicitur, tale est.

Primi sensus alia applicatio. Varietas profectuum incrementorum impia exercitatio, & bonus vsus diuinæ gratiæ.

Humilitas prima radix profectus pij ritualis, & augmenti gratiæ.

c Io. 4. 14.

Quanto pluribus conspicua es virtutum hortis, ac

Paraphrasis.

ac paradiſis in te exiſtentibus, tanto ſane profundius te humilem exhibes: & ideo, *Puteus* cum ſis *aquarum viuentium*, & copioſiſſimarum gratiarum, *quæ impetu* è cælis in te largius *fluunt*, *fons* es, hortos earum virtutum ſic irrigans aquis iis, vt id illis tribuas incrementum, quo ſimul cum aquis ipſis in vitam eleuentur æternam.

17 Tertius ſenſus. Piæ animæ pulchritudo, & ſanctitas externa qualis ſit. Simile.

Iuxta tertium ſenſum triplici metaphora eadem pia anima ex triplici capite commendatur à cæleſti ſponſo, dicente: *Fons hortorum puteus aquarum viuentium, & fluenta de Libano*, ſeu, *& impetu deſcendens à Libano*: Ex ſpiritali pulchritudine externa, ex ſanctitate interna, atque ex ſimplicitate, quibus tribus perfectiſſima quæque conſtat ſanctitas. Prima ſimilitudine apte admodum externa eius celebratur pulchritudo ſpiritualis, vtpote quæ ita ſpectabilis, & iucunda ſit, vt eſt inſignis fons hortorum: æque enim ac in huiuſcemodi fonte, multiplex variaue aquarum diuinæ gratiæ in ipſa iucundiſſime ſpectatur exhibitio: nam ſicut in fonte hortorum aquam hic aſcendentem videas, illic deſcendentem: ibi in modum veli expanſam, in alia parte in modum pluuiæ ſubtilem: hic ex ore leonis, aliorumve animantium, necnon & hominum, ibi ex roſtris volatilium progredientem: Ita & in externa piæ animæ conuerſatione admirabiles inſpicere eſt vnius eiuſdemque gratiæ effectus in aſcenſionibus diſpoſitis ad proficiendi ſtudium vſque ad culmen perfectionis; in deſcenſionibus per continua humilitatis exercitia, in longanimitate, in patientia, in fortitudine, in contemptu terrenorum, in mortificatione carnis, in obedientia, in manſuetudine, & virtutibus reliquis. Quod ſi in prædicto hortorum fonte auium melodia, & organorum concentus per eaſdem aquas effectus ſumma cum voluptate percipitur; & in pia quoque anima idem percipitur armoniæ effectus per diuinam gratiam cauſatus in deuotis orationibus, quas ſiue in choro cum aliis fratribus, ſiue priuatim emittit.

Interna pulchritudo, & ſanctitas piæ animæ qualis ſit Simile.

Secunda pariter ſimilitudo putei aquarum viuentium internam eiuſdem animæ exprimit ſanctitatem in internis virtutum actibus, atque habitibus ſitam. Primo ſiquidem putei appellatione earum virtutum profunda deſignatur abſconſio, vtpote quas ille videat ſolus, qui ſcrutatur corda Deus omniſcius. Secundo, eodem putei nomine ſignificatur, ex virtutibus, gratiiſue diuinis, profunde intra animam ipſam latentibus fieri, vt earumdem actus proferantur etiam extrinſecus, non ſecus ac fonti hortorum è profunda aquarum viuarum collectione illæ ſubminiſtrantur aquæ, quas tam multipliciter foras emittit. Tertio, internæ, atque latentes virtutes ipſæ præclare ſub nomine aquarum viuentium intra puteum collectarum ſignantur; tum quia eæ ſint, quæ veram & imperturbabilem vitam conferant: tum quia inſtar aquarum viuentium aſcendendi, ac ſaliendi in vitam æternam habeant vim: ita vt propterea animæ ſanctæ id dici queat, quod Iſrael in libro Numer. cecinit: *a Aſcendat puteus*. Aſcendit autem, quando gratia dimanat in externis virtutum actibus erumpens extrinſecus ex ipſa, quaſi aquæ è fonte hortorum: Tum demum quia cum in externis actibus periculum ſit, vt aquæ diuinæ gratiæ fruſtra effundantur, prout fontibus hortorum contingit plerumque; id tamen periculi minime ſubeunt gratiarum earumdem aquæ in abſcondito, & profundo cordis latentes: quia ibi æque, ac in profundo puteo continentur, & collectæ ſunt inſtar aquarum viuentium iugiter manantium.

a Num. 21. 17.

Simplicitas & ſimplex vſus diuinæ gratiæ perfectam facit ſanctitatem internam & externam. b Prou. 3. 23

Quia vero id, quod maxime perfectam tam internam iſtam, quam externam ſanctitatem reddit, perfectamque animam ipſam, & in Dei, & in hominum oculis maxime gratam, maximeque conſpicuam efficit, vna eſt ſimplicitas, quæ in vſu diuinæ gratiæ exhibetur. ita vt propterea & Salomon dixerit: *b Et cum ſimplicibus ſermocinatio eius*, ſcilicet, Dei; indicans, Deum familiariter cum perfecto quoque & agere, & colloqui allectum à ſimplicitate, qua eum viderit vti gratia Spiritus ſancti: & Petrus Apoſtolus ad hanc potiſſimum ſimplicitatem in exhibenda charitate, quæ eſt præcipuum diuinæ gratiæ opus, hortatur fideles, dicens: *c In fraternitatis amore, ſimplici ex corde inuicem diligite attentius*. Ex hac quoque laudat ſponſam ſuam cæleſtis ſponſus, nuncupans illam *fluenta de Libano*, ſeu, *impetum deſcendentem è Libano*: ſimilitudine iſta fluentorum ſimplici curſu, magnoque cum impetu ex alto defluentium abſque vllo artificio ipſum eius exprimens vſum diuinæ gratiæ ſimplicem, & abſque vllo affectationis ſtudio.

c 1. Pet. 1. 22

Simile.

Verſ. XV. cap. IV. *Fons hortorum, puteus aquarum viuentiũ, quæ fluunt impetu de Libano.*

Expositio IIII.

De tertia Sponſa, quæ eſt B. V. Maria.

18 *Maria inter ſanctos ſpectabilis æque ac fons pulcherrimus in medio horti.*

TAmetſi quotquot vel in Eccleſia militanti, vel in Eccleſia triumphanti ſunt Sanctorum ordines, & quotquot fidelium ſancti ſunt, omnes, & ſinguli præ voluptate, quam ſanctitate ſua Deo exhibent, & Angelis, & hominibus, quaſi tot horti exiſtant, & quaſi diſtinctæ paradiſi voluptatis cenſeantur, prout manifeſte colligitur ex dictis in ſuperioribus verſ. decimo tertio & decimo quarto. In medio tamen eorum hortorum vniuerſorum Beata Virgo Maria nedum vt hortus præſtantiſſimus, verum etiam vt fons maxime inſignis voluptatem ſingularem ſui præſtat aſpectu: ita vt, cum ab ſponſo appellatur *fons hortorum*, nõ ob id duntaxat hoc nomine inſigniatur; quia de ventre eius cuncti, qui ſpiritales horti extiterint, aquis diuinæ gratiæ irrigati ſint, & irrigentur, quatenus de plenitudine Chriſti è ventre eius progredientis Sancti omnes accipiunt: ſed & ob id quam maxime, quod iuxta ea, quæ dicta ſunt ſupra in prima expoſitione ſenſu ſecundo, inſtar materialis fontis hortorum inſignis, etiam Sanctis vniuerſis, cunctiſve Sanctorum ordinibus ſit maxime ſpectabilis: ita vt propterea iure optimo & à ſancto Ignatio Epiſtola, quæ eius nomine fertur ad Ioannem, Cæleſte prodigium, ſacratiſſimumque ſpectaculum nuncupata ſit; Et miraculum miraculorum omnium maximeque notum atque etiam miraculorum abyſſum appellata reperiatur apud Ioannem Damaſcenum oratione prima de Mariæ Natiuitate. Tale autem ſpectaculũ eſt & in medio hortorum Eccleſiæ militantis, & in medio hortorum etiam Eccleſiæ triumphantis. Enimuero, quamuis in cæleſti patria & ſinguli Sanctorum ordines, & ſinguli quique Beatorum voluptatem ſibi inuicem ſui exhibeant aſpectu; ita vt propterea in communi illa paradiſo quaſi tot particulares horti, diſtinctiue ſint paradiſi: tres tamen in medio talium hortorum ſunt fontes, ex quibus voluptas multo maior dimanat, & ad quos eorumdem oculi maxime trahuntur: Omnium præſtantiſſimus eſt Deus eiuſve eſſentia, è cuius aſpectu ſumma traducitur felicitas, de quo in Pſalm. per Prophetam dicitur: *a Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*: Præter hunc ſunt duo alij haud certe primo iſti adæquandi: attamen & ipſi præſtantiſſimi fontes, maximeque ſpectabiles, Humanitas Chriſti, & Beata Virgo Maria Mater eiuſdem Chriſti Ieſu, de quibus ambobus id intelligi commode poteſt, quod in Iſaia promiſſum legimus: *e Hauritis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris*.

Simile.

Ignatius.

Io. Damaſc.

In cæleſti Patria ſunt tres fontes.

d Pſ. 35. 10.

e Iſa. 12. 3.

Id au-

19 *Maria præ omnibus ſanctis ſpectabilis ob multiplicem varietatem diuinarum gratiarum.*

Id autem, quod adeo ſpectabilem & in cælis, & in terris tantam efficit Virginem in medio ſpiritualium hortorum, multiplex ille eſt, qui in ea ſpectatur aquarum diuinæ gratiæ modus, multiplex & gratiarum varietas, prout & fontem hortorum, vt ſupra oſtenſum eſt, pulcherrimum, maximeque ſpectabilem, atque iucundum multiplex efficit modus; quo varie in illo effundi conſpiciuntur aquæ. Ecquæ vero eſt, in qua maior varietas exiſtat gratiarum, quam in Maria? cum & gratia Angelicæ puritatis, & gratia Prophetiæ Sanctorum Vatum, & gratia doctrinæ Apoſtolorum, & gratia Martyrij Martyrum, & gratia iugis obſequij Deo exhibiti Confeſſorum, & gratia Virginitatis Virginum, & gratia partus Sanctorum coniugatorum, &, vt vno verbo dicam, quicquid gratiæ multis, atque diſtinctis Eccleſiæ ordinibus diſpertitum reperitur, id omne in ipſa quaſi in vno fonte videatur multis modis effuſum.

Maria ſpectabilis vt fons hortorũ quia profundiſſime ſe demittens puteus exiſtit aquarum gratiæ fluentium.

Præclare autem eadem benedicta Virgo, quæ fons hortorum dicta eſt ob præallatas rationes, appellatur inſuper, & *Puteus aquarum viuentium, quæ impetu fluunt de Libano*: neque enim eſſet fons hortorum, ni puteus extitiſſet aquarum viuentium: exinde quippe adeo ſpectabilis ob multiplicem diuinæ gratiæ effuſionem, exinde tantam & in cælis & in terris exhibet è ſui cõtemplatione voluptatem, exinde & per impetrationem, & per exhibitionem gratiarum tam copioſe hortos irrigat ſpiritales, quia in ipſam largiſſime, magnoque cum impetu fluenta fluxere Spiritus S. quando, vt dicitur in Euangelio, *a* Spiritus ſanctus ſuperuenit in eam, & virtus Altiſſimi obumbrauit ipſi: quia in illam torrens defluxit voluptatis flumenque gratiæ lætificantis ſimul, ac ſanctificantis, prout per Prophetam prænuntiatum legimus: *b Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei, ſanctificauit tabernaculum ſuum Altiſſimus: Deus in medio eius.* Quid mirum, ſi flumina poſtmodum de ventre eius deriuent, in cuius medio Deus reſedit?

a *Luc.* 1. 35.

b *Pſ.* 45. 5.

In Mariam vt in locum proprium, & à Deo deſtinatum fluxere omnes aquæ diuinarum gratiarũ Pet. Chryſol.

Quia denique in ipſam omnes, quotquot in innumeris hortis ſpiritalibus ſeiunctim diſpertitæ conſpiciuntur aquæ gratiarum cæleſtium, quaſi in propriũ, & à Deo deſtinatum locum confluxere: ita vt propterea perquam apte Petrus Chryſologus ſermone centeſimo quadrageſimo ſexto, qui eſt ſecundus de generatione Chriſti, illam dixerit Collegium ſanctitatis: & ad nomen Mariæ alludens, illud eidem congruere aſſeruerit, quod in Geneſi dicitur: *c Congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt, in locum vnum: Et congregationes aquarum appellauit Maria.* Porro tam maris appellatio, quam nomen putei illud quoque explicant, quod fuit in cauſa, vt aquæ gratiarum in Mariam confluxerint: id vero profundiſſima fuit illius humilitas, qua præ reliquis vniuerſis puris creaturis adeo ſeſe demiſit profunde, vt non minus ei, quam pelago abyſſi congruat vocabulum.

c *Gen.* 1. 9.

20 *Maria quomodo accurrat in auxilium deuotorum ſuorum.*

Si iuxta lectionem, quam proſecuti ſumus cum Ambroſio in ſenſu tertio, expoſitione prima, quod dicitur: *Quæ fluunt impetu de Libano*: ſumatur vt tertia, ac diſtincta à prædictis duabus eiuſdem Virginis appellatio ſub ſimilitudine, & metaphora fluentorum deſcendentium è Libano, vel monte alio excelſo, tametſi per illam commendetur ex iiſdem cæleſtium gratiarum copiis: diuerſo tamen modo ex illis commendatur, nempe haud quatenus eas defert fidelibus, ſuiſve deuotis, ſignificatur quippe, ipſammet tantis cum gratiis impetratis à Chriſto filio ſuo inſtar Libani candidiſſimo in auxilium deuotorum ſuorum accurrere; vt merito aſſimilanda ſit rapidiſſimis fluentis, atque fluminibus è Libano, vel altiſſimo alio monte dimanantibus; ita vt inſtar talium fluentorum illos velociſſimo curſu ad portum deferat patriæ cæleſtis, ac quaſi molendina quædam iugi eos impellat motu ad bene operandum.

Simile.

Paraphraſis.

Sic itaque hoc verſ. illam alloqui cenſendus eſt ſponſus.

In medio ſpiritalium hortorum, ſiue eorum, qui in cælis ſunt, ſiue eorum, qui ſunt in terris, tum ob multiplicem varietatem eius, quæ in te ſpectatur, gratiæ cæleſtis, tum ob maximam, quam exhibes voluptatem, inſtar nobiliſſimi, ac pulcherrimi fontis hortorum es maxime ſpectabilis, maximeque perpulchra: Quin & inſtar eiuſdem fontis ipſos omnes, & ſingulos hortos rigas gratiis: ſiquidem cum præ profundiſſima humilitate puteum te exhibueris creaturarum omnium maxime demiſſum, copioſiſſime è cælis gratiarum omnium in te confluxerunt aquæ viuæ. Atque adeo beatiſunt, qui tuam implorant opem, quive in te aquarum iſtiuſmodi compotes fieri ſatagunt: Tanta enim celeritate, tantave cum gratiarum copia, quas à Chriſto celſiſſimo, cæleſtique Libano obtines, ad illos accurris, vt fluentis è celſo monte deſcendentibus cum impetu aſſimilanda ſis: ſiquidem inſtar rapidiſſimi fluminis deuotos tuos iis ipſis gratiis, quas defers, vt ad iugem virtutis operationem, & ad patriæ cæleſtis portum impellis; nec quidquam eſt, quod tuo obſiſtere queat impulſui.

Verſ. XV. cap. IV. *Fons hortorum, puteus aquarum viuentiũ, quæ fluunt impetu de Libano.*

Appendix Expoſitionum, Ex antiquis Patribus collecta.

21

PAraphraſis Chald. Et aquæ Siloe, quæ ducuntur in quiete, cum reliquis aquis, quæ defluunt de Libano, vt irrigent terram Iſrael, eo quod nauant operam verbis legis, quæ comparantur puteo aquarum viuentium, & in iuſtitia libationis aquarum, quæ libantur ſuper altare in domo ſanctuarij, quæ ædificata eſt in Ieruſalem, quæ vocatur Libanus.

In tres partes diuidi poteſt hæc ſententia, quarum prima eſt: *Fons hortorum.* Secunda: *Puteus aquarum viuentium.* Et tertia: *Quæ fluunt impetu de Libano*, ſeu, vt legit Ambroſius: *& impetus deſcendens à Libano.*

Sacra Scriptura eſt fons hortorum.

Per id, quod in prima parte dicitur: *Fons hortorum*: communiori ſenſu ſacra Scriptura deſignatur, quæ ob affluentiam aquarum ſapientiæ cæleſtis *fons* dicatur: ob eruditionem vero, quæ exinde deriuatur in animas, quæ Dei agricultura ſunt, *fons* dicatur *hortorum*. Eſt tamen aliquid diuerſitatis in modo explicandi ſenſum iſtum inter Patres.

Ambroſ. Sacra Scriptura exuberat aquis charitatis.

Siquidem Ambroſius libro de Iſaac, capite quarto ad charitatis affluentiam, quæ ex ſacra Scriptura hauritur, hæc refert: ſic enim ait: Si haurire velis affluentiam charitatis, quæ maior, & vberior eſt, quam fides, & ſpes, tunc tibi fons eſt. Exuberat enim charitas, vt haurire eam cominus, & rigare eius affluentia hortum tuum poſſis ſpiritalibus fructibus redundantem.

Greg. Papa. Sacra S. ritura quomodo fons & fons hortorum.

Gregorius Papa, fontem dici, inquit, ſacram Scripturam: quia ſic ſapientiæ aquam generat, vt & potantes ſemper reficiat, & tamen manare non deſiſtat: & *fons hortorum*, quia illorum eſt, & in quorum mentibus virtutum ſemina oriuntur.

Theod. Euangelium eſt fons hortorum.

Theodoritus Euangelium proprie ſignificatum cenſet per fontem hortorum; eo quod perſpicue manet.

Eccleſia eſt fons hortorum.

Ad hunc primum ſenſum tendit & illorũ ſententia, qui Eccleſiam fontem hortorum dictã arbitrantur ob cæleſtis doctrinæ prædicationem, & ob cæleſtem item ſapientiam. Ita Caſſiodorus, Iuſtus Orgelitanus, Aponius, Beda, atque Anſelmus.

22 *Greg. Nyſſ.*

Piam animam fontem hortorum dictam putant & Gregorius Nyſſenus hom. 9. & Richardus de ſancto Victore: Gregorius ſic eam dictam ait, vt ſingularis

eius

Anima ſponſa Chriſti, & plantat, & rigat.

eius innoteſcat prærogatiua, quæ duo illa efficiat ipſamet vna, quæ alias à duobus Paulo atque Apollo ſimul iunctis facta legimus, vbi Apoſtolus ipſe ait: *a Ego plantaui, Apollo rigauit.* Ipſam ſiquidem hortos virtutum, hortoſue animatos, quos ad fidem conuertit, plantaſſe, dictum eſt iis in verbis: *b Emiſſiones tuæ paradiſus*, &c. ipſam vero eamdem plantatos à ſe hortos irrigare, hic expreſſe ſignificatur.

a 1. Cor. 3. 6

Rich. Vict. Anima ſponſa fluens, & erumpens per charitatē

b Cāt. 4. 13.

Richardus, fontem, inquit, illam eſſe; quia fluit, ſemper noua oriens, & ſemper in Deo renouata per deſiderium ad anteriora: Fontem non ceſſantem ebullire, & erumpere ad Dei amorem, & de plenitudine, qua abundat, infirmiores viſitantem, & irrigantem.

Rup. Abb. Maria eſt fons hortorū.

Fontem hortorum dictum Beatam Virginem Mariam aſſerit Rupertus Abbas: quia ex ipſa principium habuit Euangelium, ortuſque eſt Chriſtus fluuius ille, quo irrigatur vniuerſa terra.

23

Idem.

Maria fuit ſecretarium omnium ſcripturarum. Sacr. Script. ob myſteriorum profunditatem eſt puteus aquarum viuentiū Sacr. Script. etſi primo videatur facilis, profundiſſima tamen, ideo & humilitate legenda.

Quod in ſecunda parte dicitur (*Puteus aquarum viuentium*) ita ad eamdem Virginem idem aptat Rupertus, vt ſic ea appellata ſit; quia fuit ſecretarium omnium ſacrarum Scripturarum.

Porro communiori ſenſu ipſimet ſacræ Scripturæ tribuitur eadem appellatio, vel etiam ſapientiæ cæleſti, doctrinæ, ac prædicationi ob profunditatem myſteriorum, quæ in ea latent, & quibus affluit: Vnde Ambroſius libro de Iſaac, capite quarto: Si myſteriorum, inquit, altitudinem perſequeris, puteus tibi videtur tamquam in profundo ſita eſſe ſapientia myſtica. Ita & Caſſiodorus, Catena trium Patrum, Gregorius Papa, Iuſtus Orgelitanus, Philo Carpathius, & Beda; tametſi Philo id noui addat, quod ſacra Scriptura primo fons dicitur, poſtmodum vero puteus: quia vt fons primo aſpectu facilis potare volentibus apparet, mox, vt haurire cœperint, altiſsimus videtur puteus: Propterea laborandum eſt, inquit diligenter omni qui profundiſsima huius aquę fluenta penetrare cupit, ſummaque humilitate aquandum.

Beda. Terrena à ſe abiiciens, eſt puteus aquarum viuentiū

Beda vero addit, per puteum aquarum viuentium illos intelligi poſſe fideliū, qui quicquid terrenæ cogitationis in ſuo corde repererint, eruere, & deuota cōfeſsione foras proferre, ac reijcere contendunt, vt caſtitatis, & humilitatis in abdito ſui pectoris habitaculum Deo dignum præparent, aditumque in ſeſe aquis viuentibus, id eſt, donis cæleſtibus per venas occultæ inſpirationis ſedula ſua mundatione faciant.

Theodor. Legis doctrina puteus.

Theodoritus autem puteum aquæ viuentis dici inquit doctrinam legis, fluenta abſcondita complectentem.

Caſſiod.

Notat Caſſiodorus, aquas viuas dici myſteria ſacrarum ſcripturarum ad differentiam doctrinæ hæreticorum, de qua Dominus: *c Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas.*

c Ier. 2. 13.

Greg. Nyſſ. Anima ſponſa Dei diuinæ naturæ aſſimilata. d Ier. 2. 13.

Gregorius Nyſſen. per hoc, quod pia anima dicitur *puteus aquarum viuentium, quæ*, &c. exinde eandem animam extolli ait, quod naturæ diuinæ aſſimilata ſit, quæ per aquam ſæpius in ſacris litteris *d* deſignatur: imitata quidem fonte fontem, vita vitam, aqua autem aquam, quatenus eſt promptuarium continens aquā illam viuam, quæ ex Deo fluit, iuxta id, quod in Euangelio ſignificauit, vbi dixit: *e A Deo exiui, & venio*: nec dubitandum, quin viuat, dum verbum Dei ſuſcipit, quod Apoſtolus *f* viuum appellat.

e Io. 16. 28.

f Heb. 4. 12. Eccleſiæ Catholicæ ſingulare.

Pondcrans denique ſingularem Eccleſiæ Catholicæ prærogatiuam hic indicatam. Hoc eſt, inquit Nyſſenus, omnium maxime admirabile: Nam cum omnes putei aquam ſimul habeant conſiſtentem, ſola ſponſa aquam in ſe habet permeantem, adeo vt putei profundum habeat fluuij perennem motionem.

g Ambroſ. Eleemoſynas faciens puteus eſt aquarum viuentiū

Singulariter denique ex Ambroſio libro de Nabuthe capit. 12. colligi poteſt, piam animam ob id dici puteum aquarum viuentium; quia per eleemoſynam diuitias ſuas aliis communicet, ait quippe: Puteus, ſi nihil haurias, inerti otio, & degeneri ſitu facile corrumpitur: exercitatus autem niteſcit ad ſpeciem, dulceſcit ad potum: Ita & aceruus diuitiarum cumulo arenoſus, ſpecioſus eſt vſu, otio autem inutilis habetur. Deriuato igitur aliquid ex puteo iſto ignem ardentem reſtingue, quia *g Eleemoſyna reſiſtit peccatis.* Quem ſenſum Ambroſius deſumpſit ex Baſil. hom. in diuit. auaros.

g Eccl. 3. 33. *Baſilius.*

24

Ambroſ. Gratiæ ſpiritualis varietas.

In die Pentecoſtes deſcendit impetus à Libano

Circa tertiam partem; primo Ambroſius, legens totam iſtam ſententiam hoc pacto: *Fons hortorum, puteus aquæ viuæ, & impetus deſcendens à Libano*, in ſermone decimo ſeptimo, in Pſalm. centeſimum decimum octauum, verſ. octauo, deducit ex hoc loco varietatem gratiæ ſpiritalis; ſic enim ait: Aliis fons eſt, aliis puteus pro captu noſtro gratia ſpiritalis: aliis hortus elauſus, fons ſignatus: aliis hortorum fons, qui in Eccleſiæ dote numeratur: aliis impetus deſcendens à Libano, & magnus impetus, qui numquam deficit. Deſcendit impetus à Libano, quando, collectis in vnum Apoſtolis, & pluribus credentibus, *h factus eſt ſubito de cælo ſonus tamquam vi magnæ ſpiritus ferretur, & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto*, diuerſitates donante linguarum. Bonos impetus, qui lædere neſciat, norit implere. Si quis igitur hunc impetum ſuperuenientis è cælo gratiæ vult mereri, deſcendat etiam ipſe oculis in decurſus aquarum. In libro de Iſaac capite quarto legit: *Et impetu deſcendens à Libano.*

h Act. 2.

Rich. Vict. Ob diuinam gratiam, quā habet pia anima, dicitur puteus aquarum.

Ad gratiam pariter hæc refert Richardus de ſancto Victore; puteum eamque eſſe ait piam animam, & puteum aquarum viuentium, quatenus profundam Spiritus ſancti gratiam, ac ſcientiam conſecuta, ita iis redundat aquis; vt aliis pariter refundere eas poſſit. Profunditas huius putei difficultatem, dicit, hauriendi non facit, ſed facilitatem: quanto enim profundius, & plenius accipit gratiam, tanto hanc ad manum habet. Profunditas quippe fudatio eſt, & perfectio, qua etiam in affectu ſic habet bonum, vt illud diligat propter ipſum bonum, & ipſo bono delectetur, & bonum faciat. Per Libanum, à quo aquæ iſtæ fluunt, Chriſtum intelligit candorem lucis æternæ; quia à Chriſto cœpit tempus gratiæ. De Libano, inquit, fluxerunt aquæ iſtæ, id eſt de Chriſto, quando Spiritus ſanctus, tamquam torrens diſcipulis influxit, & ſuauiter eos vbertate donorum inebriauit. Et quando, Chriſto in cœna benedicente panem, Sacramentum Euchariſtiæ celebrari cœpit, & vna paſsibili præſentia ipſius ſublata, multis in locis vſque ad conſummationem ſæculi nobiſcum manſit; ſemel quoque oblatus in Cruce, multorum in altari pro nobis offertur.

Libanus eſt Chriſtus à quo cœpit tempus gratiæ.

Apon. Libanus eſt Chriſtus.

Chriſtum item per Libanum, è quo fluunt aquæ profundæ ſapientiæ in Eccleſiam, intelligit Aponius duas ob rationes: primo, quia & Chriſtus *a* mons magnus è lapide illo paruulo ſucciſo ſine manibus è celſiſſimo monte, iuxta Danielis prophetiam: Secundo, quia inſtar thuris, quod in originalibus linguis Hebr. & Græc. Libanus dicitur, Chriſtus in ſacrificium pro peccatis collatus eſt.

a Dan. 2. 34

25

Caſſiodor. Eccleſia eſt Libanus.

Ex iis, qui duas primas partes ad ſacram Scripturam referunt, & ad cæleſtem ſapientiam, eiuſdemque prædicationem, Caſſiodorus per Libanum, ſic & à candore dictum, ipſam intelligens Eccleſiam dealbatam Baptiſmo, & bonis operibus, de illa, inquit, dici prædictas aquas doctrinarum cæleſtium fluere, & hoc cum impetu, id eſt, cum quadam virtute, qua omnium hæreticorum figmenta deſtruantur.

Beda.

Quibus conſentit Beda addens, per deſcenſum aquarum cum impetu ſignificari impetum Apoſtolicæ prædicationis, cui nec mundus vniuerſus obſiſtere potuit.

Greg. Pap. Libanus eſt baptiſmus, à quo fluunt donum Spiritus S. & intelligentia ſcripturarum

Gregorius Papa per Libanum Baptiſmum intelligens animas dealbantem. De Libano, ait, aquæ putei fluunt; quia in Baptiſmo electi quique donum ſancti Spiritus accipiunt, quo illuminati Scripturæ ſacræ ſenſum intelligunt. Quæ ſcripturæ ſcientiæ tanto impetu fluunt, vt electos dum tangunt, ab huius vitæ amore ſubmoueant, & ad æterna gaudia impetus ſui fortitudine quoſque adhærentes traiiciant.

Sublimi-

Tres Patres. Sublimitatem fidei per Libanum intelligit Catena trium Patrum apud Theodoritum.

Libanus est fidei sublimitas Theodorit. At vero ipse Theodoritus, qui per puteum, &c. legem Moysis accepit, per Libanum intelligit designatam Ierusalem, quatenus absconditas legis fluenta de Ierusalem cum impetu spiritus ad Ecclesiam defluxere.

Libanus est Ierusalem, à qua legis fluenta in Ecclesiam. A quo sensu haud admodum discrepat sensus Rupert. Abbatis, per Libanum accipientis Iudaicum populum, à quo Scripturæ sacræ manauerunt, quia mons Libani terminus est Iudææ ex vno latere.

Rup. Abb. Denique Anselmus, qui ita hanc constituit sententiam. *In horto est fons*, id est, baptismus, seu diuina sapientia irrigans, &c. Per Libanum maiores intelligit, atque perfectos Ecclesiæ, qui sunt candidati virtutibus, à quibus aquæ viuificantes fluunt ad correctionem inferiorum abundanter, & impetuose.

Libanus est Iudaicus populus, à quo Scripturæ.

Libanus sūt perfecti quique.

Vers. XVI. cap. IV. *Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.*

Expositio I.

Iuxta sonum litteræ.

1 Discrepant inter se quam maxime expositores, atque etiam sancti Patres in explicanda hac sententia, duplex ve inter eos dissensio est: Prima, in persona hæc loquente: Secunda, in sensu primæ istius partis, *Surge Aquilo.*

Gre. Nyss. Theodor. Ambrosius. Pscllus. Communior nostrorum Patrum sententia sponso hæc tribuit. Ex aduerso autē haud sponso, sed sponsæ totum, quod hic dicitur, tribuūt ex Patribus, Gregorius Nyssenus, Theodoritus, & Psellus exposi. in Cant. atque Ambros. libro de fide resurrectionis, & in Psal. primum. In textu quoque Hebraico iuxta Masoretarum distinctionem manifeste hæc eidem tribuuntur sponsæ, cuius absq; vlla dubitatione ea sunt, quæ immediate consequuntur: *Veniat dilectus meus in hortum suu*, &c. Siquidem vt vnum eumdemque versum hæc omnia legunt, per Athnah accentum sententiam suspendentem, medium versus in hisce, quæ modo exponimus constituentes: Vnde apud Hebræorum expositores hoc pro indubitato habetur: & sequuntur illos complures ex recentioribus nostris, inter quos

Hebræi omnes.

Genebrad. præcipuus est Genebrardus, qui (vt prædictum est) Hebræos ait, hæc cum subsequentibus iuncta legere, si non rectius, saltem facilius, vt vnico versu suā precem, & votum sponsa expleat; Sequens vero non interrumpatur duarum personarum interlocutione.

Soto Maior. Soto Maior etiam idipsum sentiens existimat, sponsam per hæc efficere aptissimam præfationē, ad persuadendum id, quod maximeoptabat, vt dilectus veniret *in hortum suum*, & comederet *fructum pomorum.*

Mihi haud facile est definire, cuinam potissimum istarum opinionum inhærendum sit, & cui hæc sint tribuenda, sponsone, an sponsæ. Certe iuxta distinctionem Septuag. ac nostræ Vulgatæ probabilius sponso ea tribuerem cum communi Antiquorum Patrum sententia. Verumtamen & secundum alteram quoque sententiam, quam nobilissimos etiam Patrum secutos dixi, probabiliter sponsæ tribui posse crediderim: atque adeo vtramque minime pigebit sequi, si tamen prius & id explicauero, in quo altera est inter Expositores dissensio, circa verba illa, *Surge Aquilo.*

Aquilo abigitur ab hortis. Communior Sanctorum Patrum sententia in malam partem hæc accipit, vt ab horto (in horti. n. metaphora adhuc persistitur) abigatur ventus Aquilo, hortis ipsis maxime infestus, vtpote frigidus, & siccus; quo flante Austro calido, & humido, fluant aromata horti, quæ alioquin per Aquilonis spirationem vel exsiccantur, vel saltem constricta tenentur. Et confirmari potest hæc sententia tum ex eo, quod in singulari, id est ad Austrum duntaxat dicitur: *& perfla hortum meum*, ac si dicatur: Abscedente Aquilone, tu *Auster veni, & perfla*: tum ex consuetudine sacrarū literarum, in quibus Aquilonis nomen male sonare solet vbique, præterquam cū nonnunquā ponitur pro significādo situ loci, vel orbis cardine, prout ponitur in Euangelio, vbi dicitur: *b Venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Austro, & recumbent cum Abraham*, &c. & in eo Psal. *c Mons Sion, latera Aquilonis, Ciuitas Regis magni.* Quæ duo loca affert Ambros. Serm. 12. in Psal. 118. vers. 2. ad comprobandum, quod Aquilonis nomen sæpius etiam in bonam partem sumatur in Scriptura sacra. Porro secundum hanc primam sententiam verbum *Surge* vt ambigue positum sumitur, prout & in Euangelio, vbi dicitur: *d Surgite, eamus.* Et apud Ezechielem: *e Surgens egredere in campum: &, surgens egressus sum*: &c. & alibi.

Aquilonis nomen male sonat in sacra Script.

b Luc. 13. 29.
c Psal. 47. 3. Ambros.
d Io. 14. 11.
e Eze. 3. 22.

Inuitantur duo venti præcipui. In contrarium est Hebræorum sententia, quos plurimi sequuntur ex recentioribus Latinorum, qui in bonam partem hæc verba eodem sensu accipiunt, quo & subsequentia, *Veni Auster*, vt hi duo simul inuitentur venti, qui è duobus mundi cardinibus perflāt, atque adeo primi sunt ventorum omnium: Suntq; & complures grauissimi, & Antiquissimi Patres, qui hunc ipsum prosequuntur intellectum, Ambrosius libro de fide Resurrectionis, Paulinus Epistola tertia ad Aprū, Cassiodorus, Iustus Orgelitanus, Beda, Rupertus Abbas, Aponius in Comment. suis super Cantic. Bernardus sermon. de triplici custodia, & alij. Quamquam nonnihil discriminis & inter eos sit, qui hanc sequuntur opinionem.

Ambrosius. Paulinus. Cassiodor. Iustus. Beda. Aponius. Ruper. Bernard.

Aquilo aduocatur vt per accidens proficuus. Existimantibus nonnullis, Aquilonem excitari, & aduocari vt rem per se malam, sed per accidens proficuam, vt symbolum diaboli, & persecutionum, atque tentationis, de qua Apostolus ait, *a Facies cum tentatione proueniunt*: secundum hanc acceptionem, iuxta sonum litteræ aduocantur hi duo venti Aquilo, & Auster, vt, ex opposito perflantes hortum, excutiant, atque deijciant aromata ex arboribus, eorumque longe, lateque spargant fragrantiam, prout interpretantur ex Hebræis Rab. Abraham Aben Ezdra, & ex Latinis Isidorus Clarius, quibus tamen obsistere videtur verbum *fluent*, quod alienum est ab hoc significatu excussionis & deiectionis.

a 1. Cor 10. 13.

R. Abrah. Isid. Clar.

Vnde verosimilius dici posse videtur, ad odorem duntaxat hæc referenda, secundum hanc Aquilonis acceptionem, quo odore fluere dicuntur aromata, hinc & inde à validis ventis commota, atq; adeo longe lateque fragrantia. experientia siquidem constat, aromata tunc vehementiorem suum emittere odorem latiusve, & ligna odorata sui effundere fragrantiam, cum maiori, ac vehementiori perfricata fuerint motu.

2 Alij nihilominus, Aquilonem hic inuitari, arbitrantur, vt rem per se bonam, & ipsimet horto maxime proficuam, & iucundissimam pariter ijs, qui ad hortum accedunt: In quam sententiam conueniunt Patres ij, qui tam per Austrum, quam per Aquilonem significatum censent Spiritum sanctum ob diuersos eius effectus refrigerationis, & calefactionis: Et secundum istam sententiam vterque ventus inuitatur, vt spiret moderate, & leniter, quo & copiosius è flabellatis arboribus fluant aromata, adiuuante non modicum Aquilonis moderata acrimonia humiditatem Austri, quæ secundum naturalem philosophiam minus valida est ad colliquādum, & educendū ex plantis aromata, vtpote calorem obtūdens: vt iucundius per hortum ipsum effluentium aromatum odor effundatur, & amœnior idem reddatur hortus, ita, vt etiam suauitate aspirationis talium ventorum magis ad illum alliciatur sponsus; sicut è contra per vehementiorem ventorum impetum idem ab illo arceretur, ac fugaretur: Sicve, secundum acceptionem

iſtam, iuxta ſonum litteræ nil aliud hic ſignificatur, quam deſiderium ſpirationis ſuauisventorum in horto, qualis poſt meridiem vno tempore fieri ſolet.

Inuitantur autem hi duo potiſſimum venti ad hãc ſpirationem efficiendam: tum quia hi à duobus cardinibus mundi, vt dictum eſt, perflantes, capita ſunt reliquorumventorum omnium: tum quia duo iſti omnibus anni temporibus ſpirant, cum ceteri determinatis perflent temporibus, prout aſſerit Ariſtoteles: tum demum quia lenis ex hiſce duobus ventis mixta aſpiratio aptiſſima ſit ad educenda aromatum fluenta, vt ſupra probatum eſt, atque ad diffundendos etiam eorumdem odores.

Ariſt. lib. 2. Meteo. c. 4.

Bene autem in ſingulari dicitur: *Perfla hortum meum*: tametſi duo inuitentur venti iſti, ad hanc vnam mixtam deſignandam ſpirationem.

Neque indecens eſt Aquilonis inuitatio, hoc ſenſu accepta: huiuſcemodi ſiquidem eius ſpiratio tantum abeſt, vt hortis infeſta ſit, vt maxime potius ſit proficua, prout declaratum eſt.

Aquilo cur male ſonet in ſcriptur.

Quod ſi in ſacris litteris ventus Aquilo in malam partem accipi ſolet, id eſt ob vehementem ipſius impetum, quo omnia commouet; ob maximum frigus, quo conſtringit, congelat, & arefacit; & ob id, quod à parte Septentrionali veniat, in qua parte reſpectu terræ Iudææ ſita eſſet Babylonia, & Regnum Chaldæorum, atque Aſſyriorum populo Dei infeſtiſſimum, prout per Ieremiam ſignificatum nouimus, vbi dixit:

b Iere. 1. 14 *b Ab Aquilone pandetur omne malum.*

Auſter aliquando etiã male ſonat in ſcriptura, idemue eſt hortis infeſtus.

Quin ob eandem rationem ventus quoque Auſter in malum ſenſum accipi ſolet in iſdem ſacris litteris, vt apud Ezechielem Tyro dicitur: *c Ventus Auſter contriuit te.*

c Ezec. 27. 26.

Et infeſtiſſimus quoque hortis, & plantis dicitur à Theophraſto libro ſecundo de cauſis plantarum capitulo quarto, atque aridus, & valde nocens, ac pernicioſus appellatur à Philone libro primo de vita Moyſis.

Theoph. Philo.

Quod ſi aliquando in bonam partem ſumitur Auſter in ſacra Scriptura, vt in illo Pſalmi: *d Conuertere Domine captiuitatẽ noſtram, ſicut torrens in Auſtro*: & Aquilonem pariter aliquando in bonum ſenſum acceptum reperire eſt in eadẽ Scriptura, vt in libro Prouerbiorum: *e Ventus Aquilo diſſipat pluuias*: quod per ſubſequẽtia ſignatur verba: *Et facies triſtis linguam detrahentem.*

d Pſ. 125. 4

Aquilo aliquando bene ſonat in ſcriptura, ſicut & Auſter.

e Prou. 25. 23.

Denique pro hac ſententia, quæ in bonam partem id accipit, quod dicitur: *Surge Aquilo*; æque ac id, quod adiectum eſt: *Et veni Auſter*: Facit Hebraicum verbũ, quod eſt pro noſtro, *Surge*: עוֹרִי nguni enim excitationem quamdam ſignificat quodammodo dormientis; & inuitationem potius, quam ablegationẽ, prout apparet ex illo Pſalmi: *f Exurge gloria mea, exurge pſalterium, & cythara: exurgam diluculo*: & illo Debboræ: *g Surge Debbora, Surge, ſurge, & loquere canticum*: *Surge Barac*, & cetera. Et illo etiam Iſaiæ: *h Conſurge, conſurge: induere fortitudinem tuam Sion.*

f Pſa. 56. 9.
g Iud. 5. 12
h Iſa. 52. 1.

Sic ergo Aquiloni non ſpiranti, atque adeo quodãmodo obdormiſcenti commodiſſime dicitur in eodem ſenſu: *Surge*, id eſt euigila, ſeu *excitare Aquilo.*

Placet certe admodum mihi ſecunda iſta ſentẽtia, præſertim cum nobiliſsimos quoq; aſſertores habeat Patres: Nihilominus, quia communiori ſenſui deferendum ſemper mihi perſuaſi, præſertim cum ſit etiam præſtantiſſimorum Patrum, & maximam habeat probabilitatem, vt probabilem vtramque ſequar ſententiam, imitatus Ambroſium ſerm. 12. in Pſalm. 118.

Suppoſito igitur, quod ab vniuerſis aſſeritur, ſub horti metaphora adhuc ſponſam intelligi, quæ ſub eadem metaphora hortus iam fuit appellata, cuius & per egregij horti deſcriptionem inſignis commendata fuit pulchritudo: & id totũ, quod dicitur hic per apoſtrophen ad ventos ipſos, eleganti, & conſueta etiam in ſacris litteris dici proſopopœia; vt percipiatur, quid ea ſibi velit ſecundum diuerſas eorum, quæ hic dicũtur, acceptiones: & ne confuſione obruamur, ſeiunctim quatuor diſtinctos afferam ſenſus.

Primus, iſque communior eſt; vt ſponſus pro coronide panegyricæ orationis, qua per totũ caput quartum laudes dilectæ ſuæ celebrauit, ex amantium conſuetudine precetur, & precando ſuum exprimat deſiderium, vt ad ipſius ſponſæ ſuæ vel corpus, vel animam nulla vmquam res noxia vim ſuam applicet, vtque omnia eidem eueniant fauſta, atque iucũda, quibus ſemper in melius promoueri queat naturale eius bonum. 3 Primus ſenſus.

Id autem facit metaphorica apoſtrophe ad duos ventos, quorum alterum vt hortis noxium ablegat, alterum aduocat vt proficuum, dicens, imperando ſimul, ac imprecando.

Abſcede *Aquilo* cum vniuerſis ijs, quæ egregio huic infeſta ſunt horto: At è veſtigio *veni* amabo *Auſter*, *perfla hortum* iſtum *meum*: defer, quæ illi ſunt proficua, & te flante *fluent aromata illius.* Dicit autem hoc de aromatibus; quia ſupra in verſ. 13. & 14. hortum, cui ſponſam aſſimilarat, pluribus conſitum eſſe dixit aromaticis plantationibus. Paraphraſis.

Porro iſtiuſmodi fragrantia aromatum fluxu ex arboribus aromatiferis ipſam deſignat gratiarum effuſionem, quam vel in verbis, vel in geſtis, vel in eximijs operationibus pulcherrima, ac venuſtiſſima exhiberet ſponſa.

Secundus; vt idemmet ſponſus, ſicut ad remouendam dubitationem, quæ oriri poterat ex collata illa in ſponſam laude, qua in verſ. duodecimo, dicta fuerat *fons ſignatus*, quod ſponſæ venuſtas, atque gratiæ per aquarum metaphoram deſignatæ, exiguæ eſſent, atque adeo occluſæ ſeruarentur, ita vt præterquam ſponſo nulli eſſent conſpicuæ, ſubintulit in ſuperiori verſu quintodecimo, verba illa, *a Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ*, & cet. vt explicatum eſt ibi: Ita, variata locutionis forma, eleganti hac proſopopœia per apoſtrophen duos præcipuos inuitet ventos, vt moderato eorum flatu, mixtaque ſpiratione & affatim ex aromaticis plantis fluant aromata, & latius fluentium aromatum diffundatur odor, qui & ad illos quoque deferatur, qui extra horti ſepta extiterint, quive etiam longe ab horto abfuerint: tollens per hoc inuidiam, quæ exinde ſuboriri forſitan potuiſſet, quod in eodem verſu duodecimo eamdem ſponſam bis hortum concluſum appellaſſet, innuens nimirum per hæc, id ſibi maxime in optatis eſſe, idve in primis precari; vt, opportuna exhibita occaſione, inſignes illius virtutes omnibus innoteſcant, & præſtantiſsimæ illius dotes longe lateque fiant manifeſtæ. ac ſi dicat. Secundus ſenſus. a Cant. 4.

O vtinam quotidianæ ſeſe offerrent occaſiones, quibus virtutum actus, ac ſingulares gratiæ, inſtar fragrantiſsimorum aromatum è te effluerent, earumve notitia longe, lateque diffunderetur æque, ac aromatum odor à ventis flabellatus. *Surge*, euigila iam, & excitare *Aquilo*, ſuauiterque cum Auſtro admixtus, *perfla meum* iſtum *hortum* concluſum, & ad longinquos etiam *fluent aromata illius*, atque innoteſcent dilectæ meæ dotes eximiæ. Paraphraſis.

Tertius ſenſus eſt, vt ſponſa audita panegyrica laudum ſuarum oratione, qua ab ſponſo præclariſsimis delinita encomijs, inuitatam ſe ſenſerat, vt cum ipſo tenderet ad montem myrrhæ, & collem thuris, vbi is hortum habebat aromaticis plantationibus conſitum, occaſionem ſumens ex eo, quod vltimo loco hortus ab illo dicta fuerat, totam ſe qualis eſt, ei offerat, viciſsimque illum ad ſe inuitet, idque per proſopopœiam, & apoſtrophen ad duos ventos, imperans illis, vt mixtim, leuiterque, ac ſuauiter ſpirantes, & odorem effundant aromatum ſuorum, & iucunde illum ad ſe eius hortum alliciant. ac ſi dicat. Tertius ſenſus.

Quandoquidem ipſa ſum hortus, & emiſſiones meæ ſunt item hortus, ac Paradiſus conſita plantis Paraphraſis.

aroma-

aromatiferis, excitamini ô duo præcipui venti, & simul venite *Aquilo, & Auster*, mixtique perflate *hortum istum meum*, meas hasce emissiones, atque plantationes; quo ex me late diffundantur aromatum odores, sicve magis alliciatur ad me sponsus meus: *Veniat dilectus meus*, & cetera, quæ sequuntur. Videtur autem, metaphorica ista deprecatione etiam & id significare, & optare, atque precari, vt iugiter se offerant occasiones, quibus possit sponso suo exhibere suam venustatem, gratiam, atque summam erga ipsum dilectionem, & propensionem.

Quartus sensus.

Quartus denique est; vt eadem sponsa alio pacto per hæc & se offerat dilecto suo vna cum bonis omnibus vel pulchritudinis, vel gratiæ, & venustatis, vel etiam virtutum animi, quæ in se commendata sub plantationum, emissionum, hortive similitudine ab ipsomet norat: offerat, inquam, tam in asperrimis ijs locis, in quibus tunc commorabatur, quam etiam vbi nulla sit Aquilonis asperitas, sed placida Austri spiratio: Et indicet simul eidem sponso, se optare, vt sibi præbeantur occasiones: nam tam in prosperis, quam in aduersis se ei exhibituram, consideret, largius aromata, & indicia suæ erga ipsum dilectionis; idque in primis habere in optatis, vt offerrentur sibi occasiones, aliquid molesti pro ipso patiendi, vt & odorem charitatis suæ ei tam in molestis exhiberet, quam in iucundis, per Aquilonem aduersa significans, atque molesta; quandoquidem hortis molestus, ac infestus is est: per Austrum vero eisdem hortis prosperum, ac proficuum, prospera designans, & iucunda, ac si dicat.

Paraphrasis.

Siue in locis hisce asperrimis, in quibus asperrimus item inspirat Aquilo, siue in amœnis ijs, ad quæ me aduocas: siue aduersa, molestaque Aquilonis spiratione, siue prospera spiratione Austri perfletur hortus meus, *fluent* certe tibi abundanter *aromata illius*: Tua enim & hic sum ad ventum Aquilonem, & in amœnis hortis tuis ad ventum Austrum. Quinimo opto, vt excitetur *Aquilo*, patiẽdive molesti aliquid prębeatur occasio. *fluent* namque ex horto emissionum mearũ, verborum, atque operum *aromata*, quibus recreeris, quorum & delecteris odore: atque id certe nõ minus opto, quam optem venire & Austrum, ac prospero flatu illum perflare hortum ipsum meum, vt eadem fluant aromata.

Quoad lectionum varietatem nihil est, quod hic annotetur: nam quod Septuag. pro eo, quod noster Vulgatæ textus, vna cum textu Hebraico habet: *Et fluent aromata illius*: legunt: *Et fluent aromata mea*; secundum communiorem Sanctorum Patrum lectionem in idẽ recidit: per hortum namque suum spõsa se ipsam intelligit, vel emissiones ipsas suas: Vnde tantumdem est, si dicat: *fluent aromata illius*, scilicet horti, & si dicat: *fluent aromata mea*. Sic pariter, quod alij legunt, *Et fluant*, in idem recidit cum eo, quod dicitur, *& fluent*.

Vers. XVI. cap. IV. *Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.*

Expositio II.

De prima Sponsa, quæ est Ecclesia Sancta.

4 Primus sensus.

INter insignes, quæ toto hoc capite quarto à cælesti sponsa celebratæ sunt, Ecclesiæ Catholicæ dotes, ea profecto est præstantissima, cuius vltimo loco commendatam eam nouimus in superiori vers. 15. sapientia diuinorum, sapientia cælestis, & scientia sacrarum litterarum.

Enimuero hanc vnam sapientiam vniuersa consequuntur alia bona, prout sapiens ille professus est in libro Sapientiæ, dicẽs: *a Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius: & lætatus sum in omnibus: quoniam antecedebat me ista sapientia: & ignorabam, quoniam horum omnium mater est.*

a Sap. 7. 11

Sapientia diuinorum præstantissima Ecclesiæ dos, quia illam consequuntur omnia bona.

Porro sicut in Ecclesia nihil laudabilius, nihil vtilius ipsa est sapientia, quæ tamen vera sit sapientia: ita è vestigio nil illi contingere potest pernicio sius, quam id, quod contrarium est, & repugnans eidem sapiẽtiæ. Hinc sapientissimus idemmet sponsus fausta omnia dilectæ suæ exoptare se indicãs, vnica tametsi bipartita oratione hæresim ab ea ablegat veræ sapientiæ repugnantem, dicens: *Surge*, & abi *Aquilo*: & charitatem ad eamdem cõuocat eiusdem Sapientiæ quodammodo animam, addens: *Et veni Auster, perfla hortum meum*: innuitque simul & commoda, atque iucunda consecutura, dum subiicit: *Et fluent aromata illius*. Imprecatur autem imperans, dum sub ventorum metaphora tam hæresim signat, quam charitatem: quia ipsius proprium est, vt imperet ventis, prout colligitur ex Euãgelio: *b* eidemque & *venti, & mare obediunt*.

b Matt. 8. 26.

Diuiditur sententia, ac imprecatio ista in tres partes: singulæ subtilius expendendæ sunt. Ac primum, peregregia sane est Aquilonis metaphora ad hæresim significandam: siquidem hæresis re vera, si intimius eius discutiamus quidditatem, nihil aliud est, quam inflatæ superbiæ ventus, & ignorantiæ tenebris exsufflans: Et Aquilo ventus is est, qui ex Septentrionalibus spirat partibus, quas sol minime peragrat, à partibus tenebris offusis, è quibus lumine simul, & calore destitutis tantam contrahit frigiditatem: vt & aquas congelet, ne fluere, nec irrigare queant, & erumpentes arborum gemmas, cum enascentibus exurat floribus, teneros comburat fructus, & illas pariter, quæ aromatiferæ sunt, ita constringat plantationes; vt proferre minime possint aromata.

Hæresis instar Aquilonis, eiusve damna.

Ecquid vero magis est expers caloris charitatis, luciſve diuinæ cognitionis, quam hæresis frigidissima ob algorem iniquitatis sibi cognatæ? Ipsa, ipsa est, quæ & siccitate gratiæ, & frigore iniquitatis eas quoque congelat Catholicæ Ecclesiæ aquas, quibus cum hortos irriget vel animarum, vel particularium Ecclesiarum, *Fons hortorum* congruenti nomine appellatur: Ipsa impia falsæ doctrinæ exsufflatione, quãtum in se est, veræ sapientiæ aquas constringere nititur, & congelare, vt saluberrimam impediat irrigationem hortorum: Ipsa Religiosos adurit, & quotquot mortificationi indulgent, qui tanquam gemmæ è crucis Christi arbore erumpunt: Ipsa flores Virginum, & Continentium infectatur: Ipsa tenellos fideles illos concutit, quos Ecclesia fructificare satagit Domino: Ipsa denique & sanctos constringit, qui alioquin Christi bonus odor sunt in omni loco, sicve eos comprimit, vt aromata sanctarum operationum, atque virtutum ex illis fluere minime queant: & (vt vno verbo omnia complectar) Aquilonis instar, & Aquilonis ventorum omnium impetuosissimi, ipsa totum eiusdem Orthodoxæ Ecclesiæ hortum commouet, perturbat, & penitus diuinæ gratiæ humore, omnive decore pulchritudinis, ac sanctitatis destitutum eius redderet tellurem feraciſſimam, ni diuina imperante voce Auster perflaret charitatis, quo ea infestissima effugatur.

Hæresis perueršitas fraudulenta notatur.

Neque vero absre factum est, vt cælestis sponsus istam imperans fugationem, hoc vsus sit verbo, *Surge*, seu (vt legunt Hebr. & Septuag.) *excitare*: acute nãque per verba ista fraudulentam hæresis subindicat peruersitatem, quæ, cum validissimo impetu ad instar venti Aquilonis Ecclesiam impetat, prædictosve omnes causare nitatur effectus; ita tamen spirat latenter, vt vix à Sapientioribus percipiatur, & quasi obdormiscens deprehendatur: ideoque quasi silenti imperatur, vt surgat, quo patenter fugere compellatur, qui latenter omnia deuastabat: & quasi dormienti iubetur vt se excitet, quo, excitato palam eius impeto, fugere cogatur quantocyus non secus ac Aquilo per Austri fugatur spirationem.

Per Austrum communis fere Sanctorum Patrum 5

in perſecutionibus, ob inditum vero feruorem *ibant* A
e Act. 5. 41. *gaudentes à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati*: ibantque peragrantes primum regiones Iudææ, & poſtmodum vniuerſum quoque orbem terrarum: Vnde factum eſt, vt in omnem terram exierit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, & longe, lateque per totum mundum odor diffuſus ſit ſpiritualium aromatum.

Paraphraſis. Secundum hæc ergo inquit ſponſus: *Surge, & veni*, ſancte Spiritus, leniter, & inſtar Aquilonis, & inſtar Auſtri perflans, *meum* Eccleſiæ *hortum*, dulci eum refrigerio recrea in æſtibus perſecutionum, ac ærumnarum, auſtrinove feruore tuo corda ſuccende fidelium: vt vndique per totum terrarum orbem diffundatur odor dogmatum Euangelicorum, atque præſtantiſſimarum virtutum, quæ in illa ex ſanctis Apoſtolis, quaſi ex aromaticis plantationibus inſtar aromatum fluent: Tametſi enim hortus concluſus ea ſit, ſpiratione tamen tua longè, lateque prædictorum aromatum illius odor fundetur. B

Verſ. XVI. cap. IV. *Surge Aquilo, & veni Auſter, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* C

Expositio III.

De ſecunda Sponſa, quæ eſt Anima Iuſti.

10 Primus ſenſus. *Peccatum eſt maxime noxium charitati.*

QVoniam quicquid boni, quicquid pulchri, & quicquid perfectionis in ea eſt anima, quæ tãtis, tamque eximijs per totum hoc caput quartum celebrata eſt encomijs, id omne ex charitate eſt, quam D vinculum dixit Apoſtolus, & efficientem quodammodo dicere nos poſſumus cauſam totius perfectionis: idcirco pro coronide panegyricæ orationis ſuę id vnum cœleſtis ſponſus à perfecta ipſa anima hoc verſu abigit, quod charitati officiens, toti officit perfectioni, nempe peccatum, quod mala omnia conſequuntur: idve vnum è veſtigio eidem animæ precatur, ſeu potius imperando in ea efficit, quod charitati proficuum, eidemve & maxime conſonum nouit eſſe: id vero eſt gratia Spiritus ſancti, per quam charitas ipſa diffunditur in cordibus noſtris.

Porro, quod peccatum charitati officiat, & qua ratione eidem officiat, in Euang. videre eſt explicatum à E
g Matth. 24. 12. Chriſto Ieſu modicis hiſce verbis: *g Et quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum.* Ad exprimendam autem refrigerationem iſtam, eiuſdemve refrigerationis effectus maxime noxios, haud aptiori metaphora vti poterat ſponſus, quam iſta, qua peccatum quaſi ſpiritalem quemdam abigens Aquilonem, ait: *Surge Aquilo.* Siquidem in lib. Eccleſ. de Aquilone ſic
Peccatum quas congruentias habeat cum Aquilone. h Eccl. 43. 22. dicitur: *h Frigidus ventus Aquilo flauit, & gelauit cryſtallus ab aqua: ſuper omnẽ congregationem aquarum requieſcet, & ſicut lorica induet ſe aquis: Et deuorabit montes, & exuret deſertũ, & extinguet viride ſicut igne.* De frigiditate peccati pluribus actum eſt ſup. in cap. 2. expoſ. 3. illorum ver-
i Cant. 2. 11 borum, *i Iam hiems tranſijt:* At quod illud nedum frigidum ſit, & frigidas reddat animas peccatrices; verũ & ſanctiſſimas, ac perfectas quaſque animas ita gelidas efficiat, vt præcipuam, quæ in eis eſt, gratiam charitatis in ipſam conuertat glaciem: quodve in illis ipſis, in quibus Deus copioſius gratiarum, atque donorum congeſſit aquas, pacificam ſibi conſtituat requiem, ita vt ipſiſmet Dei donis contra eumdem ſe muniat Deum, id ſane Aquilonis exprimit metaphora. Enimuero inſtar frigidi Aquilonis ſingulas quaſque peruadit animæ partes, atque potentias, ſicut ventus ſingulas partes aeris: Porro cum primum in animam flare cœperit aqua gratiæ, qua decora ea anima reddebatur, gelat in glaciem, quam Græci cryſtallum appellant; refrigeſcente nimirum charitate, eademque conſtricta, ac congelata. Neque mirandum cuipiam eſt, ſi cœleſtis ſponſus ab anima, quæ ob ingentem gratiarum cumulum ſponſa ipſius dici, ac eſſe meruit, hunc abigat Aquilonem, eumque abigens hoc vtatur verbo ſurgendi, dicens: *Surge Aquilo*: nam peccatum non parcit animæ etiam Sanctiſſimæ, imo ſæpe ſæpius ibi magis quieſcit, & ſolidiorem, ac fortiorem ſibi conſtituit requiem, vbi plures à Deo congregatæ ſunt gratiarum aquæ: *a Super omnem congregationem aquarum requieſcet*: prout re vera oſtenſum eſt in Iuda proditore, & quotidiana experientia obſeruamus, & ingemiſcimus in ſanctis compluribus Religioſorum, qui in peſſima quæque dilabuntur, flante in eis peccati Aquilone, ita vt de eorum iniquitate id quoque dici poſſit, quod in præcitato Eccleſiaſtici textu de frigido Aquilone dicitur: *b Sicut lorica induet ſe aquis*: illis quippe ipſis, quæ à b Eccl. 43. 22. Deo acceperant, donis peccator in eis contra Deum armatur: illis quaſi lorica quadam præforti, atque fulgenti ſe operit, vt aduerſus Deum pugnet: *c* Sic Iudas, oſculo filium hominis tradens, ſicut lorica induit ſe dono beneuolentiæ, & charitatis illius: ſic Religionis Apoſtatæ per hypocriſim ſanctitatem præ ſe ferentes, quam primum in ſingulare à Deo acceperant donum, eam vt fulgentem peccati ſui loricam & hominibus obijciunt, & ipſimet Deo, contra quem dimicant. Damna quoque peccati eadem ſunt, quæ & *Peccati damna.* frigidi Aquilonis, de quo dictum eſt: *d Et deuorabit montes, & extinguet viride ſicut igne.* Deuorat namque d Eccl. 43. 23. peccatum montes, cum illos, qui, inſtar ſublimium montium, virtutum celſitudine eminent, ſic gelida ſua perflat ſpiratione, vt vniuerſa eorum depaſcatur opera bona, quæ prius geſſerant, & quibus, quaſi tot germinibus, floribus atque fructibus ſic reddebantur decori, vt de ſingulis ipſorum dici iam poſſet id Iſaiæ: *e Gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli, & Saron.* Exurit autem deſertum, cum animam illam, quæ deſerta c Iſa. 35. 2 *Peccatum tametſi frigidiſimum, ſuſcitat flammas concupiſcentiæ.* à ſuo eſt ſponſo, quia prius ipſa peccando eum deſeruit, vehementius exurit concupiſcẽtiis: Nec mirum, quandoquidem, tametſi frigidiſſimum ſit, & frigus inducat in animam, gelidamque eam efficiat, & ineptam ad omne bonum: nihilominus ita in illa omnẽ extinguit gratiæ virorem, ſicut & igne ardentis concupiſcentiæ eumdem gratiæ virorem nouimus extingui ſolitum: Quanto enim magis refrigeſcit in aliquo charitas, abundante in illo iniquitate, tanto maior à frigido vento peccati flante in latentem, ac demortuum eius fomitem, vehementiorque in eo excitatur ignis concupiſcentiæ: Non ſecus ac per eumdẽ ventum Aquilonem frigidiſſimum vno eodemque tempore, vnove & flatu congelantur aquæ, aer frigidus redditur, & demortuæ ignis prunæ, quæ ſub cinere latent, in ardentiſſimas eleuantur flammas, quibus & viride omne extinguitur in agro, & celſiſſima quoque comburuntur ædificia. Cum ergo tantum periculi ex infeſtiſsimo vento iſto piæ immineat animæ, in qua, licet non regnet, habitat tamẽ peccatum, prout de ſemetipſo ſanctiſsimus conteſtatus eſt Paul. f Ro. 7. 27. dicens: *f Nunc autem iam non ego operor illud*, ſcilicet malum, *ſed quod habitat in me peccatum*, effrænis nimirũ, ac rebellis appetitus ad peccatum impellens; iubet F cœleſtis ſponſus, vt ſurgat, ne quietum in ipſa vſurpet Regnum, ſubiectam in ea faciens rationem, mentemque ac voluntatem ipſius refrigerans, in qua ſedes eſt charitatis.

Poſtquam autem dixit, *Surge Aquilo*, addit illico, *Et* 11 *veni Auſter*, & admodum congruenter in metaphora *Peccatum fugat Spiritum ſanctum ab anima.* perſiſtens ventorum, quorum alter ab altero expellitur, ita vt regnare nequeant. Sicut enim ventus *Simile.* Aquilo cum impetu magno perflans, Auſtrum fugat, & nubes, quas Auſter adduxerit, iuxta illud Prouerb. *g Ventus Aquilo diſſipat pluuias*: Ita & peccatum g Prou. 25. 23. cum regnare cœperit in aliqua anima, Spiritum ſanctum

ſanctum ab ea fugat, & gratiam, quam eiidem conferat Spiritus, iuxta illud Sapientis: *h Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum* (ſeu dolum, vt eſt in Græco, quo noſmetipſos decipimus) *& auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu, & corripietur, ἐλεγχθήσεται*, id eſt, confutabitur, confuſus fugabitur, *à ſuperueniente iniquitate.* Quo loco obiter notandum, omnia tria genera peccati ibi numerari, quatenus fugant Spiritū ſanctum: Id enim quod cōmittitur verbo, ſignificatur nomine ficti, ſeu fictionis, aut doli: Id quod fit cogitatione, nomine cogitationum ſine intellectu: Quod vero opere perpetratur, vocabulo iniquitatis. Econuerſo, ſicut Auſter cum vehementius perflauerit, ipſum fugat Aquilonem: Ita & Spiritus S. ab anima illa, in qua ſpirauerit, omnem fugat iniquitatem, frigiditatem omnem, & omnem glaciem; medelamque ijs omnibus affert damnis, quæ ex peccato, frigidoque Aquilone perflante miſeræ eueniunt animæ: Vnde peregregie Auctor lib. Eccleſ. cum ſpiritalis huius Aquilonis conditiones, & damna pariter, quæ ab eo efficiuntur, in loco ſupra citato enarraſſet, iſta ſubintulit verba: *i Medicina omnium in feſtinatione nebulæ: & ros obuians ab ardore venienti humilem efficiet eum*: quorum ſenſus eſt: Prædictorum damnorum omniū, quæ per frigidum cauſantur Aquilonem, ea eſt curatio, ſi feſtinanter adueniat nebula, quæ flante Auſtro aſcendere ſolet, terramque humectare: & ros excitatus ab ardore, & calore eiuſdem Auſtri ſuperueniente poſt Aquilonis frigiditatem, obuians cryſtallo, & glaciei, quæ ad frigidi Aquilonis ſpirationem congelata fuerat, humilem efficiet eum: quia ipſam cryſtallum in aquas reſoluet: vel referendo hæc ad Aquilonē: Et ros ab Auſtri calore ſuſcitatus, obuiāſque ipſi Aquiloni, humilem eum efficiet, illius vires diſſoluens. Vbi notandum, optima ratione factum, vt, tametſi Auſter re vera ſit, quo fugatur Aquilo, curatio tamen incommodorū, quæ Aquilonis frigiditas, & gelu attulerint, non tam Auſtro adſcribatur, quam nebulæ, & rori, quæ ſunt effectus Auſtri: nam, etſi Spiritus ſanctus re vera ſit, quo omne fugatur peccatum, media tamen gratia, quæ ex eius calore ſuſcitatur in anima peccato obnoxia, medetur ipſemet Spiritus ſanctus frigiditati, ac glaciei, & incommodis omnibus, quæ ad peccati flatum anima ipſa contraxit: Ita vt propterea ſæpius in ſacris litteris eidem gratiæ vniuerſa peccatoris iuſtificatio tribuatur; cum certum nihilominus ſit, Spiritum eſſe, qui & iuſtificat, & ſanctificat, vnde & k Spiritus ſanctificationis appellatur. Quapropter ſponſus ad primum eiuſdem iuſtificationis, & ſanctificationis principium reſpiciens, Spiritum ipſum ſanctum ad ſuam aduocat ſponſam ſub Auſtri metaphora, dicens: *Et veni Auſter*: dumque ſubijcit: *Et perfla hortum meum*: haud dubium, quin & calorem charitatis, & humorem ſimul aduocet gratiæ, quandoquidem hæc duo ſecum affert Spiritus ſanctus vbicumque perflauerit.

12 Notanda hoc loco eſt locutionis diuerſitas: nam licet tam de peccato, quam de Spiritu ſancto, & gratia ſermo ſit ſub metaphora ventorum, peccato tamen dicitur, *Surge*, nullaque mentio fit de perflatione: Spiritui autem ſancto haud dicitur, *Surge*, ſed, *Veni*, & additur; *Perfla hortum meum*. Si quidem peccatum ſurgit, aufugiens, nec tamen tunc perflat in animam illam refrigerans, quando ipſa illud recogitat, quod aliquando commiſit, vel cuius intra ſe fomitem habet, ipſumue deteſtatur: At vero Spiritus ſanctus è cœlis venit, & intra animam ab extrinſeco veniens, perflat in eam, cum illam ſanctificat.

Notandum & id quoque, prius dici Aquiloni, vt ſurgat, poſtmodum vero Auſtro, vt veniat, ac perflet: non ſolum quia deteſtatio peccati in anima præcedat neceſſe eſt, antequam iuſtificationis gratia in ipſam adueniat: verum etiam quia in ipſamet iuſtificatione peccati remiſſio præcedit gratiæ infuſionem; tametſi nullus ſit ordo temporis inter decorationem gratiæ & liberationem à culpa: ſimul enim anima & gratia decoratur, & liberatur à culpa: datur tamen ſecundum Theologos inter ea duo quidam ordo naturæ: & licet ex parte Dei, qui & gratiam ſpirat, & culpam remittit, prior ſit gratiæ infuſio, quam remiſſio peccati: Sicuti ex parte ſolis prior eſt inductio luminis, quam excluſio tenebrarum, nihilominus ex parte animæ illius, à qua fugatur peccatum, & in quam inducitur gratia, prior eſt remiſſio, atque fugatio peccati, quam ipſa gratiæ infuſio. Quemadmodum ex parte aeris prior eſt excluſio tenebrarum, quam eius illuminatio. Ad hunc igitur naturæ ordinem animæ ſponſus reſpiciēs, prius dixit, *Surge Aquilo*, tum, *Veni Auſter*.

Adde tertio, per illa, quæ adiecta ſunt, poſtquam dictum eſt: *Et perfla hortum meum*, nempe: *Et fluent aromata illius*: indicari cæleſtem ſponſum non tam ob id aduocare gratiam, & Spiritum ſanctum in animam ſponſam ſuam, vt per illum ea iuſtificetur, quam vt illa eius Spiritus ope ſuaueolentes proferat aromatum fructus in bonis operibus, ac in virtutum actibus: ex illo autem Pſalmi trigeſimi tertij, quo dicitur: a *Declina à malo, & fac bonum*, patet, quam recte prius dici debuit, *Surge Aquilo*, & poſtea, *Veni Auſter*; ſecundum acceptionem iſtam. Porro aromata, quæ fluunt ex anima, in quam Auſter Spiritus ſancti perflauerit, ea ſunt, quæ Paulus enumerat pro fructibus eiuſdem ſpiritus, nempe, b *Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas*, &c. Quorum odor per opera exhibetur.

Ait igitur ſponſus: Peccatum, quod inſtar frigidi Aquilonis frigidam reddis animarum charitatem, aquaſue diuinorum donorū congelas, quodue & in iis, qui ſanctitate excellebant, requieſcere nonnunquam ſoles, eademue animabus fers damna, quæ & frigidus Aquilo, *Surge*, ne requieſcas in ſponſa mea: *Surge* feſtine, dum ipſa te deteſtatur: fuge remiſſum, fuge cum prauis operibus tuis: At tu è veſtigio *Auſter* Spiritus ſancti *veni* è cœlis, caloreque, & humore gratiæ, & charitatis tuæ eam decora, perflans ipſam, quæ hortus meus eſt, ferque illi opem, vt virtutum exhibeat opera; ſic enim, te perflante, *fluent aromata illius*, fructificantis fructus tuos.

13 Iuxta tertium litteræ ſenſum, quo ſponſa eſt, quæ hæc verba profert, ſumens tam Aquilonem, quam Auſtrum in bonam partem pro gratia, & Spiritu ſancto ſecundum diuerſos effectus refrigerij, atque caloris, prout explicatum eſt ſupra ſenſu ſecundo expoſitionis ſecundæ: optans pia anima fructificare dilecto ſuo, & aromata bonorum operum illi proferre; intelligenſque, ſe ne minimam quidem cogitationem, quæ bona ſit, abſque eius ope proferte poſſe, cum ipſe dixerit: c *Sine me nihil poteſtis facere*: & iuxta Apoſtoli dictum: d *Non* poſſimus *cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo ſit*. Et: e *Spiritus* ſit, *qui adiuuat infirmitatem noſtram*: rogat modo, vt ab ipſo eius perfletur ſpiritu, confidens, omnia in futurum poſſe, ſi ab eo confortetur. Similiſque iſta eius deprecatio illi eſt deprecationi, qua Dauid ſic eumdem Deum rogauit dicens: f *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me. Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur*. Quod enim lætitiam ſalutarem dixit Propheta, Deum efflagitans, per gratiam animas lætificantem, dulcique voluptate exhilarantem, ſponſa Aquilonis vocabulo ſimiliter flagitat, nomine Aquilonis ſerenitatem deſignans, quæ fit per Aquilonem diſſipantem nubes; lenemque illam auræ ſpirationem, quæ, tametſi peculiari vocabulo Zephyrus dicatur, ac Fauonius; & Aquilo nihilominus recte nuncupatur, cum pars quodammodo ſit, & ſpecies Aquilonis, quin & aliqua ratione ipſe Aquilo leniter ſpirans, vt colligitur ex Strabone libro primo Geographiæ ante medium. Quis vero neſciat id, quod Eliæ ſignificatum eſt: g *Nec in ſpiritu grandi, & vehementi, nec in commotione eſſe Dominum, ſed in ſibilo auræ tenuis*? Cum

h *Sap.* 1. 5.

Peccati triplex genus.

Simile.

Spiritus S. ſpirans in animam, omne fugat peccatum, omniaque illius damna tollit.

i *Eccl.* 43. 24

Spiritus S. fugat peccatum media gratia, quæ eſt eius effectus.

k *Rom.* 1. 4.

Peccatum quomodo ſurgens aufugiat ab anima.

Peccatum quomodo fugetur prius ab anima, quam eidem infundatur gratia.

Simile.

Simile.

A peccato immunis eſſe debet anima, quæ bona opera facere velit.

a *Pſ.* 33. 15.

b *Gal.* 5. 22

Paraphraſis.

Tertius ſenſus. *Spiritum S. vt ipſam perfletrogat pia anima.*

c *Ioan.* 15. 5

d 2. *Co.* 3. 5

e *Rom.* 8.

f *Pſ.* 50. 14.

Spiritus S. Aquilo & lætitia ſalutaris.

Strabo.

g 3. *Reg.* 19. 11.

Hæresi opponitur charitas, sicut Auster Aquiloni.

consensus Spiritum sanctum, vel eius gratiam intelligit; at, si oppositio æqualis inter ea seruetur, quæ per Ventorum istorum metaphoram designatur, sicut in ventis ipsis seruatam eam videmus, cum Aquilo & Auster è directo oppositi sint, nil aptius iuxta sensum allatum, quam charitatem Austro significatam dicere fas est: Charitatem, inquam, illam, quam Apostolus

21. Cor. 8. 1 opponit scientiæ, cum ait: *a Scientia inflat, charitas vero ædificat*: aptissima siquidem oppositione charitas opponitur scientiæ illi, quæ inflat: scientiæ, quæ de terra est, fastumque defert inanis sapientiæ: scietiæ hæreticorum, qui in ipsismet rebus cælestibus, atq; diuinis

Charitas est vera sapientia. terrena sapiunt: scientiæ, quæ designatur (vt dictum est) per Aquilonem, vulgo nuncupatum Ventum de

b 1. Cor. 2. 5. terra, quia de terra perflat. Enimuero Charitas illa vera est sapientia, quam Apostolus *b* idem contra distinguit, & opponit humanæ sapientiæ, vocans ipsam sapientiam inter perfectos, & sapientiam Dei: ea quippe est eorum sapientia, qui perfecti sunt in implendis præceptis dilectionis; ideoque & Deo sunt similes, qui perfectus est item in charitate: ea est & sapientia Dei; quia per ipsam fideles Deo vniuntur, & in Deū transformati, illius notitiæ plenius compotes sunt: ea demum est, quæ,

c 1. Cor. 13 7. sicut *c omnia sperat*, quæ à Deo promissa sunt, nullamve ex eorum dilatione concipit hæsitationem, *omnia sustinēs*: ita & fide pariter simplici captiuum facit intellectum in obsequium Christi, omnia illa credens, quæ diuinitus tradita sint. Porro Austri metaphora haud minus congruens est cum charitate, & istiusmodi sapientia, quam congrues sit Aquilo cum inflata humana scientia, atque cum hæresi. Nam, tametsi & ipsa sit ventus, nō tamen vētus est inflans, & destruens, sed ventus eleuans quidē ad cælestia, & ædificans gratiæ ædificium: Ventus est, veniens à Patre luminum, sicut & Auster à Meridie perflat à parte feruida, & luminosa: atque adeo instar Austri à luce cognitionis diuinæ calida & ipsa calore spiritus calefacit hortum Ecclesiæ. At, sicut Auster humiditatem vna cum innato defert calore: Ita & Charitas vna cum feruore spiritus humorem pariter gratiæ diuinæ defert; Vnde fit, vt, sicut in sensibili horto, flante Austro, fluunt aromata ex aromaticis eius plantationibus: Ita & in horto spirituali, cum charitas ipsa spirauerit, fragrantissimæ è fidelium planti, fluant virtutes: quorum aromatum fluxum exposuit Paulus, cum

d 1. Cor. 13. 4. dixit: *d Charitas patiens est, benigna est; charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa*, &c. Bona igitur omnia sponsus Ecclesiæ imprecans, tale quid per hæc sibi velle videtur.

Paraphrasis. Abi infestissima hæresis, & quæ latenter omnia peruadis, cum tamen, instar Aquilonis vehementissimo impetu omnia vastes: *Surge* è latibulis, & quæ obdormiscere simulas, abscede patēter; at è conuerso è meridie charitatis, & cognitionis Dei *veni* tu calide charitatis *Auster*, atque instar venti quamlibet horti mei partem penetra: defer in hortum ipsum humorē gratiæ, fugans spiratione tua hæresis Aquilonē, & *fluent* abundanter fragrantissima fidei dogmatum, vniuersarumque virtutum *aromata eius*, quæ tam in dogmatibus fidei, quam in feruenti virtutum studio odorem defert notitiæ Dei.

6 Sed melius hæc ipsa, iuxta hunc primum pariter sensum, ad eandem Ecclesiam alio pacto aptari possunt ex verbis Apostoli, quibus ait: *e Non accepistis spiritum seruitutis in timore: sed accepistis spiritum filiorū Dei, in quo clamamus, Abba Pater*. Quo loco secundū Chrysostomum quidem, & Theodoritum Paulus indicat duos in Ecclesia spiritus, quorum alterum, nempe legem Moysis, spiritum appellat timoris, ob id, quod & cum ingenti totius Iudaici populi timore, descendente Domino super montem Sinai data est, & pœnarum quoque timore ad sui obseruantiam eundem compulerit populum: alterum vero, nempe Spiritum sanctum, qui vna cum lege Euangelij Ecclesiæ fidelium collatus est, vocat spiritum filiorum Dei: Tametsi, secundum Augustinum, serm. 13. de verbis

Primi sensus alia applic. *Lex Moysis instar Aquilonis ab ecclesia arcetur, vt ei infesta, & noxia.*

e Rom. 8. 15 *Chrysost. Theodorit.*

Augu. l.

A Apostoli, & Anselmum in Epistolam ad Romanos, non de duobus spiritibus, sed de duobus varijs, distinctisve effectis vnius eiusdemque spiritus dicatur locutus de timore scilicet, ad quem in exhibitione legis Mosaicæ; & de amore, ad quem in lege Euangelij idem ipse collatus est Spiritus sanctus. Hos ergo duos spiritus, siue duos vnius Spiritus sancti effectus egregie cælestis sponsus sub metaphora duorū præcipuorum ventorum exprimens, spiritum timoris Aquilonem dicit, & congruenter; quia instar Aquilonis timor gelidus est, *f arescentibus hominibus præ timore*, vtpote absque calore charitatis, iuxta illud Ioannis:

B *g Timor non est in charitate*: & lex Moysis, qua collatus est spiritus seruitutis ad timorem, secundū se ipsam expers erat humoris gratiæ ad instar Aquilonis, cum frigiditate timoris siccitatem habens coniunctam; ita vt propterea illam à gratia seiungens Ioannes dicat: *h Lex per Moysem data est: gratia, & veritas per Iesum Christum facta est*: & idcirco siccas quasque seruabat animas sui obseruatrices, adeo vt per ipsam iustificari non possent, teste Apostolo, qui in Epistola ad Galat. ait:

i Galat. 3. 11 *i Quoniam in lege nemo iustificatur apud Deum, manifestū est*: adeoue secundum se ipsam hortis earumdem animarum instar Aquilonis erat infesta: vt per eum-

C dem Apostolum sit appellata *k* Maledictum. Vnde, sicut in materialibus hortis nihil flante Aquilone, ad perfectionem reduci potest, vel in fructibus, vel in aromatibus: Ita & in hortis spiritualibus nihil virtutum, seu fructuum sanctarum operationum, flante isto legis, ac seruitutis spiritu, perfici vmquā potuit, iuxta illud: *l Nihil ad perfectum adduxit lex*. Quod si & in lege aliqui reperti sunt in sanctitate perfecti, multive & iusti, id haud legi tribuendum, quæ per se instar Aquilonis gelida erat, & sicca, prout explicatum est: sed fidei Iesu Christi, propter quam conferebatur gratia. Sic de sanctissimo Abraham dictum, *m Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*, notat

D Paulus *n* sæpe citatus. Eueniebatque tunc in horto synagogæ id, quod in aliquibus euenit hortis sensibilibus, in quibus ad perfectionem redactos videre est fructus, atque aromata, tametsi Aquilone perflentur: quia Aquilo, licet per se frigidus, atque siccus sit, calorem tamen, atque humorem secum defert ex calidis, humidisve locis ijs, per quæ eum transire contigerit.

k Galat. 3. 18.

l Heb. 7. 19

m Gen. 15. 5.

n Gal. 3. 6. *Simile.*

Spiritum dilectionis, ac filiorum Dei, qui in tempore legis Euangelij, atque cum ipsa Euangelica lege spirat, nō minus congruenter Austrum appellat: sicut enim Auster calidus est, atque humidus, humiditatem è mari deferens, è quo venit, & à quo nomen accipit venti marini: Ita & Spiritus iste sanctus, & lex Euangelij, quæ dicitur lex eiusdem spiritus, atq; dilectionis, nedū calida existunt, sed & ignita: ideoq; charitate corda hominum calefaciunt, atque incendunt. Vnde nouimus, *a* spiritum sub ignis specie collatum primitiuæ Ecclesiæ in die Pentecostes; & Euangeliū dictum *b* legem igneam in manu Dei. Cū calore vero istiusmodi sunt pariter & humida instar Austri, humorem gratiæ cœlestis exhibentia, adeo vt Apostolus *c* & spiritū ipsum spiritū gratiæ dixerit; & Euangelij legē nuncuparit *d* legem spiritus vitæ: humoremque istū gratiæ, per quā fit iustificatio, & fructificatio in hortis spiritualibus, deferunt è mari sanguinis Iesu Christi, iuxta illud Pauli. *e Nunc sine lege iustitia Dei manifesta est*, id est, lege cessante, manifestatum est id quo homo coram Deo iustificatur, nempe tempus Euangelici status, quo Auster spirat, & spiritus gratiæ, ac dilectionis: *Iustitia autē Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes qui credunt in eum: Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quē proposuit Deus propitiationē per fidem in sanguine ipsius*. Quapropter nil mirum, si flante hoc Austro, Catholicæ Ecclesiæ hortus tantum in sanctitate profecerit; vt & flores, & fructus, & aromata ad perfectionem deducta conspiciantur: *f Diligentibus* quippe *Deum omnia cooperantur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt sancti*. Et:

7 *Euangelij lex quas congruentias cum Austro habeat.*

a Act. 2. 3.

b Deut. 33 2.

c Heb. 10. 29.

d Rom. 8. 2.

e Rom. 3. 21

f Rom. 8. 28

g Col. 3.14 g *Charitas vinculum eſt perfectionis omnis:* Et Euangelij prædicatio eo directa eſt, vt quoſque fidelium efficiat perfectos, ita vt Apoſtolus Paulus dicat: h *Euangelij myſterium nunc manifeſtatum eſt ſanctis eius, quibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ ſacramenti huius in Gentibus, quod eſt Chriſtus, in vobis ſpes gloriæ, quem nos annuntiamus, corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem in omni ſapientia, vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto Ieſu.*

h Coloſſ. 1. 27.

Iex Moyſis per Euangelij legem arcetur ab Eccleſia.

Porro, quia ſicut per Auſtrum, cum validius perflare cœperit, oppoſitus fugatur Aquilo, qui eſt hortis infeſtus: Ita etiam per inſpirationem Spiritus ſancti, ſpiritusve dilectionis, & filiorum Dei fugatur ſpiritus ſeruitutis in timore, cum i *perfecta charitas foras mittat timorem*: & cum inſtar vehementiſſimi Auſtri Euangelium per orbem terrarum cœpit perflare, lex Moyſis, quæ & lex timoris, fugata pariter eſt: k *Tranſlato enim ſacerdotio, neceſſe eſt, vt & legis tranſlatio fiat*, dicit Paulus. &: *Reprobatio quidē ſit præcedentis mādati propter infirmitatem eius, & inutilitatem: nihil enim ad perfectū adduxit lex: introductio vero melioris ſpei, per quam proximamus ad Deū.*

i Ioan. 4.18

k Hebr. 7.12

Paraphraſis.

Idcirco hanc illius legis reprobationem, timoriſve effugationem modo ad ipſius Eccleſiæ vtilitatem ſub prædictorum ventorum metaphora precatur, atque precando imperat cœleſtis ſponſus, quo fragrantiſsimus dilectæ ſuæ progreſſus percipiatur, ac ſi dicat.

Abſcedat iam ſeruilis timor cum lege, ac ſpiritu ſeruitutis, inſtar Aquilonis, gelido ob charitatis inopiam, ſiccoque ob defectum humoris gratiæ: ſpiritu infeſtiſsimo Eccleſiæ, non ſecus ac ventus Aquilo ſenſibili infeſtus eſt horto: ſpiritu tenella fidelium germina exſiccante: ſpiritu fructibus bonorum operum, aromatibusve dogmatum maledictionem, & mortem inferēte. Abeat ſpiritalis iſte *Aquilo* aduenīte Auſtro itē ſpiritali, ſpiritu dilectionis, Spiritu ſancto Charitatis, & Euangelij, pacisve legem ſpiratione ſua promulgante: *Veni* ſancte Spiritus, *& perfla meum* Eccleſiæ *hortum*: calorem illi imperti, & humorem vt *Auſter*: calorem charitatis, & humorem gratiæ, in lege gratiæ, & charitatis: & ex aromaticis eius plantationibus, ex ſanctis, qui in ea conſiti ſunt fidelibus, fluminum inſtar *illius fluent aromata* pacis, non ſecus ac & ipſe fluuium pacis ſuper ipſa declinaui.

8 Alius ſenſus.

Dici quoque poſſet non incongrue, hanc eſſe deprecationem illam Chriſti Ieſu, qua is apud Ioannem, rogaturum ſe Patrem pollicitus eſt diſcipulis ſuis primitiæque illi Eccleſiæ Apoſtolicæ pro aduētu Spiritus ſancti, dicens. l *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitū dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, ſpiritū veritatis.* Quæ deprecatio duobus modis exponi poteſt: vel iuxta ſenſum illum, quem ſecundo loco proſecutus ſum in expoſitione litteræ: vel etiam iuxta ſenſū primum eiuſdem litteræ, quo Aquilonis metaphora in malam partem accipitur. Vtroque tamen ſenſu Spiritus ſancti miſsionem, atque aduētum ob id rogat cœleſtis ſponſus Patrem æternum; vt Euangelij, ac earū gratiarum, quæ mundo collatæ ſunt, prædicatio prodeat, ac diffundatur, ob id enim & apud Ioannem loco citato, ſpiritum pro quo rogaturum ſe dixit, ſpiritum veritatis appellauit, veram deſignās prædicationem, quæ illius aduentum conſecutura erat: & hoc loco *perfla*, inquit, *& fluent aromata illius*, gratiæ ſcilicet, quibus illa Eccleſia, ſeu ille hortus eſt cumulatus.

l Ioa. 14.16

Primi ſenſus III. appl. *Timor mundanus arcetur ab Eccleſia, vt impediens Euangelij prædicationem.*

Sumendo igitur Aquilonem in malam partem: Rogat Dominus noſter primo, vt tollatur id, quod maxime præpediebat veritatis confeſsionem, & Euangelij prædicationem: tum, vt id, è cælis mittatur, quod ad eandem vehementius impulit. Enimuero per timorem mundi detenti ſunt primum Apoſtoli, & diſcipuli Chriſti, ne veritatem faterentur, quam agnoſcebant; neve eam prædicarent; quem mundanum timorem egregie per Aquilonis expreſsit metaphoram, dicens: *Surge Aquilo*: quandoquidem per illum, ac ſi gelido perflarentur Aquilone, frigidi reddebantur, ſicve gelidi, vt propterea de Petro Eccleſiæ capite, cum ob timorem negauit Ieſum, referant Euangeliſtæ, m quod ſtabat, *& calefaciebat ſe*. Timor iſte torpidos fecit Ioſephum, & Nicodemum, n ita vt vſque ad noctem diſtulerint petere à Pilato corpus Ieſu; & Marias quoque, ita vt ad ſubſequentis diei diluculum, tuncque cū *adhuc tenebræ eſſent*, diſtulerint deferre aromata ad ſepulchrū eiuſdem. Quod ſi Aquilonis id etiā proprium eſt, vt cōſtringat, aquasve, ne labantur, cōtineat: & timor quoque is fuit, qui intra cœnaculum concluſos detinuit diſcipulos per totum illud temporis ſpatium, quod intermedium extitit inter Aſcēſionem Domini, & feſtum Pentecoſtes, quo ſuper illos deſcendit Spiritus ſanctus, tamquam aduenīens Auſter, ſpiritus vehemens, adeo calidus, vt ignem præ ſe ferēs, vniuersū timoris gelu ab ipſis diſpulerit; adeoue humidus, vt iuxta Prophetæ dictum, o eo flāte, fluxerint aquæ doctrinæ, & prædicationis Euangelicæ.

m Marc. 14 54.

n Ioan. 18. 18.

Spiritus ſancti miſſionem Chriſtus rogat à Patre, quo Euangelij fluat prædicatio.

o Pſal 47. 18.

Ideo bene, poſtquam dixit: *Surge Aquilo*: adiecit: *Et veni Auſter, & fluent aromata, &c.* aromata eā appellās; quia tota eſſet de diuinis gratijs, & miſerationibus, atque etiam de fragrantiſsimis Chriſti virtutibus: nō dixit autē *aromata mea*, at *aromata illius*, ſcilicet horti, & Eccleſiæ, ac emiſsionū, & plantationū eius, ad ſignificandum, quod Apoſtoli, qui erant Eccleſiaſtici illius horti plantationes, ita intra ſe Dei ſenſerunt miſerationes, iuxta Pauli conſilium dicentis: a *Hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu*, id eſt hoc experimēto tenete in vobis quod & in Chriſto Ieſu, *qui, cū in forma Dei eſſet, &c.* vt eas intra ſe, & in corde ſuo obſignatas ſingulas haberēt, quaſi ſibi ſoli exhibitas, quod conteſtatus eſt idem Paul. cum dixit: b *Ideo miſericordiā conſecutus ſum, vt in me primo oſtenderet Chriſtus Ieſus omnē patiētiam ad informationē eorum, qui crediturī ſunt illi in vitam æternam.* Sicve virtutes etiam Chriſti in ſe habuerunt inſitas, vt in bonis illis, quas è ſe inſtar aromatū proferrent, operationibus odorem notitiæ Chriſti manifeſtarent, illius bonus odor exiſtentes, vnde Paul. ait: c *Deo autem gratias qui ſemper triumphat nos in Chriſto Ieſu, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco, quia Chriſti bonus odor ſumus.* Quod ergo hac ſua deprecatione ſponſus poſtulat tale eſt.

Euangelij prædicationem cur Chriſtus appellet aromata Eccleſiæ.

a Phil. 2.5.

b 1. Timot. 1, 16.

c 2. Cor. 2 14.

Veniat Auſter Spiritus ſancti, calefaciens diſcipulorum corda, eademque gratiæ humore humectans, vt *ſiccat*, atque fugetur frigidus, ac conſtringens *Aquilo* timoris hominum, vtque perflante illo *meum* Eccleſiæ *hortum*, *fluant* ex eius plantationibus inſtar aromatum eloquia Euangelij, & ſuaueolentium exemplarum virtutum mearum, quas ex ſe proferant ad mei imitationem.

Paraphraſis.

9 Secundus ſenſus. *Spiritus ſancti miſſionem Chriſtus à Patre rogauit ad Eccleſiæ refrigerium in perſecutionibus & ad feruorem in frigore timoris.*

Quod ſi & Aquilonem in bonam partem ſumamus pro Spiritu ſancto, ſicut & Auſtrum, vnū hac deprecatione ſua cœleſtis ſponſus efflagitat aduentū Spiritus ſancti, qui inſtar duorum ventorum Aquilonis, & Auſtri vno eodemque tempore ſimul Eccleſiæ perflans hortum, & refrigerium affert in æſtibus perſecutionum, & feruorē in frigore timoris. Hæc enim duo, quæ primo aſpectu pugnantia inter ſe videtur, operatus eſt in primitiua Eccleſia Spiritus ſanctus: hæc & operaturquotidie in quibuſcunque ſanctis. Sic feruore, quo ſuccendit corda d trium puerorum in Babylonia, audacter fornacem ardentem eos fecit ſubire, regi Nabuchodonoſor renitentes, ne auream illius ſtatuam adorarent: ſicve idem in ardentiſſima fornace refrigerium tale exhibuit eiſdem pueris; vt in medio flammarum exultantes benedicerent Dominum, quod explicatum habemus verbis illis: e *Angelus Domini deſcēdit cum Azaria, & ſocijs eius in fornacem, & excuſſit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quaſi vētum roris flantem: & non tetigit eos omnino ignis, neque contriſtauit, nec quicquā moleſtiæ intulit.* Vbi Angelus extrinſecō venti illius flatu internā profecto indicauit Spiritus ſancti ſpirationem, qua ij refrigerati ſunt in flammis perſecutionum, ac tribulationū. Sic Apoſtoli, hoc leni Aquilonis ſpiritu perflante Eccleſiā, ob exhibitū refrigerium gloriabantur in iis, quibus premebantur tribulationibus, ſuperabundantes gaudio, & voluptate

d Dan. 3. 20

e Dan. 3. 49

igitur ſub Aquilonis metaphora ſponſa Dominum, eiuſue ſpiritum petat, quis dubitet, haud metaphora Aquilonis fortiter ſpirantis eam vſam eſſe, ſed eius, qui leniter ſpiret? quiue, cum ſereniſſimus ſit, & ventorum omnium iucundiſſimus, maximeque genitalis, vitalis, ac ſalutaris non ſolum hominibus, ſed etiam plantis, congruentiſſime ad illud ipſum ſignificandum vſurpari a ſponſa potuit, ad quod ſignificãdum Propheta Sanctus nomen vſurparat lætitiæ ſalutaris.

Spiritus S. ductor ad bene operandum, quatenus inſtar Auſtri calefacit charitatis calore

Porro quem idem Propheta ſpiritum principalem, ἡγεμονικὸν, id eſt ductorem appellat: quia *quicunque* ex charitate, qua in Deum flagrant, *filij Dei ſunt*, hi ſane *ſpiritu Dei aguntur*, vt ait Apoſtolus: *h* aguntur autem, & ducuntur ipſo charitatis calore, quo à tali ſuccenduntur ſpiritu; hunc ſponſa admodum apte ſub metaphora petit Auſtri, cum ſcriptum ſit, *i* Dominum ire in turbine Auſtri: quia Auſter ventus calidus eſt, caloremque impertit, ſicut & Spiritus ſanctus charitatem. Vnde in libro Iob legimus: k *Nonne veſtimenta tua calida ſunt, cum perflata fuerit terra Auſtro?* Enimuero cum terra animæ cuiuſpiam, terreni aliquid in ſe habẽtis, quo retardatur, ne viam mandatorum Dei currat, Sancti ſpiritus perflata fuerit Auſtro, illa eius veſtimenta, de quibus inquit Paulus: *l Induite vos viſcera miſericordiæ benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam*, &c. virtutes nimirum ipſius, calida ſunt, caloremque conceptum eidem ipſi, quem induunt, impertiunt, ita vt propterea ea ad bene operandum nedum currat: ſed aduolet.

h Ro. 8. 14.
i Luc. 9. 14.
k Iob 37. 17
l Col. 3. 12.

Quidni vero aduolet tanto ductore? qui quanto magis alæ bonæ voluntatis expanduntur ad ipſius ſpirationem, tanto plures eodem charitatis calore ſuggerit pennas, volatum facilitantes: ſicut in accipitre admirandum Beato Iob proponit Dominus, dicens: *a Nunquid per ſapientiam tuam plumeſcit accipiter, expandens alas ſuas ad Auſtrum?*

a Iob 39. 26

Curſus animæ charitate ſuccenſæ inſtar fluminis rapidi.

Curſum, ſeu volatum iſtum, qui à ſpiritu principali, atque ductore eſt, quemue idem ſpiritalis Auſter cauſat, ſponſa inſigni explicat metaphora dicens: *Et fluent aromata illius.* Eſt autem duplex metaphora in verbis hiſce: Altera eſt fluxus fluentorum, ac ſi dicatur: *Et aromata*, virtuteſque meæ, inſtar fluminis, largiter fluentis *fluunt* ad huius Auſtri ſpirationem: quam metaphoram clarius exhibitam habemus in Pſalmo centeſimo vigeſimo quinto, vbi Propheta ait: *b Conuerte Domine captiuitatem noſtram, ſicut torrens in Auſtro:* id eſt, Conuerte nos, vt viam mandatorum tuorum curramus ea celeritate, qua ſiccatus torrens, flante Auſtro rapidiſſime incipit fluere. Altera metaphora eſt effuſionis, & fluxus odoris aromatum: ſiquidem aromatum odor flante Auſtro tanta velocitate diffunditur: vt propemodum in inſtanti per maximum aeris ſpatium diffundatur, & fluat.

b Pſ. 125. 4.

Curſus animæ charitate ſuccenſæ ſimilis fluxui odoris aromatum flante Auſtro.

At circa verba illa Prophetæ: *c Et ſpiritu principali*, ſeu, *ductore confirma me*, quibus hoc ipſum petitur, quod ſponſa efflagitat alijs hiſce verbis: *Veni Auſter, perfla hortum meum*, nonnihil inſurgit difficultatis ex verbo, *confirma me.* Siquidem Propheta duo rogare videtur, quę ſibi inuicem repugnant, Spiritum Ductorem, quo ſcilicet ducatur, ac dirigatur in via virtutis, & ſimul ſtatum firmum, ac confirmationem per eundem Spiritum. Si enim ſtare, ac confirmari, & ſtabiliri vult, cur Spiritum ſanctum, vt itineris, viæque ductorem poſtulat? Nihilominus haudquaquam pugnantia, ſed maxime conſona hac ſua petit deprecatione: Confirmari enim optat ab Spiritu ſancto in charitate, & virtute, iuxta illam Pauli orationem, qua ait: *d Flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt det vobis ſecundum diuitias gloriæ ſuæ, virtute corroborari per ſpiritum eius in interiori homine: Chriſtum habitare per fidẽ in cordibus veſtris in charitate radicati, & fundati.* Congruenter autem ſpiritus, quo ſic cõfirmatur anima, ſpiritus principalis, & ductor dicitur: quia numquã magis progreditur, velociuſque per viam virtutis currit pia quæque anima, quam cum fortius ab hoc ſpiritu confirmatur in charitate.

c Pſ. 50. 14.

Curſus & progreſſus piæ animæ tunc eſt velocior, cum in charitate magis ea confirmatur à ſpiritu S.

d Eph. 3. 14

Porro curſum iſtum, quem ſponſa his verbis: *Et fluent aromata illius*, explicauit, Propheta iis expreſſit verbis: *e Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur*: progrediens quippe, & currens, ab Spiritu ſancto ducta per viam virtutis, &, flante Auſtro fluens aromatibus ſanctarum operationum, exemplo ſuo docet iniquos vias Domini, odoreque ſpiritalium aromatum ſuorum impios ſecum allectos ad Deum conuertit.

e Pſ. 50. 15.

Notanda eſt circa ſponſæ deprecationem diuerſitas verborum, quibus Aquilonem petit, lætitiamque ſalutaris Dei, & Auſtrum, ac Spiritum ſanctum, calore charitatis excitantem, & cauſantem fluxum aromatum, virtutumque profectum. Primo enim dixit: *Surge Aquilo*: ſecundo, *Et veni Auſter.* Primo intus quoquo pacto exiſtentẽ ſuſcitat: Secundo, ab extrinſeco aduenientẽ exoptare ſe ſignificat. Enimuero haud ambigendum, quin ea, quæ hic loquitur anima ſponſa Chriſti, diuinam in ſe habeat gratiam, & cum diuina gratia Deum ipſum, cum ſanctis fidelibus ſingulis id competat, quod aliquando Saluator noſter dixit: *f Regnum Dei intra vos eſt*: Quia tamen contingit nonnumquam vt huius regni Dei lætitia ſubtracta ei videatur, cum eam ſibi reddi poſtulat, quaſi dormientem in ſe exſuſcitans ait: *Surge Aquilo*: prout & alibi per Prophetam Dauid apertius dictum legimus: *g Exurge, quare obdormis Domine? exurge, & ne repellas in finem: Quare faciem tuam auertis, obliuiſceris inopiæ noſtræ, & tribulationis noſtræ?* Et: *h Exurge gloria mea, exurge pſalterium, & cithara*, id eſt gratia, quæ me lætificare ſolet inſtar pſalterij, atque citharæ. Spiritum autem ſanctum cum eadem pia anima rogat, non ait. *Surge*, ſed *veni Auſter*, alludens ad miſſionem illius, qua ab illo venire is dicitur, à quo mittitur, & venire ab extrinſeco in piam animam, abſque vlla tamen mutatione ex parte Spiritus ſancti, ſed tamen ex parte ipſius animæ, in quam venit: quam miſſionem, receptionem, atque aduentum ſic aliqui explicant Theologorum: vt fiat, quatenus ipſe ſpiritus nouo modo incipit in anima, quæ iam diuina gratia, & donis Spiritus ſancti decorata erat, nempe, vt amicus, motor, ac ductor, prout dicitur, dari aliquis rector, ac ductor pueris, & venire rectorem ad pueros, vt eos regat, ac ducat, donec ad legitimã ætatem perueniant: Et omnino vt ſupernaturaliter mouens eamdem piam animam ad ſui amorem, atque notitiã, atque adeo Prophetam in præexaminata ſua eiuſdem Spiritus petitione vt ſpiritum ductorem eum efflagitaſſe vidimus, & in alio Pſalmo ab hoc ipſo ſpiritu, quem in ſe aduenturum confidebat, *i* ducendam ſe ait in terram rectam.

f Luc. 17. 21.
g Pſ. 43. 23.
h Pſ. 56. 9.

Spiritus S. quomodo in piam animã mitti dicatur

i Pſ. 142. 10

Quod ergo in hac ſua precatione ſancta rogat ſpõſa, tale eſt.

Paraphraſis.

Qui in me es, Deus meus, per gratiam tuam, vt quid dormis, & non lætificas me? *Surge* amabo inſtar Aquilonis, lenique refrigerij, & lætitiæ tuæ aura me recrees, rogo reddens mihi lætitiam ſalutaris tui: Tuque ſancte Spiritus, *veni*, à Patre, Filioue miſſus ad me, vt ductor, ac rector, *veni*, inſtar Auſtri calidi, nouoque charitatis calore perflans *hortum meum*, potentias meas excita ad currendum viam virtutis: ſiquidem ad tui ſpirationem *fluent aromata* bonorum actuum: quando ipſa in eorum ſtudio tanta progrediar celeritate, quanta & flumina currunt: quando & eorumdem actuũ exempla illico longe lateque ſuum effundent odorem.

Tribulationibus probari, & Spiritus S. igne ſuccendi rogat pia anima, vt virtutum odorem emittat.

Iuxta quartum litteræ ſenſum perfecta anima illa, quæ tantis ſe à ſponſo ſuo celebratum ſenſit encomiis, in grati animi ſignum, tribulationibus probari expoſcit, pollicens, ſe in tribulationibus, & in aduerſis æque, ac in proſperis aromata exhibituram gratiarum actionum, virtutumque omnium. Eſt autem iſta eius deprecatio ei ſimilis, qua Propheta Dauid in Pſalmo vigeſimo quinto, ſic Dominum interpellat: *a Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos, & cor*

Quartus ſenſus.

a Pſ. 25. 2.

& cor meum. Aquilonis metaphora tentationes, & aduersa petit; quoniam & horto, sub cuius metaphora de semetipsa loquitur, molestus, & grauis Aquilo est: Austro vero calido, hortisue propitio, prospera significat. Quid vero magis prosperum animæ, quam ignis, & calor Spiritus sancti? Quem sane Dauid postulat ijs verbis: *Vre renes meos, & cor meum*, prout exponit Augustinus. Aromata, quæ pollicetur sponsa, ea sunt, quæ enumerat Apostolus, vbi dixit: *b Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem*, & ea, quæ enumerat Dauid post allatam deprecationem: *c Quoniam misericordia tua ante oculos meos est, & complacui in veritate tua: Non sedi cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo. Lauabo inter innocentes manus meas*, & cetera.

Augustin.
b *Rom.* 5. 3.
c *Ps.* 25. 3.

Tribulationibus augetur calor Spiritus S. ita vt largius fluant aromata lacrymarum. Aristotel.

Dici quoque posset eadem Pia anima ob id Aquilonem, ac tribulationes petere cum Austro, & calore, & consolatione Spiritus sancti, quia tribulationibus augeatur, validiorque fiat calor eiusdē Spiritus sancti, ita vt tunc copiosius fluant aromata lacrymarum amoris, atque contritionis. Verum est quippe secundum id, quod asseritur ab Aristotele lib. problem. sectione vigesima sexta, quæstione vigesima nona, quod Auster cum Aquilone sibi ex opposito perflante & calidior est, & fertilior aquarum. Quod ergo ait, tale est.

Paraphrasis.

Vtinam mihi contingat, vt simul hortus animæ meæ perfletur à permolesto vento tribulationum, & faustissimo, maximeque propitio, ac prospero vento Spiritus sancti: ô vtinam vna cum Spiritu sancto, & spiritum habeam ærumnarū me concutientem. *Fluent* sane tunc vberrime *aromata* lacrymarum præ desiderio futuræ vitæ, ad quam ingemiscam grauata, præ ardentissima tui charitate, præque ingenti lætitiæ cumulo, quo in ipsismet tribulationibus meis superabundo gaudio.

Vers. XVI. cap. IV. *Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.*

Expositio IIII.

De tertia Sponsa, quæ est Beata Virgo Maria.

17 Obedientiæ humillissimæ B. Virginis encomium.

IN coronidem præstantissimorum omnium encomiorum quæ toto hoc cap. 4. in B. Virginem collata sunt, id ob oculos nobis ponit cælestis eius sponsus, quod vniuersæ sublimitatis illius, & renouationis mundi exitit causa, humillima nimirum obedientia eius, quatenus exiguis ijs humillimisque verbis:

d *Luc.* 1. 38.

d Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum: increatum Verbum in vterum suum traxit, carnemque eidem subministrauit: Nihil enim frequentius per totum hoc Canticum in B. Virgine celebratur, quam ista eius obedientia, prout in ijs, quæ iam exposita sunt, aduertere est.

Lucifer, & Gabriel duo venti spirituales: hic Auster, ille Aquilo.

Pro intellectione autem eorum, quæ hic dicuntur, supponendum primo, sub metaphora duorum ventorum duos significari Angelos, Luciferum, & Gabrielem, hunc mediatorem salutis, illum mediatorem perditionis, iuxta id, quod, & in Psalmo centesimo tertio, Angeli dicuntur à Deo facti instar ventorum,

e *Ps.* 103. 4.

e *Qui facis Angelos tuos spiritus*, id est veloces æque, ac spiritus, & venti. Aquilonis nomine compellatur Lucifer; quia,

f *Isa.* 14. 13

f cum in lateribus Aquilonis sedere se dicat, quando perflat mundum, ventum se certe exhibet Aquilonis. Gabriel vero è cōtra, cum ante Deum adstet, & à Deo mittatur, vt perflet, de quo scriptum est:

g *Habac.* 3. 3.

g Deus ab Austro veniet: haud dubium quin ab Austro missus Austrino spiret flatu.

Supponendum secundo expelli Luciferum per hæc verba, *Surge Aquilo*: at non è Beata Virgine, apud quam nullum is vmquam habuit locum, & in quam nullum habuit aditum pernicioſus illius flatus; verum è mundo, in quo regnabat, quod indicat verbum *Surge*, è solio nimirum, in quo sedes, è mundo, in quo perflans regnas, vt per hæc, *Surge Aquilo*, Princeps huius mundi ejiciatur foras: At Gabrieli signate dicitur, vt Mariam perflet, quam Dominus in pretiosissimum sibi plantauerat hortum: nec dicitur simpliciter: *Perfla hortum meum*, sed, *Veni, perfla hortum meum*: Erat iam siquidem Dominus cum Beata Virgine tunc, cum Gabriel ad eamdem destinatus est nuntius, & idcirco ille ipse Angelus in salutatione prima, qua illam compellauit, dixit: *h Aue gratia plena Dominus tecum.* Quapropter haud mirū, si cum è cœlis eum mitteret, is ipse, qui in cœlis regnabat hoc vsus sit verbo, *Veni*, eo scilicet, quo ego iam tetendi. Vel per hoc verbum significare voluit, quod & ipse secum venturus esset. Perflauit autem Beatam Virginem Gabriel, proferendo diuini nuntij verba illa: *Inuenisti gratiam apud Deum: Ecce concipies, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum*, &c.

De Annunciatione B. Mariæ.

h *Luc.* 1. 28

Per quem flatum, Spiritus sancti calore æstuantem, obumbrationemque virtutis Altissimi præ se ferentem, factum est, vt aromata tantæ Virginis, tamue insignis horti fluxerint; verba illa scilicet eximiæ obeditionis, ac resignationis: *Ecce Ancilla Domini, & cetera*, quorum verborum prolatione vniuersus terrarum orbis repletus est ex odore talis humilitatis, talis obedientiæ, talisue & resignationis: sicut, *i* & fracto alabastro vnguenti super caput Iesu à Maria Magdalena, totam domum repletam legimus ex odore illius vnguenti. Quin adeo fragrantia eorumdem aromatum longe diffusa est, vt diuinum delinierit olfactum.

i *Ioan.* 12. 3

Breuiter ergo, quod hic dicitur, tale est.

Paraphrasis.

Surge, & abi è mundo isto, cuius regnum tibi occupasti Lucifer, ex Aquilonaribus partibus frigus peccati in illum deferens, vt ventus Aquilo. Tuque Gabriel, mecum ab Austro veniens, veni: atque, vt Auster perfla Mariam hortum meum, nuncians ei verba, quibus calore incalescat Spiritus sancti, virtuteque Altissimi obumbretur, quasi nubibus ab Austro delatis: Et fluent aromata, verbaque illius, instar aromatum redolentia humilitatem, & obeditionem; vt, sicut per inobedientiam vnius mulieris, quam Aquilo excitauit, peccati fœtor totum peruasit orbem: Ita per Virginis huius obeditionem, iustitiæ spargatur odor in omnem terram.

18 Secundus sensus. Mariæ vita tota permixta gaudio & dolore, vt diuersarum virtutum exempla proferret.

Iuxta secundum litteræ sensum, iubet sponsus Aquiloni, dolorem, ac ærumnas, & quæ molesta sunt significanti, necnon & Austro hortis propitio, atque adeo designanti gaudium, atque lætitiam; vt Beatam Virginem perflent, quo sic magis virtutum eius fluāt aromata, eorumdemque aromatum odor extrinsecus effundatur. Ita siquidem (vt ex Euangelio patet) vniuersam Mariæ vitam disposuit Dominus, vt iugiter duobus hisce ventis perflata sit: atque adeo varia ad spirationis ærumnarum, variaue & ad flatum lætitiæ protulit virtutum exempla.

Tertius sensus. Mariæ Spiritum S. præcatur vt in se superueniat, quo fiat Incarnatio Verbi.

Iuxta tertium sensum, quo sub præcipuorum ventorum metaphora Austri, & Aquilonis vnus significatur Spiritus sanctus ob diuersos, quos operatur effectus, vt supra explicatum est, Glorioſa virgo Maria hæc intra se dixisse censenda est tunc temporis, cum à Gabriele Incarnationis diuinæ, quæ intra vterum suum facienda erat per Spiritum sanctum, cælestе accepit nuntium; Ac si dixerit.

Paraphrasis.

Surge amabo è cœlis, & veni sancte Spiritus, quem superuenturum in me nuntiat Angelus; perfla hortum vteri mei: ac, sicut Aquilo, Austerque simul mixtus fac vt sponsus meus descendat, sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram ventris mei: & fluent aromata ipsius vteri mei, quando illum proferet, qui non vnum aroma est, sed aromata

a Cant. 1. 3. mata omnia : Cuius *a* nomen eſt oleum , & vnguentum effuſum .

Verſ. XVI. cap. IV. *Surge Aquilo, & veni Auſter, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.*

Appendix Expoſitionum, Ex antiquis Patribus collecta.

19 PAraphraſis Chaldaica : Et in latere Aquilonari erat menſa , & ſuper eam duodecim panes facierum, & in latere Auſtrali erat candelabrum ad illuminandum, & ſuper altari offerebant Sacerdotes oblationes, & adolebant ſuper illo incenſum aromatum,

Chriſtus abigit ab Eccleſia diabolum aduocatque Spiritum S. vt ex illa fluant aromata prædicationis.

Communiori ſenſu in his verbis, expulſo diabolo, per Aquilonem deſignato , aduocatur Spiritus ſanctus, deſignatus per Auſtrum, in Eccleſiam, vel piam animam ; vt ex ea fluant aromata prædicationis, ſeu operationum virtutum.

Sequuntur hunc ſenſum Gregorius Nyſſenus homilia decima, Theodorit. Catena trium Patrum, Pſellus, Ambroſius expoſitione in Pſalmum primum, & libro de ijs , qui myſter. initiantur capite nono , Auguſtinus epiſtola centeſima vigeſima ad Honoratum, capite vigeſimo ſecundo , Gregorius Papa nedum in ſuis Commentariis, ſed & in libro vegeſimo ſeptimo Moral. capite vigeſimo tertio , alibique ſæpius, Philo Carpathius, Anſelmus, & Rupertus Abbas : Ex quibus Auguſtinus, Gregorius Papa, Philo , Anſelmus, atque Rupertus, Chriſto, vt ſponſo hæc tribuunt, reliqui vero ſponſæ.

Greg. Nyſſ. Expulſo diabolo aduocatur in Eccleſiam Spiritus S. vt ex ore diſcipulorum fluant aromata prædicationis.

Explicat præ ceteris ſenſum iſtum Gregorius Nyſſenus, Eccleſiæ enim hæc tribuens diabolum eam abigere inquit, & aduocare Spiritum ſanctum, per cuius ſpirationem efficiatur , vt ex ore plantarum animatarum, atque ſanctorum, qui ſunt in horto Eccleſiæ ; & tali vento perflati, fluant aromata odorifera prophetiæ, & ſalutaria fidei dogmata, prout factum legimus in die Pentecoſtes : Sic quippe, ait, Centũ viginti diſcipuli, qui plantati ſunt in domo Dei, flatu huius Auſtri doctrinæ fluenta emiſere per omne genus linguæ.

Diabolus cur Aquilo dicatur.

Porro Aquilonis nomine dicit , expulſum diabolum, quia Aquilonis inſtar diabolus pater tenebrarum ſit, vtpote in loco , qui à radijs ſolis neque illuminetur, neque calore foueatur: hiememque efficiat triſtitiæ, atque peccati necnon & mollem animarum naturam inſtar aquæ congelet, duram vt efficiat : Nomine vero Auſtri aduocatum Spiritum ſanctum ; quia inſtar Auſtri calidus is eſt, & ſemper lucidus, à meridie perflans.

Spiritus S. cur Auſter dicatur.

Diabolo is adhæret, qui à Chriſto receſſerit.

Duo inter multa , quæ circa hæc à Nyſſeno dicuntur, haud prætereunda hic ſunt. Primum, Aquilonem vocari dexterum, ſed non eſſe dexterum , niſi, ei qui à tergo habeat Orientem, peragens curſum ad Occidentem : quo ſignificari, inquit, illi dexterum, ac fauorabilem, & gratum eſſe diabolum, qui à Chriſto receſſerit , quem Orientis nomine inſignitum aſſerit Zacharias Propheta: *b* & ſe protrudit ad occaſum lucis, vbi eſt poteſtas tenebrarum.

b Zachar. 6 12.

Lex Moſis extitit fluuius aquarum: Euangelium autem fluenta aromatum.

Alterum eſt, diſcrimen veteris teſtamenti à nouo, hic ſignificatum per verba illa , *Et fluent aromata illius*: quandoquidem fluuius propheticus aquis plenus extitit; Euangelicus vero aromatibus: Sicue per aduentum Spiritus ſancti fluenta aquarum mutata, & eleuata ſunt in fluenta aromatum : *c Flabit* (inquit) *Spiritus eius, & fluent aquæ*, dicit Propheta. Sponſa autem regiis ornata diuitijs mutat fluenta ad maiorem amplitudinem, & magnificentiam faciens aromatum fluuios effluentes ex arboribus horti per vim ſpiritus. Talis fluuius aromatum erat magnus Paulus , cuius fluentum erat Chriſti bonus odor : Talis Ioannes , & reliqui Euangeliſtæ , aliiue omnes, irrigantes plantas horti.

c Pſ. 147. 18

Apoſtoli fluuij aromatum.

Illud quoque notandum ex eodem Nyſſen. per id quod, cum accerſitur Spirirus ſanctus , ſimul expellitur diabolus, ſignificari incompaſſibilitatem eorum in vna eademque anima.

Spiritus S. in anima ſtare nequit vna cum diabolo.

Alio tamen ſenſu vterque ventus in bonum ſumitur pro Spiritu ſancto, quem ſenſum ſecutus eſt Paulinus epiſtola tertia ad Aprum in fine, dicens : Orate , vt hortulum noſtrum introire dignatus (ſcilicet Chriſtus) exurgere Aquilonem iubeat, & Auſtrum venire, quibus auras vitales afflantibus , germina noſtra vireſcant. 20

Paulinus. Spiritus S. accerſitur ſub odorum metaphora.

Eodem tendunt , quæ dicuntur ab Ambroſio in libro tertio de Virgin. circa medium : Pete , vt aſpiret tibi Spiritus ſanctus, ſpiret ſupra cubile tuum atque odorem piæ mẽtis , & gratiæ ſpiritalis accumulet.

Ambroſius.

Clarius Iuſtus Orgelitanus, dicens: *Surge Aquilo, &c.* Vnus ſpiritus, id eſt, quia Aquilo , atque Auſter ſunt diuerſa vocabula , vnius Spiritus ſancta inſinuant dona: Aquilo, dum æſtuantibus refrigeria præbet : Auſter , dum duros ad credendum vel bene faciendum reſoluit: Et quoniam in duobus vnus aduertitur, non ait, perflate, ſed, *perfla hortum meum , & fluant aromata illius*; inſpira credentem populum , & redundent bona opera eius.

Iuſtus Org.

Ambroſius per Aquilonem , & Auſtrum præcipuas mundi partes accipiens in libro primo de Virgin. ante finem , ex omnibus mundi partibus ad rectam fidem omnes gentes his verbis vocari exiſtimat, ſic enim ait: Reſpondebit tibi ſponſus: *Exurge Aquilo, & veni Auſter , aſpira hortum meum , & fluant aromata mea* : Ex omnibus enim partibus mundi odor ſacratæ religionis adoleuit dilectæ , quo Virginis membra fragrarunt. Charirius vero idem in Pſalmum centeſimum decimum octauum , ſermone duodecimo, verſ. ſecundo, *Exurge*, inquit , *Aquilo*, hoc eſt , Surge qui dormis, & exurge à mortuis; populus nationum, qui diu ante dormiſti, euigila aliquando , & illuceſcet tibi Chriſtus.

Ambroſius.

Ad rectam fidem vocantur omnes gentes ex omnib. mundi partibus.

Idem tamen Ambroſ. eodem ſermone duodecimo verſ. eodem, vocari, inquit, omnes gentes : at per Aquilonem, & Auſtrum haud partes accipit mundi, ſed duos populos , Gentilem per Aquilonem , & Iudæum per Auſtrum ; quia fides prius ex Iudæis, ſicut ſol oriens prius per Auſtrum tranſiens , gyrat ad Aquilonem. Sic autem hæc explicat. Omnes inuitantur ad Eccleſiam , & Synagogæ populus , & Gentilium ; ſed prius Synagogæ : quia priores ex Iudæis Apoſtoli crediderunt, per ipſos poſtea nationum populi congregati ſunt. Vide ergo , venientem ſolem noſtrum ad Auſtrum , poſtea gyrantem ad Aquilonem , Ieruſalem , Ieruſalem. Venit vtique ad eam, quam etiam vocare dignatus eſt. Sed hæc Ieruſalem terrena eſt, quæ occidit Prophetas. Gyrauit igitur ad gentes: gyrando autem , gyrauit Spiritus Dei , & in gyro ſuo conuerſus eſt , vt fieret Deus omnia in omnibus.

Idem. Ad rectam fidem vocatur prius populus Iudæus deinde & populus Gentilis.

Eccl. 1. 6.

Quarto ſenſu, Caſſiodorus, ac Beda tam per Aquilonem , quam per Auſtrum ſumunt tentationes, tribulationes, ac perſecutiones : ſed per Aquilonem ventum frigidum proprie terrores , minas, ac cruciatus: per Auſtrum vero calidum blandimentorum decipulas, quibus duobus modis probatur Eccleſia : Vnde Caſſiodorus ait: Sciens Dominus, qui eſt ſponſus, & Redemptor Eccleſiæ , ipſam Eccleſiam perſecutionibus eſſe multiplicandam , ipſam quodammodo iubet venire perſecutionem , non præcipiendo, ſed permittendo ; nouit quippe Dominus , malis hominum bona quædam facere , ſed ipſam perſecutionem in poteſtate ſua habet vt non tantum ſæuiant , quantum volunt: vnde ſcriptum eſt: *a Qui facit ventis pondus*, quia flatibus perſecutionũ modum imponit, iuxta illud Apoſtoli : *b Faciet cum tentatione prouentum vt poſſitis ſuſtinere.* 21

Caſſiodor. Beda. Tribulationes, & tentationes permittit Deus in ſponſam venire pro eius fructificatione.

a Iob 28. 25

b 1. Cor. 10 13.

Aponius

Aponius. Perſecutiones, & tentationes in ſponſam immittit Deus tamen ſimul cum virtute gratiæ ſpiritualis.

Aponius per Aquilonem accipit quidem tentationes, & perſecutiones, ac per auſtrum intelligit virtutem, ac ſecuritatem gratiæ ſpiritalis, ſic enim ait : vt frigus Aquilonis, & calor Auſtri efficiunt temperatum aerem paradiſo, quo poſsint commixto frigore tribulationis cum calore ſecuritatis animarum paradiſi fluere ad alternos actus. Legis enim Euangelij doctrina ab auſtro ſpiritalem virtutem ſuo calore inſpirans, humanis mentibus vt arbuſculis indidit dulciſsimi ſucci medullam, quam Aquilonis immundus Spiritus per regnum Romanorum ſanctorum corpora laniando ad odorem ſuauitatis neſciens perduxit.

Anſelmus.

Conſentire hiſce videntur, quæ ab Anſelm. habentur, dum ait, Aquilo, commouens arbores, facit eas germinare, vt Auſter ſuccedens, fructum faciat producere : Ita perſecutio, ſuccedente feruore charitatis, gratia Spiritus ſancti facit Eccleſiam fructificare.

Rich. Vict.

Eumdem ſenſum ſecutus eſt & Richardus de ſancto Victore ; explicat tamen illum diuerſo modo : ſiquidem per Aquilonem ſumens tentationes, & tribulationes, quatenus per illas conſtringuntur quodammodo, & ligantur aquæ gratiarum virtuteſque præpediuntur, ne libere, & iucunde in actus fluant, non ſecus ac per Aquilonem colliguntur aquæ, ne fluant : vnde & Aquilo dictus eſt, quaſi Aquas ligans:

Ariditate expulſa, immittit Deus in piam animam dulcedinem Spiritus S. efficiens, vt iucunde operetur bonum.

Per auſtrum vero Spiritum ſanctum : Aquilonem tunc ab anima arceri, & Auſtrum in illam aduocari inquit, quando Deus miſertus piæ animæ, quam tentando probarat, aridam eam ſinens eſſe, tentationibuſue, & ærumnis oppreſſam, dulcedinem illi exhibet Spiritus ſancti ; ita vt ex ipſiſmet aduerſitatibus voluptatē percipiat: tunc quippe huiuſmodi Auſtro non tantum flante, ſed & perflante ; id eſt totum occupante ipſum animæ hortum, adeo vt in nullo triſtitiam habeat, fluunt aromata virtutum illius tanta vtique vbertate; vt quælibet aduerſa proſpera reputet, & exteriora damna in lucrum animæ conuertat : fit tunc patientia læta, charitas benigna, humilitas deuota, prompta obedientia, virtuteſque habet non tam in deſiderio, quam in effectu.

Bernardus. Sermones Dei expetit pia anima, vt eorum ope proferat aromata bonorum operum.

Denique Bernardus quintū exhibet ſenſum; nam ſermon. de triplici cuſtodia, &c. Spiritales ſermones per hos duos ventos ſignificatos accipere videtur, ait namque : Ventus eſt ſermo, ſed non ſemper eſt ventus vrens : *Surge* inquit, *Aquilo, & veni Auſter, perfla hortum meum, & fluant aromata illius.* Et egregium ſane cenſeo per hæc ſubminiſtrari nobis ſenſum, vt per hæc ſponſa exprimat ſuam verbiDei audiendi auiditatem, & ſimul indicetur fructus & vtilitas bonorum ſermonum, nempe fluxus aromatum, id eſt operatio virtutum.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

1 VEniat dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum. Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa, meſſui myrrham meam cum aromatib. meis: comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meũ cum lacte meo. Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.

2 Ego dormio, & cor meum vigilat: vox dilecti mei pulſantis. Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.

3 Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?

4 Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius.

5 Surrexi, vt aperirem dilecto meo: manus meæ ſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſsima.

6 Peſſulum oſtij mei aperui dilecto meo: at ille declinauerat, atque tranſierat. Anima mea liquefacta eſt, vt locutus eſt: quæſiui, & non inueni illum: vocaui, & non reſpondit mihi.

7 Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt ciuitatem: percuſſerunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum.

8 Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei, quia amore langueo.

9 Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum? qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, quia ſic adiuraſti nos.

10 Dilectus meus candidus, & rubicundus, & electus ex millibus.

11 Caput eius aurum optimum: comæ eius ſicut elatæ palmarũ, nigræ quaſi coruus.

12 Oculi eius ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſidẽt iuxta fluenta pleniſsima.

13 Genæ illius ſicut areolæ aromatum conſitæ à pigmentariis. Labia eius lilia diſtillantia myrrham primam.

14 Manus illius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis. Venter eius eburneus, diſtinctus ſapphiris.

15 Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas. Species eius vt Libani, electus vt cedri.

16 Guttur illius ſuauiſsimum, & totus deſiderabilis: talis eſt dilectus meus, & ipſe eſt amicus meus, filiæ Ieruſalem.

17 Quo abiit dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum? quo declinauit dilectus tuus, & quæremus eum tecum.

CAPITIS

CAPITIS QVINTI

VERSICVLVS PRIMVS.

Veniat dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructus pomorum ſuorum.

EXPOSITIO I.

Iuxta ſonum Litteræ.

1

HAVD ambigendum, quin totũ id, quod hoc primo verſu præſentis quinti capitis continetur, ad eundẽ pertineat tertium dramatis actum, ad quem & totum caput quartum vidimus pertinere: Nec dubitandũ, quin prima iſta, quę nunc exponuntur verba, ad id ſpectent, ſeu etiam cum illo iungenda ſint, quod in vltimo verſu præcedentis capitis habetur, tametſi apud Septuaginta Interpretes & in noſtra Vulgata diſiuncta videãtur, vtpote reiecta in principium diſtincti capitis, nedum diſtincti verſus; hac quippe non obſtante diſtinctione, Patres omnes, & vniuerſi expoſitores ad ea hęc referũt quoquo pacto, iunguntque complures in vnum, vt Gregorius Nyſſenus, Theodoritus, Pſellus, Catena trium Patrũ & alij.

Greg. Nyſſ. Theodorit. Pſellus.

Suppoſito igitur hoc pro indubitato, cũ variis modis, provt oſtenſum eſt poſtrema ea præcedẽtis capitis verba accipiantur, vel, vt dicta ab ſponſo, vel vt dicta à ſponſa; & hæc pariter variis explicanda ſunt modis. Licet in dubium venire nequeat, quod ſponſa ſit, quæ hic loquitur. Et quidem primo hæc dicere cenſenda eſt in reſponſionem totius encomij illius, quo ab ſponſo euecta ſit in ſuperiori capite; ſeruãs quippe eandem horti metaphoram, qua panegyricam orationem ſuam ſponſus concluſerat, dicens: *Surge Aquilo: & veni Auſter, perfla hortum meum*, &c. quave fuſius ab eodem fuerat commendata in verſ. 12. 13. & 14. in grati animi ſignum tria facit: Inuitat illum ad ſe vt veniat tanquam ad hortum, concluſum quidem aliis vniuerſis, at ipſi vni patentem: Tum eximium id omne, quod in ſe eſt, ab ipſomet fatetur, ſe recognoſcere, à quo vt ab inſigni agricola exculta ſit: idcirco enim hortum eius ſe nuncupat, dicens: *Veniat in hortum ſuũ*: Offert denique eidem illud omne, quod in ſe eſt eximij, promptumque id ei exhibet vt proprio Domino, dicens; *Et comedat fructum pomorum ſuorum*: Tãtumdem autem eſt, ac ſi hoc pacto loquatur.

Tres patres. Primus ſenſus.

Paraphraſis.

Quandoquidem adeo pulcher, adeo pretioſus, adeo amœnus hortus ſum, ſicut me deſcripſiſti, tantamque mei curam geris horti iſtiuſmodi; vt propterea noxiũ ventum abegeris, proficuumque aduocaueris, quo & amœnitas, & gratiarum in me augeãtur aromata: Veni amabo, dilecte mi, in hortum tuum, à te conſitum, & à te excultum, & comede fructum pomorum ſeu deliciarum tuarum: qualis enim, quantaque ſum, tua ſum, quicquid in me venuſtatis, ac pulchritudinis ineſt, tuum eſt, tibique vni ſeruatũ; veni ergo, & de me, vt lubet, diſpone.

Secundus ſenſus.

Quod ſi ſponſus in verbis illis; *Surge Aquilo*, &c. oppoſitos aduocauit ventos, vt hinc, & inde perflantes hortum aromatum eius odorem longe lateque ad exteros quoſque diffundãt, provt explicatum eſt in ſenſu ſecundo primæ expoſitionis: ſponſa, ad ea modo reſpondens, tale quid per hæc ſibi velle videtur.

Paraphraſis.

Participes alij ſint odoris aromatum meorũ famæque gratiarum mearum celeberrimæ; hortus tamen concluſus ipſa tibi ſeruabor, cui nedum odorem, ac famam; ſed & fructus, pulchritudinem, gratias, ipſaſve A earumdem delicias non tam meas, quam tuas tibimet vni ſeruatas volo: *Veniat* itaque *dilectus meus in hortum ſuum & hoſce comedat fructus pomorum*, deliciarumve ſuarum.

Si vero ſponſæ, quæ in fine præcedẽtis capitis dicta ſunt, tribuantur: affert nunc ipſamet ſponſa rationẽ, quare precationem illam aduentus adhibuerit, & cur tantopere fluxum aromatum, odoriſve illorum diffuſionem per hortum ſuum à duobus ventis Aquilone, & Auſtro leniter flabellatum exoptarit: nempe vt dilectus eius ab amœnitate aeris, & ab effuſa odoris fragrantia allectus, *veniat in hortum* ipſum *ſuum* ibique *comedat fructus pomorum ſuorum*. Ac ſi dicat. B

Tertius ſenſus.

Aquilo, Auſterque leniter viciſſim, aut etiã ſimul perflate *hortũ meũ, fluentque aromata eius*. O vtinã mihi præſto ſint occaſiones, quibus notas facere queam dilecto meo dilectionem meam, meamque in eũ propenſionem: vt ad hortum aromatum odore, iſtarumque voluntatum mearum notitia illectus, is *veniat in hortum ſuum, & comedat fructus pomorum*, ac deliciarum ſuarũ: C veniens nimirum ad me, deque venuſtate, pulchritudine, gratiiſve omnibus, quas tantis extulit encomiis, vt de fructibus non tam meis, quam ſuis, vtve de ſuis pariter deliciis diſponat, prout ſibi libuerit.

Paraphraſis.

Poſſent denique & nõ incongrue hęc accipi vt dicta ab eadem ſponſa in reſponſionem ad totam inuitationem, qua in ſuperiori capite inuitata ab ſponſo fuerat, vt ſecum tenderet: & in primis ad ea, quæ is dixerat in verſ. *a Donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ vadam ad montẽ myrrhæ, & collẽ thuris*: vbi ſcilicet hortus eius erat, D provt ibi explicatũ eſt, vt horti nomẽ haud metaphorice hic ſumatur, ſicut ſumendũ vidimus, ſecundũ præallatos tres ſenſus: ſed proprie pro ipſo ſpõſi horto, ad quem illum tetendiſſe ſignificatur in primo capitis 6. verſiculo. Sicve quod dicitur, *Veniat*, tantumdẽ eſt, ac ſi dicatur: Eat, & vadat. Licet enim verbũ venire ſignificet proprie motũ verſus nos, & ad nos accedere: ſumitur tamẽ frequenter pro ire tũ apud Auctores profanos, tum etiã in ſacris litteris, ſicut & hebraicũ verbum בוא bo, quod, etſi venire ſignificet: ſæpius tamẽ E in ſignificatu eundi poſitum reperitur, vt in Geneſ. *a Puer non comparet: & ego quo ibo?* Hebr. *Quo veniã?* Quinimo in hoc quoque ſignificatu hic idem verbũ ſumpſiſſe videntur Sept. pro, *Venias*, vertentes, Καταβήτω, *deſcendat*. Quid ſit autem, dilectum *deſcendere in hortum, ſuum*, ex eo colligi poteſt, quod in principio capitis ſexti dicitur ab eadem ſponſa: *b Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatũ*. Iſta vero profectio ad huiuſcemodi hortum, deſcenſio dicitur, tametſi hortus ille in monte eſſet, & colle myrrhæ, ac thuris: quia F ex aſperrimis, & difficillimis ijs facta eſt locis, quorũ aſperitas, ac difficultas per metaphoram altiſſimorum Iudææ mõtiũ deſignata eſt in v. 8. vbi dicebat ſpõſus: *c Veni de Libano, ſponſa mea, veni de Libano: Veni, coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermõ, de cubilib. leonũ, de montib. pardorũ*. Ad ſignificandũ ergo facilitatẽ, & iucũditatẽ iſtius itineris ad hortũ amœniſſimũ deliciiſve refertũ, deſcendiſſe ad eũ dicitur ſpõſus: & hoc loco eidẽ ſuadetur, vt in illũ ipſum veniat, atque deſcen-

2

Quartus ſenſus.

Verbum venire ſumitur aliquãdo pro ire.

a Gen. 37. 30.

a Cant. 4. 6

b Cant. 6. 1

c Cant. 4. 8.

dat: facilis quippe descensus est, atque iucundus.

Congruunt porro & cum fine præcedentis capitis ea, quæ hic dicuntur, secundum sensum istum: nam cum verbis iis, *Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meũ*, &c. iuxta eum sensum, quem quarto loco attuli in prima eorum expositione, sponsa suo significarit dilecto id in primis sibi esse in optatis, vt exhibitis sibi occasionibus, locis, atque temporibus aliquid molesti pro ipso patiendi, odorem charitatis suæ ipsi tam in molestis præberet, quam in iucundis, offerens se illi tam in asperrimis iis locis, in quibus tunc cõmorabatur, quam etiam vbi nulla sit Aquilonis asperitas, sed placida Austri spiratio: Nunc eidem suadet, vt ad eum se conferat hortum suum, ad quem ire se velle significauit, ibique deliciis perfruatur, comedens fructus pomorum suorum; subindicans, sibi tam gratum esse remanere in asperrimis iis locis, si ei visum fuerit, tametsi molesti aliquid patiatur, quam si vna cum illo pergeret ad delicioſum hortum illum: qua in re præstantissimum obedientiæ, & promptitudinis ad quãcumque sponsi sui voluntatem faciendam exhibet specimen. Tantumdem autem est, ac si dicat.

Paraphrasis.

Siue in locis hisce asperrimis, in quibus asperrimus item spirat Aquilo, siue in amœnis iis locis, ad quæ aduocas me: siue aduersa, molestaque Aquilonis siue prospera Austri spiratione perfler, *fluent* certe tibi abũdanter *aromata* venustatis, & pulchritudinis, dilectionis, atque propensionis meæ. Tua certe sum & in amœnis hortis ad suauem Austri ventum: Tua sum & hic quoque ad ventum Aquilonem. Quare ne mei respicias commoda: at vade, si lubet, solus *in* delicioſum *hortum* tuum, & comede *fructum pomorum* tuorum: Ipsa libentissimè, si volueris, nedum eo tecum ibo, sed & hic remanebo.

Quoad lectionum varietatem, præter id quod iam annotatũ est, circa verbum, *veniat*, pro quo Sept. habẽt κατα βάτω, id est, *descendat*, duo notanda sunt. Primum, in Latina versione Sept. quæ nuper impressa est in Vaticano mendose legi, *Descendat fraternus meus in hortum meum*: nam in omnibus textibus Græcis, atque in illo etiam, qui nuper emendatus è Vaticano prodiit, cuius ea est versio Latina, habetur εἰς κῆπον ἀυτοῦ, *in hortum ipsius*, seu, *in hortum suum*. Secundum, in Hebræo pro eo quod in vulgata legimus: *Pomorũ suorũ*: haberi מגדאו megadau, qua dictione significatur nedum poma sua sed quicquid delicatum in horto eius extiterit: quin & deliciæ ipsæ, ita vt verti possit: *Delicatorum suorum*, vel, *deliciarum suarum*. Videantur quæ circa hanc ipsam dictionem, & circa vocem ἀγρεδοὺν, qua eam reddiderunt Sep. dicta sunt supra in prima expositione vers. 13. cap. 4. circa finem. Licet enim fere communiter Græcam istam vocẽ vertant, *Nucum eius*, Ambrosius tamen lib. 1. de Virgin. post dimidium, legit; *Pomorum suorum*, iuxta versiones Vulgatæ, & Aquilæ, atque Symmachi, legentium, ὀπωρῶν id est *pomorum*: poma enim Græcè, etiam ἀγρεδοὺν dici, ostensum est ibi. Quanquam idem Ambrosius in eodem sensu sæpius legat: *Pomiferarum suarum*: vt videre est in Appendice.

Ambros.

Vers. I. cap. V. *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum.*

Expositio II.

De prima Sponsa, quæ est Ecclesia Sancta.

3 d Genes. 2. Euæ, miles sunt hæretici in horto Ecclesiæ, haud Christum, sed

LEgimus in libro Geneſis, *d* Dominum plantasse *paradisum voluptatis à principio*, eumdemque Dominum produxisse *de humo omne lignum pulchrũ visu, & ad vescendum suaue: lignum etiam vitæ in medio Paradisi, lignumque scientiæ boni, & mali*: legimus Adã, & Euam positos in eodem paradiso, illisve tradita cuncta, quæ in eo erant ea ratione, vt directum tamen dominium tam paradisi, quam eorum omnium, quæ in ipso erãt, Deus sibimet seruatum voluerit: eove vno id significauit præcepto, quo vetuit vnius fructus ligni scientiæ boni & mali comestionem: quia in fructu vno illo, ceterorum quoque fructuum, totiusve paradisi verus agnosci voluit Dominus: legimus ibidem, *e* mulierem dupliciter errasse circa veritum lignum illud; & quia ipsa prior comedit de fructibus pomorũ eius, & quia de ijsdem viro suo obtulit comedendos: quin nedum Deum ad hortum illum non inuitauit, quem sciebat & horti, & sui ipsius verum Dominum, sed audiẽs vocem illius deambulantis per hortum ipsum ad auram post meridiem, ab eius facie se abscondit, indicans, non stetisse per ipsam, quin ille à suo arceretur horto. Euam imitantur hæretici; siquidem, cum Dominus Iesus Ecclesiam plantarit tanquam hortum ac Paradisum voluptatis, deque ea produxerit omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue, omne genus sanctitatis, cumque illos ipsos in huius Ecclesiæ paradiso collocarit; vt quam in piis fidelibus intuerentur sanctitatem, eam omnem comedentes in se transfunderent, vnico sibi reseruato ligno scientiæ, quod sibi vni voluit exhibendum in veri, ac directi dominij Ecclesiastici protestationem, vtpote in cuius scientiæ exhibitione & reliqui pariter exhiberentur fructus eiusdem horti: Illi è vestigio ipsum sibi vsurpant scientiæ fructum, vnaque cum illo & fructus alios vniuersos gratiæ, & sanctitatis, verumque agricolam ex horto, quantum in ipsis est, eiicientes Christum Dominum, hæresiarchis suis, vt sponsi singularum sectarum, & vt ipsius Ecclesiastici horti Dominis eam ipsam exhibent scientiam, exhibitione hac totam cuiuscunque sectæ inficientes Christianorum collectionem: tantumve abest, vt verum Ecclesiæ sponsum inuitent, vt potius instar Adam & Euæ ab eius se abscondant præsentia, odientes nimirum lucem ipsius veluti fures. Catholica vero, sanctaque Ecclesia, tametsi hortũ se esse intelligat omni arborum genere consitum, omni sanctitatis gradu decorum: agnoscit tamen, se illius esse, qui ipsam iam nuncuparat hortum, qui hortum ipsum plantarat; sicve id agnoscit, vt libere id fateatur, nec fateatur modo, sed & offerat illi sese vt hortum ipsius, inuitans eum, ac dicens: *Veniat dilectus meus in hortum suum*: Christi se hortum asserit, eumdemve ad sese inuitat, non alium; quia Christum vnum habet dilectum: Non vnum vero duntaxat ei, quem dilectum suum appellat, sed vniuersos quotquot in se extãt, fructus offert, dicens generice: *Et comedat fructũ pomorum suorum*: quibus in verbis quatuor sunt notanda: singulæ enim voces peculiare aliquid innuunt.

hæreſiarchas ſuos ad hortum ſuũ inuitantes, & ad fructum ſcientiæ.

e Gen. 3. 6.

Ecclesia Catholica & ſcientiam, & quicquid in ſe eſt Chriſto offert.

4.

Ac primum circa id, quod dicitur: *Et comedat*: considerandum est discrimen, quo Apostolis mandatum est, vt in Ecclesia comederent, quove ipsamet Ecclesia Christum inuitat, vt in se item comedat. Enim vero in Actis Apostolorum legimus, Petro Apostolorũ Principi iussum, vt tunc manducaret, cum prius mactasset: ostensa quippe illi Ecclesia sub specie vasis, ac sindonis, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cœli, facta est vox ad eum: *a Surge Petre, occide & manduca*: At Christo nequaquam dicitur, vt occidat, sed tantum, vt comedat: quia non vt ad linteum, sed vt ad hortum inuitatur: In linteo namque præfigurabatur Ecclesia illa qua Gentes erant cõplectendæ idololatræ, & infideles, quas cõuertere debebant Apostoli ad hoc, vt membra fierent Ecclesiastici corporis.

Apoſtoli in conuerſione infidelium antequam eos comederent mactare debebant: Chriſto conuerſi offerunt. tur comedendi, & non mactandi.

a Act. 10. 11.

Porro quia Gentes illæ erant instar brutorũ, instar quadrupedum, serpentium, aquatilium & volucrum, mandatur Petro, vt tunc eas comedat, cum occiderit, cum pristina, atque brutali vita illas priuarit: hoc etenim significat ibi mactandi verbum, sicut & verbum comedẽdi incorporationem indicat, quæ per comestionem fieri solet. Christo autem incorporandi proponuntur fideles, atque sancti, quos ipsamet Ecclesia ex se tanquam ex horto veluti dulcissimos profert fructus; ita vt haud operæ pretiũ sit, vt mactentur: ac

Chriſto comedendi proponuntur iuſti, vt dulcia poma ipſius.

profe-

Comestio, qua Christ. comedit iustos quomodo fiat per specialem prouidentiam, & dilectionem.

profecto summa cum voluptate illos intra sua admittit viscera, qui Ecclesiæ spōsus est, & agricola: & ideo quasi ad comestionem illorum inuitatur. In qua comestione hæc duo considerantur, gustus, seu refectio comedentis, & prærogatiua comestorum, quæ in ipsius comedentis viscera transmittuntur. Quod si quis quærat, quidnam sit ista transmissio fidelium, atque iustorum intra viscera Christi; crederem, dici posse non incongrue, esse illam specialem curam, ac prouidentiam, quam Christus suscipit eorum. Istam specialem curam, atque dilectionem præcedit in Christo gustus, quem ex talibus percipit fructibus, dum quasi actu quodā comestionis palato cognitionis aduertit, illos esse consortes diuinæ naturæ; ita vt haud operæpretium sit, vt eos in sui transmutet substantiam, sed vt transmissos in viscera sua, magis illos perficiat in ea, quam iam habent, natura diuina. Siquidem in spirituali ista comestione è cōtrario quodammodo res se habet, ac in comestione corporea: in hac namque præcedit transmissio comestōrum intra viscera comedentis, & eorumdem transmutatio in substantiam eiusdem comedentis subsequitur: At in spirituali, de qua loquimur, comestione non transmittit Christus, nisi eos, qui iam transmutati aliqua ratione sint in eius naturam, conformes effecti diuinæ naturæ per gratiam: quamquam postmodum per eiusdem gratiæ incrementum, etiam post prædictam transmissionem, ac per specialem curam, & prouidentiam, & dilectionem perficiatur & ipsa quoque transmutatio. Indicantur hæc ab Apostolo Petro in Epist. 2. vbi de duobus hisce spiritualis comestionis effectibus, licet sub alia metaphora agens, ponit primo loco diuinæ naturæ consortium, & transmutationem iam factam: tum subdit transmissionem intra viscera Christi, vbi iusti sub speciali illius prouidentia effugiunt peccati, ac corruptionis detrimenta, dicens: *b Per quem*, scilicet Christum Iesum, *maxima, & pretiosa nobis promissa donauit*, scilicet Deus: *vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ, fugientes eius, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionē.*

In comestione spirituali transmutatio præcedit traiectionem in viscera.

b 2. Petr. 1. 4.

5

Iusti cur dicantur fructus in horto

Notandæ sunt prærogatiuę eorum iustorū, ad quorum comestionem Ecclesia Catholica Christum inuitat dilectum, quæ triplici appellatione indicātur, fructuum, pomorum, atque suorum. Nomine etenim fructuum distinguuntur primo ab infidelibus, qui similitudine animalium quadrupedum, serpētium, ac volatilium designati, ab extra in Ecclesiam veniunt, & in illa vt in Sindone concluduntur, prout superius ostensum est; ita tamen, vt facilè ab illa effugere queant: cum iusti ipsi intra eam contineantur Ecclesiam, quæ hortus conclusus est: intra Ecclesiam electorum, quæ vni tantum peruia est Deo, cuius & propterea se hortum gloriatur, dū ad fructus hos comedendos Christum inuitat: quamve & ipsemet Deus concludit, ambitve vt murus igneus. Nec solum iusti intra talem hortum deliciarum Dei continentur; sed insuper prodeuntes ex radice charitatis intra eamdem Ecclesiam in ipsa charitate radicati & fundati sunt: quin, ita fructus sunt charitatis, vt simul quoque sint fructus diuini arboris Christi Iesu, de quo superius dictum est: *c Sicut malus inter ligna siluarum; sic dilectus meus inter filios.* Et idcirco benè ad appellationē fructuum adiectum est pomorum, quę supra ostendimus sæpius, esse ipsius charitatis hieroglyphicum. In qua etiam charitate ita similes ipsi sunt Deo, vt propterea verissime dictum sit in eorum comestione Christum comedere iam conuersos quodammodo in sui naturam, quos intra sua immittit viscera, denique ijdem iusti, tametsi sint præcipuę Eccl. partes, & intra Ecclesiam, in Ecclesia, atq; ex Ecclesia fructificent, vt ex pingui ac fęcundissima terra, dicuntur tamen ab ipsamet Ecclesia fructus pomorū Christi, cui eos offert comedendos: tū, quia tametsi ipsa instar telluris aliquid in eis habere videatur; quicquid tamen in illis boni est, atque suauis, id omne eius esse intelligit qui incrementū dat Deus: tum quia cum è Christo vt ex arbore mali fructificarint, eius potius, quam sui ipsius fructus dicere illos debuit: fruct.

Iusti fruct. dicuntur non horti sed pomorum, id est charitatis Christi.

c Cant. 2. 2.

enim quique sunt magis arborum, quā telluris. Vsa est demum hoc modo loquendi, vt significaret tales hosce esse fructus, quia à nullo contingendi essent, præterquam à Christo, cui vni à se, & in se conseruantur, iuxta id, quod apertius illi significauit in fine capitis septimi dicens: *a Omnia poma noua, & vetera seruaui tibi, dilecte mi.*

a Cant. 7. 15.

6

Qua ratione Christus inuitetur in hortum & ad fructus, cum ambo hæc iam sua sint. Simile.

Vnū superest explicetur: Qua ratione Ecclesia sancta Christū hoc loco ad hortū inuitet, atque ad comedendos fruct. cū tamen simul non officij causa, sed verè & hortū, & horti fructus eius esse fateatur, ad hæc nāque dicēdū, Ecclesiā se habere instar boni illius curatoris horti, qui licet optime norit domino suo periucundū eū hortum, quia suæ cōmissus est curæ: ita vt propterea summa cum voluptate ad eum se conferat, quandocunq; ei libuerit; & exploratum pariter habeat posse illū ad libitū suū nedū eo tēdere, sed & quicquid ei placuerit ex ipso accipere fructuū. Inuitat nihilominus ipsum, vt ad hortū istū suū pergat, offertq; & fructus ex eodem horto comedēdos: vt meliori, quo potest modo propriū illi patefaciat gratitudinis, ac dilectionis affectum: vtve illius gratiæ compos efficiatur magis, quo magis sua ei perspecta sit industria, ac solicitudo: atque etiam, vt ille aliquibus prospiciat, qui in horto sunt, defectibus. Eadē quippe ratione & Ecclesia, tametsi pro certo habeat, Christo nihil esse iucundius, quam vt se in congregationem Sanctorum conferat, tanquam in hortum sibi maxime gratum, provt significatum ab ipsomet, cū dixit: *b Vbi sunt duo, vel tres cōgregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*: inuitat nihilominus illum his verbis: *Veniat dilectus meus in hortū suum*: idque vt suam ei patefaciat dilectionē, gratitudinem, ac subiectionem: vt propriam quoque eidē exhibeat industriā, qua semetipsam vt talis Domini hortum excolere satagat: vtve si qui in eo horto vel exigui sint defectus iis ab ipso prouideatur, qui dulcedinem gustet fructuum: Ac ti dicat.

b Matth. 18. 20.

Paraphrasis.

Ecce me hortum haud alius cuiuspiam, sed tui ipsius; ceteris vniuersis cōclusum, at tibi vni patentem, veni amabo dilecte mi, & eos, qui in me sunt, at è te magis fructificant, è radice charitatis prodeuntes, cōede sanctos tibi vni seruatos, per specialem eorum prouidentiam in tua illos transfer viscera, ea ratione, qua & fructus comesti in viscera trāsmittūtur comedentis: perque specialē dilectionē ibi eos concoquens perfice eam, quam tecum habent, similitudinem.

7

Tertius sensus Spiritus sancti missionem consecutus est spiritualis Christi aduentus in Ecclesiam.

c Matth. 21. 37.

Sed melius eidem propositæ difficultati satisfiet, si ea quæ hic dicuntur, exponantur iuxta sensum illum, qui tertio loco allatus est in littera: quove hic affert Ecclesia rationem, quare in præcedentibus verbis Spiritus sancti missionem efflagitarit. Procuius sensus intellectione duo sunt supponenda, alterum ex Euangelio, alterū vero ex Isaia Propheta, atque ex Paulo Apostolo. Primum, è *c* parabola illa Patris familias, qui plantauit vineam, colligitur, Dominum Iesum, cum in mundum veniisset, vt è vinea, quam Pater in Iudæa plantarat, fructus colligeret, ab illa fuisse ejectū, maleque habitum, atque etiam interfectum. Secundum asserit Dominus apud Isaiam, *d* expectasse quidem se vt vinea Israel, quam sibi plantarat, fructificaret; at pro fructibus spinas sibi ab ea exhibitas: & per Apostolū significatur illud ipsum, quod tunc fructificatum in ea est, haud Domino fructificatum esse, sed mundo, ac Domini hostibus: *e Cuenim essemus*, inquit, *in carne, passiones peccatorū, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, vt fructificarent morti.* Duobus hisce euentura cōtraria confidens per aduentum Spiritus sancti, illius missionem efflagitauit primitiua Apostolorum Ecclesia in fine cap. quarti: Nunc has ipsas clarius explicat rationes, hosve effectus prædictæ suæ petitionis, ac desiderij, dicens. *Veniat*, id est, *vt Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructus pomorum suorum.* Quibus verbis significat primo, post missionem Spiritus sancti Christum in Ecclesiam ipsam suam iterum venturum spiritali aduentu, quo credentium cordavisitare dignatur, & dona communicat spiritalia: de quo

d Isai. 5. 4. secundum Septuag.

e Rom. 7. 5.

Spiritalis Christi aduentus in Ecclesiam duo effectus.

aduentu Chyſoſt. hom. 74. in Ioannem ea intelligit eiuſdem Domini verba; *f Ego rogabo Patrem, & aliũ paraclitum dabit vobis*, &c. *Non relinquam vos orphanos: veniã ad vos*: Secundo, compellans illum nomine dilecti ſui, indicat, fore vt tunc admittendus ſit nedum pro Domino, ſed & pro dilecto, qui prius tanquam infeſtiſſimus hoſtis habitus fuerat; cum tamen idem re vera eſſet dilectus vineæ eiuſdem, quam ſibi plantarat: nam & hoc nomine illum inſigniuit Propheta, dicens: *g Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ ſuæ, vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei*: idemque confirmat, dum ſe *hortum* eius nũcupat: tacite enim ſignat contrarium in hoc aduentu ipſius euenturum ei, quod in altero accidit; fore nimirum, vt non modo non eiiciatur, verum, vt in vineam ipſam ingreſſurus ſit tanquam in proprium deliciarum hortum, ibique deliciis ſit recreandus, vbi eiectus contumeliis, cruciatibus, ac morte fuerat affectus. Tertio, adiiciens: *Et comedat fructus pomorum ſuorũ*: ſignificat, ſe tũc ita fructificaturam Deo, vt iam non amplius, ſed illius ij cenſendi ſint fructus: nec amplius ſpinas fructificaturam, quæ comedi non poſſunt, ſed fructus pomorum, fructus charitatis, fructus deliciarum, fructus ſpiritus, quos enumerat Paulus, *h* fructus ipſiuſmet Chriſti, qui ſumma cum voluptate ex illis ſe reficit, quos idem Apoſtolus opponit fructibus mortis, cum dixit: *i Itaque fratres mei, & vos mortificati eſtis legi per corpus Chriſti vt ſitis alterius, qui ex mortuis reſurrexit; vt fructificemus Deo: Cum enim eſſemus in carne, paſſiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, vt fructificarent morti.*

Chryſoſt. f Ioan. 14. 16. & 18.

g Iſaiæ 5. 1.

h Galat. 5. 22.

i Rom. 7. 4.

Ait ergo ſecundum hunc ſenſum Eccleſia ſancta in Apoſtolis.

Paraphraſis.

O vtinam ſpiratione pariter Spiritus ſancti, vt *dilectus meus*, qui iã à Synagoga expulſus fuit & interfectus ne ipſius fructus colligeret, quos tamen haud alios protulit, quam labruſcas, & ſpinas, in me *veniat* ſpirituali aduentu, vt *in ſuum hortum* deliciarum, & fideles, qui in me erunt, haud amplius morti fructificabunt, provt in Synagoga factum eſt, ſed Deo: is aduenies ſumma cum voluptate ſuos iam *comedat fructus pomorũ*, & charitatis.

A

B

C

D

Verſ. I. cap. V. *Veniat dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum.*

Expositio III.

De ſecunda Sponſa, quæ eſt Anima Iuſti.

E

8 Primus ſenſus.

INuitat prudens agricola tranſeuntem ex ipſius horto Regem ſimpliciterque illũ obſecrat in ſuũ venire dignetur hortum, offert fructus, & quicquid boni in eo extiterit: Exploratũ tamen is habet, per huiuſmodi Regis aduentum plura ſibi euentura commoda: nam præterquam quod ex tali inuitatione regiã adipiſcitur gratiã, ditẽ inſuper ſibi parat ſtrenã: quinimo id optat quam maxime, vt ex oblatis à ſe fructibus rex colligat, guſtetve aliquos: pro certo etenim habet, multo pluris, quam valeant, eos ſibi exoluendos. Eadẽ ratione ſe habet pia anima cum cæleſti Rege, dilectoque ſuo: inuitat quippe illum, vt in ipſam ingrediatur hortum ſuum dicens: *Veniat dilectus meus in hortum ſuum, & cõedat fructum pomorum ſuorũ*: intelligens, quã illi iucunda talis ſit inuitatio, & expectans largiores ab eo gratias, eximiaque munera. Enim vero inuitatio iſta multo maiorem emphaſim habet, quã primo præſeferat aſpectu: cum inuitetur Deus, qui iam in ipſa eſt pia anima, quive præſentia ſua deliciarum hortum eam ſibimet reddit, quę alioquin lucus eſſet draconum atque ferarum. Dictũ eſt quippe ſæpius, nouum Dei aduentum in animam, nouam illius communicationem ad eandem animam ſignificare, nouæque alicuius gratiæ infuſionem: quę ſane noua Dei cõmunicatio, & nouæ gratiæ infuſio tunc maxime fit, cum magis illa ſe deprimit, cumve nouo actu ſe, ſuaque omnia Deo offert, ei ferens acceptum quicquid in ſe repertũ ſit boni. Idcirco dicens, *Veniat*, dilectum ſuum illum appellat nouo amoris actu eum ad ſe alliciens, ſeque ſemetipſa quodammodo (vt ita dicam) exproprians, addit: *In hortum ſuum, & comedat fructus pomorũ ſuorũ*. Præclare autem per hæc quæ vltimo loco ſubiicit, *& comedat*, &c. ſubindicat, quænam futura ſit iſta noua communicatio, quã optat, ſperat, ac enixe efflagitat, inuitans Deum, vt ad ſe veniat. Nempe internus quidam guſtus quo in ipſis bonis operibus ſuis reficitur eo ipſo tempore, quo iiſdem reficitur & Deus, quem ſpeciali actu charitatis intra ſe admiſit, provt colligitur ex illo Apocalypſis, quo idemmet Deus ait: *a Ecce ſto ad oſtiũ, & pulſo: ſiquis audierit vocẽ meã, & aperuerit ianuã, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecũ*. Quamquã hæc Dei comeſtio fructuum pomorũ ſuorũ duas inſuper alias ſignificet Dei cõmunicationes dictæ animæ præſtitas: alterã in eo, quod anima ipſa ex Dei aduẽtu dulciſſima perfunditur conſolatione, certã, quantũ homini viatori permittitur, concipiens fiduciam, quod Deo accepta ſint opera eius, & quod is eadem opera comedens, illa quodammodo intra ſua tranſmittat viſcera, vbi tuto ſibi ſeruentur, iuxta illud Apoſtoli: *b Scio cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illũ diẽ*. Alteram, quod dum ſic percipit, bona opera ſua, ac præſertim actus charitatis ſub metaphora fructuum pomorum deſignatos, per Dei comeſtionem ſibi intra eiuſdem Dei viſcera ſeruandos, percipit pariter, eoſdem pomorũ fructus in ipſum comedentem Deum quodãmodo conuertendos: atq; adeo intelligit, eos fore meritorios eiuſdẽ Dei, quẽ nil meri poteſt, niſi quid diuinitatis quoquo modo ſit particeps: ſicve per nouam gratiæ infuſionem ardentius ſe quoque in eumdem Deum conuertere ſatagit, vberiuſve illi fructificare decernit. Ex quibus omnibus colligitur id, quod iam dictũ eſt in principio, inuitationem iſtam in inuitantis animæ commodum factã: ſimulque colligitur, quam immenſa ſit Dei bonitas, qui, cum nil à quoquam accipere poſſit, quod ſuũ non ſit; pro gratiſſima nihilominus accipit oblatione, cum ſua ipſa ei exhibeantur: nihilve ipſi pro gratiis acceptis præſtari poteſt iucundius, quam ſi inuitetur ad nouas gratias conferendas: quod enim iuxta hũc ſenſum ait pia anima, tale eſt.

Aduentus Deus in piã animam comedenſque opera illius tripli cem ei exhibet nouam ſui communicationem.

a Apoc. 3. 2.

b 2. Tim. 1. 12.

Paraphraſis.

Hortus tuus ſum, à te excultus, omnive decore, quẽ in me extuliſti, à te inſignitus: nõ ceſſas, ſat noui, noxia cuncta à me abigere, fauſtaque largiri: quid aliud tibi referam ignoro, niſi vt, quãdoquidẽ hortus tuus ſum, in me venire digneris tãquam in hortum ipſum tuum: vtve opera ipſa mea, quæ fructus pomorum tuorum ſunt, comedas. nouo me reficiens in iis guſtu, dum tu illis te reficis dilecte mi; nouam exhibens eorũ fiduciam, quæ in tua condita ſint viſcera; nouam quoque mihi conferens gratiam per eorumdem deificationẽ, vt & ipſa pariter, quantum fieri poteſt, in te conuertar, & vberius tibi ſtudeam fructificare.

9 Secundus ſenſus.

Iuxta ſecundum ſenſum: Peregregie pia eadem anima per hæc verba Deo conteſtatur dilecto ſuo, etiam tunc temporis, cũ fama ſanctitatis ſuæ iuxta eius diſpoſitionem percrebuerit apud homines, etiam cum, iuxta eius mandatum, *c* ſic lucet lux ſua coram hominibus, vt *videant opera ſua, & glorificent patrẽ cœleſtẽ*, ſe nullum alium intra animi ſui penetralia velle admittere, præterquam ipſum, à quo ſingulari charitate dilecta inſtar pretioſi horti exculta eſt; nil aliud in mente habere, nil in intentione, nullum alium bonorum operum ſuorum velle eſſe participem, præterquam ipſum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt; in nullius hominis gratiam, ac pro nullius commodi reſpectu bonum aliquod opus velle efficere. Enim vero cum in fine præcedentis capitis cæleſtis ipſe eius ſponſus Spiritus ſancti ſpirationem ei precatus ſit, precanſque illum eidem præſti-

Anima ſancta inuitat Deum ad comedendum opera ſua in ſui ipſius commodum.

Aduentus Dei nouus in piam animam eſt noua ipſius Dei communicatio illi præſtita.

Pia anima etſi bonam famam bonorum operum ſuorum non reiiciat, Deo tamen ſoli & ſe, & ipſa opera ſua ea bibet vt fructus comedendos.

c Mat. 5. 16.

præſtiterit, quo ope huiuſcemodi ſpirationis ipſa odorem diffunderet virtutum ſuarum in bonis operibus: Illa modo ſic tacite ad ea ipſius verba videtur reſpondere.

Paraphraſis.

Fluant aromata virtutum mearum, flante Spiritu ſancto, deferaturque earūdem odor, ac fama ad quoſcunque tibi libuerit per eiuſdem Spiritus ſancti ſpirationem; Verumtamen intra mei cordis penetralia tu ſolus ingrediaris dilecte mi: Tu ſolus in me venias hortum tuū quem tua charitate plantaſti, quē tuo labore excoluiſti, quem tuo ſanguine irrigaſti: Tuque vnus comede, quæcūque in me repereris opera bona, traiiciens ea inviſcera tua ardentiſſimoque tuo diuinę dilectionis calore ipſa depurata, & deifica illa redde; fructus quippe ſunt, quorum comeſtione delectari te ſcio: fructus horti tui, fructus pomorū tuorū: pro eo enim quod in me laboraſti horto tuo, dignum eſt, vt fructus deliciarum tuarum videas, iiſdēque ſatureris. Intellige hæc ita ad Deum prolata, vt tamē ad Chriſtū proprie directa ſint Dei filiū, de quo Iſaias loquitur, cū dicit: *a Pro eo quod laborauit anima eius, videbit, & ſaturabitur*

a Iſ. 53. 11. Pia anima Deum pro ſuo habens ſe ſuaque omnia illi exhibet.

Vnum hoc loco notandum, quomodo anima, quæ vere ſponſa Dei eſt, ſicut ſuperius dixit: *b Dilectus meus mihi, & ego illi*: ita etiam hic Deum ſuum appellans, ac dicens; *Veniat dilectus meus*: ſemetipſam è veſtigio, totumque id, quod in ſe eſt frugi, haud ſuum, ſed ipſius nuncupat Dei, dicens: *In hortum ſuum, & comedat fructus pomorum ſuorū*. Sic enim inſigni ſpōſæ B. Catharinæ Senenſi legimus ab ipſomet Chriſto eius ſponſo dictum: Habeto me ſolum pro tuo, reliqua vero vniuerſa, tuū corpus, animam, domum, & quicquid ad te quoquo pacto ſpectat, mihi exhibeto: & ipſe vt mea illa omnia exiſtimabo, illorumue æque ac meorum curam geram. Iuxta tertium ſenſum, quo vno eodemque ſpiritu hæc, atque vltima flumina præcedentis cap. ab ſpōſa profertur, ac ſi dicatur: *Surge Aquilo & veni Auſter, perfla hortū meū, & fluent aromata illius: vt veniat dilectus meus in hortū ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum*. Imitari videtur pia anima ſanctum Prophetam Dauid, qui, cū animaduerteret, innumera eſſe Dei dona, pro quibus eidem gratiæ eſſent à ſe agendæ, cumque intelligeret, nihil in ſe eſſe, quo vicem illi aliquam rependere poſſet in ea prorupit verba: *c Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicē ſalutaris accipiā & nomen Domini inuocabo*: ſignificans id tandem ſe procollatis donis vniuerſis, ac pro plena gratiarum actione exhibiturū, vt libamen Deo offerret, quod ſacramenti Euchariſtię eſſet ſymbolum. In eumdem enim modū & anima Dei ſponſa, cum ex panegyrica laudū ſuarum oratione, quā per totum caput quartū proſecutus eſt ſponſus immēſa Dei in ſe beneficia ob oculos haberet aliquamve pro donis hiſce omnibus rependere optaret vicem, exprimit tandem deſiderium iſtud ſuum, & ſimul oſtendit, hac vna ratione ſatisfacere ſe quoquo pacto poſſe, ſi in ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento veniat ipſemet dilectus eius Deus in ſe: ſi ipſa eidem dilecto ſuo idem offerat ſacramentum, & ſacrificium. Porro in explicādo iſto ſuo deſiderio ea primū ſignificat, quæ neceſſario tanti ſacramenti præuenire debēt communicationem: Tū qua ratione cōmunicatio fiat: ac tertio quiſnam præcipuus ſit eiuſdem cōmunicationis effectus.

Tertius ſenſus. 10

In Euchariſtiæ ſuſceptione anima ſancta nititur vicem rependere Deo pro omnibus, quæ ab ipſo accepit.

b Cant. 2. 16.

c Pſ. 115. 2.

Quoad primum animaduertendū eſt diſcrimē quo ſe hortum fatetur, pro vt ipſam appellarat ſponſus: prius enim ait: *Perfla hortū meū*, & poſtmodum, *Veniat* inquit, *dilectus meus in hortū*, non iam amplius *meum*, ſed *ſuum*. Ratione n. defectuum & imperfectionū, quas in ſe agnoſcit: hortū quidem Dei ſe dicere minime audet præ humili animi demiſſione, at hortum ſe dicit ſuū: *perfla hortū meū*, quia ad hoc, vt denuo fiat hortus Dei, opus habet perflatione Spiritus ſancti. Hanc ergo ſibi precatur, ſine qua fieri nequit, vt quis digne tanti ſacramenti particeps fiat; precaturque vt perflet ſe inſtar frigidi Aquilonis, immittens timorē Dei, & inſtar Auſtri, feruore charitatis cor ſuū calefaciens: Subijciēs deinde, *Et fluēt aromata illius*; indicat quæ ex ſancti Spiritus perflatione ſecutura in ſe ſint, medicina pœnitentiæ, atque cōtritionis, & odor deuotionis: quib. duob. recte ad ſanctā Euchariſtiæ cōmunicationē vnaquæque diſponitur anima: aromatū quippe vſus ad hæc duo cōſtat inſeruire, ad medicamenta, atq; ad fragrantiā. Bene autē ait ſpōſa: *Et fluēt aromata illius*, horti videlicet mei à ſancto perflati Spiritu, alludēs ad fluxū lacrymarū contritionis, lacrymarū deuotionis, & lacrymarū amoris, quas pretioſiſſima eſſe dixi aromata ſpiritalia, quorū odore vniuerſus fugatur cuiuſcūque imperfectionis fœtor, totaq; renouatur horti ſpiritualis facies, & Deus è celſiſsimis cœlis ad eumdem allicit hortum, hocq; eſt ſecundū, quod hic principaliter eadem agit ſpōſa, præparatione nimirū præexpoſita, ad ipſā accedere ſanctiſſimæ Euchariſtiæ cōmunionē: in qua cū tā ipſa quā Deus ad ſe inuicē accedant, diuinæ dūtaxat acceſsionis rationē habet, quæ benigniſsimæ eſt dignationis & extremæ dilectionis idq; admodum prudēter: quātūcumq; n. parata ſit ſanctiſsima quæq; anima, indignā ſemper cēſere ſe debet, quæ ad tā ſublime accedat myſterū: vnde dignationē quāque Dei in ſe benignitatiatq; dilectioni debet adſcribere: propterea accedēte illū proponens ſponſa eū appellat dilectū ſuū dicens: *Vt veniat dilectus meus in hortū ſuū*. Nō veniret certè, niſi eſſet dilectus eius: non ſolum quia diligitur ab anima, venit in animā, deſcendēs in hoſtiā, verū etiā, & multo magis, quia ipſam diligit animā: Venit, ab amore animæ illectus: at amor animæ allicere illū, & pertrahere tanta, & immenſa cœlorum celſitudine minime poſſet ad ſe, ni à charitate ſua demiſſus ille deſcenderet, ideo apte ſecundum verſionem Sep. legitur: *Deſcendat* pro *veniat*, *Deſcēdat* inquit, *dilectus meus in hortū ſuum*. Vide mutuā communicationē: ita illū in ſe deſcendere vult; vt qui eſt panis cœleſtium ſpirituum, eorumdemque dilectus, deſcendens, fiat ſuus & panis & dilectus: cū viciſsim illa, quæ prius hortus ſui ipſius erat, hortum ſe exhibeat eius. In eos, quia peccato aliquo obuoluti ſunt, & indigne cōmunicant, proprie nō venit Chriſtus Ieſus. neque enim ipſe accedit: ſed illi audacius ad eum in Eccleſia deſcendentem accedunt, ipſumq; iniurioſe abripiūt. Verū, tametſi in eos venire dicatur, quia re vera ſacramentaliter accipitur, nequaquā tamen cōmunicationē illis exhibet virtutis ipſius ſacramēti, quia nec venit, vt eorum dilectus, nec illos, vt ſuos reperit hortos: quinimo veniēs venit vt iudex, venit vt in tribunal; è quo intra ipſoſmet iudiciū proferat aduerſus illos, de quo iudicio per Apoſtolum dicitur: *d Qui manducat, & bibit indigne, iudiciū ſibi manducat, & bibit*. At vero in animā ſanctā deſcendit, venitque libentius: venit, vt eius dilectus ad nuptias: venit, vt in hortū ſuū ad delicias, & de paradiſo deſcendit ad paradiſum: de paradiſo, vbi regnat cum ſpiritibus beatis; beatitudinē illis exhibēs, ad paradiſum item ſuum venit, vbi in pia regnet anima delicias ex illa percipiens. Quæ ſint autem diliciæ iſtæ per id exprimitur ab ipſamet anima ſancta, quod vltimo loco ait: *Et comedat fructus pomorum ſuorum*, ſeu *deliciarum ſuarum*, iuxta aliā lectionem. Quibus verbis id tandem de collatis beneficiis bene merens ſponſa explicat, in quo pro tantis donis vicem potiſsimam ſuo reddet dilecto, quo conuiuium videlicet illi parabit, in quo is comedat ſumma cum voluptate. Verum, cum ex ſequentibus iis verbis quibus dilectus ipſe dicit: *Comedite amici, bibite, & inebriamini chariſsimi*, conſtet, conuiuium à Deo potius animæ, quam ab anima Deo inſtrui in Euchariſtiæ communicatione: ſi ipſa eſt, quæ in parato conuiuio comedit Chriſtum, Deumque ipſum, quomodo ergo quaſi è cōuerſo Deus comeſturus ſit, ait? *Et comedat fructus pomorum ſuorum?* Pro huius dubij ſolutione, horumve verborum explicatione, ſupponendum, in comeſtione duo conſiderari, primum, tranſmiſsionem cibi in ſtomachum comedentis: ſecundum, tranſmutationem, qua comedens comeſtum in ſui tranſmutat ſubſtantiam, ſibique perfectiſsime aſſimilatum arctiſsima vnit vnione. Secundum ambos hoſce effectus Chriſtus in communione Euchariſtiæ quaſi in lauto animæ conuiuio comedere veriſsime

Præparatio vera ad Euchariſtiam ſita eſt in contritione & deuotione.

Dignitas omnis eius communionis quæ fit in Euchariſtia eſt ex parte Dei dignantis dimittere ſe ad animā.

Communicatio mutua Dei ac piæ animæ quomodo fiat in Euchariſtia.

In male communicantes quomodo venire dicatur Chriſtus vt iudex, & quomodo veniat in animam ſanctam communicantem. d 1. Cor. 11. 29.

In Euchariſtiæ ſuſceptione piæ animæ quomodo dicatur Deo exhibeat conuiuium à quo admittitur magis ad conuiuium ipſum.

In communione Euchariſtiæ quomodo & quid comedere dicatur Chriſtus.

11 *Ad Euchariſtiam ſe præparans anima, Spiritus ſancti indiget ope, eamque petere debet.*

12

dicitur: quamuis enim (quoad primum effectum) pia anima Corpus Christi sub speciebus Sacramentalibus traiiciat in stomachum; atque adeo ipsa sola comedere videatur in conuiuio diuinitus apparato: tamen eodem tempore comedens Christum recolensque memoriam passionis eius, conuiuium Christo apponit comesto, conuiuium actuum virtutum illis propemodum similium, quos idemmet Christus in sua prompsit passione; ardentissimosve charitatis affectus illis similes, quos charitate succensus Christus exhibuit in cruce: Hos summa cum voluptate comedit Christus, in sua quodammodo illos traiiciens viscera, atque deificans, provt supra explicatum est. Ideo bene secundum hebraicam lectionē ad ipsum ait anima: *Et comedat fructus deliciarum suarum*; exprimens ingentes voluptates, quibus Christus in tali conuiuio reficitur. Et melius iuxta nostram vulgatam dicit: *Et comedat fructus pomorum suorum*: indicans, appositos illos actus, atque affectus esse fructus tales, qui aliqua ratione producti sunt ex eius pomis. Porro, cum poma quoque sint fructus, ex ea sane arbore prolata illa dicemus, de qua in capite 2. huius Cantici per eandemmet piam animam dictum est: *a Sicut malus inter ligna siluarum: sic dilectus meus inter filios*: Et, *b Sub vmbra illius quem desideraueram sedi; & fructus eius dulcis gutturi meo*: Ex Christo nimirum è cruce pendēte, ibique se exhibente cōbustum amore. Fructifera certe hæc est arbor, quæ tot protulit poma quot Christus præstitit actus virtutum, quotve exhibuit amoris indicia: sed & poma quoque & eius arboris fructus, hi actus, eaque amoris indicia fructifera & ipsa sunt, ita vt Christo exhibenti conuiuium ex pomis hisce, anima ipsa, quæ conuiua est, fructuum ex fructibus eius conuiuium pariter apponat, vt ille comedat fructus pomorum suorum.

a Cant. 2. b. & 3.

13 *In eucharistiæ communione Christus comedere dicitur: quia animam communicantē in se transmutat.*

Subtilius autem philosophantes inueniemus, quomodo, etiam quoad alterum comestionis effectum transmutationem comesti in substantiam comedentis, & assimilationem cibi, qui comeditur, ad eum, qui ipsum comederit, Christo recte ab sponsa dictum sit: *Et comedat fructus pomorū suorum*: eique soli in Eucharistiæ conuiuio proprie secundum hunc effectum competat comestionis vocabulum. Enim vero in sacramētali conuiuio, quamuis anima corpus Christi suscipiat vt cibum: non tamen conuertit corpus Christi in sui substantiam, provt in comestione aliorum ciborum fieri solet: at è conuerso se res habet: quia Christus, qui ab ea comeditur, comedit pariter & illam: ita vt de anima, quæ communicatur, intelligi possit id Sampsonis problema: *c De comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo*. Quæ enim comedit Christum auiditate leonis illum arripiēs, fit profecto cibus ipsimet Christo, quia nimirum Christus illam in sui transmutat substantiā de forti, acri, atque amara infirmitatis natura in diuinam dulcedinem eam conuertens per gratiam, & charitatem; vnde ad Augustinum dixit aliquando: Cibus sum grandium. Cresce, & manducabis me: nec me mutabis in te, sicut cibū carnis tuæ; sed tu mutaberis in me. *Fructū* autē *pomorū* cum dixit, fructus nomē generaliter sponsa accepit pro pluribus fructibus; non vnum fructum à Christo sic transmutari significās, sed plures, vniuersas nimirum potentias, omniaque membra sua, iuxta id quod per Paulum dicitur: *d Exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viuentes, & membra vestra arma iustitiæ Deo*. Membra siquidem, quæ Apostolus arma iustitiæ Deo exhibita dicit, spōsa veluti fructus eidem Deo exhibita asserit, & vt fructus pomorum eius, vt poma videlicet ex eius cruce pendentia, qui ibi se exhibuit instar arboris mali. Hos fructus pomorum, hæc poma, hæcve & membra ad conuiuium sibi appositā comedit Christus, dum ea in eo communionis actu exhibita seruire iustitiæ in sanctificationem, sic sibi pariter assimilat; vt eidem animæ dicere liceat vna cum Apostolo: *e* Mortificationem Iesu in corpore meo iam circumfero, & vita Iesu manifestatur in corpore meo. Fructus vero alios, nempe potentias eiusdem animæ tunc quoque comedit Christus Iesus, quatenus illas tam arcta sibi vnit vnione, quam arcta vnione vnitur cibus iam transmutatus comedenti; efficiens, vt iam intellectus nil aliud cogitet, voluntas nil aliud amet, atque memoria nil aliud recolat, nil aliud in se habeat, ac versetur, quam ipsum, cui anima in tanto communicat Sacramento. In qua huiusce modi fructuum comestione præcipuus ac præstantissimus situs est sacræ communionis effectus, quem vltimo loco in hac sententia significatum dixi ab sponsa. Quod autem in tota hac sententia ait anima, quæ sponsa est Dei, post audita insignia encomia, quibus ab sponso celebrata est, & præstantissima dona, quibus ab eodem decorata fuerat, tale est. O vtinam quo vicem aliquam hisce omnibus rependā surgat Spiritus Sanctus, veniatque in me miseram, instar Aquilonis frigido timore configens carnes meas, & instar calidi Austri cor meum calefaciens æstu charitatis. O vtinam veniens is spiritus me perflet hortum quidem deliciarum à Deo plantatum, at modo nequaquam dignam, quę hortus ipsius appeller ob spinas peccatorum, quibus repleta sum. *Veni* sancte spiritus, *perfla hortum meum, & fluent aromata illius*, lacrymæ cōtritionis, quæ mihi saluberrima sunt medicina: lacrymæ amoris, ac deuotionis, fragrantissimo odore me perfundentes: vt ab earum suauitate allectus *in* me iā *hortum suum* effectā in Eucharistiæ Sacramento ipse *veniat* Christus, quem pro meo elegi dilecto, me illi tribuens totā illumque vicissim mihi, accipiens totū. Veniat propter immensam dilectionem suā è cœlesti paradiso in me suum pariter paradisum, descendens per cōmunicationē corporis & sanguinis sui: & in me paradiso hac sua dum me suo reficit corpore deliciis perfruatur sibi maxime gratis, comedēs & ipse fructus deliciarum suarum, in suamet traiiciens, & recondens viscera actus illos, illosve affectus meos, quos in ipsamet cōmunione illi apponam similes actibus, & affectibus iis, quos ipse in passione prompsit è cruce pēdens, vt poma ex arbore mali prolata: sicve comedens *fructus pomorum suorum*: potentias, membraque mea vt poma è cruce sua pendentia sibimet assimilet, vniatque vt cibum in se transformatum: quo & vita eius manifestetur in corpore meo; & in potentiis meis nil aliud, quam ipse sit.

In Eucharistiæ communione Christus transmutat in se sibique vnit omnes potentias animæ omnia que membra illius sibi assimilat.

c Iud. 14. 14.

d Rom. 6. 13.

e 2. Cor. 4. 10.

Paraphrasis.

14 Quartus sensus. *Piæ animæ eximius resignationis actus & promptitudo ad perdurandum in laboribus & ærūnis pro gloria Dei, & vtilitate proximi.*

Iuxta quartum sensum, alio pacto tam eximijs laudibus, quibus ab sponsa cōmendata fuit, & tam amabili inuitationi, qua ab eodem fuit è misera ista vita ad coronam patriæ cœlestis euocata vicem rependere tentat anima sancta actu perfectissimo resignationis, summæque promptitudinis ad perferendas ærumnas subeundosve labores pro gloria ipsiusmet dilecti sui, eo fere modo, quo & B. Martinus in mortis articulo constitutus, prænoscensque se ad cœlestem patriam vocari, dixit: Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius non recuso laborem, fiat voluntas tua: Et Apostolus Paulus in vinculis existens, *a Coarctor*, inquit, *è duobus, desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multo magis melius: permanere autē in carne necessariū propter vos: Et hoc confidens scio, quia permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum, & gaudium fidei*. Inuitarat Christus Iesus in vers. 8. piam animam, vt ab hac vita laboriosa, à periculis, & persecutionibus secum tenderet ad coronam, atq; ad montem myrrhæ, & collem thuris, ad cœlestē videlicet patriam, vbi ipse cū martyribus, & innumeris aliis cœlestibus spiritibus delicijs perfruitur æternis.

a Phil. 1. 23.

Ad hunc igitur dilectum suum Iesum sibi apparentem, talibusve se affantem, hisce tandem respondere videtur per vltimam præcedentis capitis, & primam istam huius cap. quinti clausulam, quæ secundum hebraicum textum, vna sententia continentur.

Surgat frigidus, & infestus ærumnarū *Aquilo*, meque concutiat in misera vita ista: aut iucundus fœlicitatis *Auster* me perflet in paradiso cælesti; mea semper vberius tibi *fluent* dilectionis, ceterarumque virtutum *aromata*: tua semper ero, & in cælo ad dulcem Austri flatum, & in aspera quoque terra ad molestam Aquilonis spirationem. Si tibi libuerit, vt adhuc per

Paraphrasis.

aliquod

aliquod temporis ſpatium his laboribus, ærumniſve concutiar, pro tui nominis gloria, proximi mei vtilitate; ecce hic permanebo libentius: ne me expectes: *Vadat dilectus meus in* amœniſſimũ *hortum* illum *ſuum*, cæleſtem omnique voluptate exuberãtem: & ibi *comedat fructum* immenſæ charitatis ſuæ, quam mundo oſtendit, cum pendens è cruce mali, arborẽ ſe exhibuit pomorum actuumque charitatis maxime feracem: necnon & guſtum præcipuum ex ſanctis martyribus ibidem percipiat, quos inſtar pomorum ex ſe in Cruce pendens protulit, tamquam ex arbore mali.

A *Ecce venio: vt faciam voluntatem tuam*, id eſt ad faciendã voluntatem: in qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel. Enim vero in primo inſtanti cõceptionis obtulit ſe Dominus Ieſus intra virginis vterum, vt faceret voluntatum Patris: obtulit in holocauſtum, vt per mortem ſuam redimeret genus humanum; ſicque voluntate efficaci perfecit opus eius, qui miſit illum: atque adeo comedit fructum profecto eum, quem ipſemet ſuum aſſeruit cibum.

Verſ. I. cap. V. *Veniat dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum.*

B

Expositio IIII.

De Tertia Sponſa, quæ eſt B. V. Maria.

15 *Maria Verbum in ſuum inuitat vterũ: Curue vterum ſuum dixerat hortum Verbi.*

PLaniſſimus eſt iſtorum verborum ſenſus quo B. Virgo Maria ſic Chriſtum ad ſe inuitat, ſicut in ea reſignatione, qua verbis iis: *b Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum*, diuinum Verbum in ſui inuitauit vterum. Hunc porro vterum, hortum illius hic nuncupauit: tum quia is ita ipſum appellarat, cum in fine præcedentis capitis dixit: *Surge Aquilo, & veni Auſter; perfla hortum meum*: quoniam re vera illam quaſi alteram ſibi paradiſum, & quaſi hortũ deliciarum omnium virtutum habitibus decorarat, è quibus quaſi è tot pretioſis, atque fructiferis arboribus fructum colligeret deliciarum ſuarum: Tum quia vnico hoc vocabulo & acceptas fatebatur gratias, & humilitatẽ ſuã ſimul proteſtabatur: ſicut & in Cantico item vtrumque coniunxit, vbi dixit: *c Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ex hoc enim beatam me dicent omnes generationes: Quia fecit mihi magna, qui potens eſt.*

C

b Lu. 1. 38.

c Luc. 1. 48

Maria virtutum ſuarũ & habitus & actus Deo adſcribit, eiusve in ſe charitati.

Quod ſubiicit: *Et comedat fructus pomorum ſuorum*, ſeu *deliciarum ſuarum*, iuxta lectionem hebraicam, aut *nucum ſuarum*, iuxta Septuagint. ſecundum aliquos quadruplicem habere poteſt intellectum. Vel enim per hæc idipſum efficit de actibus virtutum, quod de habitibus earumdem virtutum fecit, cum ſe dixit hortum Verbi (vt explicatum eſt:) nam ſicut habitus virtutum ſub arborum metaphora deſignati ſunt in verſ. 13. & 14. cap. quarti: ita ipſorum habituum actus ſub fructuum metaphora iure optimo deſignantur: vnde in Euangelio Dominus ait: *d Operamini cibum, qui non perit, ſed qui permanet in vitam æternam*: Et, *e A fructibus eorum cognoſcetis eos*. Non dicit *fructum ſuum* ſimpliciter ſed maiori cum emphaſi, *fructum pomorum ſuorum*, id eſt actuum charitatis tuæ, quos in me ſpecialiter protuliſti & proferes: dictum eſt enim ſæpius, poma ſymbolum eſſe amoris.

D

d Ioa. 6. 27.

e Mat. 7. 16

Redemptionis myſteriũ Chriſti. cœpit in vtero virginis.

Vel ſecundo, per eadem verba inuitat verbum, vt in ſe veniat per Incarnationem, quo intra ſuum vterum myſterium incipiat humanæ redemptionis; vt tantumdem ſit, ac ſi dicat: *Veniat dilectus meus*, vt ſibi incorporet in horto vteri mei eos omnes, qui ſeruandi per ipſum erunt. Porro quod Dominus Ieſus tũc comederit, quodve ij, qui ſeruandi per ipſum erant poma fuerint: quæ comedit, ex duobus Sacræ Scripturæ locis colligitur manifeſte. Primum quippe apud Ioannem dictum ab ipſomet Ieſu reperimus: *f Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me, vt perficiam opus eius.*

16 *Chriſtus in primo inſtanti conceptionis obtulit ſe Patri in holocauſtum pro ſalute hominum.*

f Ioa. 4. 34.

Apoſtolus autem Paulus ſecundo explicat ex Pſal. 39. tunc temporis factam à Chriſto voluntatem eius, qui miſit eum; & perfectum opus eius, opus ſanctificationis hominum, dicens: *g Ideo ingrediens mundum, dixit: h Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi*, ideſt, corpus aptum ad tale munus mihi feciſti: *holocauſtomata, & pro peccato tibi non placuerunt: tunc dixi;*

g Pſal. 39. 7.

h Heb. 10. 5.

Chriſtus in primo inſtanti conceptionis cœpit gustuque percepit paſſiones quas ſubiturus erat.

Tertio comedit etiam intra eumdem Virginis vterũ, guſtauitque amariſſimas paſsiones vniuerſas, quæ ſibi actu perferendæ erant tempore mortis ſuæ: quãdoquidem in primo inſtanti conceptionis illas vniuerſas tam corporis, quam animæ ob oculos propoſitas habuit, quin & quodammodo ipſas comedens, guſtu eas percepit, tunc pati incipiens: ad harum autem guſtum, atque comeſtionem B. Virgo, conformata cũ voluntate Patris cæleſtis, illum inuitans, apte ait: *Et comedat fructum nucum ſuarum*; nuces nimirum ſuas: quandoquidẽ inter omnes terræ fructus nuces amariſſimo circundatæ ſunt cortice, quem Chriſtus primo comedit, comeſturus poſtmodum & quod intra illum continebatur dulcedinis gloriæ iuxta illud: *a Oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam.*

a Luc. 24. 26.

Anima Chriſti à primo inſtanti conceptionis fuit compos viſionis beatificæ.

Quia vero intra eumdem Virginis vterum à primo inſtanti conceptionis anima Chriſti fuit compos viſionis beatificæ, guſtauitque beatitudinem, in qua eſt vniuerſarum voluptatum atque deliciarum cumulus: ideo aptiſſime pariter ad conuiuium iſtud dilectum ſuum inuitans Maria, ſecundum aliam lectionem ait: *Veniat dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructum deliciarum ſuarum.* Æque eſt igitur, ac ſi dicat.

Paraphraſis.

Veni dilecte mi, è cœlis deſcende in vterum meũ, fiat mihi ſecundum verbum Angeli: Ecce me, inſtar horti pretioſi, habitibus virtutum multiplicium quaſi multiplicibus arboribus à te conſitum; in me igitur deſcendens, veni in hortum tuum: tuum enim eſt quicquid in me extat præclari, neque ſolum habitus, ſed, & quicumque actus virtutum mearum tui ſunt: Veni, & hoſce inſtar fructuum pomorum tuorum incarnatus comede, iis te reficiens in vtero meo, vbi & vniuerſas, quæ per te conuertendæ, ſeruandæque erunt tibi incorporabis animas, comedens eas vt cibum tuum; & eas quoque guſtabis quas ſubiturus es pro humani generis redemptione paſſiones, comedens illas vt amarum *fructum nucum* tuarum; Neque tuis priuaberis deliciis, quibus ab æterno reficeris: nam intra hunc ipſum vterum meum quaſi in altera paradiſo comedes *fructum deliciarum tuarum*, diuina perfruẽs viſione, in qua cumulus eſt deliciarũ tuarum.

E

Verſ. I. cap. V. *Veniat dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum.*

F

Appendix Expoſitionum ex Antiquis Patribus collecta.

17

PAraphraſis Chaldaica: Dixit populus Iſrael. Ingrediatur Deus dilectus meus in domum ſanctuarij, & ſuſcipiat voluntarie oblationes populi ſui.

Greg. Nyſſ.

Quoad dramatis ſenſum, provt notatum eſt in prima litteræ expoſitione, Greg. Nyſſ. cum Theodor. & aliis iungunt hæc cum vltimis verbis præcedentis ca. Notatque idem Nyſſ. homilia decima, primum hæc dici per modum optãtis, ſicut id orationis Dominicæ, *Adueniat regnum tuum: fiat voluntas tua*, &c. ſecundo egregiis exclamationibus iſtam piæ animæ inuitationem amplificat, vtpote qua ad conuiuium inuitatur is qui panis de cœlo deſcendit, & implet omne animal benedictione.

Anima S. conuiuium exhibet Deo.

Porro quia, iuxta verſionem Septuaginta, pro, *veniat*,

Idem.

liat, legitur, *deſcendat*; ponderans hoc verbum ipſe- A
met Gregor. Nyſſen. deſcenſum ſponſi in hortum
ſuum exiſtimat, ſignificare opus diuinæ benignitatis
erga genus humanum, id eſt, demiſſionem Dei ad
humilitatem, & infirmitatem noſtram: Comeſtio-
nem autem fructuum pomorum ſuorum intelligit ſa-
lutem ipſam, quã exhibet animæ, ex eo quod dicitur:
b Meus cibus eſt: vt faciam voluntatem eius, qui miſit me;
Et quia *c Deus vult, omnes homines ſaluos fieri*. Quoniam,
ait, fieri non poteſt aliter aſſumamur ad Altiſſimum,
niſi inclinetur ad humilitatem, & depreſſionem,
quia mites aſſumit Dominus; propterea ſublime ad-
ſcendens ſponſa, accerſens, deductionem faciendam
ab eo, qui inclinatur, optat, vt ipſe deſcendat ſua mag- B
nitudine.

Pia anima optat Dei demiſsionem vt ſic ipſa exaltetur & mundus ſaluetur.
b. Ioa. 4. 34.
c 2. Tim. 2.

Hiſce conſentit Catena trium Patrum, dum per
hortum ſponſi animas à ſponſa conuerſas, & tanquam
hortum diuinis mandatis informatas intelligit: ad
quas ſponſus Chriſtus inuitetur, vt ſatiet ſe earum
ſalute. *Fructum* porro *nucum* dici, ait, hominum ſalu-
tem: quia ſalus finis eſt bonæ voluntatis Dei, quæ cõ-
tinetur ſanctis eius mandatis, & mandata infixa ſunt
in animabus, ſuper fide illius, tamquam ſuper arbore
nucis radicatis.

Tres patres. Chriſtus inuitatur ad animas conuerſas, vt earum ſalute ſe ſatiet.
Salus hominũ quomodo fructus nucum.

Ad eos, qui denuo baptizati ſunt, tamquam ad
conuiuium Chriſtum ab Eccleſia hic inuitatum putat C
Ambroſ. quippe qui in libr. 5. de Sacram. cap. 3. ſic le-
gens: *Deſcendat frater meus in hortum ſuum, & capiat*, ſeu,
edat fructum pomiferarũ ſuarum, hæc habet; Gaudet Ec-
cleſia redemptione multorum, & adſtare ſibi fami-
liam candidatam (per baptiſmum ſcilicet) ſpiritali
exultatione lætatur. Lætata inuocat Chriſtum, para-
tum habens conuiuium, quod dignum cæleſti epula-
tione videatur, ideoque ait; *Deſcendat*, &c. Quæ ſunt
iſtæ pomiferæ? Lignum aridum factus eras in Adam
ſed nunc per gratiam Chriſti pomifera arbor pullu-
laſti. Explicans autem ſe melius Ambroſius lib. de iis
qui myſter. initiantur cap. 9. ad finem, ait: Bonas ar-
bores, & fructiferas habet (ſcilicet Eccleſia) quæ ra- D
dices ſuas tinxerint in ſacri fontis irriguo, & in bonos
fructus nouæ fœcunditatis germine pullulauerint, vt
non iam prophetica cedantur ſecuri, ſed Euangelica
vbertate fœcundentur.

Ambroſius.
Eccleſia poſt baptizatos fideles inuitat Chriſtum ad conuiuiũ ex iis, qui denuo baptizati ſunt.

Idem tamen Ambroſius lib. 3. de Virginibus, eam
ſequens lectionem Septuaginta, quæ pro *fructũ pomo-
rum ſuorum, habet, fructum nucum ſuarum*, inuitatum cen-
ſet eundem Chriſtum in Eccleſiam (& dicere nos
poſſumus in Religioſorum clauſtra, in quibus potiſſi-
mum eſt ſacræ Scripturæ ſtudium, & gratia ſacerdo-
talis) ſic quippe ait: Inuitatur Dei Verbum in hortum
nucis, in quo fructus propheticæ lectionis, & ſacer-
dotalis eſt gratia: quæ amara in tentationibus, dura E
in laboribus, in virtutibus interioribus fructuoſa eſt:
vnde etiam *a* virga Aaron nucea fuit, non tam natura
ſua, ſed virtute ſecreta.

Idem.
Chriſtus inuitatur in Eccleſiam, ſeu in clauſtra Religioſorum vbi S. Scripturæ ſtudio vacatur.
a Num. 17. 8.

18

Exponentium noſtram Vulgatæ lectionem com-
munis fere ſenſus eſt, vt Chriſtus vel in Eccleſiam,
vel in piam animam inuitetur ad comedendos fru-
ctus bonorum operum, de quibus ipſemet Dominus
ait; *b Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis*: vnde
Ambroſius lib. de bono mortis cap. 5. Quanto, hoc,
inquit, pulchrius, quod anima ornata virtutum flori-
bus hortus ſit, vel in ſe paradiſum habeat germinan-
tem; In quem hortum inuitat Verbum Dei deſcende-
re, vt anima illa Verbi imbre cæleſtis, & eius copiis F
irrigata fructificet. Verbum autem Dei paſcitur ani-
mæ virtutibus, quoties obedientem ſibi, & optimam
inuenerit, & carpit fructus eius, atque his delectatur.
Cum his conſentiunt, quæ dicuntur ab eodem Am-
broſio lib. de fide reſurrectionis, à Caſsiodoro, Gre-
gorio Papa, Beda, Philone Carpathio, Iuſto Orgelita-
no, Anſelmo, Richardo de Sancto Victore in Expoſi-
tionibus ſuis ſuper Cantica.

b Ioan. 4. 32.
Chriſtus inuitatur in Eccleſiam, vel in piam animam ad comedendos fructus operũ bonorum.

Notat autem Philo circa id, quod ſponſa ait, *In hor-
tum ſuum, & fructum pomorum ſuorum*, ſalubriter per hæc
nos admoneri, omnia bona noſtra ex Dei gratia pro-
uenire, nihilque boni ſponſæ ineſſe, quod non ab ip-
ſius ſponſi largiſsimo bonorum omnium fonte ma-
narit. Tantamque, & tam admirabilem diuinæ chari-
tatis coniunctionem eſſe Creatoris ad creaturam,
ſponſi Chriſti ad ſponſam Eccleſiam, & ſanctam
quamque animam, vt iam omnia inter ſeſe commu-
nia habeant.

Philo. Omnia bona noſtra ex Dei gratia proueniunt. Coniunctio maxima Creatoris ad creaturam.

Quamquam Iuſtus de operibus præſertim miſeri-
cordiæ hoc intelligere videatur, dum, inuitari Chri-
ſtum, cenſet, vt comedat ea, quæ per opera miſericor-
diæ dãtur pauperibus; vtin ipſis comedat pauperibus.

Iuſtus. Chriſtus accedens ad Eccleſiam comedit paſſus in pauperibus.

Aponius vero fructum pomorum primitias intelli-
gens Virginitatis, Chriſtum inquit, inuitat ſponſa, vt
primitias boni operis fructum pomorum virginitatis B
ipſe conſecret, ipſe delibet, procedendo de Virgine,
ipſe gaudij pœnitentiæ pomum ſuſceptum ab Eccleſia
Angelis tranſmittat ad cœlum.

Aponius. Chriſtus inuitatur in Eccleſiam, vt procedens de virgine conſecret fructum virginitatis.

Animæ illi, quæ cupiat ex hac vita migrare, & eſſe
cum Chriſto, tribuunt hæc Beda, & Hugo de Sancto
Victore lib. 3. de Arca morali cap. 14. ac ſi dicat: Vtinã
citius veniat Dominus, vt nobis mercedem piæ no-
ſtræ deuotionis benignus reſtituat: Et, ſicut nos ſem-
per eum diligere, & fructum iuſtitiæ, quem ipſe dona-
uit, reddere ei curauimus: ita nobis fœliciſsimam ſuæ
charitatis recompenſationem, ad ſe ſuſcipiendo, ma-
nifeſtet.

Beda. Hugo Vict. Mori optans anima pia, Chriſtum precatur, vt ſe abripiat.

Denique Rup. Abb. B. Virgini eodem fere ſenſu C
iſta tribuit, ac ſi Chriſtum per hęc alloquatur: *Veniat
in me hortum ſuum, & me* transferendo in illud tertium
cælum, quo abijt, quo me vidente, aſcendit, *comedat
fructum pomorum ſuorum*: perficiat, vſque in finem per-
ducat gratiam eorum, quæ in me celebrata ſunt, ope-
rum ſuorum. Quando ita venies in hunc hortum
tuum, ad me, quam dicis hortum, & fontem, horto-
rum? quando ita venies, vt vbi tu es, illic ego tecum
ſim?

Rup. Abb. Maria Chriſtum ad ſe inuitat, vt ipſam ſecum transferat ad cælum.

D *Ex* Verſ. I. cap. V. *Veni in hortum meum, ſoror mea ſponſa: meſſui myrrham meam cum aromatibus meis.*

Expositio Prima.

Iuxta ſonum Litteræ.

SVppoſito, quod apud omnes certiſsimum eſt, to- 19
tum id, quod ſupereſt primi verſus, vna cum hiſce,
quæ modo exponuntur, dici à ſponſo in reſponſio-
nem ad inuitationem à ſponſa factam, vbi dixit: *Veniat
dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructum pomorum
ſuorum*. Vniuerſa reſponſio hæc valde ambigua eſt:
quandoquidem verba, *Veni, meſſui, comedi, & bibi*, tam-
etſi præterita ſint: ab aliquibus tamen pro futuris
poſita accipiuntur: ab alijs, pro præteritis, vt ſonant: à
nonnullis pro præſentibus: nec deſunt, qui putẽt acci-
pienda pro omni tempore, ac ſi dicatur: Et ante iam
veni, meſſui, &c. *& venio*, & poſt hac pariter *veniã*. Inſu-
per horti nomen & metaphorice ſumi poteſt pro
ſponſa, quæ ſæpius in cap. quarto hortus eſt appellata,
provt & in præcedenti inuitatione communi fere
ſenſu vidimus vſurpatum: & proprie pro horto mate-
riali, illo videlicet ſponſi horto, ad quem in cap. quar-
to ſponſam dixi inuitatam: illo, ad quem ſponſum te-
tendiſſe aſſerit ſponſa in principio capitis ſexti. Ter-
tio, vniuerſa ea, quæ dicuntur, tam de miſsione, come-
ſtione, ac potu, quam de aromatibus, & cibis proprie,
poſſunt accipi, pro vt ſumuntur communiter; & me-
taphorice quoque admodum congruenter. Ex tanta
ambiguitate vocum fit, vt vna reſponſio, eademque &
verba diuerſimode, & æque forſitan bene exponi
queant, diuerſos patiantur & ſenſus: Vt tamen con-
nexio iſtorum verborum, ſecundum quemcunque
ſenſum, cum ſuperioribus manifeſta fiat, &, ne multi-
tudine

tudine ſenſuum lectoris mens confundatur, ad quinque eos referam, ſingulos diſtincte pertractans.

Primus ſenſus.

Pro intelligentia igitur primi ſenſus, recolēda ſunt quæ dicta ſunt in principio capitis quarti expoſitione prima, ſponſum reperiſſe dilectam ſuam gradientem per agrum, & admirationem incutientem eximiæ pulchritudinis ſuæ quibuſdam, qui obuiam illi facti fuerant, vt habetur in principio huius tertij actus: Eundemque ſponſum coram obuiis illis panegyrica oratione, quæ toto cap. 4. continetur, dilectam ipſam inuitaſſe, vt ex aſperrimis, ac periculoſis ijs locis ſecum migraret. Porro, quia ex occaſione laudis illius, qua ab ſponſo commendata fuerat ſimilitudine horti, arboribus conſiti cuiuſcunque generis tam fructiferis, quam aromaticis, ſponſa eumdem dilectum ſuū ad ſe inuitarat in præcedentibus verbis, offerens illi tamquam proprium eius hortum ſemetipſam, & exhibens eidem in conuiuium illud omne, quod in ſe præſtans eſſet, & pulchrum, quaſi horti eius fructum comedendum: Ipſe nunc continuo ad tam gratā eius exhibitionē & in hortum, & in conuiuium reſpondens, ſignificat, ſibi iampridem exploratam extitiſſe eius in ſe propenſionem, & nedum inſtar horti eam habuiſſe, ſed & inſtar horti proprij: atque adeo cum primum ad ipſam venit, veniſſe in hortum ſuum, ac, ne in exhibitione aromatum, atque conuiuij illi eſſet inferior, detuliſſe ei myrrham quam meſſuerat, atque collegerat vna cum aromatibus: detuliſſe & cibos, fauum, mel, vinum, & lac in magna copia; vt diem feſtum cum ipſa ageret; ſimulque ad huiuſcemodi feſtum, atque conuiuium adſtantes inuitat obuios illos, vtpote ſibi nedum amicos, ſed & chariſſimos: Æque eſt autem, ac ſi dicat.

Paraphraſis.

Iam *veni*, vt vides, *in hortum meum*, ad te accedēs: vides, quæ tibi detuli aromata, ſoror mea ſponſa: *meſſui* enim *myrrham meam cum aromatibus meis*: En & paratū conuiuium: decreui namque comedere *fauum meum cum melle meo*, bibere *vinum cum lacte meo*: diem feſtum agamus omnes: *Comedite* & vos *amici*, *& inebriamini chariſſimi*.

In præterito exprimitur ſæpius in ſcriptura id quod iam decretum eſt, vt fiat.

Sic, iuxta hunc primum ſenſum, nomen horti metaphorice ſumitur, & verba, *veni*, ac *meſſui*, ita in præterito accipiuntur, vt iā facta ſupponantur; verba vero, *comedi*, & *bibi*, in præterito pariter ſumuntur, ſed non quoad conſummatum actum comeſtionis, ac potus, verum quoad firmiſsimum animi decretū, & quoad ciborum delationem, & conuiuij præparationem. Nemo autem eſt, qui neſciat frequentiſsimum id eſſe in ſacris litteris, præſertim apud Prophetas, vt in præterito explicetur id quod firmiter quis decreuit facere, maxime ſi præceſſerint diſpoſitiones.

Alius ſenſus.

Vel melius forſitan iuxta eumdem primum ſenſum tam *veni*, quam, *comedi*, & *bibi*, præterita pro præſentibus accipi poſſunt, prout in Pſalmo 39. vbi id, quod

a Pſ. 39. 7. Hebraice dicitur: *a Tunc dixi; Ecce veni*: Sept. vertere: *Tunc dixi: Ecce venio*: vt tantumdem ſit, ac ſi dicatur.

Paraphraſis.

Ecce *venio* ad te tāquam *in hortum meum*, prout me inuitaſti; ſed venio magno cum auctario: en *myrrham meam*, quam ad te veniens, collegi: en, & dites epulas paſtorales, quas ex meis defero promptuariis: *comedo* iam *fauum meum cum melle meo*, *bibo vinum cum lacte meo* tecum: *Comedite* amabo & vos *amici*, *& inebriamini chariſsimi*.

Secundus ſenſus.

Secundo ſenſu nedum *horti* nomen, ſed quicquid toto hoc verſu dicitur, metaphorice ſumitur, vniuerſaque verba, provt ſonant, in præterito ſumuntur. Idem quippe ſponſus qui obuiam ſponſam, & coram obuiis ſodalibus longa oratione laudarat, laudanſque contemplatus eam fuerat attentiſsime, ad metaphoricam eiuſdem ſponſæ inuitationem in hortum, atque in conuiuium, metaphorica pariter oratione reſpondet, idq; magna cum emphaſi, ſub lautiſsimi conuiuij paſtoralis metaphora ingentem exprimens voluptatem, & ſub metaphora meſsis odoriferæ myrrhæ, & aromatum deſignans, quod gratiarum dilectæ ſuæ compos effectus ſit: Æque eſt enim ac ſi dicat.

Paraphraſis.

Cum primum tibi obuiam factus ſum, Soror mea ſponſa, *veni in hortum meum*, ex te horto ipſo meo, tuas percipiens ſuaueolentes gratias: *meſſui*, collegiq; *myrrham meā cum aromatibus*: Quin, te inſpiciens, tuamve eximiam contemplans ſpeciem: *comedi fauum cum melle meo*, *bibi vinum cū lacte meo*: agnoui ſane, quicquid in te eſt venuſtatis, ac pulchritudinis mihi vni à te ſeruari vt meum: oblectatus ſum in tam ſuaui aſpectu æque ac ſi prædulcibus epulis in lautiſsimo delectatus eſſem conuiuio: Tum conuerſus ad adſtantes ſodales, oblectamini, ait, & vos in eius cōtemplatione, qui eiuſdem pulchritudinis admiratione obſtupeſcitis: *Comedite* inſpicientes *amici & inebriamini chariſsimi*: cum enim amici ſitis, atque chariſſimi, haud par eſt, vt vobiſcū ſim zelotypus.

20

Tertius ſenſus.

Tertio ſenſu tam horti nomen, quam reliqua vniuerſa proprie accipi poſſunt pro ſponſi horto materiali, pro materiali myrrhæ collectione, & pro cibis, atque conuiuio materialibus: verbaque omnia pro futuris ſumi iuxta frequentiſſimum Sacræ Scripturæ morem, quo præterita ſæpiſſime pro futuris vſurpata reperiūtur, quam ſacratum litterarum conſuetudinem pluribus allatis exemplis probat Auguſtinus Epiſtola 57. & lib. de agone Chriſtiano cap. 27. Sic autem hiſce acceptis, ſatis conſequenter reſpondet ſpōſus præcedentibus iis ſponſæ verbis, *Veniat dilectus meus in hortum ſuum*, &c. intellectis iuxta ſenſum illum, qui quarto loco ſupra allatus eſt in prima expoſitione eorumdem verborum, pro, *Vadat dilectus meus in hortum ſuum*, materialem nimirum: *Et comedat fructus pomorum ſuorum*, item materialium. Significat quippe, ſe illi obtemperaturum: quandoquidem ipſa remanere in aſperis locis iis tunc velit: Iturum vero in illum ipſum hortum ſuum ad areolam aromatum; ibique ruſticum meſſionis opus facturum, meſſionis, inquam, non tritici, aut frumenti alicuius, ſed myrrhæ, ſed aromatum. Porro, quia in meſſe ſolet eſſe lætitia, epulæque, & feſta celebrari conuiuia, iuxta illud Iſaiæ:

Præterita ſæpius in ſcriptura poſita pro futuris. Auguſt.

b Iſa. 9. 3. b *Lætabūtur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe*: ſignificat, ſe pariter & conuiuium inſtructurum, quale paſtorem decet opulentum, in quo non ipſe ſolus, ſed & amici quique, ij præſertim, qui chariſſimi ſunt, largius comedant, atque bibant: ac ſi dicat.

Te in locis hiſce relicta, quando ſic tibi ſatius videtur, ſoror mea ſponſa, *ibo*, *veniamque in hortum* ipſum *meum*, vbi *metam myrrham meam*, ceteraque aromata item mea: ibidem non fructus duntaxat comedam pomorum meorum, ſed & lautiſsimo parato conuiuio, *comedam fauum meum cum melle meo*, *bibam vinum cū lacte meo*: dicamque conuiuis, *Comedite amici*, *& inebriamini chariſsimi*.

Paraphraſis.

Denique, ſumendo eadem omnia pari ratione non metaphorice, ſed proprie, & verba pro præteritis, vt ſonant, quarto ſenſu, & meo iudicio probabiliori accipi hæc poſſunt, non tam vt concedentia ſponſæ, quod ipſa iam vel iuſſerat, vel precata fuerat in præallatis verbis, vt iam explicatum eſt in ſenſu tertio, quam vt adhuc vehementius eamdem prouocantia ad diſcedendum ex locis illis periculoſis, & commigrandum tandem cum dilectiſſimo ſuo ſponſo in amœniſſimum eum hortum, ad quem per totum caput quartum ipſam allicere conatus fuerat: quaſi enim reiectus ab ea per verba præcedentia, *veniat*, ſeu, *vadat dilectus meus in hortum ſuum*, &c. is validius adhuc ipſam vrget, inſignique argumento eam pertrahere tentat; magnas nimirum illi proponens, quas in dicto horto habet, diuitias proprias aromatum, atque ciborum eorum, quibus, qui ditiſsimi ſunt paſtorum, abundant: Ex frequenti enim, & aſsidua pronominis mei repetitione, quæ in his verbis aduertitur, apparet glorianter ea ab ſponſo dici, paſtoris perſonam gerente, eo modo, quo apud Theocritum Idyll. 11. Cyclops proprias opes iactans, Galatheæ amorem ſibi nititur conciliare. Et apud Latinum Poetam eiuſdem imitatorem Ecloga 3. paſtor ad Alexim glorianter ait:

Paraphraſis.

Theocrit.

Virgilius.

Deſpectus

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRAZ

Deſpectus tibi ſum, nec quis ſim, quæris Alexi? A
Quam diues pecoris niuei, quam lactis abundans,
Mille meæ Siculis errant in montibus Agnæ:
Lac mihi non æſtate nouum, non frigore deſit.

Porro glorianter ſic loquitur ſponſus, vt dilectam ipſam ſuam ad eum locum pertrahat, vbi diuitiæ illæ repoſitæ erant, vbi ſuis diuitiis illis perfrui & ei liceret: Æque eſt enim, ac ſi dicat.

Paraphraſis. Ipſe iam *in meum* me contuli *hortum*: ibique non modo fructus pomorum meorum comedi; ſed vt in horto proprio, & locuplete, boniſque omnibus abundante, quæ ad fœliciter viuendum conferunt, *meſſui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi fauum meum cum melle meo, bibi vinum item meum cum lacte meo*: tantamque ibi iſtorum omnium paratam habeo copiam, B vt & ſodales quotidie inuitem ad epulas, dicens: *Comedite amici, & largius bibite chariſſimi* (per Apoſiopeſin, & hæc ſignificãs:) Nil aliud ſupereſt, niſi vt tu modo venias, iiſdemque perfruare bonis, ſeu: Quid moliris? cur non iam venis, & tu quoque mecum, vt iiſdem bonis perfruaris?

Quoad lectionum varietatem, tria ſunt notanda in hac parte huius ſententiæ, quam modo exponimus. Primum, quod & Hebræa, & Vulgata habent, *veni*, eodem verbo, quo ſponſa dixerat, *veniat*, Septuag. legere ἐσπλάθον, *ingreſſus ſum*, quod maiorẽ habet vim, præſertim ſi ea, quæ hic dicuntur, iuxta ſecundum ſenſum C accipiantur.

Secundum, pro eo, quod in Vulgata legimus, *meſſui* in textu Hebraico eſſe, אריתי arithi: porro hoc verbum ארה arah proprie ſignificat colligere, & decerpere fructus: Hebræi communiter hoc loco illud accipiũt pro colligere: Septuag. autem pro vindemiare, provt idem reperitur ſumptum in Pſalmo 79. vbi dicitur: *Pſal. 79. 13.* *Vt quid deſtruxiſti maceriam eius: & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viã?* ſic enim verterũt, τρυγῶσι. *Ambroſ. Ruffinus.* Sicque Ambroſius & Ruffinus, vt habes in Appendice, legunt: *Vindemiaui myrrham meam*: quod ſane vindemiandi verbum proprius hic conuenire credide- D rim, quam verbum metendi, ſi recolamus, quæ in fine præcedentis ca. dicta ſunt: *Et fluent aromata illius*: myrrha ſiquidem & reliqua aromata colliguntur fluentia, ſicut & vinum in vindemia: tametſi de eorum ramis, & floribus dici quoquo modo queat, vt metantur.

Tertium, pro, *cum aromatibus meis*, in Hebræo ſinguläriter, eodem tamen ſenſu eſſe, *Cum aromate meo*.

Ex Verſ. I. cap. V. *Veni in hortum meum, ſoror mea ſponſa: meſſui myrrham meam cum aromatibus meis.*

Expositio II.

De prima Sponſa, quæ eſt Eccleſia Sancta.

21 COnſuetus is eſt naturæ ordo, vt meſſionẽ præcedat ſementis, eoque loci metatur, vbi ſemẽ prius proiectum ſit eius, quod metitur. Conſuetum iſtum naturæ ordinem, & hominum vſum attendens Dominus in Euangelio, parabola illa talentorum, quæ à patrefamilias ſeruis exhibita fuere, ſeruum nequam, F *a Matth. 25. 14.* ac pigrum proponit, dicentem, *a Domine, ſcio, quia homo durus es; metis vbi non ſeminaſti, & congregas, vbi non ſparſiſti*: ad exprimendam rem extra omnem ordinem, & à vero, debitoque vſu alienam: Ne igitur & hanc cæleſti ſponſo quis inurat notam, vt qui rem extra debitum vſum effecerit, & extra ſtatutum ordinem: antequam ad præſentis ſententiæ ſenſus enucleandos accedam, id primum explicandum operæ pretium videtur. An re vera ſementis præceſſerit iſtam myrrhæ meſſionem, de qua hic fit ſermo: & ſi præceſſit, quandonam ea facta eſt à ſponſo, & an in hoc ipſo Eccleſiæ horto, vel alibi myrrhæ & ſatio facta ſit, & meſſio: myrrhę inquam ſpiritualis amaritudinum, afflictionum, dolorum, & ærumnarũ. Explicatum eſt enim ſæpius, & præſertim expoſ. 2. verſ. 6. cap. 4. myrrham ob amaritudinem in ſacris litteris eſſe ſymbolum paſſionum, doloris, & afflictionum.

Seminauit profecto cæleſtis ſponſus, & in agro mundi huius ſemen in terram proiecit iſtiuſmodi myrrhæ, idque tunc temporis, cum primi parentes in peccatum delapſi ſunt. An non myrrhæ ſatio extitit, cum mulieri dictum eſt: *b Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui?* O quantam myrrhæ ſementem. An non myrrhæ ſatio, cum dictum eſt Adæ: *Maledicta terra in opere tuo: In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ: ſpinas, & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ?* An non amariſſimæ myrrhæ ſatio poſtrema illa Dei ſententia: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris?*

Tribulationum myrrhã seminauit Deus post primu Adæ peccatum.

b Gen. 3. 16

Porro, tametſi in Deum nec labor, nec fletus, aut mœror cadere queat; ea tamen ratione, qua ſæpius in ſacris literis iſtiuſmodi affectus tributi ei reperiũtur, & hanc quoque myrrhæ ſationem cum dolore ab ipſo factam dixerim; ſicut & de ſeminantibus hominibus dicitur per Prophetam: *c Euntes ibant, & flebant mittentes ſemina ſua: d Neque* enim *delectatur in perditione viuorum*, ait Sapiens. Creuit poſtmodum ſeminata iſta myrrha, adeoque creuit, vt vniuerſum mundi agrum repleuerit: nuſquam enim ſuper terram non labor, nuſquam non dolor, nuſquam non ærumnæ: cumque per plura annorum millia excreuiſſet, nullus vnquam repertus eſt, qui eam cum lætitia meteret, qui eam lætanter in manipulos colligeret. Quid igitur eius ſator? *a Nunquid in æternum* myrrham iſtam, atque ærumnas *proijciet Deus? aut non apponet, vt complacitor ſit adhuc?* Venit tandem ipſemet, qui eam ſeminauit, ingrediens in orbem terrarum factus homo: & ſicut ſeminauit quodammodo in lacrymis, ita pariter & meſſuit in exultatione, colligens dolores quoſque, omnem anguſtiã in manipulos paſſionum ſuarum: quando *b languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit*: quando ipſe *vulneratus eſt propter iniquitates noſtras: attritus eſt propter ſcelera noſtra*: quando, *& diſciplina pacis noſtræ ſuper eum*. Collegit tunc myrrham in manipulos, *c* vt veniens veniret cum exultatione, portans manipulos ſuos.

c Pſ. 125. 6

d Sap. 3. 13.

Myrrham afflictionum quomodo in paſſione ſua Chriſtus meſſuerit, idque cum exultatione.

a Pſ. 76. 8.

b Iſa. 53. 4.

c Pſ. 25. 6.

Porro per id, quod Chriſtus Ieſus Eccleſiæ myrrham dolorum; ac ærumnarum paſſionis tempore meſſuiſſe, & in manipulos collectam portaſſe cum exultatione dicitur, haud intelligendum eſt, quod ipſe in paſſionibus, atque doloribus, quos ſuper ſe quaſi E myrrhæ manipulos collegit, exultatione, & gaudio perfuſus ſit: cum ex communi Theologorum ſententia conſtet, quo ad portionem inferiorem illum paſſionis tempore omni caruiſſe conſolatione, quæ triſtitiam mitigare poſſet, ac pœnam: Sed, quod manipulis illis, quos in paſſione ſua metens collegerat, ipſiſque paſſionibus, ærũnis, atque doloribus ſuis gaudium, & exultationem attulerit hominibus, pro quibus myrrhæ ſemen in terram fuerat proiectum, & ad quos dolor omnis, omnesve ſpectabant ærumnæ. Quemadmodum & in materiali frumentorum meſſione ingens manipulorum collectio exultationem quidem exhibet; non tamen illis, qui laborem duntaxat atque ſudorem exinde referunt, ſed iis, quorum frumenta ipſa extiterint, quive ex manipulorum multitudine ditiores euadunt. Quanam vero ex re ditiores facti ſunt homines magis, quam ex ipſis Chriſti paſſionibus: quibus multo pretioſioribus omni auro, & argento redempti, pretioſiſsimum conſecuti ſunt gratiæ theſaurum, in omnibus diuites effecti? Certe Moyſes, teſte Apoſt. *d.* Paulo Hebr. 11. à lõge eas præ- *d Heb. 11. 26.* uidens in ſpiritu, quibuſlibet Ægypti theſauris illas prætulit, *maiores diuitias æſtimans theſauro Aegyptiorum improperium Chriſti.*

In paſſione quomodo exultaſſe dicitur Chriſtus

In 3. ſent. diſt. 15.

Simile.

Diuitias haſce mundo ſe attuliſſe ſignificat Eccleſiæ dilectus,

dilectus, cum ait: *Veni in hortum meum, soror mea sponsa: messui myrrham meam cum aromatibus meis.* Cum enim Ecclesia ipsa in præcedentibus verbis spiritalē Christi aduentū in se exoptare significasset, vt is quasi proprij horti possessionem quodammodo sui acciperet, comedens in se fructum bonorum operum, quam possessionē obtinere ei non permisit Synagoga, provt explicatum est exposit. 2. sensu 3. certiorem illam modo efficit Christus Iesus tunc eius vt horti proprij possessionem se accepisse cum venit ad passionem, simulque eidem patefacit, quæ ei tunc detulerit munera.

22 *Ecclesiæ possessionem adiit Christus tempore passionis per passionem ipsam.*

Quod igitur ait: *Veni in hortum meum soror mea sponsa:* per verbum *veni*, non tam significat aduentum simplicem, quam aduentum ad possessionem capiēdam, provt alias quoque per idem verbum significatum reperire est in Scriptura sacra, vt in Euangelio Ioannis, vbi de Christi item aduentu fit sermo, dicitur. *e In propria venit*, id est, tamquam verus Dominus, legitimusque hæres venit, & ingressus est in mundum ad captandam possessionem, quam Princeps huius mundi ei abstulerat.

e Ioa. 1. 11.

Sic eodem sensu in Actibus Apostolorum dicitur: *f Festus cum venisset in Prouinciam*, id est cum suscepisset Prouinciam, cum gubernationis Prouinciæ possessionem adiisset. Apertius vero istud ipsum significatur per verbum, quo idemmet sponsus, secundum versionem Septuag. est vsus, nempe, *Ingressus sum in hortum meum*: siquidem per ingressum in locum aliquem capi possessionem illius, vulgatum est apud Iurisperitos ex l. 3. ff. de acquir. possess. quo sensu in libro Prouerb. dicitur: *g In agrum pupillorum ne introeas*, id est, ne per vim occupes agrum pupillorum vt proprium.

f Act. 25. 28.

g Prou. 23. 10.

Præclare autem tunc se in Ecclesiam asserit ingressum, atque ad eius possessionem captandam venisse, cum myrrham messuit suam, subiiciens illico: *Messui myrrham meam*: quia tunc re vera Regnum inijt Ecclesiasticum, cum passionis tempore multiplicium ærumnarum, afflictionum, atque dolorum collegit manipulos; vnde, tametsi per ludibrium ab eius hostibus factum id sit, tunc temporis insignia accepit regalia, coronam, sceptrum, ac purpuram: tunc temporis salutatus est Rex ab iis, qui dicebant: *h Aue rex Iudæorum*: & per Prophetam iuxta versionem Septuag. Tunc temporis *i* regnare cœpisse dicitur à ligno, id est ab eo tēpore, quo in ligno crucis myrrhæ suæ mesionem expleuit.

h Ioa. 19. 3.

i Ps. 95. 10.

Et, vt intelligeremus, quomodo tunc temporis Ecclesiæ possessionem accepit, egregie quam *hortum suum* dixit, illico *sponsam* item *suam* appellat: quoniam in cruce ipsa, vbi myrrham suam messuit, eam pariter accepit in sponsam, sponsus sanguinum illi factus, suscitans illam è latere suo, provt inferius eidem significabit, vbi dicit: *k Sub arbore malo suscitaui te.*

k Cant. 8. 5.

Quia tamen antequam eam desponsaret, siue in ipsamet eius desponsatione per diuinam, quam ei contulit gratiam, consortem illam sibi fecit diuinæ naturæ, aptissime prius sororem suam eam nuncupauit, postmodum sponsam, dicens, *Veni*, seu, *ingressus sum in hortum meum, soror mea sponsa.* Ac sicut per id, quod ait: *Messui myrrham meam*: nedum tempus significauit desponsationis, sed & modum, quo ea facta est desponsatio, mesione nimirum myrrhæ, ac passione mortequesua. Ita pari ratione per id, quod adiecit: *Cum aromatibus meis*, seu iuxta lectionem Hebraicam, *cum aromate meo*: gratiæ cælestis exhibitionem subindicat, qua veluti aromate cælesti delibutam, diuinitatis odore redolentem ipsam effecit: & veluti aromatico medicamento saluam effectam, quasi sororem cohæredē sibi fecit regni cœlestis, iuxta illud Pauli: *l Secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abūde per Iesum Christum Saluatorem nostrum; vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.*

l Tit. 3. 5.

Porro, quia haud istud solum est sponsi intentum in hac sua reponsione ad præcedentem dilectæ suæ significationem, vt certiorem videlicet ipsam reddat, se iam eius possessionem accepisse vt proprij horti, propriæ sororis, ac propriæ sponsæ, ac de tempore, & modo, quo talem susceperisset possessionem, vt explicatum est: verum etiam, vt eidem significet, se venisse quidem in ipsam vt in hortum principum; at eo ipso tempore: quo ad captandam eius posseſsionem ad ipsam venit antequam fructus quospiam ex ipsa comederet, antequam quidquam bonorum operum ex ipsa susciperet, præstantissima detulisse ei munera. 23

Sciendum, eodem passionis tempore à Christo Iesu tria munera pretiosissima simul, ac saluberrima præstita esse Ecclesiæ. Primum, quodve est omnium maximum, est Sacramentum corporis, & sanguinis sui, conuiuium, ex sua carne & sanguine exhibitum. Secūdum est collectio omnium passionum, omnium vulnerum, omniumque dolorum, quos in toto passionis tempore pertulit. Tertium est salus, atque redemptio vna cum virtutum exemplis, quæ, nedum per totam vitam, sed potissimum passionis tempore contulit. De primo agetur in subsequentibus: postremo namque loco illud proposuit cœlestis sponsus, vt diutius in eo ostentando se detineret.

Munera tria quæ Christus passionis tempore exhibuit Ecclesiæ.

Secundum, atque tertium, istud sub aromatum, illud sub myrrhæ metaphora proponit in hac sententia quam modo exponimus. Ita autem hæc duo proponit, vt tam myrrham dicat suam, quam aromata quoque sua pronuntiet, & tam myrrham suā quam aromata sua messuisse se asserat: dicit enim, *Messui myrrhā meam cum aromatibus meis*, id est, & myrrham, & aromata mea messui.

Sane, si subtilius vim verbi huius metendi perscrutemur, inueniemus, in sacris litteris tantumdem esse metere, ac, manipulos colligere, vt patet tam ex illo Psalmi sæpius relato: *a Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos*: quod est declaratiuum eius, quod paulo superius dictum fuerat: *In exultatione metent*: quam ex illo Psalmi 128. *b De quo non impleuit manū suam, qui metit, & sinum suum, qui manipulos colligit.* Hinc patet, verba ista, *Messui myrrham meam cum aromatibus meis*, multo maiorem habere emphasim ad munera dicta significanda, quam primo præ se ferant aspectu. Enim vero haud myrrham simpliciter delatam significant, sed myrrham, in plures fasciculos collectam, sed plures myrrhæ, atque ærumnarum fasciculos, in quorum singulis fasciculis plures simul collecti essent dolores: siquidem vnumquodque Christi membrum compluribus confectum fuit doloribus: vnū eius caput sæpius palmis, & fustibus percussum fuit, spinis dilaniatum, multis vulnéribus, idemve vehementissime super cruce est cruciatum, cum non haberet, vbi reclinaret: vna Christi facies alapis percussa, pugnis contusa, pluries & cōsputa, & sic de singulis aliis membris; & vnaquæque animæ eius potentia pluribus pariter confecta est ærūnis. Peculiari autē ratione non dixit simpliciter: *Messui myrrhā*, sed maiori emphasi ait: *Messui myrrham meam*, haud simplices significans dolores, atque ærūnas, sed suos peculiares dolores, quibus similes reperire minime sit super terram, provt alibi apertius expressit, cum diceret: *c O vos omnes, qui transitis per viam, attendite; & videte si est dolor similis, sicut dolor meus.* Myrrham istam suam horumque dolorum suorum manipulos suæ detulit sponsæ; vt illa per ipsos non modo à quibuslibet liberaretur doloribus: sed & in iis ipsis gaudio perfunderetur, quos mundus appellat dolores, & ærumnas: vtve cōparticipem illam suæ efficeret passionis, impertiens ei quodammodo myrrhæ ipsius suæ fragrantiam: & insuper vt ex eorumdem dolorum suorum memoria tamquā ex myrrhæ delimento præseruaretur à corruptione peccati; atque in illorum meditatione dulcē haberet refectionem, & illos ipsos promptos haberet, quos Patri cælesti offerret in oratione.

Passionum suarū munus quomodo, & ad quid Christus detulerit.

a Ps. 125. 6.

b Ps. 128. 7.

c Thren. 1. 12.

Passionum & vulnerū Christi effectus varij in Ecclesia.

Aroma-

24 *Salutis, atq; virtutum ſuarum munus.*

Aromatum quoque manipulos plures eidem Eccleſiæ detuliſſe ſe ait, eodem tempore paſſionis: In vna quippe redemptione, & ſalute plures tamquam in vno faſciculo colligatas detulit redemptiones, redemptionem de maledicto legis, redemptionem ab omni iniquitate, redemptionem è poteſtate diaboli, redemptionem ab imperio carnis, & mundi. In vno faſciculo virtutis patientiæ plures exhibuit actus patientiæ: ſic in vno faſciculo humilitatis, & in alio obedientiæ, & in reliquis diſtinctis faſciculis aliarum virtutum plures ſingularum illarum detulit actus. Debuit autem & ad aromota iſta apponere pronomen *meum*, & dicere, *cum aromatibus meis*: quia tam ſunt diuerſæ redemptio, ſalus, & medicina, quæ per Chriſti paſſionem exhibita ſunt, à qualibet redemptione, & ſalute alia, quam quælibet eiuſdem virtus, & quilibet actus virtutis eius peculiare quid habent excellentiæ, quo præcellunt & heroicis quibuſlibet actibus virtutum purorum hominum.

Paraphraſis.

Paraphraſis, quę ex dictis colligitur, talis eſt.

Quid me ſpiritali aduentu in te venire exoptas, vt tui captem poſſeſſionem tamquam peculiaris horti mei, fructusve colligam bonorum operum, quæ ipſemet operatus ſum in te, & tecum? iam *veni*, poſſeſſionem tui capiens, *veni in te hortum meum*, cum paſſionis meæ tempore *myrrham* ærumnarum, laborum, atque dolorum, cuius ſemen poſt Adæ peccatum in terram proieceram, *meſſui* ac in faſciculos ſuper me collegi: quando aromatibus gratiæ meæ, quibus te deliniui ſororem meam, diuinæ conſortem te reddidi mihimet quando & myrrham metens, te mihi ſponſaui ſuper cruce. *Ingreſſus ſum*, cœpique tui poſſeſſionem tunc temporis, ſoror mea ſponſa, plures tibi detuli faſciculos multiplicium ærumnarum, atque dolorum meorum, colligens tibi in diſtinctos manipulos *myrrham meam*, doloresve meos peculiares, quibus nullum reperire eſt dolorem, nullam myrrham ſimilem: Detuli & plures virtutũ actus in multis diſtinctis multiplicium virtutum faſciculis, multiplicem redemptionem in vna redemptione, aromata mea metens, & in manipulos colligens, quibus nec etiam reperire ſit aromata ſimilia: tamquam per faſciculos iſtos aromatum meorum, quam per faſciculos item myrrhæ, ac dolorum meorum gaudium tibi contuli, & exultationem, odorem tibi impertiens, & comparticipem te reddens & paſſionum, & virtutum mearum: ad virtutes te promouens per imitationem, & excitãs ad ſubeundas præſentis vitæ ærumnas cum exultatione.

25 *Alius ſenſus. In curam iuſtorum Chriſtus præter ſeipſum exhibet plures vt protectores, & adiutores.*

Iuxta alteram eorumdem verborum explicationem adiectam in primo litteræ ſenſu, ſecundũ quam præteritũ, *veni*, accipitur pro præſenti, *ecce venio*: Idemmet Chriſtus Ieſus ad inuitationem ſibi ab Eccleſia factam, vt ad ipſam veniret tamquam ad proprium hortum, & comederet iuſtos tamquam fructus ſuos, tranſmittens illos in propria viſcera, peculiaremque eorum ſuſcipiens curam; reſpondet, pergratam ſibi eſſe hanc eius inuitationem, gratiſsimam & eius oblationem: Quapropter, ſe non modo ad ipſam venire velle, & talem efficere fructuum comeſtionem; ſed iam in præſentiarum venire, & magno cum auctario venire, atque deferre ei plures Sanctorum Martyrum, pluresque & Sanctorum Sacerdotũ, atque Doctorum faſciculos, quos metens in manipulos collegit iam in primitiuæ Eccleſiæ agro, Martyres, vt eos habeat protectores: Sacerdotes atque Doctores, vt per eorum doctrinam, atque preces, & tuto ſeruetur in fide recta, & in charitate creſcat ardentius. Ac ſi dicat.

Paraphraſis.

Ecce iam *venio* in te nedum *hortum meũ*, ſed & ſororem, & ſponſam item meam: nedum ipſe in te veniens peculiarem eorum, qui in te fructificant, curam ſuſcipiã iuſtorũ, ſed & plures tibi propono protectores, ac defenſores, Martyres ſanctos: plures Sacerdotes, qui pro te preces exhibeant, & doctores, quorum doctrina illæſa in ſana perſeueres fide; *Meſſui* namque in temet ab initio, & quaſi *in faſciculos collegi* Martyres quidem plurimos, vt plures myrrhæ meæ particulas: Sacerdotes vero, ac Doctores, vt plures ſpecies aromatum item meorum.

Quod metere tantumdem ſit, ac manipulos, ſeu faſciculos colligere iam paulo ſuperius oſtenſum eſt. Quod vero animæ Sanctorum à Deo colligãtur tamquam in faſciculis diſtinctorum ordinum, ſimulque colligari cuſtodiantur, probari poteſt ex verbis illis, quibus Abigail ad Dauid dixit: *a Si ſurrexerit aliquando homo perſequens te, & quærens animam tuam, erit anima Domini mei cuſtodita, quaſi in faſciculo viuentium apud Dominum.* a 1. Reg. 25. 29.

Illud duntaxat inquirendũ, & explicandum ſupereſt: Cur ſub myrrhæ, & myrrhæ Chriſti metaphora Martyres, Sacerdotes vero & Doctores ſint deſignati ſub metaphora aromatum item Chriſti; Et quidem Martyres aptiſſime per myrrham ſignãtur, quæ amaritudinem ſecum gerit annexam. Martyres quippe ſunt, quibus peculiariter id competit Pſalmi: *b Quoniam propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.* Myrrha vero Chriſti dicũtur, tũ quia pro nomine Chriſti amaritudini cruciatuum, & mortis ſeſe ſubiecerunt: tum quia, quaſi fructus Chriſti crucifixi, prouenerunt fœliciter è ſemine myrrhæ illius, & illarum paſsionum, quas idemmet Chriſtus è cruce pendens ſeminauit in lacrymis, vt cum exultatione poſtmodum meteret ipſas in Martyribus: vnde Apoſtolus paſsiones, quas tolerabat, haudquaquam ſuas dicere audebat, ſed Chriſti eas nuncupat, dicẽs: *c Sicut abundant paſsiones Chriſti in nobis: ita & per Chriſtum conſolatio noſtra.* Sacerdotes autem, atque Doctores aromata Chriſti dicuntur: tum quia *d* odorem notitiæ Chriſti deferunt: tum quia chariſmate delibuti, preces inſtar aromatum ad Deum emittunt iunctas cũ ſacrificio corporis, & ſanguinis, Ieſu Chriſti, thymiamate confecto ex aromatibus quibuſcunque pretioſiſsimis ac ſuper crucis altare quondam incenſo: tum quia per bonorum operum exempla *e* odor Chriſti ſunt in omni loco. *Martyres cur dicantur myrrha Chriſti.* b Pſ. 43. 23 c 2. Cor. 1. 5 *Sacerdotes & doctores ſancti cur dicantur aromata Chriſti.* d 2. Cor. 2. 14. e 2. Cor. 2. 15.

Ex Verſ. I. cap. V. *Veni in hortum meum, ſoror mea ſponſa: meſſui myrrham meam cum aromatibus meis.*

Expositio III.

De Secunda ſponſa, quæ eſt Anima Iuſti.

26 CVm pia anima Deum inuitarit, in ſe vt veniret veluti in hortum ſuum peculiarem dicens: *Veniat dilectus meus in hortum ſuum*: hac inuitatione iſta ſignificarit, ex probabilibus quidem coniecturis ſibi compertum eſſe, ſe eſſe eius hortum, quatenus in ſe eſſent fructus pomorum, & charitatis actus, ſic enim ſubiecit: *Et comedat fructus pomorum ſuorum*: eſſe tamen ignotum quod ipſe iam venerit in ſe, & intra ſe maneat: quæ duo non obſcuram in ſe continent repugnantiam: Reſpondet modo cæleſtis eius ſponſus: *Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa*: Ac ſi dicat.

Paraphraſis.

Soror mea cum ſis diuinæ conſors naturæ, arctiſsimoque amoris vinculo mihi vnita, atque ſponſata: haud ambigendum tibi erat, quin apud te, tecumque manerem, præſertim cum fatearis te hortum meum: idcirco enim hortus meus es: quia ad te, & in te veniens vt ad ſororem, & ſponſam meam, meo ipſo aduentu hortum te reddidi, ac paradiſum meum, habitibus virtutum omnium quaſi tot pulcherrimis conſitum plantationibus. Quapropter ſcito, me iam veniſſe in te: nec ad hoc veniſſe, vt ſolummodo fructus pomorum meorum comederem, me reficiens interioribus duntaxat actibus

bus charitatis, quam in te plantaui; sed vt multiplices cuiuscunque virtutis actus quasi in pluribus fasciculis colligatos, tamquã multiplicium aromatum meorum manipulos colligerem ex aromaticis illis plantationibus, quas in te plantaram, & ex habitibus illis meis, quos tibi infuderam: &, vt in primis colligerẽ fasciculos myrrhæ meæ ex habitu patientiæ, quem in te veluti myrrhæ arbore plantaram, vtve ærumnis & tribulationibus te premens, *meam* vindemiarem *myrrham*, eas nimirum, quas pro nomine meo pateris, amaritudines.

Tribulationes lætanter tolerare, & delectari in bonis operibus, sunt signa, quod Deus sit in anima.

Vnum circa hunc sensum hoc loco est notandum per id, quod sponsus significat, non modo se in animam venisse, sed & in eadem messuisse myrrham, atque aromata sua, exhibere ipsimet animę signum præstantissimum, è quo dignoscere queat, quod Deum intra se habeat vt hortulanum, vt fratrem atque etiã vt sponsum, si videlicet gaudio se perfundi sentiat in frequentibus virtutum actibus, quos ille in ipsa operatur, & messionis ac vindemiæ lætitiã infundens in corde eius, sed præcipue, si gaudeat in tribulationibus. Neque enim fieri potest, vt gaudeat quis in laboribus, & ærumnis, quin Deum in se habeat secum patientem, ac myrrham suam metentem. Hinc est, quod

a 1. Pet. 4. 13. Apostolus Petrus ait: *a Communicantes Christi passionibus, gaudete, vt in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes: si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est eius spiritus, super vos requiescet.* Et certe, sicut nullum expressius habere quis potest signum, quod sit ex electis, & non ex mundo, quam si prematur tribulationibus, in iisdemque & gaudeat; cum à Domino sciat dictum,

b Io. 16. 20 *b Mundus gaudebit, vos vero contristabimini: sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Ita nec vllum pariter signum habere potest hoc euidentius, quod Deus in ipsum venerit, & in ipso maneat, cum id sibi aperte significatum sit

c Ps. 90. 15. & in Psalm. 90. vbi dixit: *c Cum ipso sum in tribulatione*: & in Euangelio Ioannis, vbi Redemptor noster discipulis suis ait:

d Io. 16. 33. *d In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum*, id est, ego, qui vobiscum pugnaturus sum, vici eum, vosque mecum facillime pressuram omnem vincetis. Nec mirum, fratres namque Christi erant, sicut & anima, quam hic affatur sponsus, soror eiusdem est, ex Deo nata per gratiam, & iuxta Ioannis dictum;

e 1. Io. 5. 4. *e Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum*: & indubitatum est, quod per Paulum dicitur:

f Heb 12. 6. *f Quem diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit: In disciplina perseuerate: Tamquam filiis offert se Deus.*

27 Alius sensus. *Inuocatus illico adest Deus, venitque cum auctario in animam sese illi offerentem.*

Iuxta alteram eiusdem primi sensus explicationem, qua verbum, *veni*, haud pro præterito, sed pro præsenti sumitur: Ostendit hoc loco Deus, facto se exhibere, quod apud Isaiam pollicetur dicens,

g Isa. 58. 9. *g Inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet, Ecce adsum.* Vt primum enim pia anima clamare cœpit, inuitans illum, vt ad se veniret tanquam in peculiarem hortum suum, ipse exaudit, & dicit: *Ecce venio*, & venio in te vt in *hortum meum*: quin ex oblatione, quã ipsa ei fecit dicens: *Et comedat fructum pomorum suorum*: sororem eam, & sponsam suam agnoscit, fateturque: ac pro oblatis sibi fructibus pomorum, & actibus charitatis cum auctario ad ipsam venire se indicat, & cum muneribus, qualia fratrem decent, qualia & sponsum, dicens quippe: *Messui myrrhã meã cum aromatibus meis*: innuit, ex hisce, myrrha videlicet, & aromatibus suis munera ei & parasse, & detulisse: Messuit myrrham suam cælestis sponsus, quando passionis suæ tempore myrrham ærumnarum, tribulationum, atque dolorũ in sua collegit carne: Messuit & tunc cum myrrha ista sua etiam aromata sua, proferens in ipsis ærumnis, ac passionibus suis actus cuiuscunque virtutis, & fragrantissimæ præsertim charitatis.

Tribulationes, & actus virtutum sunt præstantissima Dei dona.

Tribulationes, & virtutum actus fuerunt opes Christi.

Porro, cum ex messione ista substantiam auxerit, opesque suas collocarit in collectione dolorum, & actuum virtutum; & hanc partem sibi elegerit inter fratres suos, profecto haud par est animabus iis, quas A instar sororum, atque sponsarum habet, pretiosiora afferat munera, dum in hac vita conuersantur, quam quæ ex fasciculis desumpta sint myrrhæ, atque aromatum prædictorum, quam myrrham ærumnarum, & tribulationum, fideique aroma, quæ per dilectionem operatur: Vnde Paulus, donorum istorum excellentiam grauissimis extollens verbis ad Philippenses ait:

h Philip. 1. 27. *h Tantum digne Euangelio Christi conuersamini: vt, siue cum venero, & videro vos: siue absens, audiam de vobis, quia statis in vno spiritu vnanimes: collaborantes fidei Euangelij: & in nullo terreamini ab aduersariis, quæ illis est causa perditionis, vobis autem salutis & hoc à Deo: quia vobis donatum est pro Christo, non solum vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini.* Quod ergo secundum sensum istum, hic B ait cælestis sponsus, tale est.

Paraphrasis. Inuitatus ecce iam *venio* in te vt *in hortum* mihi pulcherrime instructum: ex oblatione fructus pomorũ, quam mihi exhibuisti, sororẽ te meam diuinæ naturę mihi consortem, sponsamque meam, charitatis vinculo mihi iunctam agnosco: *Venio* vt ad sororem, ac sponsam meam, proque fructibus pomorum, & interioribus actibus charitatis, quos, mea cooperante gratia, profers, munera tibi defero præstantissima, *myrrham* amaritudinis, ac tribulationum vna *cum aromate* fragrantissimæ fidei, quæ per dilectionem operatur, præstans tibi, vt in exterioribus quoque actibus digne Euangelio meo conuerseris: in hisce enim C duobus opes meas constitui, cum passionis meæ tẽpore myrrham meam cum aromatibus item meis messui in multa copia myrrhæ amaritudinum, dolorumque meorum, & aromatum fragrantium cuiuscunque virtutis actuum.

Iuxta secundum litteræ sensum principalem, quo in præterito & metaphorice omnia sumuntur. Cælestis idemmet sponsus, eidem quoque animæ sanctæ, quæ ipsi sese totam exhibuerat, inuitans eum ad se vt ad hortum illum suum, quem in fine cap. quarti ventis tribulationum concuti iusserat, dicens:

28 Secundus sensus. *Ad tribulatum quam cito accurrat Deus cum inuocatur.*

i Cant. 4. 16 *i Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius*: significat, se iam ex tunc in eam venisse, cũ venti tentationum ipsam perflare cœperũt: seu, cum primum ipsam in corde suo eum inuitare disposuit ad sese, iuxta illud Psalmi:

k Ps. 9. 17. *k Præparationem cordis eorum audiuit auris tua.*

Porro ea est tam benigni sponsi consuetudo, vt ad tribulatum quemque accurrat, præmissis tribulationibus, tamquam legatis, ac præcursoribus suis, accurrens autem haud illico sese manifestet: sed quasi in abscondito ipsum intueatur tribulatũ, ingenti perfusus voluptate ex tribulationibus ipsis fortiter, patienterque toleratis, atque ex precibus, quæ à tribulato prodeunt corde, & ex virtutum actibus, qui tolerantiam passionum consequuntur. Voluptatem istam suam exprimit metaphoricis verbis hisce: *Messui myrrham meam cum aromatibus meis*: innuens, tanta in præ- E dicto aduentu suo ad animam tribulatam perfusum se lætitia, quanta perfundi solent messores, qui lætantur in messe; cum sane & ipse pariter tunc *myrrhã suã* in tali anima, taliue horto suo messuerit, myrrham inquam passionum suarum vna *cum aromatibus* quoque suis, precibus, ac virtutum actibus, quorum omnium semina cum fletu, & lacrymis iecerat super Cruce cõfixus. Metere se dicit myrrham, passionesque suas Dominus Iesus eo sensu, quo Paulus significauit, ærumnas, & tribulationes, quas perpetiebatur, esse in complementum passionum Christi dicens:

l Col. 1. 24. *l Qui nunc F gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia*: quorum verborum sensum explicaui alias. Hanc vero passionum suarum *myrrham* in anima tribulata metit vna *cum aromatibus* item suis, quando illam in ipsis, quas patitur, tribulationibus preces, & supplicationes illasmet effundere percipit, quas & in passione sua ipse obtulit Patri cum fletu, & clamore valido, iuxta illud Pauli dicentis:

a Heb. 5. 7. *a Qui in diebus carnis suæ* (quando scilicet magis patefacta est misera carnis sue

Tribulato proferemte preces, quas Christus protulit in passione sua metit Christus myrrhã cum aromatibus suis.

conditio) *preces, supplicationesque ad eum, qui posit illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia:* illas, quas magno angore animi, procidensque in terram protulit in horto: *b Pater, si fieri potest, transfer à me calicem istum: verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat,* illas, quas, è cruce pendens, fudit: *c Pater, ignosce illis: quia nesciunt, quid faciunt. d Pater, in manus tuas commendo spiritum meum:* &, *e Sitio,* maiores scilicet & vehementiores ærumnas pro gloria nominis tui perpeti. Metit quoque in eadem anima *myrrham cum aromatibus* suis, quãdo actus etiam virtutum ipsis eius in tribulationibus percipit similes actibus illis, quos ipse exhibuit in passione sua, perfectæ obedientiæ, & resignationis, & abiectissimæ humilitatis, validissimæ fiduciæ in eum, qui poterat eum saluum facere à morte, tutissimæque spei, quæ non confundit, & ardentissimæ charitatis.

b Luc. 24. 42. c Luc. 23. 24 d Luc. 23. 46 e Io. 19. 21.

Quando vna cum tribulationibus sunt actus virtutum similes illis, quos Christus in cruce exhibuit, metit Christus myrrham cum aromatibus suis.

Ait ergo. Cum primum tribulationum ventis cõcussa, me ad te accersere disposuisti soror mea, sponsa, *Veni in hortum meum,* tantaque lætitia perfusus sum te intuens, læto animo tribulationes tolerantẽ, quanta esse solet in messe, apud messores: *messui* enim quodammodo & ipse in te horto meo, *messui myrrhã meã,* inspiciens te ærumnis hisce tuis adimplẽtem ea, quæ desunt passionibus meis: atque cum myrrha ista mea messui simul, & aromata mea, percipiens, eas ipsas à te fundi preces, & supplicationes, quas ego & in mea prompsi passione: talesve in ijsdem tribulationibus tuis exhiberi virtutum actus suaueolentes, quales & ipse protulit super cruce.

Paraphrasis.

29

Tertius sensus. *Exhibitio piæ animæ, ad perdurãdum in laboribus huius vitæ quam grata sit Deo.*

Iuxta tertium litteræ sensum, quo verba *veni,* ac *messui,* sumuntur pro futuris, *veniam,* seu *ibo* & *metam,* nomenque horti haud metaphorice, sed proprie accipitur: Pergratam sibi extitisse, perfectissimam illam piæ animæ exhibitionem ad perseuerandum, ac perdurandum in vita laboriosa, si opus fuerit, si placitum dilecto suo, eidemmet animæ cælestis ipse indicat eius sponsus: Annuens enim promptæ exhibitioni illius, qua (prout videre est in quarto sensu præcedentium verborum, expositi tertia) quasi quid tale Domino sibi occurrenti, vt tolleret animam eius è mundi miseriis, dixerat: Si tibi libuerit, vt adhuc per aliquod temporis spatium in misera ista vita laboribus, ærumnisve premar pro tui nominis gloria, proximive vtilitate, ecce hic permanebo libẽtius, *vadat dilectus meus in* cælestem *hortum suum,* ibique se reficiat fructu immensæ charitatis suæ gustumque ex sanctis percipiat Martyribus, quos in cruce pendens protulit è se tamquam ex arbore mali. Consequenter ille respondet: *Vadam in hortum ipsum meum, soror mea sponsa: metam,* &c. Æque est autem, ac si dicat.

Paraphrasis.

Quandoquidem sororem te meam agnosco diuinæ naturæ mihi consortem, sponsamque meam, de filiis meis adeo solicitam, vt labores non renuas pro eorum vtilitate: *Vadam* pro nunc & *veniam, in* cælum ac paradisum meam, te in terris relicta: Ibique non *comedam* modo *fructum pomorum* meorum, vt suades, gustum percipiens ex Martyribus, qui per tormenta, quæ pro me passi sunt, mecum iam participes sunt eiusdem horti: sed è te *metã* præcipuos mortificationis, & patientiæ actus, quibus instar aromatum mihi maxime redolentium, te mihi offeres in sacrificium & in odorem suauitatis, *colligam myrrham* istam, & aromata mea, quorum semina ipse in te ieci, & in fasciculis apud me tibi ea seruabo.

Discrimen, quo Deus piam animã ad se colligit per mortem quoue eandẽ ad se colligit in vita ista perdurantem.

Pro huius sensus intelligentia pleniori, animaduertendum, si vim verbi metendi etiam vindemiãdi, quo vsi sunt Sept. recte perpenderimus, quæ in eo sita est, vt proprie significet sectionem culminis, aut botrorum remanente in terra fixa radice, & frutice plantationis, è qua denuo culmen aliud frugiferum, & botri alij prouenire possunt, qui simili ratione metantur, secentur, & in fasciculos colligantur, certiores fieri de diuersa ratione, qua piam animam in vita ista degentem secum colligit in cælum, quave eandem item ad cælum colligit, vel in morte, vel post mortem.

Siquidem mortis tempore nihil radicis, aut fruticis relinquit, vt progerminare amplius queat culmina actuum meriti; sed ita illam secum abripit in cælum, vt totam, quanta est, vna cum ijs, quos tunc temporis habet, actibus meritorijs & fruticem deferat, & radicem ipsius meriti. Neque enim post mortem, vel etiã in cælo est iam alius merendi locus, expleto viatoris statu, vitæque præsentis curriculo. At vero quamdiu eamdem piam animam in præsenti vita perseuerare sinit, eleuat quidem eam ad se per opera bona, ad quę illam impellit, sed eleuat, irrigans imbribus diuinæ gratiæ radicatam in terris, cumque fructus ex ea carpit, haud eam secum abripit totam: verum relicta eius radice, & frutice in terra, culmina duntaxat eius secat perfectorum, quos protulerit actuum, secum eos deferens in cælum: sicve illam metit, colligens dictos actus in fasciculos; vt illa post mortem in cœlestibus horreis seruatos, & congregatos ipsos reperiat: ea vero sic in terris relicta, iterum iterumque noua proferens culmina, in maiora semper excrescit merita.

Meriti locus nõ relinquitur post mortem.

Meritum in hac vita semper crescere potest.

Illud vero quam maxime in verbis hisce, *Messui myrrham meam cum aromatibus meis,* ponderãdum est, quod omnia quidem aromata, sed in primis myrrham suam messurum se dicit benignissimus sponsus: nam omnem quidem actum cuiuscunque virtutis colligit, atque in distinctos fasciculos ipsimet seruat animæ, vt cum occubuerit, illæsos eos reperiat, ac per illos laudem, & gloriam sibi conciliet, iuxta illud Prouerbiorum: *f Laudent eam in portis opera eius:* sic de eleemosyna, ac de operibus misericordiæ dictum haud obscure inuenimus & per Ecclesiasten: *g Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post multa tempora inuenies illum:* & per Redemptorem nostrum sub alia metaphora: *h Facite amicos de mammona iniquitatis: vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Verumtamẽ cum eamdem animam tribulationibus, laboribusque pressam, & mortificationi vacantem conspicit, culmina præsertim ista amarissimæ myrrhæ suæ satagit in ea secare, atque in manipulos colligere labores omnes, omnesve ærumnas, quas pro nomine suo, proque proximorum vtilitate subierit: cuius rei conscius, atque testem optimum Paulum habemus Apostolũ, vbi ait: *a Ob quam causam* (nimirum prædicationis Euangelij, & Apostolatus in vtilitatem proximorum) *hæc patior* (tam scilicet grauia, atque molesta laborũ, ac persecutionum:) *sed non confundor: Scio enim cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem.* Quod depositum? passionum certe, laborum, ac ærumnarum, quas apud Christum, qui eas metebat, depositas nouerat. Myrrham porro istam suam, cuius semen ipsemet iecit, metere se dicit cum aromatibus suis, quatenus vna cum laboribus, mortificatione carnis, ac tribulationibus, quas ex anima tribulata, & mortificata colligit (vt explicatum est) colligit simul & actus eiusdem animæ, quibus labores ipsos suos, mortificationesve carnis, & cor suum afflictum, & contribulatum in acceptabile offert sacrificium, & in odorem suauitatis, iuxta illud: *b Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non despiciet.*

30

Actum omnẽ cuiuscunque virtutis colligit, & seruat Deus animæ cooperanti.

f Pro. 31. 32

g Eccl. 11. 1.

h Luc. 16. 6.

Singulos labores, dolores, & tribulationes colligit & seruat Deus piæ animæ eas patienti pro nomine suo.

a 2. Tim. 1. 2

b Ps. 50. 18

Iuxta vltimum litteræ sensum, quo eadem ratione nomen horti haud metaphorice, sed proprie sumitur, prout in sensu præallato: ac verba, *veni,* & *messui,* haud pari modo pro futuris, sed pro præteritis, vt sonant, accipiuntur: Per ea, quæ hic dicit cælestis sponsus, audita prompta piæ animę exhibitione ad perferendos miseræ vitæ præsentis labores, atque ad cælestis, sibique peroptatæ gloriæ dilationem (prout explicatum est in sensu superiori) haud quidem annuit dilationi huiusmodi, prout annuere videbatur secundum prædictum sensum, quin potius vehementioribus argumentis ad paradisum illam accersit, atque vt, vitam cum morte commutans, commigret secum, inuitat, idque peregregio efficit artificio, respondens verbis consonis ijs, quę ipsa mox protulerat. Dixerat illa: *Veniat,* seu *vadat dilectus meus in hortum suum, & cõedat*

31

Quartus sensus. *In mortis articulo existentem piã animam inuitat Christus ad gloriam pro perpessis laboribus per cipiendam.*

edat fructum pomorum suorum. Respõdet is ad hæc: *Veni*, seu *iui*, & profectus sum *in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis*: Æque est autem, ac si dicat.

Paraphrasis.

Veni, & iam diu me contuli *in hortum*, & paradisum meam cælestem, quando scilicet ascendi ad Patrem meum, & Patrem tuum: cum ergo tu *soror mea* sis, veni iam ad communem Patrem cum fratre tuo: cumque & *sponsa* quoque sis mea, veni, & regni mei sis particeps. *Messui* cum lętitia *myrrham* amaritudinum, & passionum mearum vna *cum aromatibus* item *meis*, quæ passionis tempore seminaram in tristitia, & lacrymis; gloriam, & bonorum omnium affluentiam, ac exultationem colligens tamquam florem, ac fructum illius myrrhæ, aromatumque meorum. Veni ergo, vt & pariter eadem ratione mecum metas tam meam, quam tuam myrrham ærumnarum, atque dolorum, quos pro me subijsti hucusque, & aromata virtutum, quas vna mecum in misera vita ista ad fructum operationis eleuasti.

Pro huius sensus intelligentia, recolendum id, quod dictum est in explicatione sensus præcedentis, vim verbi metendi sitam in eo, quod cum lætitia colligitur culmen eius, quod metitur, in quo culmine vel flos, vel fructus est, ita vt flos, & fructus per mesionem ipsam colligatur. Porro quis fuerit flos, quive fructus, quem Christus Iesus collegit tam ex myrrha passionis, mortisve suæ, quam ex aromatibus virtutum humilitatis, atque obedientiæ, quas vna cum myrrha sua habuit iunctas, aperte explicat Paulus in Epist. ad Philippenses: postquam enim myrrham ipsam, atque aromata proposuit, dicens: *Semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo: humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis*: subjecit illico myrrhæ, atque aromatum istorum florem simul, ac fructum vberrimum, atque pulcherrimum: *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium*, &c. Videtur autem cælestis sponsus, tametsi succise, eadem ratione vti, qua vsus est Paulus ad Hebræos, sed diuerso, & contrario modo. Sicut enim Paulus exinde infert Christum Iesum gloria perfectissima propter passiones à Patre decoratum in cælis: quia ab eodem Patre multi filij adoptiui per passiones ad gloriam pariter adducti essent: quia nimirum habuerunt exemplar Christi passuri, ac per passionem glorificandi, ostensum in figuris, dicens: *c Decebat enim eum, propter quē omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passiones consummare*, id est, decebat Deum Patrem propter quem sunt omnia, & qui creauit omnia, vt ipse, qui multos filios in gloriam adduxerat, scilicet per varias ærumnas, etiam filium ipsum suum per passiones, multipliceque afflictiones ad gloriam proueheret perfectissimam; quandoquidem is auctor salutis illorum extitisset. Eodem pacto ex eo, quod messuit myrrham suam cum aromatibus, per passiones, humilitatemque, ac obedientiam suam gloria exaltatus, & in paradisum euectus, tacite cælestis ipsemet sponsus indicat dilectæ suæ, quam è præsenti vita ad cœlos euehere secum vult, par esse, vt & ipsa, quo sibi per omnia assimiletur fratri suo, sicut & ipsemet per omnia etiam fratribus suis voluit similari, diem suum obiens, secum commigret in hortum, ac paradisum eumdem, metatque iam myrrham cum aromatibus communibus: quandoquidem soror, & sponsa sua sit.

Christus glorificatus per passionē, humilitatem & obedientiam, messuit myrrham suā cum aromatibus suis. Phil. 2. 7.

c Heb. 2. 10

32 Alia sensus IIII. adapt.

Possent & hæc ipsa sponsi verba iuxta vltimū istum litteræ sensum non incongrue ad accessum Christi in hortum Gethsemani adaptari, sicque cum superioribus connecti: vt ad inuitationem illam capitis quarti: *d Vadam ad montem myrrhæ, & collem thuris*: qua piæ animæ sponsus ipsam inuitarat ad meditandam passionem suam, ad quam meditationem ipse libentissime accurrerte, prout videre est in tertia exposit. illorum verborum: ad quam etiam inuitationem totum ipsum caput quartum spectare, ostensum est: Pia ipsa anima lubens ad hanc se conferre volens meditationem passionis, sed vna cum dilecto suo, respondere: *Veniat*, seu, *vadat dilectus meus in hortum suum, vadat* sic ipse prior, vt ipsum inueniam in passione, quam in horto subijt: quia in horto cœpit pati, & prope hortum crucifixus est: Vel, *veniat* mecum *in* istiusmodi *hortum*, dum ipsa ab eo inuitata ad illum me confero, ob oculos scilicet mihi ponens aliquod mysterium passionis, ibique, me meditante, comedat ipse affectus meos, *fructum pomorum suorum fructum* dilectionis suę, exhibitæ per passionem ipsam suam. Ille vero annuens hisce deuotæ animæ vocibus, & eius implet vota, & simul hac de re certiorem eam facit, dicens: *Veni in hortum meum soror mea sponsa*: sororem, sponsamque suam illam compellans, vt per hæc nomina indicet, quam lubenter ei satisfecerit: Æque est autem, ac si dicat.

Paraphrasis. *De Agonia & oratione Christi in horto.*

Ad primam tui vocem, *Veni in hortum meum*, in hortum Gethsemani, in quo, dum in mundo degerem, exire sæpius consueueram ad orandum: ibi me reperies hoc mysterium meditare: mecum in illum hortū accedito: in eo ipse orans Patrem, menteque mea versans omnes, quas subiturus eram passiones, vniuersa mundi peccata, perditionem populi mei, ingratitudinemque sceleste rum hominum, vniuersam *myrrham* amaritudinum mearum, factus in agonia vindemiaui, solus torcular calcans amaritudinis animæ meæ, ipsamq; *myrrham* istam *meam cum aromatibus meis* expressi, angore ipso meo vindemians aromata guttarum sanguinis mei in tanta copia, vt instar fluminis in terram defluxerint.

Iuxta quem sensum in fine præcedentis cap. 4. eadem anima contemplatiua dixit: *Surge Aquilo, & veni Auster*, &c. dum Christum in ipso horto contemplaretur; quorum intellectus hic esse potest haud incongruus: *Surge Aquilo* frigidissime timoris moriendi, *& veni Auster*, calidissime charitatis immensæ erga genus humanum, & alter ex vna parte, alter ex altera perflare *hortum meum* Christum orantem in horto, sicve *fluent* ex ipso *aromata* pretiosissima sanguinei sudoris, quæ me à mortifera sanent peccati & ægritudine.

Ex Vers. I. c. V. *Veni in hortū meum, soror mea sponsa: messui myrrham meam cum aromatibus meis.*

Expositio IV.

De tertia Sponsa, quæ est B. Virgo Maria.

33 *In primo instanti incarnationis Christus collegit in corde suo omnes passiones suas cum futura salute hominū metens. Luc. 1. 38.*

HAud operæpretium est, vt in expositione ista diutius immoremur: Illud enim ipsum facto exhibitum per hæc significatur à verbo, quod insigni resignatione sua verbis præcedentibus expetierat Beata Virgo: quamquam in metaphoris aliquod sit discrimen. Illa in humillima resignatione sua, quam exhibuerat in Euangelicis verbis ijs, *Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum*, quasi hisce, *Veniat dilectus meus in hortum suum*, &c. internum suum expressit desiderium Incarnationis, prout superius explicatum est: At Verbum factum se iam sponsum, fratremque ipsius, ostendit, & incarnatum; atque ad primam illam eius vocem illico se venisse in vterum ipsius, quem in peculiarem sibi plantarat paradisum.

Illa sic dilectum ipsum suum inuitarat in ventrem

In passionis Christi meditatione Christus piā animam præuenit, & comitatur. d Cant. 4. 6.

ſuum;vt tamen non ignoraret,ibidem illico eum percepturum guſtum ex paſſionibus,quas ſubiturus erat pro ſalute humani generis, eaſque à primo inſtanti conceptionis accepturum: ideoque ſalutis huius deſiderio flagrans dixit,cur optaret,vt veniret, & comederet *fructum pomorum*,ſeu *nucum ſuarum*,vt ibi explicatum eſt,expoſit.quarta: Sponſus,ſe hoc quoque ita impleſſe ſignificat, vt in illo ipſo primo inſtanti conceptionis, quo in hortum ipſum venit,ad inſtar meſſoris ex repræſentatis ſibi ob oculos paſſionibus inſtar myrrhæ amariſsimis faſciculũ collegerit, quem vna cum altero faſciculo collecto ex cogitationibus ſalutis,pacis,atque redemptionis humanæ,aromatũ videlicet ſuorum,in horreo cordis ſui iugiter conſeruatum teneret omnibus diebus vitæ ſuæ.

Quem vero guſtum ex ijs perceperit explicat in ſubſequentibus.

Paraphraſis. Loquens ergo cæleſtis ſponſus, & reſpondẽs Beatæ Virgini,tale quid ſibi velle videtur.

Ecce iam frater tuus effectus ſum,ex eadem carne cõceptus;ecce & ſponſus factus ſum tuus, tamquam ſponſus egreſſus de thalamo meo: *Veni* enim iam *ſoror mea ſponſa in* vterum tuum, *hortumque meum: collegi* vt myrrhæ,& aromatũ meorum meſſor, *faſciculum* paſſionum mearum vna cum faſciculo ſalutis, pacis, atque redemptionis: iamque ex tunc,cum primum veni, illos in penetralibus cordis mei ſeruatos teneo ſemper,ſemperque nouis oblationibus eleuo illos coram Patre meo primitias meſsis meæ.

Ex Verſ. I. cap. V. *Veni in hortum meum, ſoror mea ſponſa: meſſui myrrham meam cum aromatibus meis.*

Appendix Expoſitionum, Ex antiquis Patribus collecta.

34 PAraphraſis Chaldaica: Dixit ille Sanctus,& benedictus populo ſuo domui Iſrael: Ingreſſus ſum domum ſanctuarii mei, quam ædificaſti mihi ſoror mea, Congregatio Iſrael, quæ comparata es ſponſæ honeſtæ,& habitare feci maieſtatem meam in medio tui: ſuſcepi incenſum aromatum tuorum,quod feciſti nomini meo.

Greg. Nyſſ. Pro ſenſu dramatis, Gregorius Nyſſenus arbitratur ſpõſum, illico ac ſponſa expreſsit deſideriũ ſuũ, ad illam aduentaſſe, hæcque cum ſubſequentibus ei dixiſſe. ſi quidẽ in homilia 10. notat quomodo Deus, iuxta illud Iſaiæ dictum: *a Te adhuc illic loquente, ecce adſum*: priuſquam exiret votum ſponſæ,audiuit ea,quæ eſt precata, promptoque animo eam præuenit.

Orationes piorum præuenit Deus. *a Iſa. 58. 9.*

In Incarnatione Verbũ deſcendit in hortum ſuũ. Cæſarius. Athanaſ. Aponius. Rup. Abb. Athanaſ. Per aduentum Verbi, ſeu, iuxta verſionem Septuag. per deſcenſum in hortum eiuſdem Verbi incarnationem intelligunt Cæſarius in Dialogo 3. apud Greg. Nazianzenum eius fratrem, Athanaſius in ſynopſi, Aponius, ac Rupertus Abbas. In proprium hortum, inquit Athanaſius, creaturam videlicet ingreſſus Deus, carnẽ ſibi ex Virgine aſſumpſit, & homo factus. Mortale quidem corpus erat, verum cum fragrantia ſacroſanctiſſimi Verbi coniunctum.

Mortificationem & reliquas virtutes colligit Chriſtus, veniens in Eccleſiam, & piam animam. Ambroſ. Theodor. Tres Patres. Greg. Nyſſ. Alij autem communiter Chriſti intelligunt aduentum in Eccleſiam,ſeu piam animam. Porro quod aduenies idem ait,ſe meſſuiſſe,aut vindemiaſſe myrrham cum aromatibus ſuis: Gregorius Nyſſenus vbi ſupra,Ambroſius lib. de bono mortis cap.5. Theodoritus, & Catena trium Patrum apud eumdem intelligũt de collectione mortificationis deſignatæ per myrrham,& reliquarum virtutum quas ſignant aromata. Vnde Nyſſenus, Arbor, inquit, myrrham ferẽs erat Paulus,qui quotidie moriebatur,& ipſe dabat ſibi reſponſum mortis, & per puritatem, & diuinam vitæ inſtitutionem aromatizans fiebat quodammodo odor vitæ iis,qui ſalui fiunt.

Ambroſ. Theodor. Tres Patres. Chriſtus in anima vindemiat myrrham cum vnguentis, eliciens ex illa odorem ſanctitatis ſuæ. In hæc ipſa recidunt, quæ dicuntur ab Ambroſio lib. de bono mortis cap.5. à Theodorito, & Catena trium Patrum apud ipſum Theodoritum lib.3. in Cant. ijſdemque cõſona ſunt,quæ habet Ambroſius, dum in lib.5.de Sacram.cap.3. ſic legens: *Deſcendi in hortum meum,vindemiaui myrrham cum vnguentis meis.*

Quæ eſt,inquit,iſta vindemia? Cognoſcite vineam, & agnoſcetis vindemiam. *a Vineam*, ait, *ex Ægypto tranſtuliſti*,hoc eſt populum Dei. Vos eſtis vinea, vos eſtis vindemia, quaſi vinea plantati, quaſi vindemia fructum dediſtis. *Vindemiaui myrrham cum vnguentis meis*,hoc eſt in odorem, quem accepiſti.

a Pſ. 76. 9.

Idem. Myrrhæ vindemia eſt vindemia fidei. Tametſi idem Ambroſius lib.8. in Lucam cap.17. nõ tam pro mortificatione myrrham ipſam accipiat, quam pro fide,dum ait: Quæ melior,quam fidei vindemia, qua reſurrectionis fructus reconditur, qua perpetuæ lætitiæ fons rigatur?

35 *Caſsiod. Beda. Morte Chriſtus ad ſe colligit omnes martyres, & omnes ſanctos. Greg. PP. Iuſt. Org. Anſelmus.* In eadem Eccleſia Chriſtum meſſuiſſe myrrham ſuam cum aromatibus ſuis,ait Caſſiodorus,& Beda, quatenus per mortẽ collegit ad ſe Martyres, & ſanctos quoſque.

In hæc ipſa fere recidunt, quæ dicuntur à Gregoria Papa,Iuſto Orgelitano, atque Anſelmo, qui per myrrham Chriſti cum aromatibus eiuſdẽ illos intelligunt, qui per mortificationis ſtudium tendunt ad perfectionẽ: tametſi Iuſtus Aromata proprie intelligat eorumdem merita.

Cyrillus. Ruffinus. Referunt hęc ad Chriſti paſsionem Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi 13. Ruffinus in ſymbolum, inter opera Cypriani, Philo Carpathius,Aponius,& Rupertus Abbas, ſed diuerſimode: nam Cyrillus, quem ſequitur Ruffinus,per hortum Chriſti eius intelligit paſſionem: Præcantauit enim,ait,in Canticis de hoc horto ad meam ſpõſam, hæc dicens ad illam. *Ingreſſus ſum in hortum meum,Soror mea ſponſa*. Erat autẽ, vbi crucifixus eſt,hortus,& quid accipis illic? *Meſſui myrrham meam*, vinum myrrhatum bibens, & acetum.

In Paſsione Chriſtus meſſuit myrrham,bibens vinum myrrhatum. *Ad paſsionem Chriſti meditandam inuitatur pia anima.* Philo accipiens verbum, *Veni*, ſeu *deſcende*, pro imperatiuo, quomodo idem ſumpſit & Iuſtus Orgelitanus, inuitari, inquit, piam animam ad hortum paſſionis Chriſti, ad meditandam videlicet illam.

Myrrha cũ aromatibus Chriſti eſt ſepultura eius cum vaticinijs prophetarum. Incarnatus Chriſtus meſſuit myrrham, conuertens latronem cum aromatibus pœnitentiæ meretricis. Per myrrham cum aromatibus ſepulturam intelligit Chriſti cum vaticinijs Prophetarum, meſſionem myrrhæ, ac paſsionis complementum in ſepultura Chriſti aſſerentium.

Aponius, venit,ait, in hortum ſuum, per Incarnationem; meſſuit myrrham amaram quondam, nunc medicinæ exemplum, per conuerſionem truculenti latronis,cum aromatibus pœnitentiæ meretricis.

Chriſtus meſſuit myrrham, conuertens latronem cum aromatibus pœnitentiæ meretricis. Chriſtus incarnatus meſſuit myrrham, &c. cum per obedientiam mortuus electos omnes acquiſiuit. Deus, in piã animam veniẽs efficit vt delectabiliter labores toleret, ac per ærumnas tendat ad perfectionẽ. Rupertus Abbas, meſſuiſſe Chriſtum myrrham ſuam, inquit, cum aromatibus ſuis, cum moriendo ad infernum deſcendit, reuerſurus cum omnibus ſanctis, & electis ſuis, qui eum expectabant ab origine mundi. Seu,cum per obediẽtiam ſuam fragrantiſsimum videlicet aroma peruenit vſque ad mortẽ, mortem autem crucis, cum qua, & per quam omnia traxit ad ſe, & acquiſiuit omnes electos ſuos à conſtitutione mundi.

Singulariter autem Richardus de Sancto Victore, aduentum Dei in animam iuſti deſcribi hic, cenſet, quidve per huiuſmodi aduentum in ipſa faciat ipſe, qui venit Deus. Myrrham, inquit, metit Chriſtus, quando præmiſſos labores perficit in anima, quibus ad virtutis perfectionem pertingit, & eam ſuauiter roborat, vt delectabiliter agat, quæ prius horrebat.

Cum enim mortificata fuerit carnalitas, & propria voluntas, tunc fluunt virtutum aromata, & per conſummationem, & triumphum huius laboris venitur ad cultum perfectionis.

Ex

Ex Vers. I. cap. V. *Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.*

Expositio I.

Iuxta sonum litteræ.

36 QVoad connexionẽ, & sensum istorum verborũ, laborandum hic nobis minime est; satis enim superque de his actum est in prima exposit. verborum præcedentium, videantur quæ ibi dicta sunt.

Duo autem supersunt, quæ hic examinentur, vnũ circa comestionem, alterum circa potum.

Silua & apiarium eodem vocabulo significata.

Enimuero pro eo, quod Vulgata habent *fauum*, in textu Hebraico est dictio יַעַר iaghri: porro vox יַעַר iangar proprie significat siluam. Verum cum siluæ terræ Israeliticæ vberrimo melle abũdarent, ita vt frequenter eę viderentur esse Apiarij quidam: hinc factum est, vt eadem dictio in sacris litteris vsurpata sæpius reperiatur pro apiario mellis, sicut eam Sept. reddidere 1. Re. 14. *Et ingressus est populus* εἰς τὸν μελισσῶνα, in apiarum: Vulgata, *in saltum*: Vel pro eiusdem mellis fauo, prout ab ijsdem Septuag. accepta est loco supra citato primo Regum vers. 27. vbi eam vertere κηρίον τοῦ μέλιτος, *& intinxit in fauũ mellis*, prout & Vulgata. Certe vulgata hoc quoque loco Cantici Canticorum in eodem sensu vocem istam reddidere, *Comedi fauum*: nec Symmachus, vertẽs ἐνεμήθην τὸν δρυμόν μου, *depastus sum siluam meam*, aliud nomine siluæ intellexisse censendus est; quam fauum ipsum, quem siluæ nomine expressit & Hebraicus textus, prout iam ostensum est: quamquam aliqui ad hoc siluæ nomẽ à sponso hic cẽsent adhibitum, vt maiori emphasi significaret, se nedum fauum mellis, seu mel è fauo comedisse, sed totam siluam melle spoliasse: assumpsisse quicquid mellis in silua repertum esset.

1. Reg. 14. 26.

3. Reg. 14. 27.

Siluam depasci, quid sit.

Comedi panẽ meum, quomodo verterint Sept.

Illud difficultatem habet, quod Septuag. nouo significatu, neque pro silua, neque pro apiario, aut fauo mellis Hebraicam dictionem acceperunt, sed pro pane, sic vertentes, ἐφαγον ἄρτόν μου μετὰ μέλιτός μου: *Comedi panem meum cum melle meo.* Et quidem si coniecturis agere liceret, facile esset conijcere, Septuag. quidem dictionem יַעַר iangar, vertisse, κηρίον, *fauum*, prout eamdem vertisse reperiuntur in præcitato loco primi Regum: *b* Ex scriptorum vero incuria antiquitus effectum, vt in textu pro, κηρίον, appositum sit, ἄρτον, quod haud difficile fuit, vt in legendo contingeret, deleto præsertim, κ, à voce κηρίον, facile fuit, vt ω, legeretur pro η, & τ pro ι: sicque haberetur, ἄρτον, *panem*. Eam nihilominus lectionem libẽtissime amplexi sunt Patres sancti ob maiorem vim, quam habet, in explicando mysterio Sacramenti Eucharistiæ, quod pane celebratur, ac vino. Et quicquid sit de coniectura, certum sane est, codices vniuersos nunc habere ἄρτον, *panem*.

b 1. Reg. 13. 27.

Panis nomine quid intellexerint hoc loco Sept. Interpretes.

Dici forsitan posset & admodum congruenter, panis nomen hoc loco vsurpatum à Sept. non tam pro significatione ipsius panis, quam pro cibo quolibet iuxtà frequentissimam Hebraicæ linguæ consuetudinem, moremque sacrarum litterarum, quo quicquid in lautissimo conuiuio paratur, panis vocabulo explicatur, vt Genesis 43. *c Ponite panes*. Exod. 2. *d Vocate eum, vt comedat panem*; & alibi sæpissime. Et de manna, quod de cœlo pluebat, *e Ego pluam vobis panem de cœlo*, ait Dominus in libro Exodi: Quin & fauum ipsum mellis, seu mel ipsum panis quoque nomine designatum reperio in loco sæpius citato 1. li. Reg. *f* ibi enim cum hæc fuisset adiuratio Saul Regis. *Maledictus vir, qui comederit panem vsque ad vesperam, donec vlciscar de inimicis meis*: Subijcitur in textu: *Ingressus est populus in saltum, & apparuit fluens mel, nulluſque applicuit manum ad os suum* (vt comederet scilicet mel, & affertur ratio: *Timebat enim populus iuramentum*) quo scilicet sub panis vocabulo mel ipsum prohibitum fuerat, quod & facto declaratum est: nam, cum Ionathas ignarus adiurationis Saul Patris sui, extensa summitate Virgæ in fauum mellis, aliquantulũ eius comedisset, illico dictũ est ei: *Iureiurando cõstrinxit Pater tuus populum, dicẽs: Maledictus vir, qui comederit panem hodie*: Et Saul Ionatham ipsum damnauit mortis sententia; quia comedens mel, contra adiurationem suam fecisset, de non comedendo pane vsque ad vesperam. Itaque Septuag. Hebraicam dictionem יַעַר iangar, quæ siluam significat, & mel, seu fauum mellis fluentem in silua, vertentes, ἄρτον, panis vocabulo intellexerunt aut fauum, quo silua exuberat; aut quidquid fructuum, & cibi in silua reperitur; aut generaliter omnem cibum: quem sensum secutus est Ambrosius, qui, tametsi sæpius in operibus suis legat: *Comedi panem meum cum melle meo*: in libro tamen de iis qui initiantur mysteriis cap. vlt. sic legit: *Manducaui cibum meum cum melle meo.*

Ambros.

Quod in littera nostra dicitur: *Comedi fauum cum melle meo*: hac ratione explicant quidam ex recentioribus: Tanta auiditate comedi, vt, moras non ferens mellis eliquandi; vna cum fauo illud vorarim. Quæ explicatio etsi subtilis sit, & peracuta: haud tamen litteræ consona mihi videtur; præsertim si per fauum mellis multam mellis copiam, multosque fauos, aut fauum magnum significatum teneamus, prout dictũ est in exposit. 1. verborum præcedentium. Equis enim ceram in magna copia vorare valeat? Simplicior, ac veritati magis consonus sensus est, vt sponsus dicat, se comedisse, seu detulisse ad comedendum *fauum cum melle* suo: eo nimirum modo comedendum, quo comedi quotidie videmus fauos, sugendo ex ipsis mel.

37 *Fauum cum melle comedere quid sit.*

I

Aut si aliam velimus significatam comestionem mellis, aliam faui, prout ex modo loquendi colligi videtur, cum sponsus dicit: *Comedi fauum meũ cum melle meo*: tantumdem est, ac si dicat; Expressi *mel* de fauo, illudque *comedi*: quin & post expressionem mellis, adhuc *fauum* ipsum *comedi*, sugens reliquias, quæ in eo remanserant mellis.

II

Tertio quoque modo idipsum intelligi potest, vt idem sponsus dilectæ suæ significet, se detulisse mellis fauos, quales comedere ipsemet soleret, haud scilicet aridos, sed *cum melle*, id est melle refertos.

III

38 Quoad potum, & potabilia, quæ explicantur his verbis: *Bibi vinum meum cum lacte meo*: illud examinandum est, cur vna cum vino lac adnumeratum sit, vt simul potatum, cum & experientia constet, hæc duo simul mixta haud bonam, & sapidam efficere potionem: & iuxta medicorum dogmata, vinum cum lacte intra stomachum habeat repugnantiam.

Adde, quod & lac etsi infantibus ad potum inseruiat, quatenus fluens ex vberibus sugitur: respectu tamen eorum, qui grandæui sunt in vsu potius est vt cibus, quam vt potus: Vnde Paulus: *g Quis*, ait, *pascit gregem, & de lacte eius non manducat?* Ezechiel: *h Lac comedebatis, & lanis operiebamini*: Et in libr. Ecclesiastici inter cibos necessarios annumeratur post enumeratum & necessarium potum aquæ, vbi dicitur: *i Initium necessariæ rei vitæ hominum aqua, ignis, & ferrum, sal, lac, & panis similagineus, & mel, & botrus vuæ, & oleum, & vestimentum*: Apertiusque in libro Prouerbiorum: *k Suffi-ciat tibi lac caprarum in cibos tuos, & necessaria domus, & ad victum ancillis tuis*: Marcus quoque Varro libro 2. de re rustica capit. 11. eodem sensu ait: Est omnium rerum, quas cibi causa capimus, liquentium lac maxime alibile: Et idcirco Homerus homines appellat γαλακτοφάγους, id est lac comedentes. Quin Plutarchus libro de tuenda valetudine, istiusmodi adhibet monitionem: Ex liquidis non oportebit lacte vice potus vti, sed cibi loco, vt quod & fortiter, & copiose nutriat.

g 1. Cor. 9. 7
h Eze. 34. 3
i Eccl. 39. 3
k Pro. 27. 27.
M. Varro.
Homerus Iliad. N.
Plutarch.

Ob rationes hasce dici non incongrue forsitan posset, lactis nomen hoc loco haud proprie vsurpatũ pro vino ab-

Lactis nomẽ pro vino ab-

pro cibo lactis, ſed metaphorice, ad explicanda varia vinorum genera, nempe pro vino, quod inſtar lactis album ſit, atque dulce: Huius ſententiæ videtur fuiſſe Rabbi Salomon, & apertius Paraphraſis Chaldaica legens: *Bibi vinum rubicundum cum vino albo.* &c.

R. Salomo. Paraphraſ. Chald.

Neque vero nouum eſt, vt vinum lactis nomine nuncupetur; nam & complures Hebræorum (vt notat R. Abraham Aben Ezdra ſuper locum Cant.) arbitrati ſunt, nomine lactis hic vinum ipſum deſignatum ob candorem ipſum, quem vinum deſpumat.

R. Abrahã.

Et apud profanos etiam idipſum aliquando in vſu fuiſſe, reperire eſt, vt vinum lactis nomine inſigniretur: Vnde Alexander ab Alexand. lib. 6. genial. dierum cap. 8. ait. Cum in ſacris Bonæ Deæ vino libetur, illud non ſuo nomine nuncupant, ſed lac dicunt eſſe: vini tamen amphoram in ſacris obuolutam apponunt, quam dixere mellariam.

Alexand. ab Alexand.

Quamuis autem probabiliter hæc dicantur, vt lactis nomine ab ſponſo ſignificatum ſit vinum album, ac dulce inſtar ipſius lactis: nihilominus nequaquam recedere audeo à communi ſanctorum Patrum ſententia, qua intelligitur ipſummet lac ſuo vocabulo ſignatum; præſertim cum rationes in contrarium haud tanti ſint ponderis, vt communem Eccleſiæ ſenſum tranſuertere debeant. Nam ex Clemente Alexandrino libro primo Pædag. cap. ſexto circa finem, vinum dulce cum lacte miſceri ſolet, commodamque & vtilem efficiunt mixtionem, tantum abeſt, vt omnino inuicem ſibi pugnent admixta, prout generaliter ſupponit prima ratio.

Clem. Alexand.

Et licet in Scriptura ſacra lac inter cibos annumeretur, vt aſſeritur in ratione ſecunda: ex eadem tamen Scriptura colligimus, idem ipſum lac proponi vt potabile: Sic in libro Iudicum femina illa Iahel lacte ſitientem potauit Siſaram: vnde & poſtmodum cecinit: *a Aquam petenti, lac dedit, & in phiala Principum obtulit butyrum*: Et apud Ezechielem Dominus ait: *b Idcirco ego tradam te Orientalibus in hæreditatem, & collocabunt caulas ſuas in te, & ponẽt in te tentoria ſua: ipſi comedent fruges tuas, & ipſi bibent lac tuum*: vulgatus eſt & Apoſtoli locus, vbi dixit: *c Lac vobis potum dedi non eſcam*: quamquam ibi Paulus Corinthios alloqueretur vt paruulos tales, quibus lacte opus eſſet.

a Iudi. 5. 25

b Eze. 25. 4

c 1. Cor. 3. 2

Neque nouum eſt in ſacris litteris, vt cum vinum paratur, atque defertur, paretur cum eo ſimul & lac, haud dubium, quin ad eumdem potus vſum: nam & Iſaias Propheta ſitientes vniuerſos accerſens ait: *d Omnes ſitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentũ, properate, emite, & comedite. Venite, emite abſque argento, & abſque vlla commutatione vinum, & lac* (en potabilia) ſubdit poſtmodum panem vt cibum comedendum, dicens: *Quare appenditis argentum non in panibus?* Eadem igitur ratione & in præſenti ſententia ait ſponſus: *Bibi vinum cum lacte meo.*

d Iſa. 55. 1.

Quamuis neque iſtud neceſſarium ſit, vt ad potum & lac quoque deferatur; dici enim poſſet, verbum *bibi* referri ad vinum dumtaxat, quod recte potatum dicatur cum lacte; quia potatum ſit in conuiuio, in quo lac inter dapes extiterit. Fauet huic ſenſui lectio Ambroſij, quæ in libro de iis, qui initiantur myſteriis ca. 9. ſic habet. *Bibi potum meum cum lacte meo.*

Ambroſ.

Quibus ſic ſtantibus, tres aſſignari poterunt dictorum verborum ſenſus.

Paraphraſis.

I Primus maxime omnium probabilis: *Bibi vinum meum*, bibique pariter *& lac meum.*

II Secundus: *Cum lacte meo*, quod manducaui, *bibi vinum meum.*

III Tertius haud omnino reijciendus: *Bibi vinum* rubrum, *cum* vino item *meo* inſtar lactis albo.

Vinum cur in ſcriptura ſignificatum nomine ſanguinis.

Obiter autem circa vltimum ſenſum notandum, haud voluntarie dictum, per vini nomen ſignificatum vinum rubrum; nam in regione Paleſtinæ vinum maiori ex parte rubrum extitiſſe antiquitus, exinde colligitur, quod in ſacris litteris ſæpius ſanguinis nomine nuncupetur: Sic in libro Geneſis: e *Lauabit in vino ſtolam ſuam, & ſanguine vuæ pallium ſuum*: f Deuteronomij quoque; *Sanguinem vuæ biberet meraciſſimum.*

e Ge. 49. 11

f Deut. 32. 14.

Ex Verſ. I. cap. V. *Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.*

Expositio II.

De prima Sponſa, qua eſt Eccleſia Sancta.

39 Primus ſenſus.

QVamquam ex Euangelica hiſtoria pateat, Chriſtum Dominum paſſionis ſuæ tempore, quando (vt viſum eſt in ſecunda præcedentium verborum expoſit.) in Eccleſiam veniens, eius tamquam proprij horti cepit poſſeſſionem, antequam paſſiones, afflictioneſve ſubiret, paſchale celebraſſe conuiuium cum diſcipulis ſuis; maximumque & admirabile inſtituiſſe Sacramentum Euchariſtiæ, quo corpus, & ſanguinem ſuum ſub ſpecicbus panis, & vini ſublimiori conuiuio comedendum, atque bibendum expoſuit: In præſenti nihilominus Cantico amoris ipſemet, ſponſi gerens perſonam ea, quæ tunc temporis ab ſe præſtita ſunt, ſorori, ſpõſæque ſuæ Eccleſiæ, cui ea præſtitit, enarrans ordine tranſuerſo, paſſione præexpoſita vna cum præſtantiſsimis, quæ in ipſa paſſione ſua exhibuit, virtutum exemplis, ſub metaphora meſsionis myrrhæ ſuæ cum aromatibus ſuis: nunc vltimo loco ſe & conuiuium quoque Sacramẽtale ait paraſſe: atque vna cum duobus muneribus, alterum paſsionum ſuarum, alterum redemptionis, virtutumque item ſuarum, tertium pariter detuliſſe donum magnificentiſsimum corporis, & ſanguinis ſui in cibum ſimul, ac potum.

In conuiuio Euchariſtiæ faſciculi paſſionum, & virtutum Chriſti ob oculos habendi.

Congruentiſsima autem ratione præpoſtero iſto vſus eſt ordine: nam cum ad hoc ab ſe inſtructum eſſet conuiuium iſtud, vt in eo paſsionis ſuæ memoria haberetur, vtve homines in eodem meminiſſent mirabilium ſuorum, ac de ſingulis eorum commentarentur, iuxta illud Pſalmi: *a Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors, & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe*: prout ipſemet in huiuſcemodi conuiuij exhibitione aperte ſignificauit, quando, conſecrans acceptum panem, ac dicens: *b Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur*: ſubiecit illico: *Hoc facite in meam commemorationem*: quam eius commemorationẽ verborum eius commentator apertius explicat Paulus, dum ait: *c Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*, id eſt, de paſsione Domini loquemini intra vos ipſos, annũtiabitiſque mortem Domini vobiſmetipſis, atque cõuiuis, non verbis tantum, ſed & factis. Iure optimo, magna hæc opera ſua modo enarrans Dominus Ieſus, ob oculos dilectæ ſuæ propoſuit prius meſsionem myrrhæ, aromatumque ſuorum ab ſe factam; poſtmodum vero Sacramentalis conuiuij exhibitionem: vt qui conuiuij eius participes eſſent futuri, in ipſomet conuiuio collectos inſpicerent myrrhæ, atque aromatum paſsionis, virtutumque Redemptoris ſui faſciculos.

a Pſ. 110. 4.

b Luc. 22. 19.

c 1. Cor. 11. 26.

In enarratione, quam cœleſtis ſponſus facit huius tertij doni, dicens; *comedi fauum cum melle meo, bibi vinũ cum lacte meo*: tot exoriuntur difficultates, quot habentur & verba: ſingula ergo exactius ſunt examinanda, vt præſentis loci ſenſus innoteſcat.

Euchariſtiæ Sacramentũ an comederit Chriſtus.

Ac primum circa verba, *Comedi, & bibi*, ſciendum, diſputari ſolitum inter Theologos: An Chriſtus Ieſus ſicut Sacramentum corporis, & ſanguinis ſui in cœna diſcipulis comedendum, atque bibendum tradidit: ita pariter illud ipſum vt conuiua comederit, biberitve.

Et

Et quidem, tametsi Hæretici id negent pro more suo; admodum tamen probabiliter Scholastici, & fere omnes Catholici id è contrario affirmant: & licet expresse id non habeatur in Euangelio; ex Euangelicis nihilominus id colligunt verbis tum illis, quibus apud Lucam Dominus ait: *d Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar*: non solum de Veteri, atque legali; verum etiam de nouo isto, ac mystico paschate loquēs, iuxta intellectum, quo ea accipiunt & Tertullianus libro quarto contra Marcionem capite quadragesimo, & Hieronymus in vigesimumsextum caput Matthæi: tum alijs illis apud eumdem Lucam, & apud Matthæum: *e Non bibam de generatione vitis, donec Regnum Dei veniat*, seu: *f Non bibam amodo de hoc genimine vitis, donec bibam illud nouum in Regno Patris*: quæ verba, etsi à compluribus de vino gloriæ, & beatitudinis dicta sumantur, prout & ipse alias sumpsisse me recolo, de Christi tamen sanguine, vinoque nouo modo consecrato in noui Testamenti initio, seu, post resurrectionem in nouo immortalitatis statu exhibendo, accipiuntur ab Origene tract. 35. in Matth. Cypriano epist. 68. ad Cæcilium, Chrysostomo homilia 83. in Matthæum, Epiphanio hæresi 47. contra Encratitas, Hieronymo super caput 26. Matth. Augustino libro tertio de consensu Euangel. capit. primo, & libro primo Quæst. Euangel. capit. 43. Euthymio, Theophylacto, & Beda in 27. Matthæi.

d Luc. 22. 15.

Tertullian. Hieron.

e Luc. 22, 18 f Mat. 26. 29.

Origen. Cyprian. Chrysost. Epiphan. Hieron. August. Euthymius. Theophyl. Beda.

Neq; desunt congruentiæ, eæque maximè probabiles, hanc tantorum Doctorū assertionem comprobantes. Videatur sanctus Thomas tertia parte, quæstione 81. articul. primo in corpore. Sed ijs omnibus omissis, ea est, quæ ad rem nostram facit præ cæteris, quæue est ex conuiuij ratione desumpta. Congruum namque, & valde decens est, vt is, qui conuiuium instruit, alioque, vt simul assideant, inuitat, cum eis simul & bibat, & comedat.

S. Thom.

Quod si in alijs conuiuijs id fieri consueuit, multo magis operæ pretium videtur, vt fieret in admirabili conuiuio illo, in quo pro cibo, atque potu conuiuij instructor corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini paratum tradidit: Vnde præclare Chrysostomus homil. 83. in Matthæum ait: Ipse quoque bibit ex eo, ne auditis illis verbis dicerent: Quid igitur sanguinem bibimus, & carnem comedimus? ac ideo perturbarentur: Nam & quando prius de his verba fecit, multi solummodo propter verba scandalum passi sunt. Ne igitur tunc id quoque accideret, primum ipse hoc fecit; vt tranquillo animo ad communicationem mysteriorum induceret.

Chrysost.

Ob hanc ergo rationem idemmet Christus, antequam explicet, quomodo singulos quosque fidelium ad hasce inuitauit epulas per ea, quibus dicit: *Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi*: se illas primum comedisse, & bibisse ait: *Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.*

Sed & alia quoque ratio assignari potest, & congruentior huic loco, cur cælestis ipse sponsus, præstantissimum hoc enarrans donum, & conuiuij Sacramentalis institutionem, non dixit: permisi, seu dedi, vt comederetis fauum cum melle meo, & biberetis, &c. aut comedisti fauum, &c. bibisti, &c. at peculiari modo loquendi dixit potius: *Comedi fauum*, &c. quasi hoc etiam redundarit in donum, Ecclesiæ præstitum quod ipse comederit, & biberit Sacramenta corporis, & sanguinis sui: cum tamen certum sit, donum in eo maxime situm, quod Ecclesia comederit; quandoquidem fideles sacramenta illa comedentes gratiam consequantur, & spiritalem refectionem, arctissimamque cum Deo vnionem. Sic vero locutus est: *Comedi, & bibi*: vt significaret, tunc temporis se non modo tale parasse conuiuium, tantumq; dilectæ suæ præstitisse donum carnis, & sanguinis sui: Verum etiam & formam simul eidem exhibuisse, qua ad tam solemne conuiuium ei esset accedendum, quave

40 Sacramentū Eucharistiæ comedens Christus in cœna exhibuit Ecclesiæ formā comedendi illud.

A dapes eius conuiuij essent sumendæ: quæ sane forma in eo sita est, vt, cum quis Sacramentum istud comedere velit, ea id comedat dispositione, qua comedit & Christus, studens nimirum, vt quam propius fieri potest, ad sanctitatem, amorisve ardorem Christi accedat, quibus ille fuit perfectissimo modo & habitualiter, & actualiter ad comedendum dispositus: & nitatur in ipso comestionis actu pro viribus ea perfrui dulcedine, quam idemmet Christus comedendo percepit, sic dicens: *Comedi, & bibi*, &c. tantumdem est, ac si dicat.

Paraphrasis.

Instruens tibi conuiuium Sacramentale, ipse prior *comedi*, vt exemplum haberes sanctitatis, ac dispositionis, qua & tibi comedendum foret: *comedi* summa cum voluptate, atque dulcedine corpus meum tamquam *fauum cum melle meo*: bibique sanguinem meum vt *vinum* & lac: quo eamdem dulcedinem, voluptatemque eamdem & tu nitereris è conuiuio isto percipere. Ad mei itaque exemplum *comedite amici, & inebriamini charissimi.*

Præclare autem ad dulcedinem, & voluptatem illam significandam, quæ in tali comestione percipitur, ait: *Comedi fauum cum melle meo*, non *mel* duntaxat, sed *fauum cum melle meo*, indicans simul, quid comedendum in tali exhibuerit conuiuio, nempe carnem suam purissimam, vna cum diuinitate item sua, quę illi vnita est carni.

Caro Christi quomodo fauus. Arist. Simile.

Fauum porro nuncupat carnem: quia, sicut fauus fit quidem ab ape, sed è materia florum, vt ait Aristoteles libro quinto de histor. Animal. capit. vigesimosecundo. Ita & caro Christi à supercælesti illa ape, à Spiritu sancto fabrefacta est è purissimis, & floridis Virgineisque Mariæ sanguinibus: Sicut in fauo continetur mel vniuersum, quod est in alueribus: Ita & in carne Christi tota est diuinitas: quia in Christo *habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.*

Diuinitas Christi quomodo mel. Simile.

Congruit autem & mellis metaphora ad designandam diuinitatem: tum quia mel innatam semper annexam habet dulcedinem, quam & impertit omnibus tangentibus se: Et diuinitas adeo innatam, & annexam habet omnis consolationis, beatitudinis, atque felicitatis dulcedinem, vt & mortali quoque humanitati Christi, cui vnita est per Verbi Incarnationem, impertita sit dulcedo visionis beatificæ, statim ac ipsam tetigit.

Deniq; sicut prædictis verbis indicauit, quid comedendum exhibuerit in conuiuio Sacramentali, nempe carnem suam cum diuinitate item sua: carnem, inquam, diuinitati vnitam sub specie panis, quod secundum versionem Septuag. manifestius designatum habemus, secundum quam ait: *Comedi panem meum cum melle meo*: Ita pari ratione indicauit, quid in eodem conuiuio habendum reliquerit, nempe sanguinem suum similiter cum ipsa diuinitate sua, dicens: *Bibi vinum meum cum lacte meo*: prout & in Euangelio simili modo, & de esca dixit: *a Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.*

a Ioa. 6. 56.

Eucharistiæ Sacramentū est verus cibus, & verus potus.

Quid est, *vere est cibus, & vere est potus?* nisi quia, tametsi alij cibi, alijve potus cibi sint, atque potus, qui vitam quoquo modo conferunt, haud tamen veri cibi dicendi sunt, & veri potus; quia haud veram conferunt vitam: nam & qui præstantissimum illum comederunt cibum mannæ de cœlo descendentis, & qui miraculosam illam aquam è petra fluentem bibere, mortui sunt, sola caro Christi vere est cibus, & sanguis solus eiusdem verus est potus: quia hæc sola veram conferunt vitam.

Quem sensum colligere licet ex verbis ipsiusmet Domini, quibus dicitur: *b Hic est panis, qui de cœlo descendit: Non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt: qui manducat hunc panem, viuet in æternum.*

b Ioa. 6. 59.

Caro & sanguis Christi conferunt vitam propter vnitam sibi diuinitatem.

Quod si primariam inuestigemus rationem; cur & caro Christi sit verus cibus & sanguis eiusdem sit verus potus, vt veram præstantes vitam: reperiemus, haud congruentiorem posse assignari, quam, quia di-

uinitas tam carni, quam sanguini Christi æque vnita exhibetur & cum cibo, & cum potu; ita vt attributum veritatis isti cibo, ac potui huic assignatum, diuinitatem illis vnitam signet.

Ad cuius rei confirmationem commentum ipsius- c Ioan.6.56 met Christi satis esse debet: statim enim ac dixit: *c Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*: quasi hæc verba commentans, subjicit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse viuet propter me.*

In eo enim quod non dicit, manet in carne mea, & caro mea manet in ipso: sed, *ego in ipso, & ipse in me*, diuinum denotat suppositum, ac si dicat: Qui carnem meam comedit, & sanguinem meum bibit, habet in se Deum ipsum, carni, & sanguini, vnitum. In eo vero, quod subjicit de vita: *Sicut misit me viuens Pater*, &c. ostendit, veram vitam etiam per diuinitatem præstari, quæ tali cibo talique potui vnita est: sicut namque Christus ex missione à Patre habet vnionem cum diuinitate Patris viuentis: sic manducans carnem eius ex comestione habet vnionem quandam & permanentiam cum Deo ratione gratiæ ex tali comestione acceptæ, per quã dicitur & Deus manere in homine.

41 Atqui sicut Christus accipit vitam à diuinitate, cui vnitur: sic homo, comedens Christi carnem, habet veram, & æternam vitam ab eadem filij diuinitate, quæ vnita est carni, quam comedit.

Quomodo vero, dicet quis verbis hisce, *Bibi vinum meum cum lacte meo*, ista duo, sanguis Christi, eiusdemque diuinitas in potum exhibita afferuntur? An sub metaphora lactis, quod est potus infantium, ac infirmiorum, Christi sanguis designatur; per vinum autem, quod est potus robustorum, eiusdem significatur diuinitas: An vero è contra: Certe per vinum signari sanguinem, ipsæmet vini species protestantur, sub quibus sanguinem Christi nouimus propinari, & eiusdem vini consecrationis verba illa: *Hic est enim calix sanguinis mei*, &c. At quid lac cum diuinitate? Ingentem sane Christi lac habet congruentiam cum diuinitate eiusdem. Enimuero Verbum (vt subtiliter ait Clemens Alexandrinus libro primo Pædagog. capite sexto) iure optimo mammilla patris appellatur: quandoquidem per ipsum hominibus communicata est diuinitas, quasi lac è corde, quod patris est symbolum: atque è mammilla, & per mammillam, quæ est symbolum Verbi, lac istud deriuat in homines vna cum sanguine: nam & lac sanguis est, sed cum perfectiori concoctione, cum puritate, & candore.

Diuinitas Christi quã apte dicatur lac.

Clem. Alexand.

Hinc est, quod Apostolus Petrus istud diuinitatis lac appellat γάλα τὸ λογικὸν ἄδολον, id est, lac rationale, seu a 1.Pet.2.1 verbale, & sine dolo, vbi in Græco sic habetur: *a* ὡς ἀρτιγέννητα βρέφη, τὸ λογικὸν, ἄδολον γάλα ἐπιποθήσατε, ἵνα ἐν αὐτῷ αὐξηθῆτε, εἴπερ ἐγεύσασθε, ὅτι χρηστὸς ὁ κύριος.

Quę verba sic referuntur à Clemente Alexandrino
„ in loco supra citato: Si vere sunt beati, qui hanc lactãt
„ mammillam (Verbum nempe, de quo supra) & ideo
„ Petrus quoque dicit: Depositio ergo omni vitio, &
„ omni dolo, & simulatione, & inuidia, & detractione,
„ tamquam modo geniti infantes, verbale lac concupi-
„ scite, vt in ipso crescatis in salutem, si gustastis, quod
„ Christus Dominus.

In qua Clementis lectione duo notanda sunt. Primum, adiectiuum, τὸ λογικὸν, ab illo sumi in significatu verbalis, vt per ipsum probet istud lac esse ἀπὸ τοῦ λόγου, à Verbo, quod superius dixerat, esse mammillam Patris.

Secundum, vltima illa verba, ὅτι χρηστὸς ὁ κύριος, sic legi à Clemente, ὅτι χρηστὸς (per ι, non per η,) ὁ κύριος, id est, quod Christus Dominus, non quod dulcis Dominus, vt patet ex textu ipsiusmet Græcè impresso.

Porro ex lectione ista, quæ sane multum distat à nostra, optime confirmatum habemus id, quod probare intendimus, lactis metaphora diuinitatem significari, quę Christi sanguini vnita propinatur in Sacramentali conuiuio, non tantum per id, quod, vt verbale lac, concupiscenda illa proponitur; verum etiam per id, quod dicitur, eatenus per dictum lac crescere animas in salutem, quatenus gustatur, quod Christus Dominus, id est quatenus gustu interiori percipitur, quod Christus est Dominus, atque Deus; quatenus in potu sanguinis illi est vnita: sicve bibitur vinum Christi cum lacte Christi, prout primum ipsum se fecisse, asserit idemmet Christus, dicens: *Bibi vinum meum cum lacte meo*: tametsi ei ex huiuscemodi potu illud salutis augmentum, de quo Petrus loquitur, nequaquam præstitum sit; cum is esset salus ipsa, & fons omnis salutis, & gratiæ.

Hæc quidem recte, dum nomine lactis accipimus 42
lac ipsum, vt potabile, distinctũ à vino, prout & communi sensu accipi solere, ostensum est in prima expositione. Verum, quia idem ipsum lactis nomen probabili etiam opinione pro vino quoque albo, seu pro lacte ipso, non vt potu, sed vt cibo accipi posse, ostensum ibidem pariter est: vlterius circa hæc ipsa verba, *Bibi vinum meum cum lacte meo*, datur philosophandi locus.

Ac primum, si & lac pro vino albo positum sumamus, tantumdem erit: *Bibi vinum cum lacte meo*; ac bibi sanguinem meum, dealbantem animas in peccatorũ remissione, prout & per verba consecrationis significatur: *Hic est calix sanguinis mei, noui, & æterni Testamenti, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum*: Sicque quod dicitur, *cum lacte meo*, per Auxesin dictum sumendum est, vt peculiare sanguinis Christi epithetum candoris, quo fidelium quique dealbati sunt. *b Si enim sanguis hircorum, & Taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi* (inquit Apostolus) *qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundauit conscientias nostras ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti?* Et certe nullo sane aptiori modo hæc duo, rubor, atque candor, quæ adeo inter se disparia sunt, in vno Christi sanguine simul iuncta ostendi poterant, quam hisce duobus nominibus vini, atque lactis: ille namque est & vinum, & sanguis, à botro c illo expressus, quem exploratores è terra promissionis detulere super vectem: sanguis inquam vuæ meracissimus, quo ipsemet lauauit indumentum, ac corpus suum, iuxta prophetiam *d* Iacob: E cuius rubore commoti illi apud Isaiam proclamãt: *e Quare rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua, sicut calcantium* (scilicet vuã) *in torculari?* Et ex naturali philosophia habemus, lac quoque esse sanguinem, prout fusius explicatum est in superioribus: illemet namque sanguis, quo infans in vtero matris nutriebatur, cum mulier conceperit, naturali quadam pietate prouidente, ne remaneat infans absque nutrimento, mutatur, & efficitur lac: mutatur autem, & albus redditur vi mammillarum, apud quas deponitur, & glandularum, ruborem vertentium in candorem, & refrigerantium nimium calorem sanguineum; sicque efficientium, vt sanguis illemet ab infante concoqui possit.

Sãguis Christi dealbat.

b Heb.9.14

c Nu.13.24

dGen.49.11

e Isa.63.2.

Lac esse sanguinem.

Quod si alio modo idem lactis nomen positum 43
sumamus iuxta sonum literæ pro ipsomet lacte vt cibo, tantumdem est, Christum dicere: *Bibi vinum cum lacte meo*; ac si diceret: *Cum cibo* diuinitatis meæ, quo & ipse, & cælestes spiritus vescimur in cœlis, in sacramentali isto conuiuio propter hominum imbecillitatem in lac conuerso, *bibi vinum* sanguinis mei.

Paraphrasis. *In Eucharistiæ Sacramento diuinitas sumitur conuersa in lac, dum bibitur sanguis Christi. Augustin.*

Pro cuius sensus intelligentia, doctrinam Augustini afferre sat mihi erit. Is quippe Concione prima in Psalm. 33. hæc habet verba. Vnde commendauit dominus Iesus corpus, & sanguinem suum? De humilitate sua: Nisi enim esset humilis: nec manducaretur, nec biberetur. Respice altitudinem ipsius: f *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*: Ecce cibus sempiternus: sed manducant Angeli, manducant supernæ virtutes, & manducant, & saginantur & integrum manet quod eos satiat, atque lætificat.

f Ioan.1.1

Quis autem homo posset ad illum cibum? vnde cor tam idoneum illi cibo? Oportebat ergo, vt mensa illa lacte sceret,

„ lacteſceret, & ad paruulos perueniret.

„ Vnde autem fit cibus lac? vnde cibus in lac con-
„ uertitur, niſi per carnem trajiciatur? nam mater hoc
„ facit; quod manducat mater, hoc manducat infans:
„ Sed quia minus idoneus eſt infans, qui pane veſcatur,
„ ipſum panem mater incarnat, & per humilitatem
„ mammillæ, & lactis ſuccum, de ipſo pane paſcit in-
„ fantem. Quomodo ergo de ipſo pane pauit nos ſa-
a Ioã. 1. 14. „ pientia Dei? Quia, *a Verbum caro factum eſt & habitauit*
„ *in nobis*. Videte ergo humilitatem, quia panem Ange-
b Pſ. 77. 25 „ lorum manducauit homo, vt ſcriptum eſt: *b Panem*
„ *cæli dedit eis: panem Angelorum manducauit homo*: id eſt,
„ Verbum illud quo paſcuntur Angeli, ſempiternum,
c Phil. 2. 6. „ quod eſt æquale Patri, manducauit homo: quia, *c cum*
„ *in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqua-*
„ *lem Deo*. Saginantur ergo illo Angeli, *ſed ſemetipſum*
„ *exinaniuit*, vt manducaret panem Angelorum homo:
„ *formam ſerui accipiens in ſimilitudinem hominum factus, &*
„ *habitu inuentus, vt homo. Humiliauit ſe factus obediens vſ-*
„ *que ad mortem, mortem autem Crucis*: vt iam de Cruce
„ commendaretur nobis caro, & ſanguis Domini no-
„ uum ſacrificium. Hæc Auguſtinus: qui licet cibum
illum ſempiternum, cibum, ac panem Angelorum
tantummodo aſſerat ex citato ab ſe Pſalmi loco: haud
tamen negat, quin idem cibus ſit & ipſiuſmet Verbi,
vtpote qui, cum ſit cibus ſempiternus, haud ab alio C
comedi potuit per æternitatem, quam ab eo, qui
ſemetipſo paſcitur ab æterno, ſicut ſemetipſo & bea-
tus eſt ab æterno.

Horum omnium, quæ fuſius hucuſque dicta ſunt,
quoad huius ſenſus explicationem, breuis hæc ſit pa-
raphraſis.

Paraphraſis. *Veni* iam à paſſionis meæ tempore, tuique poſſeſ-
ſionem cepi, vt peculiaris horti mei: metenſque *myr-*
rham ærumnarum, & aromatum, virtutum mearum,
multiplicium mearum & paſſionum, & virtutum
actuum, collegi, detulique tibi faſciculos: lautiſſimum
tunc etiam tibimet inſtruxi conuiuium ſacramentale,
cæleſtes in eo tibi parans dapes, in quo ipſe prior vt D
ſponſus tuus, atque conuiua comedi, & bibi: *Comedi*
prior ipſe, *& bibi* cum omnimoda diſpoſitione ſanctitatis: quam tibi in exemplum contuli necnon & cum
dulcedine ſumma, cuius te quoque in comedendo,
atque bibendo compotem volo. *Comedi*, tibi pariter
propoſui ſpecies panis: *comedi* in illis latentem car-
nem meam inſtar faui è floridis Glorioſæ virginis ſan-
guinibus, virtute cæleſtis apis Spiritus ſancti compa-
ctam: cumq; fauo iſto carnis meæ comedi incluſum,
vnitumque illi diuinitatis meæ mel, quod è cælis de-
fluxit, quodue initium eſt omnis dulcoris.

Propoſui quoq; in eodem Sacramentali conuiuio, E
tibiq; præbui & potum ſuauiſſimum, quem prior ipſe
pari modo deguſtaui: *bibi* enim ſub ſpeciebus, & acci-
dentibus vini ſanguinem meum *cum lacte* diuinitatis
meæ, quod lac ipſe vt mammilla Patris meo vniui ſan-
guini: *bibi* ſanguinem ipſum *meum*, colore, & inſtar
vini rubrum ob rubedinem peccatorum mundi, quæ
ſuper me poſita ſunt à Patre: & inſtar lactis candi-
dum ob mei puritatem, nec ſolum candidum in ſe,
verum & dealbantem animas, pro quibus offertur in
remiſſionem peccatorum.

Denique, comedens memetipſum cibum ſempi-
ternum, atque è pane cæleſtium ſpirituum pro im-
becillioribus hominibus quaſi pro infantibus lac F
quodammodo effectum, & humiliatum in Incar-
natione, *bibi* vna cum hoc lactis cibo vinum ſangui-
nis mei.

44 Alius ſenſus. *Quatuor genera iuſtorum, quorum potiſſimum Deus curam habet.* Quod ſi velimus ſponſum per hæc verba, *comedi fauum cum melle meo*, &c. reſpondere ad illa, quæ ei ſignificarat Eccleſia, inuitans ipſum, vt in ſe veniret tanquam in hortum ſuum, & comedens fructum pomorum ſuorum, peculiari cura, prouidentia, atque dilectione iuſtos in ſua tranſmitteret viſcera: oſtendit Chriſtus Ieſus, quorum iuſtorum præ cæteris, in ipſam Eccleſiam veniens, peculiarem illam curam habeat, quos ſpeciali proſequatur dilectione, quoſue A potiſſimum in ſua traiecerit viſcera, illos quodammodo comedens. Sunt autem quatuor iuſtorum genera ſub quatuor diſtinctis metaphoris deſignata.

Primum Religioſorum, qui præ ceteris ipſi inhæ- *Religioſi fa-*
rent, ipſum ſequuntur, & ab ipſo dependent in omni- *ui metapho-*
bus; de his ait, *Comedi fauum*, per faui metaphoram il- *ra deſignati.*
lorum monaſteria deſignans: Fauus quippe eſt maſſa
quædam, in qua plures ſeiunctim fabrefactæ ſunt cel-
lulæ, in quibus apes operantur, mellaque recondunt,
ſicut & monaſteria Religioſorum, in quorum ſanè
diſtinctis cellulis Religioſi ipſi, qui inſtar apum flo-
res legunt è ſacrarum litterarum campis: Vnde & è
cælis defluens mel diuinæ dulcedinis deferunt: iugi
orationis, & contemplationis ſtudio operantur, mel-
laque diuinarum Conſolationum, quibus reficiuntur,
abſcondunt.

Porro, dum adjicit ſponſus, *Cum melle meo*, indi- *Miſericordes*
cans ſe comediſſe & mel ſeiunctim à fauo: per iſtiuſ- *mellis meta-*
modi mel guſtui prædulce, maximeque iucundum *phora deſi-*
deſignat ſecundum genus iuſtorum, quos cordi ha- *gnati.*
bet præ cæteris, & peculiari tutatur prouidentia. Mi-
ſericordes, qui, quam habent dulcedinem, vel ex bo-
nis temporalibus, vel ex bonis ſpiritualibus commu-
nicant omnibus, quos ope ſua tetigerint; non ſecus
ac mel expreſſum, & fluidum dulcedinem illis omni-
bus influit, quotquot tetigerit.

Hinc de viro miſericordi, qui ſtudet pro viribus, vt
ope, pecunia, & conſilio adiuuet indigentes, dicitur
per prophetam: *d Iucundus* (χεχρηστὸς, id eſt, dulcis) *homo,* d Pſ. 111. 5.
qui miſeretur, & commodat, diſponet ſermones ſuos in iudicio, *Feruentes*
id eſt cum iudicio. *Per vinum* quod bibiſſe ſe dicit, eos *ſpiritu vini*
deſignat, qui in actibus ſuis feruorem vehementem *metaphora*
præ ſe ferunt Spiritus ſancti, eodemque feruore ipſo *deſignati.*
ſuo, & feruentibus actibus etiam perfectiores inſtar
vini nutriunt in bono. Sicut per lac, quod cum præ- *Qui puro*
dicto bibit vino, eos ſignificat, qui puro ſunt corde, *ſunt corde*
quiue candore vitæ ſuæ etiam infirmioribus, & ſim- *lactis meta-*
plicioribus ſpirituale dant nutrimentum, ſicut & lac *phora deſi-*
paruulis. *gnati.*

Ait ergo ſponſus cæleſtis: Traieci in mea viſcera Paraphra-
ſpeciali cura, & dilectione Religioſos, & miſericor- ſis.
des: Feruentes quoque ſpiritu, & eos, qui candore
vitæ puritatem cordis etiam extrinſecus exhibent.

Ex Verſ. I. cap. V. *Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.*

Expositio III.

De ſecunda ſponſa, quæ eſt Anima Sancta.

QVod præcedentibus verbis piæ animæ ſignifi- 45
care cœpit ſponſus cæleſtis, de effectibus ad- Primus
uentus ſui in ipſam, de muneribus, quæ ad ipſam de- ſenſus.
tulit, deque voluptate, qua perfuſus eſt, cum venit
vocatus ad ipſam; hoc nunc proſequitur, amplifi-
catque metaphoris nouis. Dixerat, ſe meſuiſſe *myr-*
rham ſuam cum aromatibus ſuis, cum in eam venit vt in
hortum ſuum, & exiguis verbis illis præbuerat ſignũ
aduentus ſui ab eo effectu, quod in ipſa aduerteretur
gaudium in ſtudio virtutum, atque in tolerantia tri-
bulationum, ei profecto ſimile, quo meſſores lætan-
tur in meſſe, aut in vindemia vindemiatores: ſimul-
que oſtenderat munera, quæ aduenientes eidem detu-
lerat, faſciculos virtutum, & faſciculos in primis
ærumnarum, ac tribulationum: indicarat pariter,
quanta voluptate perfuſus eſſet, intuens ipſam in tri-
bulatione patientem, variarumque virtutum actus
proferentem, vt videre eſt in expoſit. tertia prædicto-

rum

rum verborum, ſenſu primo, atque ſecundo. Subjiciens itaque: *Comedi fauum cum melle meo, bibi, &c.* metaphora conuiuij, quod in ſacris litteris lætitiæ, ac voluptatis ſymbolum eſt; confirmat, aduentu ſuo in animam effeciſſe, vt ea ſic gauderet in tribulationibus, ac ſi lauto, & opiparo reficeretur conuiuio. Indicat autem, præclaram, & admirabilem hac in re effeciſſe metamorphoſim myrrhæ amariſſimæ in ea quæ dulciora reperiuntur, fauum, mel, vinum & lac: ſicue, exhibendo donum tribulationum, exhibuiſſe ſimul dulciſſima quæque, gaudium immenſum, & voluptatem quam maximam. Metamorphoſim iſtam in Protomartyre Stephano obſeruare eſt, de quo ſancta canit Eccleſia. Lapides torrentis illi dulces fuerunt: nouit eamdem Beatus Martyr Ignatius: propterea enim dicebat. Vtinam fruar beſtijs, quæ mihi præparatæ ſunt, quas & oro, mihi veloces eſſe ad interitum & ad ſupplicia: & Beatam Agatham inſtar lautiſſimarum. atque prædulcium epularum conuiuium ob hanc pariter metamorphoſim cenſuiſſe, & carceres, & tormentorum amaritudinem, teſtis ipſa quoque eſt Eccleſia, dum in quadam eius Antiphona canit: Agatha lætiſſime, & glorianter ibat ad carcerem, & quaſi ad epulas inuitata agonem ſuum Domino precibus commendabat.

Tribulationes à ſe immiſſas Deus ſingulari metamorphoſi dulciſſimas reddidit.

Ignat. epiſt. ad Rom. 11.

Simile.

In hac porro metamorphoſi facienda eo pacto ſe gerere videtur cæleſtis ſponſus, aduenies in piam animam hortum ſuum, quo quidam, ingredientes in hortos materiales, qui amariſſimas colligentes nuces, & fructus peracerbos, melle, ac ſaccaro illos ad ignem excoctos ſic condiunt, vt plane amaritudo omnis, omniſue acerbitas in mellis, ac ſaccari dulcedinem conuerſa reddatur, & iam fructus ipſi mel dicantur, dicantur & ſaccarum.

Porro metamorphoſim à ſponſo factam confirmare & ex ea licet hiſtoria, qua in libro Iudicum *a* legimus, in ore leonis exortum fauum mellis, & os leonis, quod ex natura ſua eſt maxime afflictiuum, verſum eſſe in dulcedinem mellis, atque idem os, quod viuentium carnes deuorare, atque dilacerare ſolebat, redditum eſſe fontem cibi ſuauiſsimi, ac faui aluearium: ita vt propterea Sampſon argutum illud ænigma propoſuerit: *b De comedente exiuit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo.*

a *Iud.* 14. 8.

b *Iud.* 14. 14

In tribulatione quale gaudiu ſentiant iuſti.

Enumeratione tot rerum prædulcium faui, mellis, vini, & lactis deſignatur exceſſus voluptatis, & gaudij, quod in ipſis percipitur tribulationibus: quem gaudij exceſſum ſignificauit & Paulus, vbi dixit, *c Superabundo gaudio in omni tribulatione noſtra:* Neque iſte duntaxat talis gaudij exceſſus per hæc deſignatur, ſed inſuper ſignificatur, gaudium iſtud eſſe huiuſmodi, vt contineat omnimodam voluptatem, atque lætitiam, prout aperte aſſeruit Beatus Iacobus: *d Omne gaudium exiſtimate fratres, cum in varias tentationes incideritis.* Idque perbelle indicatur per verba illa: *Bibi vinum meum cum lacte meo;* ſi nomine lactis ſignificatum pariter ſumamus & vinum, quod inſtar lactis ſit album, prout in littera oſtenſum eſt: ſi enim vinum eſt ſymbolum lætitiæ, ac voluptatis; quia lætificat cor hominis: & vinum omne vel rubrum eſt, vel album: Haud ſane aptius omnimoda voluptas, omneque vini genus exprimi poteſt, quam potu vini tum albi, tum etiam rubri.

c 2. *Cor.* 7. 4.

d *Iac.* 1. 2.

E tribulationibus habetur voluptas, feruor ſpiritus & nutrimentum vitæ ſpiritualis.

Quamquam, ſi eodem vocabulo lactis ſignificatum ſumamus lac ipſum; prout eſt cibus, ſicut in eadem litteræ expoſit. ſignificatum eſt, intelligemus, ita mirabilem à cæleſti ſponſo, veniente in piam animam, factam myrrhæ, ærumnarum, tribulationum, ac mortificationis metamorphoſim, vt ex ea vna anima ipſa & ſummam habeat voluptatis dulcedinem deſignatam ſub metaphora faui, atque mellis; & aptiſsimo, eoque facillimo nutriatur nutrimento quaſi lactis: & demum quaſi præpotenti vino foueat calorem charitatis, feruoremque ſpiritus.

Illud quoque notandum hoc loco eſt, apte tam myrrhæ, per quam ſignificantur ærumnæ, & mortificationes; quam melli, vino, atque lacti adiectum ſemper pronomen, *meum*, à ſponſo. neque. n. metamorphoſis adeo inſignis ex alijs fit tribulationibus, aut ex mortificationibus alijs, quam ex ijs, quæ quoquo modo ſint Chriſti; vel quia ab eo immiſſæ percipiuntur, vel quia pro eo tolerantur; neque aliud eæ fiunt mel dulce, aut nutriens lac, & calefaciens vinum, cum in hæc conuertuntur, quam mel, & dulcedo Spiritus: lac & cibus cæleſtis, & cæleſte pariter vinum.

Denique circa modum loquendi animaduertendum eſt, ſponſum, tametſi inferius dicat, *comedite, &c.* prius tamen nunc dicere, *comedi fauum, &c.* cum primo aſpectu videatur, debuiſſe potius dicere: Comedere te feci fauum cum melle meo: vt prædictam myrrhæ metamorphoſim, animæ exhibitam ſignaret. Dicit autem admodum rationabiliter, *comedi fauum, &c.* Siquidem tria per hanc locutionis formam ſignificat. Primum confirmat id, quod & ſuperius ſignificarat, incredibili ſe perfundi voluptate, cum veniens in tribulatam animam, conſpicit eam in tribulatione patientem. Secundum, ſuum per hæc indicat amorem in eamdem animam, amorem inquam maternum, quo dulce id, quod comedit anima, comedere ſe aſſerit; non ſecus ac mater, quando viderit filium comedere ea, quæ illi parauit vtilia, atque iucunda, ſemetipſam præ amoris magnitudine eadem comedere reputat multo magis, quam ſi re vera, & actu illa comederet. Tertium, per eamdem locutionis formam, certiorem ipſam reddit animam tribulatam, quod habeat ſecum ipſum ſponſum iam impaſſibilem, immortalem, & glorioſum: adeo vt ſi ipſe particeps eſt tribulationum eius, neceſſe ſit, vt tribulationes dulces ſibi ſint & glorioſæ: Quod ſi ipſi dulces illæ ſunt, & glorioſæ, operepretium eſt, ſint dulces pariter, & glorioſæ ei, quæ ſponſa ipſius eſt. Sicut enim ſunt ſimul iuncti in tribulatione toleranda Chriſtus, atque anima: ita & comedente Chriſto fauum dulcedinis in tribulatione, comedit ſimul & anima.

46

Gaudet Chriſtus videns animam in tribulatione patientem.

Gaudente anima in tribulatione gaudet Chriſtus.

Simile.

Tribulationes ſunt dulces, & glorioſæ piæ animæ, quia in illis habet comitem Chriſtum glorioſum.

Breuis horum omnium ſenſus hic eſto.

Intuens te in tribulatione patientem, tanta repletus ſum voluptate, quãta ſi dulciſsimarum epularum conuiuio refectus eſſem. Quin veniens in te vt *in hortum meum, myrrham* ipſam amaritudinum, quam tibi in faſciculos collegeram, inſigni metamorphoſi conuerti in lac ſuauiſsimum, cuius dulcedine fruereris: conuerti, & in lac, quo iucundiſsime alereris atque in vinum, quo feruentior fieres in ſpiritu. Effeci, vt tribulationes ipſæ exceſsiuum tibi præberent gaudium, omnimodamque & voluptatem. Te comedente dulcia eſſe, *comedi*, ſimul & ego illamet, qui ea comedere te feci, prior ea comedens, dum tecũ eſſem in tribulatione: tametſi glorioſus, atque beatus, tribulationibus ipſis, vt glorioſis, atque prædulcibus tecum potitus ſim.

Paraphraſis.

Quia in ſuperioribus eadem pia anima cœleſtem ſponſum inuitarat, vt ad ſe veniret in ſanctiſsimo Euchariſtiæ ſacramento, quo in tali communione ab ipſo perciperentur actus, affectuſue ſui, dicens: *Veniat dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructus pomorum ſuorũ*, vt oſtenſum eſt ſuſius in 3. Expoſit. ſenſu 3. prædictorum verborum: Congruentiſsime & iſta, quæ præ manibus habemus, vna cum præcedentibus, & ſubſequentibus eodem ſenſu accipi poſſunt vt dicta in reſponſionem prædictorum: ita tamen, vt verba præterita ſumantur pro futuris, *veniam, metam, comedam, ac bibam*, ſicut accipi poſſe, oſtenſum eſt ſupra.

Alius ſenſus.

Promittens ergo Dominus Ieſus, ſe in ipſam animam venturum in tam excelſo Sacramento, inuitaturumque eam cum fidelibus reliquis ad comedendum corpus ſuum ſacratiſsimũ, & bibendum pretioſiſsimum item ſanguinem ſuum: quibus ea fit communio, quam adeo à ſe peroptatam illa iam ſignificarat: Antequam liberam det comedendi, & communicandi anſam, antequam dicat: *Comedite amici, &c.* id ſe curaturum ait: vt aduẽniens, optime præparatam

47

Præparationi ad Euchariſtiæ Sacramentũ quinque potiſsimum neceſſaria.

ipſam

ipſam reddat ad tam grande myſterium.

Porro, cum quinque potiſsimum ſint, quibus optima conſtat præparatio ad hoc ſacramentum: Pœnitentia de peccatis admiſsis, cum propoſito ſe ab illis incorruptum ſeruandi: Tum fidei, ſpei, charitatis, humilitatis, reſignationis aliarumque virtutum fragrantia. Tertio oratio, quæ non tantum voce promatur, ſed & cum interna deuotione: Quarto feruor ſpiritus: & vltimo eximius puritatis candor: Singula hæc omnia ſuo ordine percepturum ſe ait in anima parata in hortum, & paradiſum, quo recipere ipſe ſe queat, qui in cœleſti habitat paradiſo. Primo enim inquiens: *Metam myrrham meam cum aromatibus meis*, myrrha, quæ amara eſt, & à corruptione præſeruat, pœnitentiæ amaritudinem ſignificat, cui annexum eſt & propoſitum cauendi in poſterum ab omni peccato. Metaphora vero aromatum, deſignat indumentum virtutum, ſine quo, qui *a* nuptias adiuit, eiectus eſt *in tenebras exteriores*, tanquam *non habens veſtem nuptialem*: Deſignat autem prædictum veſtimentum per aromatum metaphoram, quia & ſupra dixerat: *b Odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris*, ſeu, *Libani*. Adjicit tertio loco orationem, dicens: *Comedi fauum cum melle meo*. Faui autem nomine, quam apte ſignetur oratio, quamue congruenter mellis metaphora deuotio ſignificetur, quæ neceſſario debet eſſe iuncta cum ipſa oratione, ſatis ſuperque oſtenſum eſt ſupra in cap. 4. expoſ. 4. illorum verborum verſ. 11. *c Fauus diſtillans labia tua: mel & lac ſub lingua tua*. Quarto loco ſub vini metaphora feruorem deſignat ſpiritus ob ſimilitudinem effectuum tam vini, quam ſpiritus, quæ quanta ſit, exinde dignoſcitur, quod in die Pentecoſtes adſtantes Iudæi, alijve populi vino ebrios exiſtimarunt eos, qui ſancto feruebant Spiritu. Ait igitur: *Bibam vinum*, & adjicit, *cum lacte meo*, lactis candore ſignans puritatem carnis, & cordis, quæ vltima quidem numeratur, ſed vt præ cæteris neceſſaria: *d Beati* enim *mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*: ſic autem videbunt, vt intra purum cor ſuum eumdem admittant, & contineant Deum, puritatem ipſam, & candorem lucis æternæ.

a *Mat.* 22. 11.

b *Can.* 4. 11

c *Can.* 4. 11.

d *Mat.* 5. 8.

Paraphraſis.

Quod itaque ſponſus dicit ſecundum hunc ſenſum, tale eſt.

Veniam, vt optas, *in te hortum meum, ſoror mea ſponſa*: venieníque, è te colligam actus pœnitentiæ, ceteraque virtutum, orationem cum deuotione exhibitam, feruorem ſpiritus, & inſignem puritatis candorem. Tunc offerens tibi corpus, & ſanguinem meum dicam, *Comedite, &c.*

Cõmunio ſacramentalis præueniri debet à communione ſpirituali.

Duo ſunt, quæ hic notentur. Primum, per id, quod Dominus pollicetur, ſe venturum in animam, antequam exhibeat corpus, & ſanguinem ſuum, ſignificari, communionem Sacramentalem præueniri debere à communione ſpirituali, curandumque, vt ſponſus ſpiritaliter prius veniat in nos, atque quinque illa, quæ enumerata ſunt, & operetur, & colligat: dein ſacramentaliter quoque veniat, quo ſic digne ſuſcipiatur. Secundum, ſingulis quinque præenumeratis vt neceſſarijs ad dignam præparationem communionis iure optimo ab ſponſo adiectum pronomen, *meum*, *myrrham meam, aromata mea, Fauum cum melle meo, vinum meum, & lac meum*: ne nobis ea adſcriberemus; quæ is nobiſcum operatur, qui ſpiritaliter venit in nos.

48 Tertius ſenſus. Beatitudinis gloria deſignata per metaphoram conuiuij & epulatum prædulcium.

Proſequendo ſenſus tertium, & quartum, allatos in expoſ. tertia præcedentium verborum: *Veni in hortum meum, meſſui myrrham meam, &c.* ſub metaphora comeſtionis, atque conuiuij epularum dulcium, perfectiſſima cœleſtis ſponſus indicat ſe in cœleſti paradiſo perfrui fœlicitate. Neque nouum eſt, vt paradiſi illius deliciæ per dulcium ciborum, ac poculorum metaphoram deſignentur. Has quippe eadem metaphora ſignificarunt, qui antiquiſsimi, ac ſapientiſsimi reputati ſunt Gentium Theologi, fingentes, ibi à Dijs nectar bibi, & comedi ambroſiam. Et nemo eſt, qui neſciat, terram promiſsionis, quæ typus erat patriæ cæleſtis, ob hoc ipſum in ſingulis fere ſacrarum litterarum libris nuncupatam terram fluentem lac, & mel.

Porro, quia Chriſtus Ieſus, qui hic loquitur, & meſſuit myrrham paſsionum ſuarum in mundo ſaturatus eſt opprobrijs: vt ſignificaret, ſe in cœleſti paradiſo ſaturatum pariter dulcedine, cuius ſaturitatis ſpem piæ animæ conferre etiam volebat: tot numerauit dulcia, *fauum, mel, vinum, & lac*. Adde, quod cum beatitudo ſit cumulus omnium voluptatum, enumeratione iſtorum omnium, quæ dulciſsima in terris reperiuntur, exprimere illam debuit. Deniquè per pronomen, *meum*, toties repetitum cum melle, cum vino, atque cum lacte, id ſponſę ſuę voluit innoteſcere, quod ſpeciale ſibi in illa eſt beatitudine. Quotquot in cœlo ſunt beatorum, beatitudine quidem fruuntur, ſed participata, diuinituſque communicata per gratiam illam, quæ à Chriſto eſt vniuerſa: vnde fit, vt nemo iure dicere illam queat ſuam propriè, ſpeciale id eſt vnius Chriſti Ieſu, qui, cum ſit ſplendor gloriæ ob diuinitatem, qua coæqualis eſt Patri, ſuamet, & connaturali potitur beatitudine: ſuum comedit *fauum cum melle* ſuo, ſuum & bibit *vinum cum lacte* pariter ſuo.

Solus Chriſtus beatitudine ſua eſt beatus.

Si vltimum præcedentium verborum proſequi velimus ſenſum, quo per hortum acceptus fuit hortus Gethſemani, in quo Chriſtus meſſuit myrrham amaritudinum, & paſsionum ſuarum, vindemiauitque aromata guttarum ſanguinis ſui, prout explicatum eſt in fine tertiæ expoſ. proponit hoc loco idemmet ſponſus animæ contemplatiuæ guſtus, & commoda, quæ in meditatione, atque ex meditatione ipſa paſsionis ſuæ percipere queat, dicens, ſe ex tunc in horto illo, cum meſſuit myrrham ſuam, myrrham illam paſsionis indulciſsimum mel conuerſam, & ad flagrantiſsimum amoris ſui ignem excoctam comediſſe: atque vinum item ſanguinis ſui, ad eumdem ignem pariter excoctum, & in dulciſsimum lac conuerſum bibiſſe; quatenus ibi ob oculos ipſi repræſentatum fuit, fideles, & membra, quorum ipſe eſt caput, in meditatione paſsionis eius, comeſturos quodammodo mel, bibituros vinum, & lac. Tunc autem illum hac ratione comediſſe, quando (vt ex Euangelio Lucæ habetur) *a apparuit ei Angelus* dum in agonia conſtitutus eſſet, & confortatus eſt eum, proponens nimirum ei ob oculos inter alia & iſtiuſmodi comeſtionem, qua & recreanda, & reficienda erant eius membra.

49 Vltimus ſenſus. *Paſsiones ſuas Chriſtus melleas reddidit contemplatiuis.*

a *Luc.* 22. 43

Quidni vero animæ contemplatiuæ mel è paſsione Chriſti comedant, cum Chriſtus ipſe paſsione conſtitutus ſit Petra illa perforata, in cuius vulneribus eadem anima demoratur, vt *b columba in foraminibus* petræ, de qua in libro Deuteronomij dicitur, *c Vt ſugeret mel de petra. d Circumdederunt me ſicut apes fauum*: ſic habet textus Græcus Sept. ſic legit & Auguſtinus enarratione in dictum Pſalm. 117. præclare hæc exponens in confirmationem eorum, quæ modo aſſeruntur: ſic enim ait. Ipſum Dominum caput Eccleſiæ recte accipimus, circumdatum à perſecutoribus, ſicut circumdant apes fauum. Quid enim ab ignorantibus geſtum ſit, myſtica ſubtilitate Spiritus ſanctus loquitur. Mel quippe apes operantur in fauis. Neſcientes autem perſecutores Domini, fecerunt eum nobis in paſsione dulciorem, vt guſtemus, & videamus, quam ſuauis eſt Dominus qui mortuus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.

b *Can.* 2 14
c *Deu.* 3. 13.
d *Pſal.* 117. 12. *Auguſt.*

Non deeſt vinum in conuiuio meditationis paſsionis Chriſti: vbi enim maior copia vini, quam in torculari ſanctiſsimæ Crucis, *e* quod ſponſus calcauit ſolus, è ſanguine certe Chriſti vt è vino, cor hominis lætificante, lætitiam habet ſummam anima contemplatiua, ſalutem cæleſtiaque gaudia cum illo attrahens. Bibitur autem in iſtiuſmodi meditatione vinum ſanguinis Chriſti, ſed & lac quoque in eadem & bibitur, & comeditur: bibitur ab imperfectioribus, comeditur

e *Iſa.* 63. 3.

In paſsionis Chriſti meditatione eſt vinum gaudij, & lac nutriens.

Passionis Christi meditatio est cibus omnibus congruens.

comeditur à prouectioribus. Sicut enim è nullo cibo commodius, & aptius pro quacumque ætate habetur nutrimentum, quam è lacte, quod & infantibus vnicum à natura exhibitum est, & prouectis inter cibos vniuersos maxime est alibile: Ita nusquam singuli quique fidelium in meditationis studio aluntur commodius, atque facilius, quam in hac meditatione passionis Christi. In ea incipientes lac habent, quod sugant, quove alantur: In ea & proficientes, & perfecti idem pariter habent lac, quo validius nutriantur, quo magis illud versant, & tenent in ore, haud bibentes, sed comedentes: quo magis in singulorum mysteriorum consideratione se detinent: quo magis & dentibus ea mandunt spiritualibus.

Ex Vers. I. cap. V. *Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.*

Expositio IIII.

De tertia Sponsa, quæ est Beata Virgo Maria.

50 *f Isa. 7. 15. Christus nascens & infans simul, & vir extitit.*

NOtissimum quidem, ac peruulgatum est *f* Isaiæ vaticinium, quo infantilem Christi ætatem insigni periphrasi comestionis lactis ac mellis descriptã ob oculos exposuit Regi Achaz, cum diuini Verbi prædiceret incarnationem, qua vnus idemque Christus esset & Deus, ideoq; Emmanuel, id est nobiscum Deus vocaretur; & verus homo in infantili corpusculo genitus, sicut cæteri hominum: *Butyrum* (seu lac. butyrum enim lac est lactisve pinguedo) *& mel comedens*, sicut reliqui infantes. Hac eadem periphrasi vsus videtur ipsemet Christus hoc loco, maiori tamen emphasi ad explicandum, se, postquam venit *in hortum* suum, in vterum Virginalem, & in eodem vtero primo illo Incarnationis momento *myrrham* suam messuit *cum aromatibus* suis, prout supra declaratum est, nascituram infantem, ac futurum in puerili ætate sicut reliqui puerorum, atque instar puerorum dulcia comesturum, & lactea, quæ pueris grata esse solent: quin &, sicut pueri ita amant dulcia; vt nedum mel comedant è fauo expressum, sed & fauum ipsum, quodve in eo reliquum est dulcedinis sugant, sic, & se *cum melle* suo comesturum simul & *fauum*, sugens in eo mellis reliquias. Præclare autem vna cum lacte iungit simul & vinum, dicens: *Bibi vinum meum cum lacte meo*: ac si dicat: Bibens lac meum instar infantium infans, *bibam* pariter eodem tempore & *vinum meum* instar virorum vir. Sicut enim lac est potus infantiũ; ita vinum virorum: Siquidem experientia constat, vinum esse valde noxium infantibus propter vehementem, & feruentiorem vim: Vnde Aristoteles in libro de somno, & vigilia, præcepit admodum congruenter, ne id vllo pacto detur pueris, nec etiam eorum nutricibus. Indicare itaque per hæc vult sponsus cœlestis mysterium illud plane admirandũ; quod & per Prophetas quoque pronuntiatum est, se in ipso ortus sui tempore futurum verum infantem, & simul quoq; virum verum, prout in Zachariæ prophetia legitur: *a Ecce vir oriens nomen eius*, id est, Ecce is, qui oriens est vir: qui ita in ipso exortu est vir, vt peculiari ratione oriens nuncupetur. Nec mirum, quod in exortu, & in infantia virum se asserat: quandoquidem etiam intra vterum matris in primo instanti conceptionis, & cũ primum venit in hortum suum, vir extitit in tenellis mẽbris, prout vaticinatus est Ierem. vbi dixit: *b Creauit Deus nouum super terram: Fœmina circumdabit virum.*

Aristot.

a *Zac. 6. 12.*

b *Ier. 31. 22.*

Paraphrasis.

Quod ergo hic dicitur, tale est, *Veni in* vterum tuum *hortum* sanè *meum* pretiosissimum, carnem assumens: ibiq; collegi fasciculos myrrhę, & passionis meæ cum aromatibus meis, pace, salute ac redemptione, quæ è futura passione mea proueniẽt: Dein exoriar in mundum, ac modo plane mirabili ero simul infans, & vir: instar infantium cæterorum *mel*, & lac *comedam*, & instar virorum *bibam* simul & *vinum*. Sic secundum sensum istum verba, *comedi, & bibi*, pro futuris accipienda sunt, cum præcedentia verba; *veni, & messui*, pro præteritis sumantur, vt sonant.

51 Alius sensus. *Christus carnem assumens Lætissimum egit festũ nuptiale.*

Quamquam facilius, atque commodius sit, si verba omnia æqualiter pro præteritis sumantur, & nil aliud per totum id, quod hic dicitur: *Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo*: significetur, quam gaudium, & exultatio, cum qua cœlestis sponsus venit in hortum vteri virginalis, atque in primo instanti conceptionis suæ messuit, &c. vt supra: Quod gaudium etiam per prophetam Dauid expositum habemus in Psalm. vbi dicit. *c In sole*, seu secundum aliam lectionem, *Solem*, id est, B. Virginem, *posuit tabernaculum suum, & ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.*

c *Ps. 18. 6.*

Exultauit vt gigas ad currendam viã. à summo cœlo egressio eius. Quod ergo Dauid generali vocabulo exultationis, & egressionis instar sponsi significauit gaudiũ, ac festum à Christo habitum tunc temporis cum primum carnem ex Virgine sumpsit: quodve expressius etiam in hoc Cantico superius explicatum vidimus in fine cap. tertij, *d* vbi inuitabantur filiæ Sion, vt egrederentur, & viderent *Regem Salomonem in diademate*, id est in carne, *quo coronauit*, ac circundedit eum *mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius*: Hoc illustrius ab ipsomet sponso significatur hic sub metaphora pastoralis conuiuij lautissimi; quo videlicet in ipso die desponsationis suæ nuptias celebrauit cum humana natura, diem festum agens, in epulis tamen ruralibus, fauo, melle, vino, atque lacte: siquidem conuiuio epularum lautiorum, atque cœlestium festum egit ab æterno. Præclare autem singulis epulis pronomen adhibuit, *meum*; vt indicaret, haud ab alio quam à semetipso conuiuium huiusce modi fuisse instructum.

d *Cant. 3. 11*

Tertius sensus. *Incarnatus Christus in vtero B. Virginis quæ in ipsa B. Virgine comederit.*

Possunt insuper hæc verba, *comedi fauum, &c.* accipi vt dicta in responsionem ad præcedentia illa Mariæ verba: *Et comedat fructum pomorum suorum*: Vt cœlestis sponsus sicut significauit B. Virgini, se iam venisse in hortum suum per Incarnationem; quia id illa ardentius optare se indicarat: ita & nunc eidem, iuxta eius petitionem, atq; oblationem significet, se in ipso vteri eius horto incarnatum comedisse simul, atque bibisse; cum gratia quidem, quam ipsamet Virgo benedicta instar apis susceperit, quasi mel è cœlo fluens comedisse fauum, quem eadem Virgo instar apis pariter è diuersis construxit virtutum floribus: Bibisse autem *vinum* feruentis amoris, cum lacteo puritatis cãdore: quæ eo dulciora in tam sancta Virgine sibi fuerint, quod ea omnia sua essent: cum ipsius ope B. Virgo illa præstitisset, illisve insignita esset.

Ex Vers. I. cap. V. *Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.*

Appendix Expositionum, Ex antiquis Patribus collecta.

52 PAraphrasis Chaldaica. Misi ignem de cœlis, qui consumpsit holocausta & victimas sanctificatas: suscepta est voluntarie coram me libatio vini rubicundi, & vini albi, quod libauerunt Sacerdotes super atare meum.

Greg. Nyss. Horti plãtæ per ingressũ Christi trãsformantur in omne genus nutrimenti.

Notat Gregorius Nyssenus homil. 10. cœlestem sponsum pro pomis, ad quæ comedenda inuitatus fuerat, aduentu suo efficere, vt arbores panem ferant mixtum cum melle suo: ex ipso enim, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: atque adeo vbi ipse ingressus est hortum, in omne genus nutrimenti plantas trãsformare. Quę ad id inseruire possunt, vt probent id, quod de Sanctis quibusque dici potest, per Christi gratiam reddi idoneos ad omnia, & quod de semetipso ait Apostolus: *a Factus sum omnia omnibus.*

Gratia Dei idoneos nos reddit ad omnia.

a *1. Cor. 9. 22.*

Quamquam & ad donum Sacramenti Eucharistię

eadem

Eucharistiæ Sacramentũ est omnis saporis suauitas. Ambros.

eadem Nysseni doctrina referri non incongrue possit, in quo pro pomis charitatis à Christo veniente in Ecclesiæ hortum, datur panis habens omnis saporis suauitatem. De hoc quippe sacramento intelligit hunc locum Ambrosius lib. 5. de Sacramentis cap. 3. legens: *manducaui panem meum*, &c. de Sacramento Eucharistiæ hæc accipiens ait: vides quod in hoc pane nulla sit amaritudo, sed omnis suauitas? Vides huiusmodi esse lætitiam, quæ nullius peccati sordibus polluatur? quotiescumque enim bibis, remissionem accipis peccatorum & inebriaris spiritu.

In Eucharistiæ Sacramento est omnis puritas, & suauitas. Idem.

Tametsi idem Ambrosius lib. 1. de Cain & Abel cap. 5. hæc referat ad aliud illud Ecclesiæ conuiuium, quod ei instructum fuerat in paradiso terrestri, antequam homo peccasset.

In Paradiso terrestri conuiuium instructum Adæ.

Athanasius in Synopsi, ex hoc loco colligit, incarnatum Verbum in se simul admisisse opera diuinitatis, atque humanitatis: explicans enim id, quod dicitur: *Bibi vinum cum lacte meo*, referensque ad mysterium Incarnationis, Licet, inquit, lactis cibum corpori suo admiserit, incarnatum, scilicet verbum: tamen illi & vinum suæ perfectionis impertijt: etenim quemadmodum lac comedit: ita & diuinitatis opera in ipso perfecit.

Athanas. Incarnatum verbum miscuit opera diuinitatis, & humanitatis.

Communiori tamen sensu hæc intelliguntur de comestione, ac potu, quibus Christus reficitur in Ecclesia, seu in anima, dum in ea oblectatur, vel aliquem percipit fructum salutis. Est tamen multa varietas apud Patres in hoc sensu explicando: Nam Catena trium Patrum arbitratur, Christum in Ecclesia comedere, atque bibere salutem fidelium: Panis Christi, inquit, est facere voluntatem Patris: Mel sunt diuina eius eloquia, quæ linguam, à qua pronuntiantur, perfundunt dulcedine: Vinum est gratia diuinitatis elargitrix, quæ id, quod naturale est, supra naturam extollit. Lac est doli expers simplicitas. Sponsus igitur, in quas per sancta mandata sua animas ingreditur, eas tum nutrit quasi pane quodam cum melle, virtute cum cognitione: tum potat quasi vino cum lacte, concessa per gratiam diuinitate cum remota à dolo simplicitate. Horum vero salutem tanquam panem quemdam cum melle ipse comedit, ac veluti vinum quoddam cum lacte bibit.

Tres Patres. Christus cõedit salutem fidelium tanquam panem.

Theodoritus intelligit eamdem comestionem, & potum de perceptione fructuum ex fidelibus perfectis, & imperfectis, ac si Christus dicat. *Comedi panem meum cum melle meo*: solidum, & dulcem cibum, qui apud perfectos inuenitur: *Bibi vinum meum*, perfectũ, s. ex me vite vera expressum, *cum lacte meo*: ab infantibus, imperfectioribus, & lactentibus, à tati eorum congruentem percepi fructum.

Theodorit. Christus in ecclesia percipit fructus à perfectis, & ab imperfectis.

Ad refectionem in operibus misericordiæ referunt eadem Gregorius Nyssenus, & Ambrosius: qui in lib. de ijs, qui initiantur mysterijs, ad finem, sic legens: *Manducaui cibum meũ cum melle meo, bibi potũ meum cum lacte meo*: Illud, ait, nõ dubium, quod in nobis Christus manducat, & bibit; sicut in nobis legisti, quia & *a* in carcere se esse dicit.

53 *Ambros. In misericordiæ operibus comedit, & bibit Christus. Comedit Christus in nobis.*

Nyssenus vero in homilia 10. per panem cum melle (legit enim, *Comedi panem*, &c.) beneficentiam intelligit; vnde ait. Beneficentiam conditam melle præcepti, quo pane ali se inquit ab illis, quibus dicit: b *Esuriui & dedistis manducare*. Quemadmodum & potari se ait ab illis, quibus dicit: *sitiui & dedistis mihi bibere*. Potus vero, ait Nyssenus, vinum lacte temperatum, non aqua, vt mos est cauponum, quo lactepuritas significatur: cum lac sit primum nutrimentum humanæ naturæ, purum, & molle, & vere infantile, & sine dolo, & expurgatum ab omni mala causa: quibus significare videtur Nyssenus commendatam puram intentionem in eleemosynis.

a Matth. 25 36. *Greg. Nyss. Beneficentiã comedit Christus eum melle præcepti.* b Matt. 25. 35.

Quarto, refert hæc Ambrosius ad delectationem, quam Deus percipit in horto spiritali ex varietate virtutum, vel ex varietate sermonum: in libro enim 3. de Virginibus post medium, in horto piæ animæ epulari inquit Christum suauitatem mellis eius, quod diuersarum virtutum floribus concretum, illarum apum, quæ sapientiam prædicant, consono opere congregatum sancta Ecclesia in fauis recondit, vt cibus Christi sit.

Ambros. In pia anima Christus comedit mel diuersarum virtutum.

At in libro de Isaac, & Anima in fine cap. quinti, Descendit, inquit, in hortum Ecclesiæ, vel piæ animæ sponsus, & fructuum eius diuersitate delectatus, lætatur, quod inuenerit fortiorem cibum, inuenerit etiam dulciorem: Est enim velut panis quidam verbi, & mel, alius vehementior, alius suasorius sermo. Est & fides, alia feruentior, vt vinum, alia lucidior, vt succus est lactis: Hunc cibum Christus epulatur in nobis, hoc poculum bibit, & eius potus ebrietate nos prouocat, vt ad meliora, & optima ab inferioribus faciamus excessum.

Idem. Varia sermonum genera per varios cibos designãtur.

Porro quod de varietate sermonis citato loco dixit, confirmat melius in libro de bono mortis cap. 5. vbi, tam per cibos, quam per potus varios accipiens sermones, primum probat, quam recte per cibos sermones designentur ex eo, quod in libro Prouerbiorum dicitur: c *Faui mellis sermones boni*: Tum, inquit, in piæ animæ horto esse sermonem fortiorem, qui confirmat cor hominis validioribus cælestis scripturę alimentis: esse sermonem suasorium dulcem vt mel, & tamen peccatoris conscientiam in ipsa suauitate compungentem: esse sermonem feruentioris spiritus, qui inebriat sicut vinum, & lætificat cor hominis: & denique esse & sermonem lacteum, purum, & candidum.

Idem. c *Prou. 16. 24.*

Cassiodorus, per fauum, & vinum accipiens sanctos Prædicatores, qui Dei verbum prædicantes, instar faui proferunt intima scripturarum arcana, quę quasi mel intra se continent, & instar vini fortia earundem scripturarum Sacramenta manifestant: Per mel autem, & lac bonos auditores; quia dulcedinem verbi Dei attente suscipiunt, quibus & aperta mysteria, quasi lac conueniunt vt infirmioribus. Cum horum, inquit, vita diuersis studijs agatur, & horũ omnium bona intentione sponsus pascitur, & delectatur: & sic quasi *fauum cum melle* comedit, & sic *vinum cum lacte* bibit.

54 *Cassiodor. Ed. Anselm. Prædicatores sancti sunt fauus cum melle. Auditores autem sunt mel cũ lacte.*

Idem tamen Cassiodorus, sexto modo, refert hæc ad mortem electorum, per vinum eos accipiens, quorum animæ iam cœlesti fœlicitate gloriantur: per fauum vero eos qui iam corpore, & anima in illa beatitudine gaudent, quales sunt illi, qui cum Domino surrexerunt. Quos electos omnes spõsus comedit, cum ad æternam vitam per mortem vocauit, & corpori suo, id est, Societati electorum in illa fœlicitate iam lætantium coniungit. Cum Cassiodoro consentiunt Beda, & Anselmus.

Comedit Christus fauum cum melle, quãdo electos beatificat.

Septimo, Aponius referens hæc ad delectationẽ Christi de studiosis sacræ Scripturæ, Comedit *fauũ*, inquit, *cum melle* suo in his delectando, qui studio legis diuinæ in corde suo, quasi è vasculo Prophetarum, vel Apostolorum verba, vt flores congregant, & in modum apum rectæ fidei pretiosissimum fauum comedunt.

Aponius. Delectatur Deus de studiosis sacræ Scripturæ.

Ad delectationem quoque Christi referens eadem Richardus de Sancto Victore, *Fauum*, ait, comedit Christus, cum dulcedine bonorum morum, quam intus habet anima, pascitur: *Melle* reficitur, cũ bona opera facit aliquis: mel siquidem operatio, quæ foris exhibetur. *Vinum* quoque & lac in anima bibit Christus, cum gemina eius contemplatione, diuinitatis, s. & glorificatæ humanitatis, quæ per vinum, & lac designantur, gaudet, atque delectatur. Comedit autem, bibitque eadem & ipsa pariter anima: Sed prius fauum, & mel comedit, & postea vinum, & lac bibit: quia necesse est, vt emendati mores, & digna operatio præcedat, antequam contemplationis concedatur gratia. Mundandi enim prius sunt oculi cordis, vt Deus videatur.

Richard. Comedit Christus cum se reficit moribus, & operibus animæ: bibit se reficiens duplici contemplatione eiusdem.

Alij referunt hęc ad opus, quod Christus ipse perficit. Sic Gregorius Papa, *Fauum*, ait, comedit Christus dilectus *cum melle*, quando desiderium sanctum

Greg. Pap.

Comedit in anima Chriſtus perficiens ſanctũ deſiderium: bibit, cum perfectos & imperfectos dirigit ad æternum conuiuium. Iuſt. Org. Suſcipit Chriſtus in corpore ſuo eruditos teſtamento vtroque. Rup. Abb. Comedit Chriſtus in reſurrectione, bibit in aſcenſionis iubilo, & in miſsione Spiritus ſancti.

cum ſanctis operibus latens perficit, & ad Sanctorũ conuiuium ſanctam animam ſua dilectione impinguatam tranſigit: *Vinum* vero *cum lacte* bibit, quando & perfectione quorumdam ſe reficit, & innocentiã, ſeu ignorantiam aliorum cum pietate dirigens, vtroſque ad æternum conuiuium dirigit.

Iuſtus autem Orgelitanus ſignificari cenſet; Chriſtum, eos qui terrena, vel vehementiori doctrina veteris, & noui teſtamenti eruditi ſunt, ſuſcipere in corpore ſuo.

Singulariter demum Rupertus Abbas refert hæc ad Chriſti Reſurrectionem, Aſcenſionem, ac miſsionem Spiritus ſancti: Ac ſi Chriſtus dicat: *comedi fauũ cum melle meo*, id eſt ſurrexi à mortuis, recepi carnem meam, non vltra morituram, ſed ſemper victuram cum Verbo ſibi vnito, Verbo Deo, quod ſum, & eram ego: *Bibi vinum meum cum lacte meo*, ideſt, lætificatus ſum aſcenſionis gaudio: Aſcendi enim in iubilo, & inde non ſolum lætatur cor; verum etiam exultat caro: Denique Spiritum ſanctum dedi Apoſtolis, qui vnus idemque eſt & vinum meum, & lac meum: vinum meum, quia gaudium de præſentibus bonis; lac meum, quia curatio de præteritis malis: vinum meum, quia dilectio Dei: lac meum, quia dilectio proximi.

Ex Verſ. I. cap. V. *Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.*

Expositio I.

Iuxta ſonum litteræ.

55 INſtructo conuiuio, expoſitiſque dapibus apte iam inuitantur conuiuæ, qua ratione, quaue connexione, ſat ſupra explicatum eſt in prima expoſit. præcedentium verborum illorum; *Veni in hortum meũ Soror mea Sponſa, meſſui, &c.* Circa voces dumtaxat, & circa lectionum varietatem aliqua notãda hic ſunt, quæ ad horum intelligentiam conferent, & ſpiritualibus ſenſibus materiem ſubminiſtrabunt.

Amici, qui inuitẽtur ad conuiuium.

Primum, pro eo, quod Vulgata legunt, *Amici*, in Hebræo eſt, רֵעִים renghim, quæ vox, tametſi & amicos ſignificet, ſignificat tamen & proximos; vnde Sept. vertere. πλησίοι, *proximi*. Quo nomine ſæpius in hoc Cantico appellata eſt ipſamet ſponſa: a *Ecce tu pulchra es amica*, ſeu, *proxima mea*. b *Tota pulchra es amica mea*, ſeu, *proxima mea*. Nec non & ſponſus quoque, vt in fine huius cap. 5. c *Talis eſt dilectus meus, & ipſe eſt amicus*, ſeu, *proximus meus*: qua ex re conijcio non quoscumque hic inuitari amicos; ſed eos qui ſint ſpeciali neceſsitudinis vinculo adſtricti.

a Cãt. 1. 15
b Cant. 4. 7
c Cant. 5. 16

Inebriari in ſcriptura accipitur pro bibere ad ſufficientiam & ſatietatem.

Secundum, verbum, inebriari, quod eſt in omnibus lectionibus, ex conſuetudine peruulgata in ſacris litteris non tam ebrietatem hoc loco ſignificat ipſam, qua præ vino alienamur à ſenſibus, quæue indecens eſt hominibus honeſtis, & prohibetur ab Apoſt. dicente: d *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria*: quam potum magnum, & ad ſatietatem: quo ſenſu metaphorice & terra, & ſagitta, & alia pleraque inanimata aquis, ſanguineue inebriari dicuntur ſæpius: quin & Deus ipſe dicitur inebriari victimis aut lacrymis.

d Epheſ. 5. 18.

Tertium, pro voce noſtra *chariſsimi*, in Hebræo eſt, דוֹדִים dodim, quam dictionem Sept. vertere, ἀδελφοὶ, *fratres*; Symmachus: ἀδελφιδοὶ, *fraterni*: Aquila vero, ἑταῖροι, *ſodales*; S. Ambroſius lib. de Cain & Abel cap. 5. *patres*. Proprijſsimo vocabulo frequentius in hoc Cantico ſponſus ipſe hoc nomine appellatur, דוֹד dod, legiturque ſemper in Vulgata redditum, *Dilectus*: non eſt autem mirum, ſi adeo diuerſimode hic ſumpta ſit vna & eadem dictio. ambigua enim eſt: quin & amorem ſignificat: atque adeo haud mirum ſi noſter Interpres vertit, *chariſsimi*, per hanc quippe vocem clarius explicauit, quod vertendum fuiſſet, *O amores*. Crediderim autem aliquid diſtinctionis inueniri poſſe inter hæc duo nomina, *amici & chariſsimi*, tametſi ijdem ſint, qui per ea inuitentur: vt amici, ſeu propinqui dicti ſint ratione amoris, quo ipſi proſequerentur ſponſum, quoue ſponſo propius inhærerent; chariſsimi vero ratione itidem amoris, non quidem eorum, ſed ſponſi in illos: id quippe innuit & quod chariſsimos eos appellat, & quod amores: cum enim ſponſus ita illos haberet pro obiecto amoris ſui, vt propterea amores nimirum ſuos, ipſos nuncuparit, iure optimo chariſsimos quoque dicere eos debuit.

Amicorum, & chariſsimorum diſcrimen.

Quamquam, cum apud Hebræos nominum caſus non diſtinguãtur terminatione, non deſint, qui haud pro vocatiuo, *amores*, prædictũ nomen accipiunt, ſed pro ſeptimo caſu, *amoribus*: vt amici ad tria inuitentur, primo ad comedendum, ſecundo ad bibendum, tertio ad inebriandum ſe amoribus. Qui ſane intellectus, tametſi ab antiquis interpretibus minime ſit admiſſus, prout ex ſupra relatis eorum verſionibus patet: haud tamen improbabilis exiſtimandus eſt; præſertim cum haud nouum ſit, vt in ſacris litteris cuipiam ſuadeatur, vt inebrietur amoribus eadem phraſi, ijſdemque verbis, & vocibus, quæ hoc loco habentur. Siquidem in libro Prouerbiorum, primũ in cap. 5. dicitur: a *Amores eius inebrient te*, bi noſter Interpres ob vocis ambiguitatem vertit; *Vbera eius inebrient te*. Tum in cap. 7. praua illa mulier dicit adoleſcentulo: b *Veni inebriemur amoribus*, vbi pari modo noſter: *Veni inebriemur vberibus*. Quid ſit autẽ hoc loco iſtud, *inebriari amoribus*, præclare explicatur à Genebrardo, vt tantumdem ſit, ac ſi ſponſus dicat: Largiter ô amici fruamini amoribus, ijs nimirum, quos ego, & ſponſa vehementer amamus: ijs, quibus delectamur in hoc horto, ſeu in hoc conuiuio: vt amoris nomen metonymice poſitum ſit pro re, quę amatur, ſeu pro re, quę amorem conciliat, ſicut & in cap. 3. obſeruatum eſt, expoſ. 1. eorum verborum: c *Media charitate conſtrauit propter filias Ieruſalem*. Vel etiam pro rebus, & indicijs, quibus amoris ſit oſtenſio.

a Prou. 5. 19.
b Prou. 7. 18.

Inebriari amoribus quid ſignificet in hac ſententia. Genebrard.

c Cant. 3. 10

Ex Verſ. I. cap. V. *Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſsimi.*

Expositio II.

De prima Sponſa, quæ eſt Eccleſia Sancta.

56 PRopoſito tertio dono, in quo vna cum myrrha paſsionum ſuarum, & aromatibus ſalutis redemptionis, ac virtutum item ſuarum, ſemetipſum, corpus ſcilicet, ac ſanguinem ſuum Eccleſiæ contulit, cum eius poſſeſsione cœpit tempore paſsionis: admodum opportune ad collati doni iſtius participationem illam ipſam inuitat modo Dominus Ieſus eius ſponſus. Ecquis enim tam ſublime attingere donum, & ad tremendum accedere auderet Sacramẽtum, ni attraheretur, ni & peculiari ratione inuitaretur? Inuitat autem ipſam, inuitando membra eius. neque enim dicit: Comede amica, & bibe, & inebriare chariſsima, ne ſub generali huiuſcemodi inuitatione quilibet fidelium tam digni, quam indigni inuitatos ſe arbitrarentur abſque vlla diſtinctione; ſed dignos tantummodo alloquitur, & ait: *Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſsimi.*

Primus ſenſus.

Ad Euchariſtiæ communionem fideles inuitat Chriſtus. Cur Chriſtus ſe reliquerit eccleſiæ comedendum ac bibendum.

Circa inuitationem porro iſtam id primo ſeſe obijcit inquirendum: Cur, donum ſemetipſum Eccleſiæ conferens Chriſtus ſponſus, comedendum, ac bibendum ſe exhibuerit: Cuius rei tres pro nunc aſſignari poſſunt rationes, quæ dignæ ſint, vt hic afferantur ad præſentis loci elucidationem.

Primo enim, cum in paradiſo d terreſtri perditionem per cibi guſtum, ac eſum diabolus hominibus intulerit illis, qui in eo commorabantur, vt patet ex li-

Cibum in Paradiſo eccleſiæ Chriſtus ſe reliquit, quia in paradiſo terreſtri cibo diabolus hominem ſibi ſubiecit.

d Gen. 3. 1.

ex libro Geneſis: voluit pariter & Ieſus, cui iuge cum diabolo prælium, eos, qui in Eccleſia Catholica paradiſo ſua eſſent, per guſtum reparare. Inſtruxerat quidem & in paradiſo terreſtri *e* ſalubre, viuificumque conuiuium, fructus pendentes ex arbore vitæ, quæ erat in medio illius: quo viuificarentur corpora, & vita exhiberetur immortalis: quod tamen nunquã vllus guſtauit hominum, vtpote in cuius cuſtodiam Deus ipſe, qui id inſtruxerat conuiuium, igneã adhibuit cuſtodis romphæam. At in ſpiritali Eccleſiæ paradiſo è ſemetipſo inſtar fructus ligni vitæ in cruce pendente tale parauit conuiuium ſalubre item, atque viuificum, quo ſalus, ac vita conferretur æterna, iuxta illud: *f Qui mãducat hunc panẽ, viuet in æternũ*: & ad quod omnes inuitarentur, quotquot in Eccleſia ſunt fidelium, prout patet ex libro Prouerbiorum, vbi, parato conuiuio in Eccleſiæ arce, dicitur: *g Miſit ancillas ſuas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia Ciuitatis. Si quis eſt paruulus veniat ad me: & inſipientibus locuta eſt: Venite & comedite panem meũ, & bibite vinũ, quod miſcui vobis*: ſubijcitur autem neceſſario: *Relinquite infantiam*, vitã videlicet carnalem, qualem viuunt infantes, res ludicras, & vanas ſerijs præferentes. Tametſi enim & ij quoque inuitentur fidelium, qui peccatorum maculis ſunt conſperſi: ita tamen inuitantur, vt antequam ad conuiuium iſtud accedant, peccata ipſa relinquant, per confeſsionem expurgati; & hoc ſenſu intelligendum quoque illud eſt Euangelicæ parabolæ: *h Ite ad exitus viarũ & quoſcunque inueneritis, vocate ad nuptias: & egreſſi ſerui eius in viã, congregauerũt omnes, quos inuenerunt malos, & bonos*: Quod & id comprobauit, quod ſecutum eſt Regis iudicium contra eum, quem diſcumbentem vidit abſque veſte nuptiali puritatis. *Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem? Ligatis manibus, & pedibus eius*, &c. Nã quamuis adunata fidelium congregatio conſtet ex ſanctis, & peccatoribus, ex perfectis, & imperfectis; nihilominus, qui comeſturi ſunt Chriſti corpus, & eiuſdem ſanguinem bibituri, ij ſane in conuiuium introeuntes, ſancti eſſe debent, atque perfecti, quod in præſenti Canticorum ſententia ſignificauit ſponſus, per ſemetipſum inuitans, ac dicens: *Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſsimi.*

57 *In Euchariſtia cibum ac potum Chriſtus ſe reliquit Eccleſiæ, vt tanti Sacramenti neceſsitas per hoc innoteſceret.*

Donum ſecundo ſe exhibuit Dominus Ieſus comedendum, atque bibendum dilectæ ſuæ: vt per hoc neceſsitatem palam faceret talis doni; nec neceſsitatem modo, ſed & vtilitatem, & iucunditatem. Nihil enim inter creata eſt, quod neceſſarium animantibus ſit magis, quam cibus, ac potus: nihil quod frequentius ſumatur. Vnde in oratione Dominica ex creatis hoc vnum vt maxime neceſſarium à Domino petimus, & ita petimus, vt nullum velimus eſſe diẽ, quo eo careamus: ſic enim dicimus: *i Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*. Porro, ſicut terreſtrem iſtum cibum vt maxime neceſſarium quotidie petimus exhiberi diarium: ita quoque agnoſcentes neceſsitatem maiorem cibi huius cœleſtis, eadem petitione, ijſdemve & verbis efflagitamus pariter & illum, prout plerique ex patribus aſſerunt, Tertullianus libro de Oratione, Cyprianus de oratione Dominica, Athanaſius lib. de Incarnatione, Ambroſius libr. 5. de Sacramentis capit. 4. Hieronymus libr. 3. contra Pelagianos, & Comment. in Matth. aliique complures. Nec obſtat id, quod tangit Auguſtinus li. 2. de ſermone Domini cap. 12. haud tantã videri huius cibi neceſsitatem, cum apud Orientales nequaquam ſumatur quotidie: maxime enim placet, quod è contrario ait Ambroſius lib. 5. de ſacramentis ca. 4. Si quotidianus eſt panis, cur poſt annum ſumis illum, quemadmonum Græci in Oriente facere conſueuerunt? Accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit. Sic viue, vt quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur poſt annum accipere. Et poſt pauca. Qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus eſt, quia ſub peccato ſumus. Medicina eſt, cœleſte & venera bile ſacramentum: quotidie ſi accipis, quotidie tibi hodie eſt. Ex quo ſponſus venit *in hortum* ſuum, comeditque *fauũ cum melle* ſuo, & bibit *vinum* ſuũ *cum lacte* ſuo, quando inſtituit hoc admirabile ſacramentum, inſtruit quotidie idem conuiuium per manus Sacerdotum, conſecrantium panem ac vinum: parat quotidie inconſpectu fidelium menſam aduerſus omnes, qui tribulãt eos, inuitatque quotidie, ac dicit: *Comedite amici & bibite, & inebriamini chariſsimi*. Quotidie inuitat, quia quotidianus in anima eſt ſpiritalium viriũ defectus per quotidiana peccata, quem reparat ſpiritualis cibus, ac potus iſte: ſicut quotidiano cibo, potuq; ſenſibili quotidiani reparantur defectus virium corporis, & humoris radicalis naturaliſve caloris; quotidie inuitat, vt quotidianum per cibum iſtum animabus præſtet augmentũ grætiæ: quotidie inuitat, vt quotidianas eiſdem renouet delicias cibi huius, omne delectamentum in ſe habentis; quotidie inuitat; quia cibus iſte haud eſt inſtar ſenſibilium ciborum, atque conuiuiorum, quæ aſsiduitate vileſcunt, ſatietatem cauſant necnon & vomitũ, ac nauſeam: provt etiã de manna Iudæi aſſeruere, dicẽtes: a *Anima noſtra iã nauſeat ſuper cibo iſto leuiſsimo*. Et: b *Anima noſtra arida eſt: nihil aliud reſpiciũt oculi noſtri, niſi Man*. Tantũ enim abeſt vt ſui generet ſatietatẽ, vt quo pluries fuerit ſumptus, eo maiorem cauſet ſui eſuriem, iuxta illud, quod alias ſponſus ipſe ſapientia increata profeſſus eſt, vbi dixit: c *Qui edunt me, adhuc eſurient; & qui bibunt me, adhuc ſitient*: quod & in hac ipſa, quam modo exponimus, inuitatione ſubindicat, dum illos potiſsimum inuitat, qui ſibi magis ſint proximi, dicens, *Comedite amici*, ſeu iuxta aliam litteram, *proximi, & bibite*: quis vero magis Chriſto proximus, quam qui vnum cum ipſo effectus ſit per eius corporis eſum?

Ad Euchariſtiæ communionem Chriſtus quotidie inuitat fideles.

a Num. 21. 5.
b Num. 11. 6.
c Eccl. 24. 29.

58 *In Euchariſtia ſub Sacramento cibi Chriſtus ſe præbuit Eccleſiæ vt ariſsimam cum communicantibus perficeret vnionem.*

Hæcq; eſt tertia, & potiſsima ratio, ob quam is donum ſe fidelibus exhibuit comedendum, ac bibendum, vt arctiſsimam hanc perficeret vnionem. Potuiſſet quidem ſe exhibere, & relinquere ſub ſacramento viſibili, & eſſe in illo obiectum dũtaxat viſionis, provt & in patria: ac ſicut, dum in hoc mũdo eſſet ſub obiecto viſibilis carnis, quam aſſumpſerat, diuinitatem quoque ſuam ſub ſacramento viſibilem, ac præſentem intuentibus præſtitit: Ita & ſub alio viſibili obiecto viſibilem, ac præſentem vt ſub ſacramento exhibere potuiſſet carnem, ac corpus ſuũ, in quo & anima eius eſt, & diuinitas. Nihilominus quia ad hoc in primis ſe exhibere voluit communicãdum, vt arctiſsima, eaque reali vnione vniretur cum dilectis ſuis: quandoquidem obiectum viſus intentionali ſolummodo vnione per ſpecies intentionales vnitur cum intuente, & cum viſiua illius potentia: obiectũ autem guſtus è veſtigio vnione reali vnitur & cum organo ipſo guſtus, & cum comedente: cumque vnio iſta cibi cum comedente eo procedat; vt cibo ipſo tranſmutato in ſubſtantiam comedentis, vnum iam ambo exiſtant, ad arctiſsimam deſignandam vnionẽ illam, qua in myſtico dono iſto fidelibus vniendus erat, tranſmutans homines quodammodo in Deos, ſibi aſsimilatos, ſub obiecto guſtus, & ſub ſacramẽto cibi, & potus ſeſe exhibuit, ideoq; & dixit: d *Qui mãducat meã carnem, & bibit meũ ſanguinem, in me manet, & ego in eo*; arctam hanc indicans vnionem, de qua nunc ſermo eſt. Quam vnionem præclare explicatam reperio in libro de Cœna Domini, qui eſt inter opera Cypriani, verbis hiſce: Non quod vſque ad conſubſtantialitatem Chriſti, ſed vſque ad ſocietatem germaniſsimam eius hęc vnitas peruenit. Solus quippe filius Patri conſubſtantialis eſt, nec diuiſibilis eſt, nec partiabilis ſubſtantia Trinitatis: noſtra vero & ipſius coniunctio, nec miſcet perſonas, nec vnit ſubſtantias, ſed affectus cõſociat, & cõfœderat volũtates. Et paulo poſt, Panis itaq; hic azymus, cibus verus, & ſincerus per ſpeciem, & Sacramentum nos tactu ſanctificat, fide illuminat, veritate Chriſto conformat.

Vnio Chriſti, atque communicantis quomodo fiat, & qualis ſit.

d Ioan. 6. 56

Cyprianus.

Sed ſi vera hęc ſint, vt potiſsima ratio, propter quã cœleſtis ſponſus, ac Dominus noſter Ieſus Chriſtus dedit

59

Tertull. Cyprian. Athanaſ.

Ambroſ.

e Gen. 3. 22

f Ioan. 6. 58 Ad Euchariſtiam qui debeant accedere, quo ve modo.

g Prou. 9. 3.

h Mat. 22. 9

In Euchariſtia quomodo amici, qui vniti iã ſunt cum Chriſto, cõmunicare dicantur vt vniantur cũ eodem Chriſto.

dedit ſe eccleſiæ in donum comedendum, atque bibendum, hæc ſit, vt hanc deſignaret vnionem charitatis, proprijſsimum huiuſcemodi doni effectum: Inſurgit illico difficultas non modica in verbis eiuſdemmet ſponſi, quibus ad hanc inuitat comeſtionem, & potum: ait enim, *Comedite amici*, ſeu *proximi*, *& bibite*. Quis enim neſciat, amicos, qui inuitantur iam vnionem prædictam ſortitos per gratiam qua illi arcta iuncti ſunt neceſsitudine: & diuinæ naturæ conſortes effecti vna cum illo iam ſunt, prout ille petijt à Patre, vbi dixit: e *Rogo vt omnes vnũ ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te; vt & ipſi in nobis vnum ſint.* Et ex ſententia f Ioannis conſtat, eum, qui manet in charitate, manere in Deo, & Deum in eo.

e Io. 17. 21

f 1. Ioan. 4. 16.

In Euchariſtiæ ſacramento non tam gratia confertur quam augmentum gratiæ regulariter.

Difficultas tamen iſta facile euaneſcit, ſi ſupponatur id, quod apud Theologos eſt certiſsimum & indubitatum: per hoc ſacramentum regulariter non tam gratiam conferri, quam augmentum ipſius gratiæ ei, qui iam viuens ſit per gratiam: quod per ipſammet cibi rationem ſignatur: quandoquidem hæc eſt propria ratio cibi, vt viuentibus exhibeatur, inſeruiatque illis ad nutritionem, & ad augmentum. Tametſi hoc inſit diſcriminis inter ſacramentalem cibum iſtum, ac cibos corporeos, quod hi, licet nutritioni ſemper inſeruiant; augmento tamen non ſemper: cum viuens non ſit ſemper in ſtatu augmẽti, nec ſemper plus acquirat per cibos, quam perdat per calorem naturalem, conſumentem humorem radicalem: At vero cibus iſte ſuperſubſtantialis vna cum nutritione ſpirituali ſemper præſtat & augmentum ſpirituale: neque ab inuicem diſtinguuntur hæc duo, nutritio & augmentum gratiæ: neque per quãtamcumque gratiæ acceſsionem terminus imponitur iſtiuſmodi augmento in ijs, qui hoc cibo nutriũtur. Et vnio ipſa comedentis cum ſponſo arctior ſemper euadere poteſt. Cuius rei rationem ex alio deſumere licet diſcrimine, quod aſsignari ſolet inter cibum iſtum, ac reliquos cibos, ſecundum quod per reliquos cibos eatenus fit vnio inter eos, ac comedentem ipſos, quatenus ipſi conuertuntur in ſubſtãtiam comedentis, cui ſimiles redduntur: è veſtigio autem, eatenus, per cibũ iſtum fit vnio inter ipſum, ac comedentem, quatenus ille, quoad fieri poteſt, conuertit hominem ipſum comedentem in Deum; quia illum ſanctiorem, & puriorem reddit, ac Deo magis ſimilem. Quantumcumque vero per cibum iſtum præſtetur augmentum iſtius ſanctitatis, atque ſimilitudinis, maiora ſemper ſuperſunt, quæ addantur per nouas eius comeſtiones: quoniam Chriſtus, qui ſe in iſtum porrigit cibum, immenſæ eſt ſanctitatis & eſt ſumme communicabilis: communicabit autem ſeſe perfectiſsimo modo, vnieturque vnione perfecta in patria, quando abſq; ſacramento, etiam hominibus ſe panẽ Angelorũ præbebit manducandũ: quando, vt ait Cypria. ſermone de cæna Domini, (ſi tamẽ Cypriani is eſt) nõ miniſterio corporali, ſępe repetitis actionibus ad eundẽ Angelorũ panẽ reuertẽtes, ſed cõſumato ſacerdotio noſtro erit, & permanebit perpetua, & ſtabilis, implẽs, & reficiẽs nos ſufficiẽtia, quæ profert ſe palã abſque vllis integmentis, omnibus conſpicabilis ſummi præſentia ſacerdotis.

Communicans cur ſemper arctius vniatur cum Chriſto, quo frequẽtius communicat.

Cyprianus.

60

Circa extremam huius inuitationis partem: *Et inebriamini chariſsimi*: Notandum verbũ, *inebriamini*, dupliciter ſumi poſſe: vel vt iunctum cum præcedenti verbo, *bibite*, & vt relatum ad potum; vel vt relatum ad conuiuium totũ. Si primo modo ſumatur, provt ſumendum indicat experientia, qua aduertimus, vini potu homines inebriari: quid verbis hiſce, *Et bibite, & inebriamini chariſsimi*, ſibi velit ſponſus, & ad quã inuitet ebrietatem per id intelligi poteſt, quod exigua ſententia de calice ſanguinis Chriſti aſſeruit Propheta Dauid, dicens: a *Et calix tuus inebrians quam præclarus*, ſeu, *quam peroptimus eſt!* quam prophetæ ſententiã egregie ponderat explicatue Cyprianus epiſt. 63. quæ eſt ad Cæciliũ, his verbis: Quia ebrietas Dominici calicis, & ſãguinis, nõ eſt talis, qualis ebrietas vini ſæcularis: Cum diceret Spritus ſanctus in Pſal. *Calix tuus inebrians*, addidit, *quam peroptimus*: quod ſcilicet calix Dominicus ſic bibẽtes inebriet, vt ſobrios faciat: vt mentes ad ſpiritualem ſapientiam redigat: vt à ſapore iſto ſæculari ad intellectum Dei vnuſquiſque reſipiſcat. & quemadmodum vino iſto communi mens ſoluitur, & anima relaxatur, & triſtitia omnis exponitur: ita epoto ſanguine Domini, & poculo ſalutari, exponatur memoria veteris hominis, & fiat obliuio conuerſationis priſtinæ ſæcularis, & mœſtum pectus, ac triſte, quod prius peccatis augentibus premebatur, diuinæ indulgentiæ lætitia reſoluatur.

a Pſ. 22. 5.

Cyprianus.

Ebrietas cauſata à potu ſanguinis Chriſti qualis ſit.

Ad ebrietatem porro iſtam, & ad calicem hunc peroptimum haud quicumque inuitantur fidelium, ſed ij duntaxat, qui chariſsimi ſint. ſic enim ait: *Et bibite, & inebriamini Chariſsimi*: quia calix ſanguinis Chriſti ſolis ſacerdotibus propinatur ex conſuetudine Eccleſiaſtica, quibus ſponſus communicatur ſub vtraque ſpecie tãquam chariſsimis, vtpote arctius ſibi iunctis ſacroq; oleo ſibi ſacratis. Hinc eſt, quod & Dauid ex eorũdem ſacerdotum perſona locutũ ſe ſignificauit in præcitatis verbis, *Et calix tuus inebrians, quã præclarus eſt*: cũ priusdixiſſet: *Impinguaſti in oleo caput meũ.*

Sacerdotes potiſsimum inuitati ad potũ ſanguinis Chriſti.

Pſal. 22. 5.

Quamquam haudquaquam neganda omnino ſit eadem ebrietas compluribus etiam eorum, qui ſacerdotes non ſunt, quandoquidem etſi ſanguis Chriſti ſeiunctim illis minime communicetur ſub ſpecie vini ex rationabili Eccleſiæ conſuetudine: communicatur tamen vna cum corpore, quod ſumũt, ſub ſpecie panis, in quo corpore & ſanguis ipſe eis porrigitur per concomitantiam (vt aiunt Scholaſtici.) Inebriãtur autem ij duntaxat, qui ſponſo chariſsimi, eo pacto ſunt, vt merito is amores, deliciaſq; ſuas illos appellet: ij, in quorum mente ſponſus eſt, cum ad ſacrum accedunt conuiuium; de quibus in libro Prouerbiorum idemmet ſponſus ait: b *Et deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum*: ij, qui cum deuotione actuali, qua Chriſtũ in mente habent, antequam communicent corpori, & ſanguini Domini, gratias agentes inquiunt: c *Parasti in cõſpectu meo menſam aduerſus eos, qui tribulãt me. Impinguaſti in oleo* (illo ſcilicet, cui dictũ eſt; d *Oleum effuſum nomen tuum*) *caput meum* (mentem nempe meam) *& calix tuus inebrians quam* præclarus eſt!

In communione qui ſint, qui inebrientur.

b Pro. 8. 31

c Pſ. 22. 5.

d Cant. 2. 3

Si idem verbum, *& inebriamini*, ſumatur ſecundo modo, vt relatum ad conuiuium, in quo comeditur, & bibitur: & inuitatio facta ſit, vt inebrientur non ſolum in bibendo, ſed & in comedendo; reperimus enim apud Oſeam, in hoc Sacramento homines inebriari etiam tritico, iuxta lectionem Septuag. e *Conuertentur & ſedebũt in vmbra eius, viuẽt, & inebriabũtur tritico*: quem locum alias examinaſſe me recolo. Reperimus quoque in libro Eccleſiaſtici præceptum, vt f benedicamus Dominum inebriantem nos ab omnibus bonis ſuis. Tũc verbo iſto *& inebriamini* ſpecialis fit inuitatio ad actualẽ gratiæ participationem, quæ præter gratiam habitualem, æqualiter in hoc Sacramento communicatur tam ijs, qui comedunt ſolum, quam ijs, qui comedunt, & bibunt: tam ijs, qui communicant ſub vna tantum ſpecie, quam ijs, qui communicant ſub vtraque. quæ actualis gratia cõgruentiſsime exprimitur ebrietatis vocabulo, quo ſaturitas illa ſignificatur abſq; faſtidio, & illa deuotio, de qua Propheta Regius ait: g *Vota mea reddam in conſpectu tumentium eum: edent pauperes, & ſaturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum: viuent corda eorum in ſæculũ ſæculi.* Quinimo eodem ebrietatis vocabulo ſpecialis quoque deſignatur feruor charitatis cum ſpeciali ſpiritus ſuauitate, iuxta illud: h *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ*: quam dulcedinem, quemve feruorem ſpiritus intelligere voluit idem Propheta cum dixit: i *Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus*: Et Eccleſia tua canit: k *Pinguis eſt Panis Chriſti, & præbebit delicias Regibus.*

61

e Oſeæ 14. 8

f Eccl. 32. 17.

g Pſ. 21. 26

h Pſ. 35. 9.

Communicãtes deuote dicuntur & pauperes & Reges.

i Pſ. 67. 11

k Gen. 49. 20.

Porro pauperibus bene hanc exhiberi ait Propheta, Eccleſia vero Regibus: ijdem enim qui huius dulcedinis participes fiunt, inſtar pauperis ſe exhibent ante Dominum, cum ad hoc conuiuium accedunt, non

non audentes accedere ad regales nuptias: niſi ab eo
a Luc. 14. 21. admittantur, a qui ſeruo ſuo iubeat vt pauperes, ac debiles introducat iuxta parabolam Euangelicam: exhibentque ſeſe inſtar pauperis illius, qui omni animi demiſsione, totoque affectu nedum voces, ſed & vultus, totiuſque corporis geſtibus ſuam ob tranſeũtium oculos exprimere ſtudet eſuriem: ſimul vero & inſtar Regũ omnibus replentur bonis, iuxta illud B.
b Luc. 1. 53. Virginis: b *Eſurientes implenit bonis*: & regalibus epulis hiſce, regalibus quoque iucundantur delicijs, iuxta
c Pſ. 67. 4. illud Prophetæ: c *Iuſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei & delectentur in lætitia.*

62 Ad ebrietatem iſtam, abundantiamque omnis delectamenti, & omnis ſuauitatis ſacri huius conuiuij haud quilibet inuitantur amicorum; ſed ij duntaxat, qui chariſsimi extitetint, quoſve ſponſus amores ſuos appellet: ſic enim dicitur: *Et inebriamini chariſsimi*, ſeu, *amores*, ſecundum aliam lectionem: cum tamen prius dictũ fuerit: *Comedite amici, & bibite*. Enimuero, cum communicantibus in hoc Sacramento duplex per illud conferatur gratia: prout explicatũ eſt, altera habitualis, altera actualis: Prima certe cuicumque præſtatur virtute Sacramenti, dummodo amicus Dei ſit; id eſt abſque peccato mortali, quo ſolo amicitia Dei tollitur, & gratia obliteratur. Vnde
d Ioan. 6. 57 Dominus abſque alio additamento dixit: d *Qui manducat me; viuet propter me*: Quod Paulus intelligit de
e 1. Cor. 11. 28. manducante digne dicens: e *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat*. Dignitas porro in amicitia dumtaxat ſita eſt, hocque vnum probare debet neceſſario communicans: An ſit amicus Dei: An aliquo mortali peccato ab amicitia Dei exciderit, provt declaratum nuper habemus per Concilium Tridentinum
Concil. Trid. ſeſſ. 13. ca. 7. ex Sanctorum Patrum doctrina, his verbis: Communicare volenti reuocandum eſt in memoriam eius præceptum: Probet ſe ipſum homo. Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, vt nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumuis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali confeſsione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat. Et ideo bene ſingulis quibuſque amicorum hanc Dominus facit inuitationem: *Comedite amici, & bibite*. At vero ad gratiam alteram actualem, ſitam in actuali feruore ſpiritus ſpecialique dulcedine, ij duntaxat inuitantur, qui per actualem deuotionem accedentes, chariſsimi ſponſo ſunt: quia ſecundum regulam ordinariam, & ſecundum frequentiorem vſum iſti ſunt, qui magis dant operam; vt non modo comedant, & bibant; ſed & inebrientur, exſaturentur, ac repleantur dulcedine tanti Sacramenti: in id totum ſuum ponentes ſtudium, vt actuali deuotione, ac ſpecialibus actibus charitatis exacuent talis feruoris taliſve ſuauitatis appetitum, arbitrantes ſibi ipſis ſigillatim à
f Pſ. 80. 11. ſponſo dici illud Prophetæ: f *Dilata os tuum, & implebo illud.*

Deuotio actualis in communione cauſa eſt actualis gratiæ, & ebrietatis ſpiritus.

Porro, ſi intimius preſcrutemur, quid iſta ſit actualis deuotio, cui hæc, de qua loquimur, ebrietas cõcedi vt plurimum ab ſponſo ſolet in ſumptione ſanctiſsimi Sacramenti, reperiemus ex principijs Theologiæ, eſſe vehementem actum voluntatis, & promptitudinem, qua communicantes ſe exhibent paratos ad faciendam Dei voluntatem: quæ ingenti charitatis feruore voluntatem ſuam voluntati diuinæ vnitam obtinent. Quod ſi ita eſt, vt colligitur ex definitione eiuſdẽ deuotionis allata à S. Thoma in 2. 2. q. 82. art. 1. haud dubium, quin aptiſsime ſponſus ambigua vſus ſit voce in hac inuitatione: ita vt, ſecundum varias verſiones ijdem, qui ad illam inuitati fuere, dicãtur & *Chariſsimi*, & *fratres*, & *fraterni*, & *patres*, & *amores*, & *dilecti*: Idem ſiquidem ſponſus in Euangelio attulit rei huius rationem cum dixit: g *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt; ipſe meus frater, ſoror, & mater eſt.*

Ad Euchariſtiam cum deuotione accedere, quid ſit.

S. Thomas.

g Matt. 12. 50.

63 Secundum lectionẽ illã, & *inebriamini aromatibus*; allatam in fine expoſit. primæ, tria ſignificari poſſunt

In Euchariſtia communione Chriſtus ſummũ præſtat amorem.

A quæ ijs, qui in conuiuio Sacramentali comedunt, & bibunt, obueniunt in communione tanti Sacramenti. Primum, quod in tali comeſtione, ac potu corporis, & ſanguinis Chriſti inebrientur, & repleantur amoribus Chriſti, id eſt habeant ſimul vnita omnia amoris Chriſti indicia, quæ in multiplicibus beneficijs particularibus alias eis exhibita fuerant, iuxta illud Pſalmi ſæpius citati: h *Memoriã fecit mirabilium ſuorũ miſericors, & miſerator Dominus: eſcam dedit timentibus ſe.*

h Pſ. 110. 4.

In Euchariſtiæ communione habentur vnita ſimul omnia amoris Chriſti.

Vel ſumendo, *amores*, in plurali poſitum pro amore maximo, iuxta conſuetudinem ſacrarum litterarum, ſignificatur, quod in ipſo Sacramento, & per hoc, quod admiſsi ſint ad tale conuiuium, ſummo B Chriſti amore donentur, iuxta ea, quæ dicta ſunt ſupra in cap. 2. verſ. 4. expoſit. 3. in ea verba. i *Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatẽ*; ſeu, iuxta aliam litteram: *Super me vexillum charitatis*, ſeu: *Erexit in me vexillum amorẽ*. Neque vero nouũ eſt, vt per admiſsionem ad propriam menſam à Principibus maximus alicui exhibeatur amor: nam & Dauid ad oſtendendum ingens amoris vinculum, quo cum Ionatha fuerat colligatus, eius filio Mephiboſech, quem vnum ſuperſtitem reperit, dixit: k *Tu comedes panem in menſa mea ſemper*. Atque ipſemet Mephiboſech poſtmodum fatetur, in hac vna re ſummum amorem ab illo ſibi exhibitum, dicens; C l *Non fuit domus patris mei, niſi morti obnoxia Domino meo Regi.*

i Cant. 2. 4.

k 2. Reg. 9. 8

l 2 Reg. 19. 28.

Tu autẽ poſuiſtime ſeruum tuũ inter conuiuas menſæ. Sic idem quoque Rex Dauid morti proximus, legans in teſtamentum filio ſuo Salomoni, vt ingentẽ amoris gratiam præſtaret filijs Berzellai, quibus maxime deuinctum ſe recolebat, dixit: m *Sed & filijs Berzellai Galaaditis reddes gratiã, eruntque comedentes in menſa tua.* Quod ſi admiſsio ad regiam menſam tantum exhibet amoris ſpecimen, quid cẽſendum fieri per admiſsionem ad menſam cœleſtis Regis, in qua Rex ipſe corpus ſanguinemque ſuum, ac totum ſemet in edulium D præbet?

m 3. Reg. 2. 7

64 Quia vero amoris, ſeu amorum vocabulum poteſt inſuper hic accipi vt denotans non tam amorem Chriſti in communicantes, quam amorem ipſorum communicantium erga Chriſtum, à quo inuitantur, quemve & ſumunt: cum ſponſus inuitans ad communionẽ amicos, adijcit: *Et inebriamini amoribus*, verbis hiſce videtur, vlterius inuitare ad frequentandam communionem ipſam ex fructu: qui ex tali frequentatione eis obuenit, plura nimirum amoris, & charitatis augmenta, quibus maioribus gradibus in charitate magis magiſve profi- E cient: & quaſi diſtinctis amoribus, & tot ſpiritalis vini poculis inebrientur, alienati in dies magis à fluxis quibuſque rebus mundi huius, & à ſemetipſis.

Ad communionis frequentationem Chriſtus inuitat animã, vt per hoc maiora percipiat gratiæ augmenta.

Denique ex verbis Apoſtoli, quibus in Epiſt. ad Epheſios ait: a *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria, ſed implemini Spiritu ſancto, loquentes vobiſmetipſis in pſalmis & hymnis, & cãticis ſpiritualibus, cantantes, & pſallentes in cordibus veſtris Domino: gratias agentes ſemper pro omnibus, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Deo, & Patri*: colligitur, ebrietatem, ad quam inuitantur amici, qui inuitãtur ad Sacramentale conuiuium, eſſe impletionem Spiritus ſancti, impellentis communicantem animam F ad plures charitatis, religionis, ac deuotionis actus, quos certe actus ipſe enumerat, nempe locutionem internam, pſalmodiam, hymnodiam ex intimis præcordiorum emiſſam, affectus gratiarum actionis pro omnibus, quæ in tanto Sacramento præſtita agnoſcuntur, alijve complures, quos illi in ſemetipſis ſentiunt, qui deuote ad conuiuium iſtud accedunt, & in eo, nedum habituali, ſed & actuali donantur gratia, provt ſupra explicatum eſt. Secundum iſtum autem ſenſum, amorum vocabulo, dum dicitur: *Et inebriamini amoribus*: deſignantur ipſimet amoris actus.

a Ephe. 5. 18

Deuote communicantes plus amoris act. proferunt per actualem gratiam, qua à Deo donantur.

Recolligẽdo, quæ fuſius dicta ſunt, ad paraphraſti-

cum ſenſum, quod hic dicitur, tale eſt.

Paraphraſis. In conuiuio iſto Sacramẽtali, quod in meo Eccleſiæ horto paraui; vt genus humanum cibo reparārem, quod per cibum in paradiſo terreſtri diabolica fraude morti ſubiectũ fuerat, veſtræ ſatisfacite neceſsitati, ne pereatis, qui quotidie deficitis per humanæ naturæ miſeriam: *Comedite, & bibite*, reficientes vos cibo iſto prædulci; *Comedite, & bibite* vos, qui iam *amici* eſtis per gratiam, vt in eo creſcatis per augmẽta gratiæ, arctiorique mihi vniamini neceſsitudine, tranſmutati in me cibum, ac potum, quem comedetis, & bibetis. Qui mihi *Chariſsimi* eſtis Sacerdotes, ſumentes me ſub vtraq; ſpecie: atq; adeo comedentes, & bibentes, *inebriamini* epoto ſanguine meo, mẽte excedentes, obliti terrenorum omnium, meique exhilarati dulcedine.

Sed & quicumque ob id eſtis mihi *Chariſsimi*, quia actu me recogitãtis, actuali deuotione accedẽtis ad hoc conuiuium, *inebriamini*, perfuſi gaudio gratiæ actualis vltra habitualẽ, & repleti feruore Spiritus, qui ſummæ eſt admixtus dulcedini huius conuiuij, omne delectamentum in ſe habẽtis. Deuoti omnes, deuotione veſtra promptos vos exhibentes ad faciendam voluntatem Patris, ideoque mihi *Chariſsimi ſocy, dilecti, fraterni, fratres, & patres* mei comedẽtes ſimul, ac bibẽtes *inebriamini* ſimul *amoribus* meis, in hoc vno cibo repleti omnibus, quotquot vmquam exhibui, amoris indicijs: & agnoſcite omnium maximã amoris oſtenſionem, dum digni habiti eſtis, qui in conuiuio iſto comedatis & bibatis. *Comedite* igitur, & *bibite* frequentius: ſicve pluribus charitatis augmẽtis donati, quaſi pluribus vini poculis *inebriamini*, charitate mẽte excedentes; ac repleti Spiritu ſancto oſtẽdite ebrietatem Spiritus, dum comeditis, ac bibitis, per incrementa gratiæ actualis, quã adepti eſtis, per orationes, per gratiarum actiones, per ardentia ſuſpiria, per lacrymas, ac per multiplices charitatis affectus.

65 Secundus ſenſus. *Angelorum curæ Deus commendat iuſtos.*

Iuxta alterum illum ſenſum, quem præcedentibus verbis datum videre eſt ad finem ſecundæ expoſitionis: Cum cœleſtis ſponſus Eccleſiæ ſignificaſſet, ſe iam eius ſatisfeciſſe deſiderio, quo optabat, & petierat, vt ad ipſam veniens, tamquam *ad hortum ſuum*, comederet *fructum pomorum ſuorum*; per ſpecialem dilectionem, ac prouidentiam iuſtos in ſua traijciens viſcera: atque adeo comediſſe in primis *fauum cum melle* ſuo, & bibiſſe *vinum* ſuũ *cum lacte* item ſuo; traieciſſe nimirum in ſua viſcera, ſpeciali cura, & dilectione Religioſos, miſericordes, feruentes ſpiritu, & eos, qui candore vitæ puritatem cordis præ ſe ferrent. Nunc eadem phraſi iſtos ipſos iuſtos cœleſtibus commendat ſpiritibus, vt nimirum ſpeciali dilectione eos proſequantur, ſpecialique cura tutos illos ſeruent, traijcientes & ipſi ſua illos quodammodo in viſcera. Simulque per vltima verba hæc, & *inebriamini Chariſsimi*, eoſdẽ iuſtos aſpectui proponit eorum, qui ſublimiori beatitudinis gradu fruentes, Chariſsimi ſibi ſunt, vtpote quibus maiora dilectionis ſuæ præſtitit ſigna: proponit autem, vt aſpicientes illos perſeuerãtes in puritate, & ſanctitate tanto perfundantur gaudio accidentali, vt quaſi ebrij in nouas prorumpant laudationes Dei, iuxta illud Pſalmi: b *Confitebuntur cœli mirabilia tua Domine: etenim veritatem tuam in Eccleſia ſanctorum.*

b Pſa. 88. 6

A

Ex Verſ. I. cap. V. *Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſsimi.*

Expositio III.

De ſecunda Sponſa, quæ eſt Anima Iuſti.

66 Primus ſenſus.

CVm Nathan Propheta ille ſapientiſsimus oſtendere vellet ouem eam vnam, quam pauper habebat, chariſsimam illi extitiſſe, hiſce inter B alia vſus eſt verbis: a *De pane illius comedebat, & de calice illius bibebat*: Et moris apud Principes id eſſe, oſtẽſum eſt ſupra, vt quos certiores facere velint de arcta, qua cum ipſis iuncti ſunt amicitia, ad conuiuium accerſant, ſuæque menſæ Participes illos efficiant. Amicos ſane Chriſti Ieſu eos potiſsimum eſſe, qui tribulationibus premuntur, exinde colligere licet, quod Apoſtolos ad parum faciendas hominum perſecutiones adhortans, primum amicorum nomine eos inſigniuit, dicens iuxta Euangelium Lucæ: b *Dico vobis amicis: Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent amplius quid faciant.*

a 2. Reg. 12. 3.

Tribulati iuſti ſunt amici, & chariſsimi Chriſti Ieſu.

b Luc. 12. 4.

C Quod autem iſti, quos amicorũ loco ob id habebat; quia ſimiles ſibi eſſent in perferendis ærumnis, chariſsimi pariter ſibi extiterint, paulo prius quam ex vita migraret, ſignificare eis voluit per hoc quod aliquando dixit: c *Vos eſtis, qui permanſiſtis mecũ in tentationibus meis: & ego diſpono vobis Regnum, ſicut diſpoſuit mihi Pater: vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in Regno meo.*

c Luc. 22. 28.

Pro quorum verborum intelligentia recolendum eſt, quod ſæpius probatum eſt in ſuperioribus, ac præſertim expoſitione tertia ſuper illis verbis verſ. 11. capitis tertij: *Egredimini filiæ Ieruſalẽ, & videte Regẽ Salomonem in diademate, quo*, &c. Regnũ Chriſti, quod D ei Pater ſuus diſpoſuit in hoc mundo, quando ipſum è cœlis miſit in terras, haud extitiſſe aliud, quod humanis oculis eſſet patentius, quam ærumnas, & tribulationes: ita vt propterea & ſpineo coronatus ſit diademate, & interrogatus à Pilato, *Ergo Rex es tu?* Reſponderit: *Tu dicis; quia Rex ſum ego.* & declarans in quo Regno Rex eſſet, ſubiecerit: d *Ego in hoc natus ſum*: vt ſicut Rex eram in cœlis feliciſsimus, ita è veſtigio & in terris Rex fierem miſerrimus.

Tribulata pia anima eſt particeps Regni Chriſti, quod ei diſpoſitum fuit à Patre in hac vita.

d Ioan. 18. 37.

Ad hoc miſſus à Patre, *veni in mundum*, vt Regnum obtinerem tribulationis, & ærumnarum: *vt* per multiplices paſsiones *teſtimonium veritati* perhiberẽ. Certũ eſt quippe per eas quas ſuſtinuit ærumnas, & paſ- E ſiones, teſtimonium veritati perhibitum ab ipſo perfectiſsimum.

Hoc autem Regnum alio nomine idemmet Redemptor noſter calicem nuncupauit ob ſummi amoris indicium à Patre ſibi exhibitum in quo biberet, & è quo inebriaretur, vbi dixit: e *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, vt bibam illum?* Ex his iã facile colligitur ſenſus eorum, quę ab eodem ſponſi perſonam gerente dicuntur in hac ſententia, quam præ manibus habemus; *Cõedite amici & bibite, & inebriamini Chariſsimi.* Quod enim in Euangelio ait, tale eſt: *Vos eſtis* amici mei chariſsimi, vtpote *qui permanſiſtis mecum in* F *tentationibus meis*: Atqui ad hoc teſtificandum, quod chariſsimi mihi eſtis, tribulationibus vos premi permitto, tribulationibus ipſis participes vos efficiens eius Regni, quod in hac lacrymarum valle *Diſpoſuit mihi Pater*; eius & calicis, quod dedit mihi Pater; eius denique & conuiuij, quod paratum mihi deſuper fuit, *vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in Regno* ipſo quod in terris obtinui. nec contra hunc ſenſum facit, quod immediate ſubiectum reperitur. *Et ſedeatis ſuper thronos, iudicantes duodecim tribus Iſrael*: particula enim *(Et)* in verbis hiſce haud ſumenda eſt copulatiue, ſed vt denotans conſecutionem, pro alia particula

e Ioan. 18. 11.

Et particula ſumitur aliquãdo prout.

particula (*Vt*) iuxta frequentem ſacrarum litterarum vſum. Conuiuium ſiquidem tribulationum, & Regnum ærumnarum ſequitur conuiuium, ac Regnum gloriæ: nã f *per multas tribulationes oportet introire in regnum Dei*: atque adeo duobus diſcipulis illis, qui inuerſo ordine regnum gloriæ prætendebant, dicentes: g *Da nobis, vt vnus ad dexteram tuã, & alius ad ſiniſtram tuam ſedeamus in gloria tua*: quo eis ſignificaret, ſe habere quidem illos inter amicos chariſsimos, atque idcirco calicis ipſius ſui participes velle eos efficere; haud tamen regni gloriæ, quod in futuro ſæculo ijs paratur à Patre, qui prius in conuiuio tribulationum ſecum accubuerint, propterea bene illos ipſos diſcipulos interrogauit. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Et illis reſpondentibus, *Poſſumus*; ſubintulit, *Calicem quidem meum, quem ego bibo, bibetis; ſedere autem ad dexteram, vel ad ſiniſtram non eſt meum dare vobis* (in hoc ſcilicet ſæculo) *ſed quibus paratum eſt*, dabitur, ſcilicet in futuro.

f *Act.* 14. 21

g *Marc.* 10. 37.

Ad tribulationes vt ad lautum conuiuium SS. quique inuitantur à Chriſto.

Congrue igitur & in hoc Cantico amatorio idemmet Dominus IESVS, qui ſponſus eſt cuiuſque fidelis, piæque animæ, poſtquam in præcedentibus verbis certiores nos reddidit, ſe nedum eſſe nobiſcum in tribulatione, ſed lautiſsimum nobis ex ipſis tribulationibus paraſſe conuiuium, in quo & ipſe accubuerit, inquiens: *Comedi fauum cũ melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo*, vt ſanctitatis quibuſq; euidenti ſigno comprobet, quod amicorum loco, & inter chariſsimos illos habeat, inuitat modo eos ad idem conuiuium, inſtructum è proprijs cibis ipſis ſuis, & ait; *Comedite amici & bibite*, ex ijs nimirum dapibus meis quas comediſſe me dixi, fauo, melle, vino & lacte meo: & addit. *Et inebriamini Chariſsimi.*

67

Porro inebriari in tribulationum conuiuio è vino tribulationum, illud ipſum eſſe videtur quod alijs verbis expreſſum eſt ab Apoſtolo, vbi dixit: a *Superabũdo gaudio in omni tribulatione noſtra*: exceſſus nimirũ gaudij, iuxta illud Pſalmi: b *& vinũ lætificet cor hominis*. At inſuper per hoc ipſum inebriari, duo alia ſignificari crediderim, quæ per calicem tribulationum cauſari nouimus, nimirum alienationem ab omni fiducia hominum cum adiuncto contemptu eorum omnium, quæ hominum ſunt: & ardentius deſiderium maiora patiendi, feruentiuſque ſtudium abſorbendi calicem tribulationum.

a 2. Cor. 7. 2.

b *Pſ.* 103. 1.

Ebrietatis cauſatæ à vino tribulationum effectus duo præſtantiſsimi.

Quæ duo egregie ſignificata ſunt per Prophetam Dauid in Pſal. 115. quo, oſtenſo, quod ſtatim ac amicus Dei factus eſt per iuſtificationem, ærumnis preſſus fuit, & tribulationibus in ſignum admiſsionis in amicitiam, vbi dixit: c *Credidi*, id eſt fide ſum Deo deſponſatus, & inſtar Patris mei Abrahę hoc ipſũ, quod credidi, reputatum eſt mihi ad iuſtitiam, *propter quod locutus ſum*, laudans, ac benedicens Deum dilectum meum, cuius & inſtar eiuſdem Abrabæ iam cenſebar amicus: *Ego autem humiliatus ſum nimis*: iſtud nimirum ſignum præſtitum mihi de tali eſt amicitia, quod ab ipſomet Deo ingentibus humiliatus ſum tribulationibus.

c *Pſal.* 115.

Subijciens, quod inebriatus ſit ipſo tribulationũ, ac humiliationis vino, indicat quæ ab ebrietate ipſa cauſata in ſe ſint, & ait: *Ego dixi in exceſſu meo*, ſeu (vt eſt in Græco) *in ecſtaſi mea*, quando ſcilicet prę ebrietate mẽte elatus ſum à vino, quo potatus fui: *Omnis homo mẽdax*; hic primus extitit huius meæ ebrietatis effectus, quo alienatus à ſpe hominũ, & ab omnibus ijs, quæ hominum ſunt, audacter, & libere pronuntiaui, omnem hominem infidum: & quicquid ad homines ſpectat, eſſe fallax, ac vanum.

Secundus vero eiuſdem effectus fuit, quod & in hæc quoq; prorupi. *Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi? calicem ſalutaris accipiam, & nomẽ Domini inuocabo*: inſtar ebrij contentioſe agens cum dilecto meo: Quia enim ille ſtatim ac amicus eius factus ſum, donum mihi tribuit tribulationum: ipſe agnoſcens doni excellentiam exclamaui; *Quid retribuam Domino*; ſed addidi: *Pro omnibus quæ retribuit mihi.*

A

Siquidem Deus meus quaſi pro muneribus à me ſibi tributis, pro fide, iuſtitia, confeſsione, ac tolerantia mea multa mihi retribuit noua dona tribulationum multiplicium: Ego viciſsim patiendi exæſtuans deſiderio in retribuendo contendens cum illo, hoc vnum ei retribuam: ipſum, cuius me participem efficere dignatus eſt, accipiam calicem ſalutarem: bibam iterum, iterumque bibam, ſitim ipſius æmulans, qua in Cruce clamaturus eſt: d *Sitio*; ac præ gaudio, quod ex tali calice replebor exultans, & inſtar ebrij exiliens *nomen Domini inuocabo*, glorificabo, & exaltabo.

d *Ioan.* 19. 28.

B

Ad hanc ergo ebrietatem, & ad huiuſcemodi munera ſponſus ſanctos hic inuitat, dum ait: *Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſsimi*: Si proſequi velimus primum ſenſum, allatum ad præcedentia: *Comedi fauum cum mello meo*, &c. in tertia eorum verborum expoſitione.

Quod ſi tertium eorundem verborum, in eadem expoſitione allatum proſequi velimus ſenſum, quo cœleſtis ſponſus indicauit, ſe perfectiſsima, atque prædulci fœlicitate perfrui in patria eæleſti, ad quam piam animam allicere ſua contendebat oratione: Manifeſtum quidem eſt, & in his, quæ modo expoſuimus, de eadem agi fœlicitate, atque ad eam inuitari, & excitari illos vniuerſos, qui indiſſolubili amicitiæ vinculo cum ipſo iuncti ſunt ſponſo, qui in ipſa eius amicitia perdurantes ad cæleſtem Patriam euolarunt: illos quos chariſsimos is habet cæleſtes alites: illos quos peculiari ratione pro amoris ſui habet obiecto: illos denique quos fratres ſuos fatetur, atque adeo & cohæredes.

68 Tertius ſenſus.

C

Quamuis autem hæc manifeſta ſint, circa aſſumptam tamen metaphoram conuiuij comeſtionis, potus, & inebriationis non exigua difficultas eſt ex duplici capite.

Cæleſtis fælicitas quam recte explicatur metaphora comeſtionis, & potus.

Primum ex dicto illo Apoſtoli, quo ait: e *Regnum Dei non eſt eſca, & potus*. Deinde ex communi Theologorum conſenſu, quo aſſerunt: Beatitudinem patriæ ſitam in viſione diuinæ eſſentiæ, vel ſaltem in actu voluntatis, & dilectionis proueniente ex eadem viſione. Si enim viſio, qua illa cauſatur fælicitas, cur non exprimitur potius ſub metaphora viſus, quam ſub metaphora ſenſus guſtus, cuius obiecta ab illo Regno aliena aſſerit Spiritus ſanctus peros Pauli? præſertim, cum guſtus inter ſenſus ſit omnium vilior, & è veſtigio viſus ſit omnium nobilior.

D

e *Rom.* 14. 27.

Nihilominus dicendum eſt, ſponſum vſum eſſe metaphora aptiſsima, dum ait: *Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſsimi*: eademque & frequentiſsime vſurpata reperitur in ſacris litteris.

E

Hac vſus eſt Raphael Archangelus, Tobiæ dicens: f *Ego cibo inuiſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, vtor*. Hac Saluator noſter ſæpius, ibi: g *Amen dico vobis, quod præcinget ſe & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis*: & in loco quem paulo ſuperius in hac ipſa expoſitione tertia myſtico ſenſu aliter accepi: ſenſu tamen literali ex communi Patrum ſententia hac eadem metaphora vſus eſt cum dixit: h *Ego diſpono vobis regnum, ſicut diſpoſuit mihi Pater* meus regnum, *vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in Regno meo*: & cum adduxit parabolas cœnæ magnæ, vel nuptiarum.

f *Tob.* 12. 19

g *Luc.* 12. 37.

h *Luc.* 22. 29

F

Hac & quidam in Euangelio dixit: i *Beatus, qui manducabit panem in regno Dei*: Hac & Ioannes in Apocalypſi, vſurpans metaphoram nuptiarum Agni, & dicens: k *Beati, qui ad cœnam nuptiarum agni vocati ſunt.*

i *Luc.* 14. 15.

k *Apo.* 19. 9

69

Pro intellectu autem eorum, quæ hic ab ſponſo dicuntur, ſciendum, plures iſtius metaphoræ afferri poſſe rationes: & comeſtionem, ac potum, præcipueque inebriationem, ipſumue ſenſum guſtus cum viſione beatifica multo plures habere congruentias, quam habeat ſenſus viſionis, ac ipſamet viſio:

Viſio beatifica quas congruentias habeat magis cum ſenſu guſtus, quam cum ſenſu viſionis.

visio: quarum rationum, & congruentiarum aliquas tantum attingam.

Beatitudo ob eximiam voluptatem exprimitur sensu gustus.

Primum, quis est qui nesciat, conuiuium tam apud sacros, quam etiam apud profanos auctores esse proprijssimum symbolum lætitiæ, ac voluptatis; cum nullo sensu maior percipiatur delectatio, quam gustu; oblectat quidem oculos, quod videtur pulchrum, ac decorum, nihil tamen oblectationis ijtius in reliqua redundat membra: At vero quod comeditur, & bibitur, talem gustui præbet voluptatem, vt membris vniuersis eamdem impertiat delectationem: Sensorium quippe gustus (vt ait Aristoteles libro de sensu, & sensibili capite 2.) est iuxta cor, ex cuius dilatatione, lætitiam fieri nouimus & delectationem, quæ exinde vt à principio vitæ in totum corpus, atque in singula deriuat membra: sicut & lætitia, & delectatio visionis beatificæ intellectu intuente ad totam animam, singulasue eius potentias necnon & ad totum corpus, singulaue eius deriuat membra, iuxta illud: a *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Et: b *Omnia ossa mea dicent: Domine quis similis tibi?* ideo hanc peroptans idem Dauid, sitiendi verbo vsus est, dicens: c *Sitiuit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.*

Aristo.

a *Ps.* 83. 3.
b *Pj.* 34. 10
c *Psal.* 62. 2

Beatitudo ob vitam quam exhibet exprimitur sensu gustus.

Secundo, ex visione beatifica vitam perpetuam habet anima beata: d *Hæc est enim vita æterna, vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti, Iesum Christum*, ait Ioannes: quod minime exprimitur metaphora sensus visionis: quandoquidem id, quod illo percipitur, nihil confert ad vitam, & complures reperire est cæcos, qui absque visione vitam ducunt longæuam: Exprimitur tamen optime metaphora sensus gustus: quia, quod comeditur, singula alit membra, totique animali vitam præstat.

d *Ioan.* 17. 3

Beatitudo ob possessionem boni quo fruimur, exprimitur per sensum gustus.

Tertio, in visione beatifica possident Beati Deum, quo fruuntur, iuxta illud sponsæ: e *Apprehendam te & ducam in domum matris meæ: ibi me docebis.* Et: f *Tenui eũ, nec dimittam, donec introducam illum in domũ matris meæ.* Hoc autem optime explicat metaphora comestionis; comedens enim comestionis actum perficere minime posset, ni id possideret, quod comedit: à qua tamen possessione alienus est sensus visionis: quanta enim videmus, quæ possidere nullatenus possumus? quanta videtur, quę multorum inuidię subiecta sunt & emulationi?

e *Cant.* 8. 2
f *Cant.* 3. 4.

70

Beatitudo ob commensurationem cuiusque exprimitur per sensum gustus.

Quarto, visio beatifica est commensurata vnicuique intellectui iuxta proportionẽ eius luminis gloriæ, quo illustratus est: & beatitudo est adæquata capacitati singulorum beatorum, vt colligitur ex illo Apostoli: g *Stella differt à stella in claritate.* & ex illo Domini: h *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Quis veto nõ aduertat, in sensu visionis nullam esse talem commensurationem inter oculum, & eius obiectum, cum vno eodemque oculo videamus ea, quæ sunt minimæ quantitatis & quæ sunt maximę, vt longissimos agros, vastum mare, montes, & vrbes? At quod comeditur, stomacho commẽsuratum est comedentis: quantumcunque enim sit opiparum conuiuium, qui in eo accumbit, excedere nequit stomachi capacitatem in dapibus comedendis, si retinere eas velit, ijsue nutriri.

g 1. *Cor.* 15. 41.
h *Ioan.* 14. 2

Beatitudo ob penetrationẽ diuinæ essentiæ exprimitur per sensum gustus.

Quinto, per sensum visus haud aliud percipitur cuiuscumque rei, quam externa superficies, in qua color cernitur: neque enim in intima penetratur. At vero comedens intimas quasque partes attingit cibi, frangens illum, gustuque singulas vel cibi, vel potus penetrat particulas quoad fieri potest: vnde, quod metaphora sensus visionis exprimere nequit, explicat peroptime metaphora comestionis ac potus; quo videlicet in visione beatifica Deus penetretur: nec videatur dũtaxat eius essentia, sed & personæ. Pater, & filius, & Spiritus sanctus, necnon & bonitas, iustitia, sapientia, veritas, omnipotentia & reliqua, quæ in ipso sunt attributa, vt colligitur ex illo Ioannis: i *Videbimus eum sicuti est*: & illo Pauli: k *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sũm.*

i 1. *Ioan.* 3. 2
k 1. *Cor.* 13. 12.

A Tametsi quantalibet sit ista penetratio, qua creatura Deum sua attingit visione, minime tamen dici queat comprehensio: cum is, qui immensus est, infinitus comprehendi nequeat penetratione, vt pro indubitato asseritur à Theologis.

Sexto, ex verbis Pauli asserentis: *l Videmus nunc per speculum, & in ænigmate, tũc autẽ facie ad faciẽ*: habemus, visionem beatificam haud fieri per medium vllum externum; ac Deum vt obiectum talis visionis absq; medio externo coniungi cum videntibus, ac beatis: id quod metaphora visionis sensibilis exprimi nequit: cum visio istiusmodi, sicut & reliquæ sensationes, necessario fiat per externum medium: quandoquidem sensibile positũ supra sensum impedit sensationem: solusue tactus, atque gustus, vt ait Philosophus, vniatur per medium coniunctum cum gustabili: vnde patet, egregie per comestionis metaphorã beatitudinem ipsam designari, quæ obtinetur per lumen gloriæ iunctum potentiæ visiuæ, atque intellectuali beatorum.

l 1. *Cor.* 13. 12.
Beatitudo quæ sine medio est exprimitur per sensum gustus
B
Aristot.

Septimo, asserunt quidem Philosophorum nonnulli, maximam in visione sensibili, atque intellectuali fieri vnionem inter potentiam visiuam, & speciem obiecti, quod videtur: adeo vt vnionem illam æquiparent vnioni inter materiam, & formam, eidemque eam præferant; tametsi alioquin ea vnio inter materiam, & formam censeatur maxima inter vniones naturales secũdum naturalem Philosophiã: Nihilominus, cum ista sensus visionis vnio sit tantummodo intentionalis, per speciem scilicet obiecti intentionalem, non per obiectum ipsum reale; sane per visionis metaphoram ipsa exprimi nequit visio beatifica; in qua arctissima est vnio realis potentię visiua beatorum cum diuina, quam intuentur, essentia, quod & in sensu gustus animaduertimus, in quo id, quod comeditur, & gustatur, vnione cum ipso vnitur gustu, nec alia indiget specie: vnde bene Psalmographus; m *Gustate*, ait, *& videte, quoniam suauis est Dominus.*

Auerroes & Auerroistæ.
Beatitudo ob vnionem quã exhibet cum Deo exprimitur per sensum gustus.
C
m *Ps* 33. 9.

Octauo demũ, & vltimo, per sensum visionis haud quaquam cõfertur sanitas: quod enim videtur, haud medicina est morbis: quinimo multæ potius per visionem ipsam contrahuntur ægritudines: plerumq; etiam & mortes, & dolores, intima animi configentes; certum est autem per visionem beatificam tolli omne malum, dolorem omnem, omnemque & mortem, iuxta illud: a *Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors vltra non erit, neque luctus, neq; clamor, neque dolor erit vltra: quia prima abierunt.*

71

Beatitudo quia excludit omne malum exprimitur per sensum gustus.
D
a *Apoc.* 21. 4

Quis vero non videat, quam apte hæc designentur per metaphoram comestionis, ac potus, cum constet, ea, quæ præstantiora sunt pharmaca, quæue efficacius morbis medentur, dolores abigunt, & à morte præseruant, manducari, atque potari?

E

Ad hæc ergo omnia, quæ vnica visione beatifica obtinentur, excitat cælestis sponsus beatos, dicens: *Comedite amici, & bibite*: tantumdẽ enim est, ac si dicat.

Me apprehendite, penetrate, absque medio mihi vniamini reali vnione: capacitati vniuscuiusque commensuratum possideatis: malum omne per mei fruitionem abdicate: cumulum gaudij, omnisque voluptatis ex me sumite: & vitam ex me habete æternam, quotquot mihi amici estis.

Paraphrasis.

Addit autem admodum rationabiliter: *Et inebriamini charissimi*, ad exprimendã largissimam prædictorum omniũ, & præcipue delectationis, gaudij & voluptatis copiam, quã illis in tãta exhibet fruitione: quam & Dauid hac ipsa inebriationis metaphora expressit, dicens: b *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

F
Gaudium patriæ dicitur ebrietas propter copiã & cumulum.
b *Psal.* 35. 9

Vnde haud mirum, siquidem ipse in hac vna fruitione, in hoc vno conuiuio satiandum se confidens, reliqua vniuersa contemnens, alibi, ad ebrietatem istam anhelãs, dicat: c *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* An non videmus & in sensibili quoque conuiuio, quod regia magnificentia paratum sit, conuiuas plerumque satiari ex visione solummodo ingentis copiæ da-

c *Ps.* 16. 15.

piæ dapum? quanto magis ſatiabitur anima beata, cum in cœleſti conuiuio Deum videbit, videnſque comedet, bibet, & inebriabitur epularum omnium
d 1.Cor 14 28. copiam ante oculos habens in vno Deo, *d* qui eſt omnia in omnibus?

Quod & per aliam ſignificatur lectionem illam, qua verti hæc poſſe, notaui: *& inebriamini amoribus*, id eſt rebus vniuerſis, quæ amorem conciliare queunt, quæ gratæ ſunt, iucundæ, ac deſiderabiles: Quamquam per eamdem lectionem deſignetur & perfectiſsimæ charitatis ebrietas, in qua, ſecundum aliquos Theologorum, ſita eſt patriæ fœlicitas.

Vltimus ſenſus. *Iuſti inuitantur ad conuiuium meditationis paſsionis Chriſti.* *Pſal. 67.4.* Denique proſequentes præcedentium verborum ſenſum, vltimo loco allatum in tertia eorum expoſ. Dicendum, Chriſtum Ieſum, propoſita dulcedine meditationis paſsionis ſuæ, inuitare modo ad eam, quotquot amicitia ſibi iunctos nouit, iuſtos vniuerſos, iuxta illud Pſalm. *Iuſti epulentur, & exultẽt in conſpectu Dei & delectentur in lætitia. Comedite*, inquit, *& bibite, fauum, ſ. cũ lacte meo*: prout ſupra explicatum eſt in fine dictæ tertiæ expoſitionis. Chariſsimis autẽ ijs nempe, qui præ ceteris deuoti arctioribus vinculis charitatis ſibi connexi ſint, maiori cum emphaſi ait: *Et inebriamini chariſsimi*: quod tantumdẽ eſt, ac ſi diceret.

Paraphraſis. Incipite in iſto meditationis cõuiuio perfrui lætitia, delectatione, ac voluptate, qua perfruũtur beati in patria cæleſti, qui inebriãtur ab vbertate domus illius.

Ex Verſ. I. cap. V. *Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſsimi.*

Expositio IV.

De tertia Sponſa, quæ eſt B. V. Maria.

72 Secundus ſenſus. INuitauit Rex Dauid etiam cæleſtes ſpiritus ad lætã ta feſta celebranda, ad lætitiam, & gaudium; quando præuidit, Chriſtum per Incarnationem aduenisſe in hortum ſuum, dicens: e *Lætentur cœli, & exultet terra*, varijſque metaphoris communem hanc expreſſit lætitiam, ſubijciens: *Moueatur mare, & plenitudo eius: orbis terrarũ, & qui habitant in eo. Flumina plaudent manu, ſimul & montes exultabũt à conſpectu Domini: quoniã venit.* inuitauit eoſdem vna cum reliquis creaturis vniuerſis & Iſaias, dicens: f *Laudate cœli: quoniam miſericordiã fecit Dominus, iubilate extrema terræ; reſonate mõtes laudationẽ, ſaltus & omne lignum eius: quoniam redemit Dominus Iacob, & Iſrael gloriabitur.* Ad hoc ipſum commune gaudium, ad hoc feſtum inuitat modo illoſmet Spiritus idem ipſe, qui venit ſponſus: Et cum in præcedentibus lætitiam qua ipſe tunc temporis, perfuſus eſt, expreſsiſſet ſub metaphora conuiuij, quod eſt ſymbolum ſummæ voluptatis, & ingentis gaudij, ſub eadem metaphora nunc eos inuitat, & excitat, dicens, *Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſsimi.*

e Pſ. 95. 11 Angeli excitantur ad commune gaudium pro Incarnatione Verbi, & in die natiuitatis Chriſti. *f Iſa. 44. 23*

Quia enim in aduentu ſuo vniuerſis gentibus quæ ſub poteſtate diaboli, & mortis fuerant, exhibendum
g Iſa. 25. 6 ab eo conuiuium prædixerat Iſaias, his verbis: g *Et faciet Dominus exercituum in mõte hoc omnibus populis conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defœcatæ.*

Et præcipitauit in monte iſto faciem vinculi colligati ſuper omnes populos, & telam, quam ordituseſt, ſuper omnes nationes: Præcipitabit mortẽ in ſempiternum, &c. *Et dicet in die illo: Ecce Deus noſter iſte: expectauimus eum, & ſaluabit nos: iſte Dominus: ſuſtinuimus eum, exultabimus, & lætabimur in ſalutari eius.*

h Luc. 15. 25. Ne quis exiſtimaret, id tunc contigiſſe, *h* quod cõtigit in conuiuio, ac feſto reditus filij prodigi, in quo filius Senior, qui nuſquam mandata patris præterierat, inuidia tabeſcens, indignatus ad conuiuium ingredi noluit; Vnde neceſſe fuit, vt pater ad eum egrederetur, ac diceret; *Epulari, ac gaudere oportet; quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit; perierat, & inuentus eſt.*

Excitat modo ſponſus ad prædictum conuiuium etiam cœleſtes ſpiritus vt conuiuas: nihil enim æmulationis eſt in Angelicis ijs ſpiritibus, qui hominibus libenter congaudent: & in aduentu ſponſi, Saluatoris, ac Redemptoris hominum & ipſi participes ſunt lætitiæ, atque feſti, cum ſalus hominum fuerit reparatio ſedium eorum: atque adeo in ipſa nocte natiuitatis Chriſti, vt commune iſtud exprimerent gaudium, *cum Angelo* euangelizante *a* gaudium omni populo, *facta multitudo cæleſtis exercitus, laudantiũ Deũ, & dicentiũ: Gloria in altiſsimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Dicens ergo illis: *Cõedite amici*, &c. tãtũdẽ eſt, ac ſi Chriſtus Ieſus ita B. Virginẽ alloquatur. *a Luc. 1.13*

Quando *veni in hortum* vteri tui Virgo benedicta, quando *meſſui myrrham meam cum aromatibus meis*, ſanctam, mortalem tamen ex te ſumens carnem, exultans lætiſsimum diem feſtum egi: cœleſteſque ſpiritus amicos, & chariſsimos meos ad idem excitaui gaudium: dixique, vt agerent diem lætitiæ, & gaudij communis vniuerſæ terræ eſſent participes, gaudentes gaudio magno valde: hoc quippe denotat verbum, *inebriamini*. Et hæc, ſi ſequamur ſecundum ſenſum allatum in quarta expoſ. precedentium verborũ.

Primus & tertius ſenſus. Proſequendo vero vel eum ſenſum, quem primo loco ibidem attuli, vel eum, quem attuli tertio loco: Per amicos Chriſti accipere poſſumus viros, animaſque bonas, & deuotas: per chariſsimos vero eiuſdem eos deuotos, quibus ille maiora exhibet charitatis indicia, maiores gratias, ſuauiores guſtus, & feruentiorem ſpiritum.

Deuoti quique inuitantur à Chriſto ad ſtudiũ meditationis, vel vitæ ipſius, vel vitæ & ſanctitatis Mariæ. Ad duplex autem conuiuium amici iſti inuitantur à ſponſo; Vel ad meditationem myſteriorum Incarnationis, vitæque, ac mortis ſuæ, quorum meminerat in ſuperioribus, iuxta primum ſenſum allegatum. Vel ad meditationem, & imitationem ſanctitatis Beatæ Virginis, in qua meditatione quaſi in cõuiuio ea propoſita ſint fercula, quæ Chriſtus ipſe comediſſe ſe dixit in præcedentibus verbis, iuxta ſenſum tertium citatum, nempe eius Virginis gratiam, fabricam virtutum, feruentiſsimum charitatis vinum & lacteam puritatem.

73 Non eſt opus, vt hic detinear in explicandis congruentijs inter conuiuium, ac ſtudium huiuſcemodi meditationum. Hoc ſatis dictum ſit pro nunc, per iſtud ſtudium non minus, quam per conuiuium animam deuotam in ſpiritu enutriri, ac lætificari. Illud tantum attingendum, chariſsimis peculiariter dici: *Et inebriamini*: quia haud quibuſcumq; deuotis id præſtatur, vt præ ingenti voluptatis exceſſu in ecſtaſim quaſi ebrij rapiantur in talibus meditationibus, ſed ijs duntaxat, quibus Chriſtus tantum præſtat feruoris, tantum gratiæ, tantumque dulcedinis, vt præ ingenti eorum copia in intimis præcordiorum, & in mentis ſtomachocontinere ea minime valeant, quin extrinſecus etiam non exhibeant illorum indicia, alienati à ſemetipſis. Et ebrietas quippe carnalis eſt, cum vini maior copia potatur, quam ſtomachus digerere valeat; cumue vini vapores è ſtomacho in caput aſcendunt, mentem ipſam commouentes, furorem cauſantes, hominemq; alienantes à ſemetipſo. *Ecſtaſis quibus à Deo conceditur.*

Henricus. Vnde deuotiſsimus Henricus Harphius loquens de ebrietate ſpirituali, ad quam inuitat ſponſus, lib. 3. Theologiæ myſticæ par. 5. cap. 35. in fine, ſic eam deſcribit. Ebrietas ſpiritualis eſt quẽdã vberior affectiui ſaporis, & internæ voluptatis in corde receptio, quã ipſum corpus eſt digerere, aut deſiderium exoptare. *Ebrietas ſpiritualis quid ſit.*

Cor enim humanum, diuini amoris tripudio, vel diuinæ fruitionis deſiderio valenter inflammatum, hiantibus arterijs in ſe dilatatur, & velut inter anguſtias pectoris coarctatum, per amoris violentiam extra ſe potenter erumpit, & amoris flammam, quam in ſe ſentit volens, nolenſque per indicia exteriora eructando, vel reboando manifeſtat, ac totum hominem ſua violentia commouendo concutit.

Quo profecto ſpiritu æſtuantes Apoſtoli, *b* muſto videbantur pleni, quod vtique nouas lagunculas diſrumpere ſolet. Et quibuſdam interpoſitis, paulo
b Act. 2. 13.

poſt,

poſt. Et hæc, inquit, delicioſior eſt vita ſecundum, A cordis affectionem, quæ poteſt haberi ab homine: nam quidam eius voluptate intra ſe liqueſcunt, ita quod non remanet vox, neque ſenſus: quidam etiam tanta replentur vbertate, quod cor eorum, quaſi vaſculum abſque ſpiraculo, ſubitam minetur rupturam.

Denique illud quoque id notandum, quod, cum deuotis dicitur; *Comedite amici, & bibite*, prædictas ſcilicet epulas, quibus inſtructum dixi cõuiuium meditationis vitæ Beatæ Virginis: ſuadetur, vt ea quę præclara extitere in Maria, ſibi vniant, ſicut vniuntur cibi, ac potus cum comedente, atque bibente: ſibique quoad fieri poteſt eadem faciant veluti propria, per illorum videlicet imitationem.

Ex Verſ. 1. cap. V. *Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.*

Appendix Expoſitionum, Ex Antiquis Patribus collecta.

74 PAraphraſis Chaldaica. Nunc autem venite ſacerdotes diligẽtes præcepta mea, comedite quod relictum eſt de oblationibus, & delectamini bonis, quæ præparata ſunt vobis.

Diuerſitas, quæ apud veteres Patres reperitur in C exponenda præſenti ſententia, ex varia prouenit conuiuij acceptione: atque ex eo, quod haud conueniant in conuiuis ipſis, qui ad propoſitum inuitantur conuiuium.

Quod enim ij appellantur, *amici* atque, *chariſsimi*: ſeu iuxta verſionem Septu. *proximi, & fratres*. Aliqui ad ſanctos referunt Angelos. Sic Caſsiodorus, ac Beda, exiſtimantes, iubere illis Dominum, vt congratulentur electis ſuis, quoniam ab hac vita ad æternæ beatitudinis requiem transferuntur, iuxta illud Euangelij: a *Congratulamini mihi; quia inueni ouem, quæ perierat.*

Caſsiodor. Beda. Angeli congratulantur ſanctis morientibus. a Luc. 15. 6

Philo Carpathius amicos, id eſt, Patriachas, & Prophetas inuitatos inquit, ad comedendum, & bibendum, quia de verbo vitæ, & paſsione Domini, & Spiritus ſancti fluuio comederunt, & biberunt; Apoſtolos vero fratres, atque chariſsimos inuitatos ad ebrietatem; quia torrente Spiritus ſancti cœlitus diffuſo adeo inebriati ſunt, vt muſto pleni putarentur; dũ magnalia Dei prædicarent.

Philo. Patres veteris teſtamenti comederunt, & biberunt: Apoſtoli inebriati ſunt Spiritu ſancto.

Sunt qui tam per amicos, quam per chariſsimos intelligant Doctores, ac prædicatores ſanctos. Sic Iuſtus Orgelitanus hunc locum declarat ex eo, quod in Actibus Apoſtolorum Petro dictum legitur: *b Petre macta & manduca*, id eſt, mortifica quod ſunt, & E quod ipſe es, effice: vt & hic ſenſus ſit: *Amici* mei *chariſsimi*, ſit vobis lætitia de conuerſatione populorum in veſtram tranſeuntium vnitatem.

b *Act.* 10. *De conuerſione peccatorum lætantur ſancti prædicatores Anſelm.*

Sed clarius Anſelmus eoſdem Prædicatores inuitari ait, & commoneri, vt prædicationi indulgeant, ac delectentur de cõuerſione auditorum; comedere, ait, dici de illis quos oportet cõterere, & cum labore acquirere: bibere vero de illis, qui cito acquieſcunt: dici autem eiſdem, *inebriamini*, id eſt, præ nimia delectatione corrigendi illos, quaſi ebrij dimittite omnes curas tẽporales, & obliuiſcimini totius veſtræ perſecutionis, vt ipſos puros Deo reddatis.

Prædicatores quomodo indulgere debeant conuerſioni animarum.

75 Communiori tamen ſenſu ad iuſtos quoſque eædem referuntur appellationes: Eſt tamen & inter illos, qui in hoc conueniunt, diſſenſio haud exigua in acceptione conuiuij. Siquidem Gregorius Papa, videtur Sacrarum Scripturarum conuiuium ſumpſiſſe: Et ex eo, quod amici inuitantur ad comedendum; chariſsimi vero ad bibendum in eodem conuiuio, colligit diſcrimen inter eoſdem, quod in eo fi- tum ait: Quia ij dicuntur amici, qui comedunt, qui Scripturam ſacram audientes, talem ſibi refectionem aſſumunt; vt licet ad perfectionem adhuc non aſſurgant, tamen ſecundum modum ſuum perfecti in diuinis præceptis ſine crimine viuunt: Chariſſimi vero ij dicuntur, qui tanta auiditate diuinam ſcripturam audiunt, vel legunt; vt protinus cunctis terrenis abdicatis operibus, ſola cœleſtia ambiant: Atque hos bene bibentes dici inebriari, cum omnium terrenorum per deſiderium obliuiſcantur.

Greg. Pap. Inter amicos atque chariſsimos Dei diſcrimen dignoſcitur ex fructu quem fideles colligunt ex lectione Sacr. Scrip.

Caſsiodorus, quem ſequitur & Beda, inuitatos *Caſsiod. Beda.* eoſdem iuſtos cenſet ad congaudendum bonis actibus ſanctorum cum ſtudio imitationis.

Porro ex eo, quod in ſacris litteris verbum, ine- *Sanctorum bonis operibus congaudendum, cũ imitationis conatu.* briari, vſurpari ſolet pro ſatiari, & ebrietas pro ſaturitate, hortari, inquit, nos his verbis; vt non ſolum comedamus, & bibamus; verum etiam ſaturemur; B quia ſunt quidam, qui comedunt, & non ſaturantur; quia delectabiliter diuinam prędicationem audiunt, ſed negligenter obliuiſcuntur, nec ad effectum boni operis, quod audierint, perducunt.

Sunt qui aptiſsime hæc referunt ad conuiuium 76 exhibitum in Sacramento Euchariſtiæ. Ita Gregorius Nyſſenus homilia 10. vbi id quod hic dicitur; *Comedite, & bibite*, arbitratur, idem eſſe cum eo, quod in Euangelio idem ſponſus dixit in inſtitutione tanti Sacramenti: c *Accipite & comedite*, &c. Quod autem hic additur: *& inebriamini*: tunc quoque re ipſa factũ ait: quandoquidem ebrietas ſolet efficere, vt mens excedat à vino ſuperata, & cauſare exceſſum. Quod C hic ſponſus adhortatur, inquit Nyſſenus, hoc tunc quoque factum eſt per diuinum illum cibum, ac potum, & ſemper fit, ſimul conueniente cum cibo, & potu mutatione, & exceſſu à ſuperioribus ad ea, quæ ſunt meliora.

Greg. Nyſſ. Euchariſtiæ communio inebriat cauſando exceſſum animæ ad meliora. c Mat. 26. 26.

Cum Nyſſeno, quoad acceptionem conuiuij iſtius *De conuiuio Euchariſtiæ* pro conuiuio Sacramenti Euchariſtiæ, conueniunt *Ambroſ. Philo Carp. Pſellus. Rup. Abb.* Ambroſius libro de ijs, qui initiantur myſteriis cap. 9. in fine, Philo Carpathius, Pſellus, Rupertus Abbas in ſuis comment. vbi fuſius comparat cibum iſtum cum cibo exhibito à ſerpente.

Nec minus congrue de conuiuio contemplatio- 77 nis, ac meditationis hæc ipſa ſumuntur ab alijs. Vnde Catena trium Patrum ita hæc reddit: vos, qui cõuerſi eſtis, & vitia repuliſtis, & ad me, virtutem cum pura cognitione colentes, acceſſiſtis, *Comedite, bibite*, obſtupefaciens diuinitatis vinum cum doli experte erga me: fide, & ab illis, quę naturalia ſunt, ad ea quę naturæ præſtant, transferimini fratres, quos ego per gratiam in Spiritu ſancto filios adoptaui Patri meo.

Tres Patres. *Iuſti inuitantur ad conuiuium contemplationis Dei.*

Clarius Richardus de Sancto victore conuiuium *Richar. Vict.* iſtud accipere videtur ſtudium contemplationis, in quo tot diſtincta ſint fercula, quot diſtinctæ ſunt & meditationes. Vel conuiuium gratiæ, qua Chriſtus amicos vt cibo paſcit: chariſsimos vero plenius re- E ficit & potat, ac abundantiori gratia etiam inebriat.

Iuſti inuitantur ad conuiuium meditationis, & gratiæ.

De ſpiritali hæc ebrietate Ambr. ſermone 13. in *Ambroſ. Ebrietas ſpiritualis quid.* Pſal. 118. verſ. 7. vbi pluribus de ea agens, ait, Bona ebrietas, quæ ad meliora, & iucunda facit quemdã mentis exceſſum, vt immemor ſolicitudinum animus noſter vino iucunditatis hilaretur, &c.

Generaliter quidam hæc ſumunt de conuiuio di- 78 uinæ dulcedinis. Ita Bern. libro de diligendo Deum, *Bernard. Hug. Vict.* paulo ante finem, atque Hugo de S. Vict. lib. 1. Eruditionis Theol. ex miſcellan. titulo 72. Qui diſtinguunt tres ſtatus animarum diligentium Deum: primum exiſtentium in corpore, ante mortem: ſecundum earum quæ receſſerunt à corpore, poſt mortem: & tertium earum, quę ſuis corporibus iterum F iungentur, poſt reſurrectionem.

Ad conuiuium diuinæ dulcedinis diuerſimode inuitãtur tres ſtatus animarum diſtincti.

Primum vocant laborioſum, ſed fructuoſum, & huic vt charo dici inquiunt à Chriſto: *Comedite amici*: Secundum dicunt otioſum, ſed minime faſtidioſum, & huic vt chariori dici: *Et bibite*. Tertium appellant glorioſum, eiue vt chariſsimo dici inquiunt: *Et inebriamini*. Vide citatos Auctores: tamen caute eos legito: continere enim videtur errorem illum, quem alias ipſemet Bernardus lõgius proſecutus eſt, quod animæ beatorum anxietatem habeant pro corporibus, & ideo beatitudine fruantur conſummata viſionis

Serm. 3. & 4. in festum omnium Sanctorum. Bernard. Sancti inuitantur ad conuiuium cælestis patriæ.

sionis Dei, donec ea resurgant: Quem errorem damnatum videre est tũ in Concilio Florentino sessione vltima in decreto vnionis, tum in Trident. sess. 25.

Sed melius de conuiuio cœlestis patrię hęc ab eodem intelliguntur Bernar. serm. de Aquæductu in Natiuit. B. Virginis circa principium, ex illo Ps. a *Iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei*; & illo Domini in Euangelio Lucę: b *Ego dispono vobis Regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in Regno meo.*

a *Ps.* 67. 4.
b *Luc.* 22.

Ambrosius.

Quem sensum multoante Bernardum tetigit Ambrosius, dum in li. de Cain, & Abel ca. 5. hæc habet ad piã animam: An metuis, ne angustior locus, & breuis

c *Baruch* 3. 24.

domus conuiuij te comprimat? c *O Israel, quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius! magnus, & nõ habet finem, excelsus, & immẽsus.* Sed ne forte incomptã domus magnitudinem putes, & diuersoria te colum-

d *Prou.* 9. 1
e *Io.* 14. 2.

nata delectent: d *Sapientia ædificauit sibi domũ, & sculpsit columnas septem*: Ipse etiam Dominus Iesus, e multas mansiones apud Patrem suum esse, commemorat. In hac ergo domo epulaberis animæ cibo, potuq; mentis, vt postea non esurias, neque sitias vmquam: qui enim manducat, manducat vsque ad satietatem: & qui bibit, vsque ad ebrietatem bibit: sed hæc ebrietas pudicitiæ custos est.

ACTVS QVARTVS.

Vers. II. cap. V. *Ego dormio, & cor meum vigilat.*

Expositio I.

Iuxta sonum litterę.

1 DIssentiunt Interpretes, tripliciterque dissentiunt in explicanda sententia ista; in connexione; in persona ea assignanda, quæ hic loquitur, quin

Ambrosius.

& in sensu quoque verborum. Ambrosius libro 3. de Virginibus, qui noua lectione legit: *Ego dormiui, & cor meum vigilat*:

Greg. Pap. Philo. Aponius.

Greg. Papa, Philo Carpathius, Aponius & alij Latinorum, sponsum arbitrati sunt hic loqui: Communior tamen sententia expositorum, quam plerique etiam prędictorum doctorum complectuntur, atque adeo, & probabilior, & verior, haud spon-

Greg Nyss. Tres Patres. Theodor. Psellus. Casiod. Beda.

so, sed sponsæ hæc tribuit. Ita Gregor. Nyss. Catena trium Patrum, Theodor. Psellus, Casiodor. Beda, alijve fere omnes.

Plerique cum Greg. Nysseno, vna cum præcedentib. connexa hęc existimant, vt sponsa post comestionem largamque potationem, qua & bibit, & inebriata est in lautissimo sponsi conuiuio, indicet, id sibi contigisse, quod plerumq; solet euenire post epulas, somno se oppressam sensisse, eo tamen pacto, vt dormiens expers minime esset vigiliæ. Probabilior tamẽ eorum videtur exponendi ratio, qui nullum de connexione cum præcedentibus hic habent verbum: nouus enim actus hic incipit, noua narratio, nil ad superiorem pertinens.

Porro quoad sensum verborum quidem istorum (*Ego dormio*) nulla dissensio est inter expositores: At vero dissensio magna est inter eosdẽ quoad sensum aliorum verborum istorum (*& cor meum vigilat.*) Cõplures enim sunt qui cordis nomen metaphorice

Greg. Pap.

positum existiment, vel pro sponsa, vt Gregorius Papa, secundum quem sponsus sic loquitur: Dum (*Ego dormio*) sponsa, quæ *cor meum* est, *vigilat*:

R. Salomon.

Vel pro spõso, vt Rabbi Salomon, secundum quem sponsa dicit: *Ego dormio*, ac, me dormiente, dilectus meus, qui & *cor meum*, *vigilat*, in mei scilicet curam, vt me tueatur, beneficijsque cumulet.

Imaginatiua dicta cor.

Communiori nihilominus, eoque veriori sensu haud hoc pacto metaphorice pro blanda appellatione, sed pro ipsomet corde sponsæ id nomen vsurpatum accipitur, seu proimaginatiua eiusdem sponsæ, quæ cordis vocabulo insignitur; quia earum rerum phantasias repræsentet in somnio, quæ in corde ipso extiterint. Vnde bene Plutarchus in libro de Profectu morum asserit, ingens argumentum esse virtutis, nihil lubricum, & lasciuum somniare, nec quidquam flagitiosum, etiam per somnum sentire: quia nimirum exinde arguitur, in corde somniantis nil extitisse aut esse, quod ad virtutem non spectet; nil lubricum, nil flagitiosum in istiusmodi cor irrepsisse, cuius phantasiæ exoriantur in somnijs: atque adeo & Aristoteles congruenti pariter sententia in li. 1. Ethicor. capite 13. modestorum, quam aliorum meliora, inquit, fieri visa. Nemo vero est, qui nesciat, quam crebra amãtium sint insomnia ea de re, quam amãt, cordique defixam habent. Quotus quisque enim est Poetarum, qui hac de re non agat? videatur Macrobius in somnium Scipionis ca. 3. Quod ergo tam frequenter à profanis exponitur Poetis, idipsum & à Salomone in hoc repræsẽtatur amatorio dramate: Vnde in principio huius quarti actus proponitur sponsa referens ea, quæ in somnio sibi contigere circa dilectum suum, è qua narratione ingẽtem, qua intus flagrabat in eum, quem somniabat, patefacit charitatis flammam. Egregie autem ab hisce exorditur verbis: *Ego dormio, & cor meum vigilat*: vt, antequam somnium ipsum enarrare aggrediatur, persuasos & adstantes reddat, & auditores, somniũ se narraturam; & admodum congruenter somniandi actum per vigiliam exprimit cordis: cor quippe exæstuans charitate, etiam dormitante corpore, singulisve dormitãtibus membris, somnia causans vigilat, iuxta vulgatam sententiam illam. Somnia vigiliæ sunt dormientium: spes autem somnia sunt vigilãtium, quam Platoni adscribit Ælianus li. 13. de varia historia cap. de Spe, tametsi Diogenes Laertius Aristoteli eandẽ tribuat, li. 5. ca. 1.

Plutarch. tom. 1. Somnia bonorum qualia. *Aristoteles.* *Macrobius.* *Plato. Ælianus. Aristotel. Diogen.*

Facili itaque, ac germano sensu, in principio noui actus repræsentatur hic sponsa, iam dudum è somno consurgens, & quæ adhuc plene non sit experrecta, sicve obdormiscens quodammodo in scenam progrediens, quod per somnium sibi contigerit circa dilectum suum, enarrat hisce propemodum verbis.

Primus sensus.

Tametsi dormiam; corde tamen vigilo somnians: tum quæ somniauerit, subdat: *Vox dilecti mei pulsantis*, &c.

Paraphrasis.

In Hebrẽo pro *dormio*, & *vigilat*, sunt participia præsentia, *dormiens*, & *vigilas*. sic enim habetur: *Ego dormiens & cor meum vigilans*, seu *vigil*: atque cum nullũ sit verbum, fui, eram, aut sum, admodum congruenter sic ab aliquibus hæc accipiuntur: *Ego* aliquando dormiebam, *& cor meum* vigilabat: Vt sponsa ipsa somnium quidem enarret, at haud præsentaneum, verum, quod alias sibi contigit aliquando.

Secundus sensus.

Paraphrasis.

Vers. II. cap. V. *Ego dormio & cor meum vigilat.*

Expositio II.

De prima Sponsa, quæ est Ecclesia Sancta.

2 SI dormit tũc quispiam, cum ob crassorum vaporum impedimentum neque sensibus sentire potest, neque membris moueri ad operationes; haud

Somnus quid sit.

difficile est percipere, quomodo de semetipsa, id est de corpore suo ecclesia dicat: *Ego dormio*: siue id accipiatur, vt sonat pro tempore præsenti, siue pro tẽpore præterito imperfecto: Siquidem duo simul enarrat duplicemque sui statum proponit; alterum iam transactum in antiquo populo; alterum præsentem in populo Christi. De transacto ait: *Ego dormiebam, & cor meum vigilabat.*

Enimuero antiquus ille Iudæorum populus, adeo terrenis, atque carnalibus erat addictus, vt maiori ex parte terrenarum rerum solicitudinibus præpeditus, nec diuina perciperet sensu, nec cœlestia operaretur iustitiæ

Eccleſia dormiebat in Iudæis prædita ad cognoſcendum & operandum diuina.

iuſtitiæ opera; ſicque in Iudæis vt in proprijs membris dormiebat Eccleſia, craſsioribus quodammodo obligata vaporibus. Ideoque quaſi de dormiente cõqueritur Deus per Iſaiam, a dicens: *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: Iſrael autẽ me nõ cognouit, & populus meus non intellexit.* Si proponas obiecta dormienti, audire quidem videtur, & cernere: ita vt audientem eum, propemodũ dicas, atque videntem: nec audit tamen, nec videt. Sic de antiquo illo populo pronuntiatum legimus apud eumdem Prophetam: b *Audite audientes, & nolite intelligere, & videte viſionẽ, & nolite cognoſcere. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude; ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat*: id eſt prædica & oſtende eos fore inſtar dormientium, qui audiant, & videant quidem, quaſi tamen excœcati, & denſis terrenarũ rerũ vaporibus aggrauati, nec videant vere, nec intelligant, nec cognoſcant. c *Opus Domini non reſpicitis, nec opera manuum eius conſideratis*, ait idemmet Iſaias. De præpeditis hiſce dormientis Eccleſiæ membris id pariter intelligitur Dauid: d *Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt, qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum*: Tamquam enim dormientia membra declinauerunt ſuper ſtratum legis, terrena terrenis permittentis, ſimulque inutilia ad opera iuſtitiæ reddita ſunt; *Quia ex operibus legis non iuſtificatur omnis caro*, provt conteſtatus eſt Apoſtolus & in ea, quæ eſt ad Romanos, e & in ea, quæ eſt ad Galatas. f

a *Iſa.* 1.3.

b *Iſa.* 6.9.

c *Iſa.* 5.12.

d *Pſ.* 52.4.

e Ro. 3. 20.

f Gal. 2. 16.

3

Eccleſia vigilabat in Prophetis & ſanctis viris populi Iudaici.

Porro, dormiente hoc pacto Eccleſia in membris ſuis; in ijs tamen, qui in eodem populo cordis vicem gerebant, inſtar cordis vitam fidei, & gratiæ obtinentes atque etiam corpori vniuerſo communicantes; eodem tempore eadem vigilabat: idque nedum, quia operantibus illis per fidem, operabatur & ipſa ea, quæ vere eſſent iuſtitiæ opera; verum etiam quia ſomniabat in ijſdem futura præuidentibus, iuxta illud Ioelis: g *Prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ: ſenes veſtri ſomnia ſomniabũt, & iuuenes veſtri viſiones videbũt*: Tãetſi Apoſtolus Petrus id dictum accipiat de fidelibus Chriſti, ſuper quos in die Pentecoſtes effuſus eſt Spiritus ſanctus.

g Ioel. 2. 28

Act. 2. 17.

Prophetia cur exprimatur allegoria ſomnij & vigiliæ.

Præclare autem prophetia iſtiuſmodi, qua Eccleſia in Prophetis præuidebat, ac prænuntiabat Chriſti aduentum, & vitam, ſomnij allegoria, & metaphora vigiliæ cordis exprimitur. quandoquidem ſicut dormiens eorum imagines plerumq; repræſentatas habet in ſomno, & ea ſibi videtur audire, & intueri, quę infixa habet in penetralibus cordis. Ita & prophetia illa omnis ſiue quæ per oracula exhibebatur, ſiue quę per ſenſibiles formas externis repræſentabatur ſenſibus, ſiue quæ ordinabatur per formas imaginarias, ad Chriſtum quoquo modo ſpectabat, quẽ Prophetæ vniuerſi pro fine, & pro ſcopo habuerunt; quem vnum à longe proſpiciebant, mundo ſalutem affe-

h 1. Petr. 1. 10.

rentem, iuxta illud Petri: h *De qua ſalute exquiſierunt, atque ſcrutati ſunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetarunt, ſcrutantes in quod, vel quale tẽpus ſignificaret in eis ſpiritus Chriſti, prænuntians eas, quæ in Chriſto ſunt, paſsiones, & poſteriores glorias.*

Breuis ergo iſtorum Eccleſiæ verborum, quibus exprimit priſtinum ſuum, & antiqui populi ſtatum, ſenſus hic eſt.

Paraphraſis.

Ego in corpore meo iam dormiebam, nec operãs, nec intelligens, quæ erant ſpiritus, terrenarum rerum grauedine præpedita in multitudine populi Iudaici: in iuſtis tamen, atque in Sanctis eiuſdem populi Prophetis inſtar cordis, vitam gratiæ obtinentibus, vigilabam, operans per Chriſti gratiam opera vitæ, præuidenſque, & intellectu percipiens, quæ ad Chriſti dilecti mei ſpectabant diſpenſationem.

Primus ſenſus.

Explicat per iſtamet verba (*Ego dormio, & cor meum vigilat*) eadem Eccleſia & præſentem pariter ſtatum ſuum. Ecquis enim, qui neſciat, quam ingens in militanti Eccleſia nunc ſit ſimilitudo hæreticorum, falſorum Chriſtianorum, & peccatorum, prænuntiãte Domino ſententiam illam: i *Multi ſunt vocati, pauci vero electi?* In his modo ſe fatetur dormire terrenarum rerum vaporibus, mundanæque ſapientiæ faſtu, & à cognitione veræ fidei, & ab operatione veræ iuſtitiæ præpedita. In paucis nihilominus electis illis, qui cordis in ipſa obtinent locum, in quibus viuit & Chriſtus, vigilare ſe ait, quatenus ij diuina adiuuante gratiã & ſancta operatione ſunt ſeduli, & ſubtili affectuoſaque contemplatione ſunt perſpicaces. In his Chriſtum ſomniat, Chriſtum iugiter mente verſat, cum Chriſto conuerſatur, Chriſto & ſumma animorum contentione inſeruit in ſanctis, & perfectis operationibus.

Eccleſia Catholica dormit in hæreticis, & in peccatoribus vigilat autẽ in iuſtis.

i *Matt.* 22. 14.

Verſ. II. cap. V. *Ego dormio, & cor meum vigilat.*

Expositio III.

De ſecunda Sponſa, quæ eſt Anima Sancta.

4

SOmno comparatam contemplationem, vigiliæ vero actionem, ſatis ſuperque oſtenſum eſt ſupra in cap. ſecundo expoſit. 3. illorum verborum verſ. 7. a *Adiuro vos filiæ Ieruſalem per capreas, ceruoſque camporum, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectã, donec ipſa velit.* Verumtamen ex hoc loco colligitur eius animæ, quæ ſponſa Chriſti ſit, contemplationem haud ſimpliciter ſomnum eſſe, ſed ſomnum cum vigilia, & cum vigilia potiſsimum cordis. Quomodo ergo ſomnus cum huiuſcemodi vigilia cordis ea ſit, reliquum eſt, hic explicemus; Et qua ratione pia quæque anima, dum vacat contemplationi, & dormiat, & vigilet corde. Sane nemo eſt, qui ſenſibili ſomno dormiat, & ſit abſque vigilia cordis: At plures reperire eſt, qui dormiunt ſomno ſpirituali, nec tamen vigilant corde. Vigilant corde, qui dormiunt ſomno corporeo: ac per hoc, quod cor eorum vigilat, tametſi mortuos ſe præ ſe ferant, cum ſomnus ſit mortis ſimilitudo, viuentes nihilominus eſſe comprobantur. Neque vero per iſtud dumtaxat in corporeo ſomno dormientis cor vigilat, quod iugi moueatur motu, quem ex pulſu diſcernimus, & ex reſpiratione: at per id inſuper & quam maxime, quod cum cor ſit quodammodo fons caloris naturalis, in quo vita ſita eſt animalis cuiuſque, dormiente animali, membrisve, ac ſenſibus illius quieſcentibus, ipſum tunc maxime vigilet, conferens calorem vniuerſum ad faciendam alimenti concoctionem in ſtomacho. Complures ſunt, qui ſpiritali quidem dormiunt ſomno, contemplationis ſtudio addicti: attamen ipſorum omnium cor nequaquam eſt vigilans, tum quia motu haud mouentur iugi, ſicut mouetur cor, cœleſtem ſpiritum minime attrahentes, auramve ſanctorum affectuum ex intimis præcordiorum ſuorum minime emittentes: tum quia nec calore præditi ſunt charitatis, in quo vniuerſa eſt ſita vita ſpiritualis, atque adeo nec fructuoſe diuinarum rerum conſiderationes concoquere ſatagunt. Anima ſponſa Chriſti ita contemplationi indulget, vt iure optimo dicere poſsit: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Dum enim contemplatur, & feruentes ex intimis emittit preces, & è ſupernis attrahit ſpiritum, ſtudetque charitatis feruore diuinas concoquere conſiderationes, diuinaque verba, quibus tota nutriatur.

a *Cant.* 2. 7 *Contẽplatio quomodo ſit ſomnus cum vigilia cordis, & aliquando ſomnus abſque tali vigilia.*

Sed & ob id in primis dormit, & cor eius vigilat: quia iuxta Prophetæ conſilium illud, quo dicitur: b *Vacate, & videte*: vacat & ipſa, à terrenis quieſcens operationibus, & à ſolicitudine vitæ actiuæ: cumque vnum dilectum ſuum habeat in corde, illum dormiens

b *Pſ.* 45. 11

miens videt quasi per somnium, illum in sua versans imagine illum speculatur & mente, videtque potissimum, & gustat, *quod suauis est Dominus*, illius misericordias, illius beneficia, illius suauitatem recogitans, prout in subsequenti totius somni huius enarratione patefaciet. Quod ergo ait tale est.

Paraphrasis. *Ego* contemplationi sic vaco, vt dormiam quidem, ab externis vacans operationibus: at somnus iste meus haud talis est, vt instar mortis graui per illum opprimar sopore; verum vna cum vigilia est : *cor* siquidem *meum vigilat*, dum Deum meum mihi repræsentat, vt videam miserationes, & magna prædulciaque opera eius.

Sic *dormio*, vt *cor meum* vigilet motu se mouens perpetuo, quo suscipiat à Deo gratias, quoue & Deo referat grates. Sic *dormio*, vt *cor meum* charitatis calore exæstuans in id maxime vigilet, vt alimenta concoquat diuinorum verborum, ac diuinarum considerationum.

Vers. II. cap. V. *Ego dormio, & cor meum vigilat.*

Expositio IIII.

De tertia Sponsa, quæ est Beata Virgo Maria.

5 Primus sensus. QVemadmodum duobus modis iuxta sonum literæ accipi hæc posse, ostensum est in prima expositione: Vel pro tempore præsenti, vt sonant: Vel pro imperfecto, *Ego dormiebam*, &c. ita duobus pariter modis ad B. Virginem aptare eadem possumus: supposito enim, quod in principio huius actus quarti ipsa enarret, quomodo se gesserit, & qua ratione se habuerint ea, quæ ad mysterium Incarnationis pertinent; si pro tempore præsenti hæc sumantur, hoc sensu accipienda crediderim; vt B. Maria hic proponatur, cum aliquando exoneret fidelibus, quæ mente reuoluebat, & in contemplatione dormiens, quasi per somnium repræsentata videbat, ea nimirum, quæ ad incarnationem, eiusque mysterium spectabant: ac si dicere sic exordiatur.

Maria contemplationi indulgens mysteria Incarnationis mente versabat.

Paraphrasis. *Dormio*, ab externis actionibus semota, dormireque mihi lubet somno prædulci contemplationis, quo & dormio simul, & vigilo, dum *vigilat cor meum*: ita modo *dormio*, & *cor meum* repræsentat mihi Christum dilectum meum, quem intra se habet. Sic verba ista exordium quoddam sunt subsequentis narrationis, nihil ad narrationem ipsam pertinens mysterij Incarnationis.

Secundus sensus. Secus si sumantur pro imperfecto, *Ego dormiebam*, & *cor meum vigilabat*. Nam tunc ex abrupto eadem Virgo seriem ipsam Incarnationis enarrare incipiet verbis hisce, à tempore videlicet illo: quod immediate Angelicum præcesserit nuntium. Enimuero quæ filia erat Dauid, id semper defixum habebat in corde, quod Dauidi promissum à Domino fuerat: *c De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*: quæuis Virgo erat immaculata, & corpore, & mente, cordi impressum iugiter habebat id Isaiæ oraculum: *d Ecce Virgo concipiet, & pariet filium: & vocabitur nomen eius Emanuel*: quo Messiæ ortus ex Virgine prænuntiabatur. Sed quamuis quocunque tempore contemplationi indulgeret, ortus iste ex Virgine per cor sibi repræsentaretur; tunc tamen potissimum id ei contigit, cum futuræ Incarnationis tempus instaret. Dictum est satis probabiliter & alias quoque, Angelum eius mysterij nuntium illi adstitisse, dum contemplationi sola in cubiculo vacaret, prædictumque Isaiæ vaticinium mente versaret. Atque hoc illud est, quod modo ait: æque est enim, ac si dicat.

Mariæ vacanti contemplationi adstitit Angelus nuntians Christi incarnationem.

c Psal. 131. 11

d Isa. 7. 14.

Ego aliquando quietissimo *dormiebam* somno contemplationis, & *cor meum vigilabat*, dilecti mei ortum mihi repræsentans quasi per somnium. Et ecce tibi illico vox *dilecti mei pulsantis*, &c.

Vers. II. cap. V. *Ego dormio, & cor meum vigilat.*

Appendix Expositionum, Ex Antiquis Patribus collecta.

PAraphrasis Chaldaica: Post omnia verba hæc, peccauerunt populus domus Israel, tradidit eos Dominus in manu Nabuchodonosor Regis Babylonis, & adduxit eos in captiuitatem: & erant similes in captiuitate viro dormienti, qui non potest expergisci de somno suo. Et vox Spiritus sancti admonebat eos per manus Prophetarum, & excitabat eos de somno cordis eorum. 6

Quamuis in malam partem dormiendi verbum sumpsisse videatur Gregorius Nyssenus in principio homiliæ 11. cum ex hac sententia colligit piam quamque animam vigilare debere, & eniti, vt per cordis vigiliam illum à se arceat somnum, & dormitationem, per quam ijs, qui in profundo vitæ errore immerguntur, facta atque falsa finguntur terrenarum rerum, mundanarumque dignitatum somnia, iuxta illud Euangelij: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptijs, &c.* &: *Beati serui illi, quos, cum venerit Dominus, & pulsauerit ianuam, inuenerit vigilantes.* *Greg. Nyss.* *Luc. 12. 35.*

Idem tamen Nyssenus eadem homilia cum communi Patrum consensu in bonam illud accipit partē. Verum in communi hac acceptione duplex inter Patres ipsos est huius loci explicandi discrimen; in persona loquente, & in intellectu somni, atque vigiliæ.

Quidam enim, vt notatū est in prima expositione, sponso hæc tribuentes, Christi dormitionem, illius mortem intelligunt, cum qua tamen extitit vigilia diuinitatis eius. Ita Psellus apud Theodoritum, ita & Philo, & Hugo de S. Victore instit. Monast. de bestijs, & alijs rebus libro 2. cap. 1. tametsi Hugo vigilasse dicat illum, cuncta protegendo: Philo vero, vigilasse spoliando inferos. *Christus meriens dormiuit vigilauitque.* *Psellus.* *Philo Carp.* *Hugo Vict.* *Greg. PP.* *Aponius.*

Alio tamen modo eadem verba accipiunt Gregorius Papa existimans, Christum dormire, cum quiescit, eodemque tempore vigilare in sanctis suis hic laborantibus: & Aponius arbitrans, eumdem dormire vt absentem corporaliter; vigilare vero vt præsentem præsentia Deitatis. *Christus in gloria dormit, & vigilat in Sanctis suis.* *Christus dormit cum absens est, vigilat cum est præsens.* *Ioannes Chrysost.*

Singulariter Prælato bono tribuere hæc videtur Ioan. Chrysostomus homil. 10. de pœnit. circa principium, vbi dicit; Quod Salomon, inquit, ait, *Ego dormio, & cor meum vigilat*: idipsum & nobis contingit: nam somni necessitas palpebras ipsas contrahit: Tyrannis vero amoris vestri oculos nostræ mentis excitat, atque sæpenumero per somnum vobis loqui visus sum: Etenim consueuit anima, quæ interdiu cogitat, eadem in somnijs per phantasiam cernere. Et carneis oculis minus videntes, oculis charitatis inspicimus, &c. *Prælatus bonus etiam dormiens cogitat de subditis.*

Comuniori tamen sensu haud sponso, sed sponsæ à Patribus tributa hæc reperiuntur, & diuersi quoque hi sunt in acceptione dormitionis, atque vigiliæ.

Quidam enim de excessu, seu ecstasi hæc sumunt. Ita Gregorius Nyssenus homil. 11. supponens somnum sponsæ consequi ebrietatem, & epulum, ad quæ inuitata fuerat in versiculo præcedenti. Qua in re Nysseno consentit etiam Ambrosius libr. de Isaac, & Anima cap. 6. dum ait: Audiens hoc (quod scilicet prædictum est) anima hausit mysteriorum ebrietatem cœlestium, & velut soporata à vino, & quasi in excessu, vel stupore posita dicit: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Videatur Bernard. ser. 52. in Cant. peregregie *Greg. Nyss. De somno ecstasis.* *Ecstasis sequitur ebrietatē spiritus.* *Ambros.* *Bernard.*

vtpote expertus, de hoc vigili ſomno pertractans. A

7 Communius tamen referri ſolent, quæ hic dicuntur, ad ſtudium contemplationis, ſed & hoc quoque

Greg. Nyſſ. diuerſimode. Nam Gregorius Nyſſenus: Cum ſomnus, inquit, ſimilitudo ſit mortis, dormire tunc inquit, piam animam, cum inſtar mortuæ ſe habet erga ſenſibilia in ſenſibus, & in affectibus; tuncque in illa vigilare cor, cum contemplationi indulget verorũ bonorum, in qua per diuinam vigiliam Dei ſuſcipit apparitionem. Eodemque ſenſu Ambroſius libro exhortat. ad Virgines circa medium: Dormiat, inquit, caro tua, vigilet fides; dormiant illecebræ corporis, vigi-

Ambroſ. Sancti quomodo dormiant, & vigilent per totã vitam. let cordis prudentia: membra tua rodoleant crucem B Chriſti, & ſepulturæ odorem; vt nihil ijs ſomnus caloris infundat, nullos excitet motus. Hiſce conſentiunt, quæ dicuntur à Richardo. Idem tamẽ Ambroſius in Epiſt. 60. quæ eſt ad Anyſium, dormitionis vocabulo iuſtorum accipit tranquillitatem animi, in qua

Richard. Vict Ambroſ. cor maxime vigilat. Sic enim ait: Eſt Sanctorum etiam ſomnus operarius, ſecundum quod ſcriptum eſt:

In tranquillitate animi dormiunt Sancti & cor eorũ vigilat. *Ego dormio, & cor meum vigilat*: & ſecundum quod *a* Iacob Sanctus diuina dormiens videbat myſteria, quæ vigilans non viderat, de cœlo ad terras aerem peruiũ ſanctis, reſpicientem Dominum, & pollicentem terræ eius poſſeſſionem. Itaque breui ſomno dormiens C impetrauit, quod magno labore poſtea acquiſiuit. Hæreditas eius eſt ſomnus Sanctorum feriatus ab omnibus corporis voluptatibus, ab omni perturbatione animi, tranquillitatem menti inuehens, placiditatem animæ, tanquam ſoluta nexu corporis ſubleuet, & Chriſto adhæreat: Hic ſomnus vita Sanctorum. Proſequitur hunc ipſum ſenſum Gregorius Pap. homil.

Greg. PP. Auguſt. Studijs vacans diuinæ ſapientiæ dormit, & vigilat corde. 14. in Ezech. & lib. 23. Moral. cap. 12. clariuſue Auguſtinus tract. 57. in Ioann. his verbis: In eis, qui libenter, & humiliter audire nouerunt, & vitam quietam in ſtudiis dulcibus, & ſalubribus agunt, Catholica deliciatur Eccleſia, & dicit: *Ego dormio & cor meum vigilat*: id eſt, ita quieſco, vt audiam: otium meum non impenditur nutriendæ deſidiæ, ſed percipiendæ ſa-

Eccl. 38. 25 pientiæ: Vaco, & video, quoniam tu es Dominus: quia *ſapientiam ſcribo in tempore otij, & qui minoratur actu, ipſe percipiet eam*. Ego requieſco à negotioſis actibus, & animus meus diuinis ſe intendit affectibus.

Caſiodor. Dormit Eccleſia cum libera eſt à preſſuris tuncque vigilat indulgens contemplationi. Caſsiodorus, vox (inquit) Eccleſiæ, *Ego dormio*, quia aliquantulum pace largiente ſponſo meo requieſco, nec tales patior preſſuras, quales primitiua Eccleſia, & ideo *cor meum vigilat*: quia ſecurius conceſſa mihi pace amori ſpõſi mei inhæreo, & ad illum oculos cordis mei intendo. Conſentit Caſsiodoro Beda, & Anſelmus.

Cyprianus. Orandum vigilanter erat ante. Cyprianus lib. de Orat. Dominica, ante finem, per cordis vigiliam ſumit inſtantiam, & attentionem in E oratione, de animaquippe orante ſine attentione ait: Hoc eſt vigilare oculis, & corde dormire: cum debeat Chriſtianus, & cum dormit oculis, corde vigilare, ſicut ſcriptum eſt ex perſona Eccleſiæ loquentis in Cantico Canticorum: *Ego dormio, & cor meum vigi-*

Coloſſ. 4. 2. *lat*. Quapropter ſolicite, & caute admonet Apoſtolus dicens: *Inſtate orationi vigilantes in ea.*

Theodor. Vigilandum in expectatione ſponſi arcendusque ſomnus. Theodoritus, Quamuis, inquit, à natura cogar oculos claudere, & ſomnum capere; mente tamen vigilo & ignauiæ ſomnum minime ſuſcipio; cum ſponſi aduentum expectem, iuxta conſilium Domini di-

b Matt. 24. 42. centis, *b Vigilate, quia neſcitis, qua hora Dominus venturus* F *ſit*.

Tres Patres. Dormiendũ temporalibus & vigilandum expectatione Chriſti. Trium Patrum Catena parum ab his differens, Dormio quidem, inquit, dicere piam animam ad ea, quæ in hac vita iucunda videntur; cum ſenſus mei quaſi per contemptum ipſorum ſopiti ſint. vigilat autem mens mea, ne ſpõſus meus veniens inueniat eam dormientem.

Iuſt. Orge. Iuſtus Orgelitanus. Propter Chriſtum, inquit, moriparatus ſum; ſed poſt mortem cum ipſo regnaturum me credo. Ego etiam à temporalibus delectationibus, conſopitis quodammodo ſenſibus, conquieſco; ſed futura deſidero, æternaque conquiro.

Denique Rupertus Abbas, & eſt ſenſus communior, ad Beatam Virginem ita hæc aptat, vt quod dicit: *Ego dormio*, idem ipſum ſignificat, ac id, quod ei tribuit Eccleſia: *c In omnibus requiem quæſiui*, id eſt optimam partem elegi, relictis cunctis ſolicitudinibus, & curis ſæculi.

Rup. Abb. Dormit pia anima parata mori propter Chriſtũ, vigilat ſpe regni cœleſtis.

Per id vero, quod ſubijcit: *Et cor meum vigilat*, duplicem ſignificat vigiliarum ſpeciem, in quibus ipſa præ cæteris excelluit: Alteram, qua in cœleſtibus per contemplationem corde vigilauit: Alteram, qua etiam dormiens ſecundum corpus, æque ac Iacob ſecundũ animam, per ſomnium cœleſtia ſæpius vidit.

c Eccl. 24. 6

Ex Verſ. II. cap. V. *Vox dilecti mei pulſantis: Aperi mihi ſoror mea, amica mea, colũba mea, immaculata mea.*

Expositio I.

Iuxta ſonum litteræ.

ENarrationem ſomnij ſiue eorum, quæ per ſomnium ſibi contigere, incipiens ſponſa, air, audire ſibi viſum dilectum ſuum, domum ipſam ſuam appulſum, voce proclamantem, ac non tam manu fores oſtij. quam voce ipſa intima pectoris ſui pulſantem. Explicat, & quibus vocibus is pectus ſuũ pulſarit, ſubijciens: *Aperi mihi ſoror mea, amica mea*, &c. indicans tot pulſare ictibus, quot protulit blandas appellationes. 8

Facillimus igitur eſt eorum, quæ hic dicuntur, ſenſus hiſtoricus: Æque eſt enim ac ſi ſponſa ſic loqueretur. Primus ſenſus.

Ego dormio & cor meum, ſomniante me, *vigilat*: ſiquidem me dormiente, *Vox* ad me facta eſt *dilecti mei pulſantis* fores ædium mearum, hiſce clamans ſermonibus: *Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* Paraphraſis.

Seu iuxta alium ſenſum: *Ego* aliquando in meis *dormiebam* ædibus *& cor meum vigilabat*. Audire ſiquidem videbar dilectam meam pulſantem fores, agnoſcebam vocem illius, ingreſſum talibus efflagitantem verbis: *Aperi mihi ſoror mea*, &c. Secundus ſenſus.

Multa quidem dicenda forent circa blandas iſtas, quibus ſponſus hic vtitur, voces, ni alias de ijs actum eſſet: vſurpauit etenim alias earum ſingulas idemmet ſponſus. Compellauit ſæpius dilectam ipſam ſuam in capite quarto: Amicam læpiſsime, & proximam iuxta lectionem Hebræorum, & Septuag. in ca. primo, ſecundo, quarto, &c. Columbam ſuam dixit in cap. ſecundo, & ſexto. Paraphraſis.

Immaculatam denique prædicauit in cap. quarto cum dixit: *Tota pulchra es, amica mea, & macula non eſt in te*. Ponderandum nihilominus inſigne eſt ſponſi artificium in verbis hiſce. Vt enim efficacius dilectã ſuam definiret, haud ſatis ei fuit ſemel ponere pronomen, & dicere: *Aperi mihi ſoror, amica*, &c. ſed toties illud iterauit, quoties nouas addidit voces: Sic enim dixit: *Aperi mihi, ſoror mea, amica mea*, &c. ſic & in ſubſequẽtibus: *Quia caput meum, & cincinni mei.*

Circa lectionum varietatem nihil eſt, quod hic notemus: Licet enim Septuag. ſic legant: *Vox fraterni mei pulſantis oſtium: Aperi mihi, proxima mea, ſoror mea, columba mea, immaculata mea.* nihil eſt, quod momenti ſit, & de quo alias non ſit tractatum.

Ex

Ex Vers. II. ca. V. *Vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi soror mea, amica mea, colúba mea, immaculata mea.*

Expositio II.

De prima Sponsa, quæ est Ecclesia sancta.

9 Primus sensus. a 4 *Reg.* 17 13. *Antiquum Iudæorum populum ad rectum tramitem frequentissime Deus reuocare conatus*

QVod in libris Regum dicitur, sæpiusque repetitum reperire est in libris Prophetarum his verbis: *a Testificatus est Dominus in Israel, & in Iuda per manum omnium Prophetarum, & Videntium, dicens: Reuertimini a viis vestris pessimis, & custodite præcepta mea, & cæremonias iuxta omnem legem, quam præcepi Patribus vestris, & sicut misi ad vos in manu seruorum meorum Prophetarum. Qui non audierunt, sed indurauerunt cervicem suam, iuxta cervicem patrum suorum, qui noluerunt obedire Domino Deo suo.* Hoc in præsenti enarratione sponsæ sub egregijs metaphoris sapiens proponit Salomon: enarrãs quippe Ecclesia pristinum statum suum illum, quaue ratione suæ se res habuerint in antiquo populo, quem Dominus in peculium sibi elegerat, postquam in præcedentibus verbis significauit, se vigilâsse tunc in exiguis duntaxat seruis Dei, & in paucis Prophetis, qui cordis locum in se obtinebant, dormitante toto reliquo corpore suo, totoque carnali populo illo illecebris, & solicitudinibus terrenarum rerum grauato, & quasi somno oppresso, ita vt nec intellectu, nec affectu operaretur, quod rectum esset: Nunc subdit, quomodo in iustis illis, atque in Prophetis tunc vigilarit, quidue sibi contigerit quasi per somnium in tali vigilia.

Tria autem enumerat. Primum, pulsasse dilectum suum ostia sua: Tunc vocé eiusdem dilecti sui sibi exhibitam, optime notam: & Tertio, quid peculiariter per vocem illam significatum sibi sit.

Porro, quod ad Ecclesiam etiam ante Christi Incarnationem sæpius aduentarit Deus, haud vllus est ambigendi locus, cum frequentissime in sacris litteris legamus, apparuisse Dominum vel toti populo, vel aliquibus, aut alicui particulari sanctorum. Pulsasse vero tunc censendus est ostia, cum miracula magna insigniaque prodigia exhibuit eiusdé populi sensibus instar ostiorũ se habentibus ad animas. Ac bene vna cũ pulsatione istiusmodi agnouit Ecclesia in sanctis quibuscunque & vocem eiusdem Dei, ideoque ait: *Vox dilecti mei pulsantis.* Nouit quippe *b multifariã olim multisque modis* (vt ait Paulus) locutũ esse *Patribus*, & Prophetas ipsos istam Dei vocem in se loquentem, sibique desuper exhibitam recolit confessos, sicue proclamãtes: *Et factum est verbum Domini ad me*, seu, *Hæc dicit Dominus.* Pulsantem vero ita locutum, inquit: *Aperi mihi*, persistens in metaphora illius, qui cupiat admitti in domum, extra quam sit, quod alia metaphora expressit Ieremias Propheta, vbi dixit: *c Conuertimini filij reuertentes, dicit Dominus: quia ego vir vester.* Vir itaque, & sponsus cum sit, haud mirum, si & hoc loco Ecclesia dicat blandissimas ab illo prolatas audisse voces, nimirum: *Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* Licet enim blandæ hæ voces præstantissimas significent prærogatiuas Ecclesiæ, quæ desponsata est in sanguine Christi, vt iamiam ostendemus: competunt tamen simul quoque & Ecclesiæ eidem ante Christi aduentum, quando in fide Christi desponsata, sponsaliaque de futuro cum Christo inita in iustis seruauit, & sanctis: propter quæ spõsalia ijs decorata est prærogatiuis, quas enumerat Apostolus in Epistola ad Romanos, dicens: *d Qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium & promissa: quorum patres, & ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.*

b *Heb.* 1. 1.

c *Iere.* 3. 14.

Ecclesiæ in antiquo Iudæorum populo prærogatiuæ.

d *Rom.* 9. 4.

Ab hac vltima prærogatiua exorsus est sponsus, dum *sororem suam* illam compellauit ob cognationem carnis, propter quam iuxta Apostoli dictum, *e Non confunditur fratres eos*, singulos scilicet eius populi, *vocare, dicens, f Nuntiabo nomen tuum fratribus meis, & in medio Ecclesiæ laudabo te.*

e *Heb.* 2. 11

f *Ps.* 21. 23

Dicit secundo, eandem amicam suam ob prærogatiuam eximij, arctissimiue amoris, quo vna cum ea connexus est, quam amicitiæ connexionem insigni amplificatione expressit Moyses in libro Deuteronomij, dicens: *g En Domini Dei tui cælum est, & cælum cæli, terra, & omnia, quæ in ea sunt: & tamen patribus tuis conglutinatus est Dominus, & amauit eos, elegitque semen eorum, post eos, id est, vos, de cunctis gentibus, sicut hodie comprobatur.*

g *Deut.* 10. 14.

Tertio, vocat illam *columbam suam*, vel ad denotandam primam prærogatiuam, quam recenset Apostolus ijs verbis, *Qui sunt Israelitæ*: quod scilicet ab insigni, & honorando, sanctissimoque Patriarcha Iacob originem ducat, de quo dicitur in libro Geneseos, *h* quod erat *vir simplex.* Ostensum est etenim sæpius, columbam symbolum esse simplicitatis, ac bene, quæ est ab Israel iuxta etymologiam Israelis, quod interpretatur, videns Deum, *columba Dei* dicta est, cui alias à Deo ipso dictum est: *i Oculi tui columbæ*, iuxta lectiones Hebræorum, ac Septuag. Vel *columbam* itidem suam eam Deus appellat, ad designandas illius populi habitationes, in quibus seiunctus à cæteris nationibus Gentium degebat, diuinaque protegebatur prouidentia, qua ratione in capite secundo apertius ab eodem Domino nuncupata est, *k Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.* Vel tertio, ob prærogatiuam illam, quam Apostolus expressit nomine gloriæ, seu claritatis, iuxta lectionem Cypriani lib. 2. contra Iudæos cap. 6. columbam suam appellauit, prout haud obscure colligi potest ex eo, quod dicitur in Psalm. *l Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri*; id est dormientes, & habitantes in medio sortium vestrarum, in terris vestris, quæ vobis sorte obtigerunt in distributione terræ promissionis, instar nimirum columbarum in foraminibus petræ, & in cauerna maceriæ, seiunctim, ac tuto commorantium, eritis glorioſi, pulchri, atque læti sicut pennæ columbæ deargentatæ, cuius posteriora dorsi sunt in pallore auri. Specioſi eritis instar columbæ specioſissimæ tum ob nitorem, candoremque alarum, tum ob fulgorẽ pennarum dorsi splendidissimũ præseferentium aurum. Atque adeo ob insignem hanc gloriam, & pulchritudinis prærogatiuam clarius in cap. secundo eidem appellationi columbæ, idemmet sponsus coniunxit & vocabulum formosæ, dicens: *a Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea. & veni.*

h *Gen.* 25. 27.

i *Cant.* 1. 15

k *Cãt.* 2. 14

Cyprianus.

l *Ps.* 67. 15.

a *Cant.* 2. 10.

Denique per quartam appellationem, qua à Domino eidem Ecclesiæ dicitur, *Immaculata mea*, quarta significatur eiusdem prærogatiua legis à Deo præstitæ, quam prærogatiuam etiam Apostolus loco supra relato connumerauit inter alias ijs verbis: *Et testamentum, & legislatio, & obsequium & promissa*: vbi singulas enumerat ipsius legis partes, Moralem videlicet, nomine testamenti, seu testamentorum (vt Græce habetur) per testamenta duas designans tabulas lapideas, in quibus præcepta erant Decalogi Dei digito scripta: Iudicialem nomine legislationis, & Cæremonialem nomine obsequij, & cultus, quo sacrificijs, variisque oblationum generibus Deus ipse esset colendus. Quibus tribus legis partibus & quartã etiam adiungit, nempe promissiones, quæ in lege exhibitæ erant obseruantibus, vel trãsgredientibus eam. Quid vero vocabulum *immaculatæ meæ* cum lege commune habet, dicet fortasse quispiam? Legatis Psalmum 18. & reperiet scriptum: *b Lex Domini immaculata*, allatamque rationem, quare lex Domini immaculata sit, nimirum quia conuertat animas reddens ipsas immaculatas, prout aliquando idemmet Dauid per illam sibi contigisse significauit in Psalmo 17. dicens: *c Quia custodiui vias Domini, nec impie gessi à Deo meo: Quoniam omnia iudicia eius in conspectu meo, & iustitias eius*

Lex Domini quomodo & quando dicatur immaculata.

b *Psa.* 18. 8

c *Ps.* 17. 22

non repuli à me. Quid tum? *Et ero immaculatus cum eo.* Et
d Pſ.17.33 cum in eodem Pſalmo dixiſſet: *d Poſuit immaculatam viam meam*: Legem ipſam immaculatam deſignans, in Pſ. 118. ait: *Beati immaculati in via, qui ambulat in lege Domini.* Beatos illos prædicans, qui immaculati redditi ſunt, ob id, quod in lege Domini ambulent, quæ via immaculata eſt.

Ex dictis breuis iſte colligitur ſenſus, vt Eccleſia enarrans priſtinum ſuum ſtatum in antiquo Iudæorum populo, dicat.

Paraphraſis.

Antiquitus ſanein omni fere populo Iudaico carnea, ac terrena grauedine præpedita *dormiebam, vigilabam* tamẽ in ſanctis, ac iuſtis paucis, cordis locum in corpore meo habentibus: Dum ſic autem dormirem, ac vigilarem, ſæpius apparuit mihi Dominus, & ad me venit dilectus meus, efficaciſſimis miraculis, & admirandis prodigijs pulſans ſenſus illius populi, per quos tamquam oſtia aditus eſt ad intellectum: Necnon & in Prophetis loquentibus, *vox* ad me facta eſt *dilecti mei*, dicentis: Nec obdurent corda ſua, qui in corpore tuo ſunt dormiẽtes: at *aperi mihi* etiam in illis: te enim *ſororem meam* conſtitui, ob cognitionem, te *amicam* volui *meam* ob arctam, qua tecum connexus ſum, amoris neceſſitudinẽ, te *columbam meam* ob ſimplicitatem, acutumque intuitum, quem ex patre tuo Iſrael in te deriuaui; ob habitationem, quam tibi dedi ſegregatam à gentibus; atque ob ſpeciem, charitatem, & gloriam, qua te illuſtraui: te denique & *immaculatam* reddidi *meam*, per legem item immaculatam: Dic & tu cum Propheta Dauid ad membra ipſa dormientia: *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione ſecundum diem tentationis in deſerto.*

B

C

Pſ.94.8.

10 Primus ſenſus.

Iuxta ſecundum ſenſum allatum ad præcedentia verba vt accepta pro præſenti: *Ego dormio, & cor meum vigilat:* & vt deſignantia præſentem Eccleſiæ Catholicæ ſtatum, quo illa conſtans ex peccatoribus, & iuſtis, dormit in peccatoribus, & vigilat in iuſtis, vt declaratum eſt in expoſitione ſecunda: proſequitur modo eumdem ſtatum enarrare, ac in primis quid ſibi contigerit ſic vigilanti: Adueniſſe ſcilicet peculiari ratione ad ſe Deum dilectum ſuum, iuſtiſque ſe exhibuiſſe vigilantibus, percuſſiſſe oſtium, quo ei præcludebatur aditus in intima dormientium peccatorum, voceque ipſa ſua iuſtis optime nota ſe in ijſdem ſanctis promouiſſe ad procurandam peccatorum ſalutem dicendo, *Aperi mihi.* &c.

D

Pro cuius ſenſus explicatione animaduertendum primo eſt, Deum, qui cupit omnes homines ſaluos fieri, exploratum optime habere quamcunque hominũ diligentiam ad peccatoris conuerſionem inanem eſſe, ni ipſe interius primum diſponat illius cor aliquo pacto: Ideoque hoc loco cum Eccleſiam, ſeu iuſtos, & ſanctos eius doctores ad ſtudium iſtud conuerſionis peccatorum promouere velit, ita vt excuſationẽ prætexere nequeant, & dicere: *Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam*: dum pro hoc negocio ad ipſam ſeſe confert, exhibere ſeſe pulſantem, atque loquentem quidem ijs, quos prædicationi indulgere velit; pulſantem vero eos, quos per prædicatores illos velit conuerti. Ecquid enim pulſat, niſi fores, & oſtia, quæ ſibi recluſa ſint? Sane pia quæque anima hortus concluſus eſt, ſeriſue obſeratus: at tametſi concluſa retineat oſtia quibuſcumque creaturis, Deo tamen patentem ſe ſemper ſeruat, vnde & dicit: *c Veniat dilectus in hortũ ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum.* Iniqui, ac peccatores Deo aditum præcludunt, oſtia illi in faciem obſerantes, & fores obſtinationis duro obfirmantes corde, qui vt tuto dormiant terrenis illecebris ſoporati, vtue, iuxta dictum patientiſſimi Iob, *in bonis* ducant *dies ſuos* abſque impedimento, audacter Deo dicunt: *f Recede à nobis, & ſcientiam viarum tuarum nolumus. Quis eſt omnipotens, vt ſeruiamus illi, & quid nobis prodeſt ſi orauerimus illum?* Hos Deus primo pulſat, obſerata pulſans oſtia cordiũ ipſorum, pulſat, inquam, per gratiam excitantem, excitans corda eorum ad audienda verba ſalutis, ſimulque Eccleſiam, iuſtoſue eius, ac ſanctos ſuſcitat doctores, vt ad illorum intima aditum ſibi aperiant, quo poſtmodum ab illis diuina cooperante gratia libere admittatur per iuſtitiam, & ſanctitatem veritatis: quæ omnia recte ſecundum hunc ordinem à Concilio Tridentino declarata ſunt in principio capitis ſexti ſeſſionis ſextæ his verbis: Diſponuntur autem ad ipſam iuſtitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, libere mouentur in Deum. Quamuis autem aperire Deo, & Deum ſic admittere, opus ſit liberi arbitrij diuina gratia adiuti, & eorummet, qui conuertantur, atque iuſtificantur; ſingulari tamen artificio ſponſus dicit Eccleſiæ eiuſve Sanctis: *Aperi mihi*: quibus verbis duo ſignificat.

E

F

e Cant.5.1.

f Iob.21.13

Conci. Trid.

Primum, vt prædicatione, ac bonis exemplis det operam, ſibi vt aperiatur: Tum ita eam promouet ad prædicationem, vt ſecurum ſimul proponat talis prædicationis fructum. Ac ſi dicat: Indulge prædicationi, procura ſalutem, & ſuſcitationem eorum, qui in te dormiunt: ſtude, vt prædicatione tua obdurata eorum mihi aperias corda: Aperias, ne verearis. Fundantur autem hæc dicta in duabus ſententijs: altera ipſiuſmet Domini, qua apud Iſaiam dicitur: *a Verbum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcumque volui, & proſperabitur in his, ad quæ miſi illud.* Probaturue ibidem aptiſſima ſimilitudine imbris, atque niuis deſcendentis de cœlo, & illuc vltra non reuertentis, ſed inebriantis terram, & infundentis eam ac germinare illam etiam facientis: *b Mittit quippe Deus per ora Prædicatorum eloquium ſuum terræ & velociter currit ſermo eius.* Altera vero Diui Pauli dicẽtis: *c Viuus eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ, & ſpiritus, compagum quoque, & medullarum, & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis.*

Prædicatio verbi Dei ſemper ſecurum habet aliquem fructum.

a Iſa.55.11

b Pſ.147.15.

c Heb.4.12.

Blandæ etiam appellationes, *Soror mea, amica mea, columba mea, & immaculata mea*, duplicem habere poſſunt ſignificatum: Vel enim quatuor eæ voces quatuor ſignificant motiua, quibus efficacius ad id, quod Deus expoſcit, impellatur Eccleſia Sanctorum: Vel ſecundo quatuor ſignificant conditiones, quas prædicator, & doctor quiſque habere debet, vt proficuam faciat doctrinam ſuam.

11 Motiua quatuor ad procurandam conuerſionem peccatorum impellentia Sanctos prædicatores.

Quoad primum promouetur Eccleſia, & Sancti, qui ſunt in ea, ad procurandam proximorum, & peccatorum ſalutem: Primo per id, quod *ſoror Dei ſit*, ex eo ſcilicet, quod Deus humanam naturam aſſumpſit eiuſdem carnis particeps effectus, vt omnes, quotquot in ea eſſent, diuinitatis participes efficeret.

Peccatorum conuerſionẽ quomodo cauſet Deus per Prædicatores.

Ex hoc autem moueri deberet Eccleſia, vt nullam prærermitteret operam, quo ſinguli conuerterentur peccatores, ne per illos infamia tam illuſtri inferatur generi, quod commune habet cum Deo: quod haud obſcure ſignificatum crediderim ab Apoſtolo Petro in ſua 1. Epiſtola, vbi Sanctos, qui in Eccleſia ſunt, iuſtoſque alloquens, ait: *d Vos autem genus electum regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, vt virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum.*

d 1.Pet.2.9

Quibus in verbis notandum, pro eo, quod Vulgata legit: *Populus acquiſitionis*, in textu Græco haberi, λαὸς εἰς περιποίησιν, id eſt, *populus in acquiſitionem*: qua lectione melius explicatur mens Apoſtoli, vt intentum eius ſit, oſtendere Sanctos, qui ſunt in Eccleſia, eſſe quidem genus electum, regale ſacerdotium, & gentẽ ſanctam, vt cognati ſunt Ieſu Chriſti, Regis ſimul, & ſacerdotis, & ſancti Sanctorum: ſed eſſe inſuper populum in acquiſitionẽ, ſcilicet directum, in acquiſitionem, inquam, animarum, quas ad Chriſtum reducere, eidemque acquirere debet: quod declarant verba ſubſequentia, *Vt virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocauit*, &c. Quibus modus demonſtratur, quo acquirere illas debeat animas, annuntiando nimirum, & prædicando virtutes Dei.

Per id quoque peculiariter mouetur Eccleſia ad procu-

procurandam salutem peccatorū, quod *amica Dei sit*, impelluntur que & sancti ad prædicandum verbo, & exemplo, exinde quod amici Dei sint, nedum à Deo dilecti, sed ipsi pariter Deum diligentes. Amicus enim verus totus in id incumbit, vt non tam suum, quam quod amici sui sit, quærat & bonum, & gloriam. Exploratissimum autem est Sanctis quibuscunque, nihil in hoc sæculo esse, quod Deo glorioſius sit, quam peccatorum conuersionem, pro quorum iustificatione pretiosissimum filij sui sanguinem effudit. Hinc est, quod Dominus Petrum interrogans, an mutua secum
e *Ioa.21.15* iunctus esset amicitia, adeoque dicens: *e Petre amas me?* terque idem repetens, respondēte sibi Petro semper: *Tu scis Domine, quia amo te*: istud vnum ab eo petijt huius mutuæ amicitiæ signum, vt in proximi salutem procurandam totum se dederet: ad quamlibet enim illius responsionem subintulit: *Pasce agnos meos, pasce oues meas.*

Tertio excitatur Ecclesia ad idem opus ex eo, quod *columba Dei* sit, vt sit allusio ad columbam illam, quæ odoribus perfusa ingentem secum ad columbarium
Basilius. reducit columbarum agmen: qua de re Basilius epistola 175. ad Iulittam: Sic Ecclesiam Sanctorum, & quamcunque animam sanctam vtilius membrum, columbam suam appellans, tale quid dicere Deus videtur: Columbam te meam elegi, cœlestiumue gratiarum perfudi te odore. Æquum igitur est, vt tu pariter virtutum tuarum odore, & mea, quam prædicatione effundes, fragrantia peccatorum agmen, ad columbarum puritatem redactos, tecum reducas in columbarium vulnerum meorum.

Quin & altera quoque ratione ad idem ipsum opus eadem appellatio *columbæ meæ*, motiuum est; siquidem tantumdē est *columba mea*, ac vnica, & pudicissima spōsa mea, prout colligitur ex c. sexto, vbi Deus postquā
f *Cant. 6.7* dixit; *f Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus*: de Ecclesia vnica, pudicissimaque sponsa sua subijcit: *Vna est columba mea.*

Porro si vnicam Dei sponsam hoc nomen significat, per hoc quam maxime ad peccatorum cōuersionem impelli debet; quia id proprium, ac peculiare eius sit vnius, vt filiorum prolem suo pariat dilecto, ne is, qui alios parere facit, sit sine filijs, vtue quos Christo peperit, cum Christo manentes conseruet: vel si ab ipso elongati quoquo modo sint, nitatur reducere vt bonos filios ad patrem.

Quartum denique motiuum eidem proponitur sponsæ per id, quod Iesus *immaculatam suam* illā compellat. Itaque dicens: *Aperi mihi immaculata mea*, redu-
g *Eph.5.25* cit ei in memoriā, quomodo *g semetipsum* tradiderit, *vt eam sanctificaret*, sanguinemue suum effuderit vniuersum, vt eam mundaret, *exhiberet sibi*, vt ait Apostolus, *gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi*: studendumque ei, *vt sit sancta & immaculata*; atque adeo in id potissimum elaborare debere, vt eorum, qui intra ipsam sunt, procuret saluté, nec permittendum, quo ad fieri potest, vt à quoquā, qui peccato infectus sit, aliquid sibi inferatur maculę.

12 *Prædicatorū verbi Dei quatuor conditiones necessariæ.*

Quoad secundum, per has quatuor blandas appellationes: *Soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea*: Quatuor cælestis sponsus indicat conditiones, quibus prædi ti ij esse debent, qui alios doceant, & peccatorum procurent salutem. Primum, quod in ipsis maxime requiritur, est, vt sint in gratia: id. n. indicat sororis Christi nuncupatio; quandoquidem per gra-
a *2.Pet.1.4* tiam efficimur diuinæ naturæ consortes, *a* prout alias ostensum est ex verbis Apostoli. Notum autem est,
b *Ps.49.16* quod *b* peccatori, & ei, qui in gratia minime sit, dixit Deus teste Propheta: *Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per ostuum? Tu vero odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum.* Existentes in gratia debent insuper per bonorum operum ostensionem amicitiā profiteri, qua cum Deo iuncti sunt vinculo charitatis, simulque & mysteriorum Dei gnaros se exhibere: in his quippe duobus sitam Dei amicitiā,
c *Ioa.15.14 & 15.* duæ indicant Saluatoris nostri sententiæ: *c Vos amici mei estis, si feceritis omnia, quæ ego præcipio vobis.* Et: *Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæ audiui a Patre meo, nota feci vobis.* Ideoque bene ad nomen sororis meæ adiecit sponsus, & *amica mea*, Ecclesiā Sanctorum alloquens, sed & insuper adiecit, *columba mea*: indicans vocabulo isto columbæ, quod hieroglyphicum est Spiritus sancti, præter gratiam Dei, præter ostensionē charitatis in bonis operibus, notitiamue mysteriorum Dei, prædictos, qui peccatorum vacant conuersioni, & animarum procurant salutem, debere insuper esse ornatos omnibus donis Spiritus sancti, sapientia, intellectu, consilio, pietate, fortitudine, scientia, ac timore Domi-
d *Mat.3.16* ni. Hoc namque indicare voluit cælestis Pater, *d* cum super Christum è baptismo ascendentem, antequam is prædicationi se dederet, cuius studium ex tunc arrepturus erat, Spiritum sanctum misit in Columbæ specie apparentem. Quamquam & aliud significare voluit sponsus, dum columbam suam hos nuncupat, nimirum operæpretium esse, vt instar columbæ intra se, vel secum ipsi meditentur, quæ prædicare voluerint alijs, vtue addicti sint contemplationi ad actionem egredientes è vulneribus Christi, atque ex eiusdem latere aperto, vbi thesauri sunt sapiētiæ, & scientiæ Dei, vt columbæ in foraminibus petræ, & in cauerna maceriæ. Debent insuper esse immaculati, i. nedum vllo crimine infecti, quod charitati repugnet, gratiamue excludat, & fuget Spiritum sanctum: sed & nulla, quoad fieri potest, respersi macula, qua ij offendi possint, quorum procurant salutem. Quod expressus exposuit Paulus dicens: *e Nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum, sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus*, &c.
c *2.Cor.6.3*

Ex his, quæ huc vsque dicta sunt paraphrasticum hunc, breuemque sensum colligito, vt Ecclesia dicat.

Me dormiente in peccatoribus, & vigilante in sanctis meis, in quibus à diuinarum rerum cōtemplatione nunquam desisto: Ecce tibi dilectus meus mihi visus est vigilanti, sanctis nimirum meis, in quibus vigil vaco contemplationi: Visus est autem pulsans per gratiā excitantem obfirmata in malo corda dormientium, qui in me sunt, iniquorū, ac peccatorum; simulque in vigilantibus iustis vocem audire visa sum eiusdem dilecti mei in hunc modum me compellantis: Cū in sanctis istis tuis existentibus in gratia, charitate operante, notitiaque diuinorū mysteriorū insignibus, donisue Spiritus sancti exornatis, & absque vllaoffensionis macula conuersantibus, *Soror mea* es, *amica mea, columba mea, & immaculata mea*, da operam, vt per illos proximorum salutem procurantes aperias præclusum mihi aditum ad dormientium peccatorum intima. *Soror mea* es, non patiaris per istos, qui in te sunt, infamiā nostro inferri generi: *Amica mea* es, meam procura gloriam, quam maximam censeo in peccatorum conuersione: *Columba mea* es, pudicitiæque sponsa, enitere, vt in illorum cōuersione filios mihi parias eorumue curam geras: *Immaculata mea* es, cur patieris, per illorum scelera tuam coinquinari puritatem.
Paraphrasis.

F *Ex* Vers. II. cap. V. *Vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi soror mea, amica mea, colūba mea, immaculata mea.*

Expositio III.

De secunda Sponsa, quæ est Anima Iusti.

PRæostenso in præcedentibus, quod etsi vacet ab externis operationibus, atque instar dormientis se habeat, vigilet tamen cor suum in perpetuo motu ad Deum suum, vigilet affectus suus in concoquendo cibo diuinorum eloquiorum per calorem charitatis, vigiletque & mens sua in meditatione operū Dei: enarrare iam incipit pia anima, quæ sponsa Dei est, 13

quid tunc temporis, quoniam ad ſocias proceſſit, cogitationis verſaret cor ſuum, quidue peculiariter cõtemplationi vacans meditaretur: Id autem eſt, quomodo ad vitam ſpiritualem attracta à Deo fuerit, etiã poſtquam ab eo defecerat, in peccatum prolapſa; ingenſque illius erga ipſam benignitas, & exhibitio miſerationum. Itaque ſic modum iſtius ſuæ enarratconuerſionis, vt planè appareat, ita tranſacta eam meditari ſolitã, vt quaſi præſentia illa niteretur habere; ideoque ſic meditationem hanc enarrat, vt nihil prætermittat eius, quod in ſe factum à Deo fuit, ac ſi eo momento temporis ipſa eius conuerſio fuerit, præſenſque Deus adeſſet, qui ipſam vocaret, multiplicique ratione dictam ei perſuadere conaretur conuerſionem; tantũdem autem eſt ac ſi dicat: Tametſi, dum contemplationi vaco, dormire vobis videar, animæ benedictæ, ſciatis tamen velim, quod cor meum maxime vigilat recolendo, ac cogitatione verſando meã ſummã miſeriam, qua miſere iamdiu iacebam in peccatis Chriſtique dilecti mei eximium in me amorẽ, ac beneficia. Audite amabo, quid modo meditabatur cor meũ, ea ſ. quæ circa me facta ſunt, cum me Deus è cœno peccatorum abſtraxit, *Vox* ad me facta eſt *dilecti mei pulſantis*, atque dicentis: *Aperi mihi ſoror mea, anima mea*, &c.

In conuerſione peccatoris quomodo procedat Deus & voce, & pulſatione.

Vt iſtorum verborum vis percipiatur, illud primo inueſtigandum, cum vox, & pulſatio à dilecto exhibita dicatur in principio conuerſionis (ſuppoſito, duo hæc diſtincta eſſe, tametſi communi fere omnium expoſitorum ſententia pro vna eademq; re, nempe pro interna inſpiratione, ſeu qualibet gratia excitante ambo ſumantur) quidnam præceſſerit, vox, an pulſatio. Neque enim facile ex verborum contextu colligi poteſt: quid vero per pulſationem iſtam, quidue per vocem dilecti hic accipiendum ſit, ex propoſitæ huius difficultatis ſolutione patebit.

Si ex humanis diuina ſint explicanda, prout ſæpe fieri operæpretium eſt, quadruplicem reperio modũ ab ijs obſeruari ſolitum, qui aperiri ſibi velint fores ædium, in quas optent admitti. Aliquando.n. pulſant duntaxat fores, nil vocis exprimentes, niſi vt ijs reſpondeant fortaſſe, qui interrogent ſe vt prodant, quinam ſint, quidue ſibi velint. Aliquando è conuerſo ſe res habet: contingit quippe ſæpius, vt abſque vlla pulſatione, voce, vel etiam ſibilio dẽt aliqui ſignum, & efficiant, vt ſibi aperiatur. Nonnunquam alij voce quidẽ primum inclamant, vocantes illos, qui intra ſunt, petenteſue, vt ſibi aperiatur: At cum eorum non exaudiuntur voces, vel quia dormiunt ſopore graui, vel quia longius ab ijs, qui clamant, diſiuncti ſunt, qui aperire deberent, vel quia vox eorum nota minime eſt, tunc ad voces adijciunt pulſationes. Denique alij ſunt, qui primo quidem fores ipſas pulſant, ſed cum pulſationi non reſpondetur, vel etiam quo citius, ac libentius ſibi aperiatur, ad pulſationes adijciunt & voces. Ex his primi, ac tertij ordinarie in domus ingredi volũt eorũ, à quibus minime agniti ſunt vnquã, ſeu quibus ipſorũ vox nequaquam eſt nota, vel ſaltem tunc minime illorum penetrat aures. Secundi vero, ac quarti aperiri ſibi efflagitant ædes è veſtigio illorum, quibus inclamãs vox optime eſt cognita, quiue vel amici ſunt, vel amicitia aliquando fuere coniuncti. Iſtos ſane quatuor modos omnes diuerſis temporibus, & cum diuerſis perſonarum generibus: vel nonuullos etiam eorum aliquãdo ſimul cum vna eademque anima ſeruat Deus animarũ dilectus, quãdo ad conuerſionẽ adducere aliquem vult, quando in peccatorum corda vult admitti, quando & ad maiorem profectũ in vita ſpirituali ſanctos quoſq; vult promouere: In omnibus tamen modis liberam ſeruat cuiuſque voluntatem, ita vt liberum cuique ſit aſſentiri, vel non aſſentiri, quod optime indicatur hoc loco, vbi conuerſio ipſa ſuadetur huiuſmodi verbo, *Aperi mihi*, vt poſtea explicabo. Pulſauit fores obſtinationis in Anthioco, *a* percutiens eum infirmitate peſſima, vt legitur in libro 1. Machab. ac pulſatione multarum ærumnarum admitti curauit in cor illius, à quo tamen nequaquam fuit admiſſus. Significauit *b* Dominus Ieſus idipſum voce duntaxat Petro & Andreæ, filijſue Zebedæi, vocans illos è mari Galilææ, & Matthæo; *c* vocans è telonio, atque illico intra admiſſus ab illis fuit, quando relictis nauibus, retibus, ac vniuerſis, quibus concluſum tenebatur ipſorum cor, ſecuti ſunt Dominum. Voce primum, tum etiam pulſatione à Iudæis aperiri ſibi efflagitauit, à quibus minime admiſſus conqueritur in libro Prouerb. dicens: *d Vocaui, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret: deſpexiſtis omne conſilium meum & increpationes meas neglexiſtis.* Sic in libro quoque Apocalypſis, Laodicenis voce primum dicit, quo aperiant: *e Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus: vtinam frigidus eſſes, aut calidus*, &c. Et paulo infra: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, & probatum, vt locuples fias, & veſtimentis albis induaris, vt non appareat cõfuſio nuditatis tuæ: & collyrio inunge oculos tuos, vt videas.* Tũ adijciẽs etiam pulſationẽ ſubdit idemmet Dominus: *Ego quos amo, arguo, & caſtigo. AEmulare ergo, & pœnitentiam age*: Apertiuſue ſe declarãs, addit: *Ecce ſto ad oſtiũ, & pulſo.* Sto, inclamans ſcilicet, *& pulſo* correctione, & flagellis: *Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* Quarto demum modo aliquando vſum eſſe cum Iudæis pulſatione primum, tum adiecta etiam voce, nec tamen ab illis admiſſum ſignificauit Ieremias Prophetа in cap. ſecundo, ex perſona Domini dicens: *f Fruſtra percuſſi filios veſtros, quaſi leo vaſtator generatio veſtra. Videte Verbum Domini* (en vocem adiectam:) *Nunquid ſolitudo factus ſum Iſrael, aut terra Serotina? Quare ergo dixit populus meus: reciſimus, non veniemus vltra ad te?* Paulus è conuerſo *g* pari modo pulſatus primo, dein & vocatus, dilectam vocem agnoſcens, eum illico vt dilectũ admiſit intra ſe, quem paulo prius vt hoſtem à ſe arcebat, cui & oſtia clauſa obiecerat: Vnde in Actibus Apoſtolorum ſic reperimus ſcriptum: *Saulus adhuc ſpirans minarum, & cædis in diſcipulos Domini acceſſit*, &c. (en fores, & ſeris obſeratas & obfirmatas peſſulo obſtinationis) id.n. indicat particula illa, *adhuc. Et ſubito circumfulſit eum lux de cœlo: & cadens in terram* (en pulſationem) *audiuit vocem dicentem ſibi: Saule, Saule, quid me perſequeris?* en vocem. Vis videre quomodo aperuerit? Audi illum dicentem: *Domine, quid me vis facere?*

Hoc quarto modo vſus videtur hoc loco ſponſus quando piam animam, quæ aliquando per obſtinationem in peccato fores Deo clauſit cordis ſui, ad conuerſionem pertraxit. Quod.n. dicitur, *Vox pulſantis*, videtur ſignificare pulſantem emiſiſſe vocem, id eſt eũ, qui pulſabat, dediſſe & vocem, ita vt pulſatio vel præceſſerit vocem, vel ſaltem ſimul cum voce fuerit. Notandum eſt autem, duplici genere pulſationis in pulſando, cum ſibi à quoquam aperiri velit, & duplici pariter vocis genere vti ſolitum Deum, cum aliquem ad conuerſionem vocat. Pulſat nonnunquam ærumnis, & tribulationibus, nonnunquam vero pulſat & beneficijs ſpecialibus. At ſæpius contingit, vt peccatrices animæ ſic pulſatæ vel ærumnis, vel gratijs aliquibus particularibus, nequaquam rationem habeant huiuſmodi pulſationis, minime aduertentes, quid ſibi Deus ab ipſis velit pulſationibus hiſce: imo nec intelligentes, quod Deus ſit, qui tribulationes illas immiſit, vt vexatio daret eis intellectum: quiue & beneficia illa contulit, vt per ipſa excitarentur, & emollirẽtur illarũ corda ad conuerſionem, & pœnitentiã: ideo addit voces, quo nihil prætermittat eorum, quæ talem deceãt dilectum, indicans, aperteque faciens illis exploratũ, quid pulſationibus ijs ſuis intendat: voceſque iſtæ aliquando ſunt internæ tantum, aliquando etiã externæ. Internæ ſunt illæ, quas cõmuni vocabulo diuinas nuncupamus inſpirationes, quaſue ex ſententia Gregorij Papæ cõmuniter etiã recepta deſcriptas habemus in l. Iob verbis hiſce: *h Porro ad me dictũ eſt verbũ abſconditũ, & quaſi furtiue ſuſcepit auris mea venas ſuſurri eius.* Externæ vero eæ ſunt, quibus Deus locutus eſt per Prophetas, ſãctoſq; illos, quorũ monita habemus in ſacris literis, quibuſue & per ſe ipſum locutus eſt in carne cõuerſans.

Pulſat Deus animam beneficijs & flagellis.

Vox Dei ad animã ſcilicet interna & externa.

a 1. Mach. 6 8.

b Mat. 4. 18

c Mat. 9. 9.

d Pro. 1. 24.

e Apo. 3. 15

Apoc. 3. 20.

f Iere. 2. 30.

g Act. 9. 4.

h Iob. 4. 12

14.

uersans. Voces quoque externæ omnes eæ sunt, quibus erudimur ab his qui prædicant verba salutis, teste
i 2. Cor. 5. 20. Apostolo, qui ait: *i Pro Christo legatione fungimur, tanquã Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo: Reconciliamini Deo.* Quocunque istarum vocum tam externa, quã interna notissima ijs est vniuersis, qui prædestinati sunt ad salutem, tametsi aliquando per peccatum à Christo sint elongati, dummodo illas audiant inter-
k Ioan. 10. 3 no, vel externo auditu: k *Oues* quippe *meæ*, ait ipsemet Christus in Euangelio, *vocem meam audiunt*: & exponit, quod audire istud, sit cognoscere, & intelligere, dum subijcit: *Et cum proprias oues emiserit, ante eas vadat, & oues illum sequuntur, quia sciunt vocem eius.* Non explicat sponsa quam istarum vocum audierit, quaue ad conuersionem vocata sit; externane, an interna: ex enarratis tamen ipsius vocantis verbis hisce, *Aperi mihi soror mea*, &c. interna potius extitisse, colligitur, vehementsque inspiratio, qua immediate Deus peccatricem allocutus sit animam, quamquam nihil prohiber, quin internam vocem istam præcesserit, & externa vel ex lectione aliqua spirituali, vel ex ore docentis prædicatoris: Ex ijsdem quoque verbis, *Aperi mihi soror mea*, &c. arguere licet & alterum, quod sponsa eadem non explicat, pulsationem nimirum, quæ vocem dictam præcessit, ex illo extitisse pulsationis genere, quæ specialibus sit beneficijs. Idcirco enim voce explicantur, quæ antea præstita fuere beneficia spiritualia, vt temporalis, præsentisue beneficij pulsationi maior vis tribuatur. Ex consequẽtibus etiam id ipsum confirmatur. Cum enim nec pulsatio per beneficia specialia, nec vox tam vehemẽtis benignæque inspirationis id obtinere potuissent, vt anima Deo aperuerit pulsanti, atque vocanti, ad beneficia & inspirationes dicuntur adiecta flagella, & tribulationes, vt videbimus infra in versiculo quarto: *Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius.*

15 *In conuersione peccatoris Deus procedit vt pater benignus.* Circa vocem, animaduertendum est primo, Dominum Deum in vocatione, quæ hic describitur, imitatum videri benignum illum patrem, qui filium vnice à se dilectum præcipitem in vitia irruentem ad rectũ virtutis iter reuocare satagens, eo ad se accersito, reducit quidem illi primum in memoriam, quanta ipsum eousque prosecutus sit charitate, quanta ipsi exhibuerit amoris indicia, quantum, quo ipsum proueheret, elaborarit, quantasue pro ipso fecerit expensas, quo virum probum, virtute præditum, scientijsue redderet excultum: Tum è vestigio ingentem ei proponit ingratitudinem ipsius, exponitque, quam modicum tantis profecerit expensis, tantaque cura: quam male tantis responderit amoris indicijs, quamue prauum prosequatur iter, vt ille omnibus hisce perpensis erubescens, & pœnitentia ductus corrigat viam suam: Eadem quippe ratione & Deus ipse, qui pater est misericordiarum, quo animam sibi dilectissimam à peccatis reuocet, in quæ ea miserrime prolapsa est, ipsam vocans beneficia illi commemorat, quibus eam cumulauit, quantasue pro ipso fecit expensas: Tum pari modo eidem commemorat & ingratitudines ab ipsa repensas, iniuriasue, quibus affectus ab ipsa est per ea, quæ commisit peccata. Secundum istud aget in ijs, quæ subsequentur, verbis: *Quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium*: Primum vero agit in his, quæ modo exponimus: *Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* Porro quatuor blandis hisce appellationibus quatuor præstantissima commemorat beneficia quæ in ipsam animam contulit, priusquam illa in ea prolapsa esset peccata, quibus modo erat contaminata. In commemoratione istorum beneficiorum non seruat ordinem prioritatis, sed ordinem excellentiæ, sicue transuerso ordine Baptismi lauacrum, quod ordine prioritatis primo loco ponendum fuisset, vltimo ponit loco, Confirmationem penultimo, ante Confirmationem Sacramenti Eucharistiæ communionẽ, & ante omnia ista communicationem ponit gloriæ cælestis, quæ beneficijs præstantior est vniuersis. Dum eam igitur dicit *immaculatam suam*, primum indicat beneficium, quo ipse per lauacrum regenerationis immaculatam eam constituit, sicut & Ecclesiam vniuersam, de qua ait Apostolus: *a Christus dilexit Ecclesiam & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi: sed vt sit sancta, & immaculata.* Nomẽ vero *columbæ*, quo & Spiritus sanctus in sacris litteris designatur, aliud significat sacramentum, in quo præstãtius est beneficium, quoue robur dilectionis, atq; ipsius Spiritus sancti candori adijcitur, Sacramentum Confirmationis, perficiens esse immaculatum, quod in Baptismo collatum fuerat, de quo idem Apostolus inquit: *b Secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abũde per Iesum Christum Saluatorem nostrum.* Notandum est autem, quod cum sponsus dicit, *columba mea*, per pronomen, *mea*, non tantum significat, eam columbam factam ab ipso esse, donisue repletam Spiritus sancti, at insuper talem factam esse columbã, qualis columba eius est, haud scilicet ita debilem qualis columba sensibilis, quæ animalium omnium est imbecillima; sed & fortem, qualis est columba spiritualis, ipseque spiritus, qui è grandi robore virtus proprio nomine nuncupatus à Domino est, vbi Apostolis mandauit, *c* vt manerent in Ciuitate, donec virtute induerentur. Similem eidem columbæ, & Spiritui sancto factam nedum in robore, sed in alijs istis omnibus, quæ ei tribuuntur in lib. Sapientiæ ijs verbis: *d Est enim in illa Spiritus intelligentiæ sanctus, vnicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suauis, amans bonum, acutus, qui nihil vetat benefacere, humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutẽ, omnia prospiciens, & qui capiat omnes spiritus, intelligibilis, mundus, subtilis.* Hæc quippe omnia impertit spiritus ipse, quãtum fieri potest, creaturæ, dum effunditur abunde super animam in Sacramento Confirmationis: de quibus non est modo discurrendum per singula.

Beneficia quatuor præstatiora quæ Deus confert animæ fideli, baptismus. Confirmatio, Eucharistia & cælestis gloriæ hæreditas.

Tertium beneficium prædictis duobus præstãtius, nempe communicationem carnis, & sanguinis sui in conuiuio sacramentali, vt eidem animæ præstitum cæleste idem commemorat sponsus, dum ait, *Amica* (seu iuxta originalia Heb. & Septuaginta) *proxima mea.* Præclare autem eximium sacramenti huius beneficiũ hisce duabus vocibus *Amicæ*, seu *proximæ* Christi indicatur: Siue enim amicam Christi appellatam dicamus, ob id, quod Christus ingenti amore illam prosecutus sit, certe, cum nusquam melius iste amor dignosci queat, quam ex collatione istius sacramenti, quod propterea amoris vexillum appellatum est in superioribus, *e* apte admodum per amicæ vocabulum vicissim beneficium istud adeo insigne ei cõmemoratur, cui ex amore præstitum est: Siue velimus eamdem Christi amicam dictam; quia ipsa mutuo amore Christum quoque dilexerit, atq; adeo communem simul cum ipso instar amicorum degerit vitam, communi participarit & mensæ, prout de amicissimo sibi Achitofel refert regius Propheta dum ait: *a Tu vero homo vnanimis, dux meus, & notus*, id est amicus arctissimus meus, *Qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu*: profecto nullo aptiori vocabulo, quam amicæ suæ, istius Communionis beneficiũ indicare ei potuit sponsus, præsertim cum in præcedentibus sub eiusdem amicitiæ vocabulo idemmet sponsus ad hoc Sacramentum pios quosque inuitarit dicens; *b Comedite amici, & bibite.* Quanam vero in re proximior anima est eidem cælesti sponso, quam in communione corporis, & sanguinis eius? in hac ita inuicem approximantur, seu potius vniuntur; vt nulla in puris creaturis arctior reperiatur vnio, cui approximatio ista comparetur; atq; adeo ab ipso met spõso ei comparata est vnioni, quæ in diuinis est inter Patrẽ, & filium, vbi dixit: *c Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Sicut misit me viuens*

Eucharistiæ beneficio anima fit amica & proxima Dei.

a Ephes. 5. 25.

b Tit. 3. 5.

c Act. 1. 8.

d Sap. 7. 22

e Cant. 2. 4

a Ps. 54. 14

b Cant. 5. 1

c Ioan. 6. 56

viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: *& qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* Bene igitur per blandã iſtam vocem, *Proxima mea*, hoc ei animæ in memoriam reducit eximium vnionis huiuſce beneficium. Denique ſummum omnium beneficiorum eidem commemorat animæ, dum primo loco, eam ſic compellat, *Soror mea*: Siquidem iuxta ſententiam Pauli *d* mater noſtra eſt ſuperna Ieruſalem, quæ & cæleſtis pariter ſponſi mater eſt, quamquam alio pacto ſponſi mater ſit, atq; mater noſtra eſt: mater quippe ſponſi eſt ſecundum naturam; quia is de ſupernis eſt, & naturalis illius heres: mater vero noſtra eſt ſecundũ quã qui de terris ſumus adoptati fuimus in filios Dei, & cæleſtis illius Ieruſalem, fratres ac ſorores ſic effecti Domini Ieſu filij, & hæredis naturalis, vnde idem Paul. *e Non enim accepiſtis ſpiritũ ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater: Ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei: quod ſi filij, & hæredes, hæredes quidẽ Dei, cohæredes autẽ Chriſti.* Quãdo vero dicet aliquis quaue ratione ſoror Chriſti, eiuſdẽque matris Ieruſalẽ filia, & hæres ea facta eſt anima, quæ adhuc viuens à gratia Dei excidit per peccata, vel ſaltẽ excidere poteſt? Reſpõdet ad hoc idem met Apoſtolus in epiſt. ad Titum: *f* cum *benignitas, & humanitas apparuit Saluatoris noſtri* (non tantum ſcilicet tempore Incarnationis, ſed & tempore iuſtificationis cuiuſlibet animæ) *non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abunde per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrũ: vt iuſtificati gratia ipſius hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ.* *g* *Spe enim ſalui facti ſumus*, inquit in alio loco, & *h* *Spes iſta non confundit: quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctũ, qui datus eſt nobis.* Vnde haud ambigendum, quin certo exhibitum ſit ius ad cæleſtem gloriam ei, in cuius corde charitas diffuſa permaneat.

16

In conuerſione peccatoris quomodo Deus diſponat omnia ſuauiter.

Antequam paraphraſticum ſenſum afferamus, illud quoque hoc loco animaduertendum eſt, veritatem ex hiſce probari illius ſententiæ, qua in lib. Sapientiæ dicitur de ſponſo cæleſti, ſapientiaue increata: *i Attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.* In blandis quippe appellationibus attigit fortiter animæ mentem à fine vſque ad finem, reducens illi in memoriam præſtantiora quæ illi exhibuit beneficia à primo fine, primoque baptiſmi beneficio, vſque in vltimum finem, & poſtremum gloriæ, & beatitudinis, necnon & à poſtremo iſto, vſque ad primum: In pulſatione autem, ac ſimul in voce, pulſans primo fores, tum & haſce adijciens voces: *Aperi mihi ſoror mea, amica mea*, &c. diſpoſuit in eius animæ conuerſione omnia ſuauiter. Neque enim aliunde in illam ingredi tentauit, quam per oſtium, iſtudue ab ea ipſa vult ſibi aperiri, à qua ſibi item fuit clauſum: nulla vtitur violentia, quin ſuauiſſima vtitur oratione, qua & ſuauiter diſponere nititur repugnantem: k *Amen, amen dico vobis*, ait ipſemet ſponſus, *qui non intrat per oſtiũ in ouile ouium ſed aſcendit aliunde ille fur eſt, & latro: qui autẽ intrat per oſtium, paſtor eſt ouium: Huic oſtiarius aperit, & oues vocem eius audiunt.* Diabolus, & Angeli eius, cæterique animæ hoſtes, mundus, atque caro non intrant per oſtium, ſed per feneſtras, iuxta illud: l *Mors intrauit per feneſtras*: per ſenſus irrepunt in cor, illudue deprædantur teſte Propheta illo, qui ait: m *oculus meus*, id eſt id, quod per oculum meum ingreſſum eſt in cor meum, ſiue terræ aliquid ſit, ſiue carnis ſiue Satanæ, *deprædatus eſt animam meam.* Quod ſi quando per oſtium ingrediuntur, cum clauſas reperiunt ſenſuum feneſtras, non intrant pulſantes, ſed violenter potius in illud ipſum, quod clauſum eſt cor, irrumpunt prauis, fœdiſue cogitationibus, & motibus. Hanc irruptionem ſignãter explicauit Paul. in epiſt. ad Rõ. ex peccatoris perſona ſic dicens: n *Condelector legi Dei ſecundum interiorẽ hominem* (en clauſum oſtium: vide interruptionem) *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis*, id eſt, non modo oppugnantem legem mentis, legemque Dei, ac rationis meæ, qua quaſi præforti oſtio concluſeram cor meum, ſed etiam oſtium ipſum expugnantem, & captiuum me atque cor meum ducentem in legem peccati, quæ eſt in membris meis, vim quodammodo mihi inferentem, vt peccatis ipſis conſentiam, ſiue ita peream, vt perditio mea ex me ſit. o *Fur non venit, niſi vt furetur, & mactet, & perdat*, ait Dominus: *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant.* Non poſſet profecto diabolus, & omnes ſpirituales nequitiæ per irruptionem aliquã in cor hominis ſic ingredi, vt poſſeſſionem eius caperent, neque fores legis mentis effringere, ſeu deturbare poſſent quantalibet violentia, ni intrinſecus exiſtentes hoſtes noſtros inteſtinos haberent ſocios, cõcupiſcentiã, prauumque conſenſum. Irrumpunt quidem illæ ſpirituales nequitiæ, admiſſæ tamen, irrumpunt vt fures captiuam facientes animam ipſam, mactantque, & perdunt illam: At perditio iſta ab inteſtino potius prouenit hoſte: p *Vnuſquiſque* enim *tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus. Deinde concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum vero cum conſummatum fuerit, generat mortem.* Porro tunc conſummatum peccatum eſt, cum diabolus vna cum peccato regnat in corde, in quod violenter admiſſus eſt. Ideo tam enixe hortatur Paul. q vt *non regnet peccatum in noſtro mortali corpore vt* obediamus *cõcupiſcentijs eius.* Dominus Ieſus etſi ad ſuum beneplacitum ingredi in idem cor animæ peccatricis valeat, abſque vllaviolentia ingredi nihilominus nititur, pulſat, efflagitatq; ab illa ipſa admitti, à qua expulſus iam fuit: nec ſemel dumtaxat pulſat, ſed ſtat, perſeuerans patientia admirabili, conteſtans, ſe per oſtium ingredi velle, vt vitam aperienti conferat, & vitam iucundiſſimã, prout apertius patet per id quod dicit in lib. Apoc. *a Ego ſto ad oſtium* expectans ſcilicet, non irrumpo violenter, ſed perſeuero pulſans: *Si quis aperuerit mihi*, admittens, ſcilicet gratiam meam, illiue conſentiens, *intrabo ad illum* pacifice, *& cœnabo cum illo, & ipſe mecum*, iucundam ſimul ducentes vitam.

Paraphraſticus ergo eorum, quæ hic dicuntur, ſenſus hic eſt. Primo conuerſionis meæ tempore, is, qui, etiam cum in peccatis obuoluerer, diligebat nihilominus me, ac propter nimiam charitatem ſuam dilectus meus appellari non dedignabatur, qui & Deus meus, adſtitit mihi præſens, ſicue ſuauiter diſpoſuit omnia, quæ meæ cõducebant conuerſioni; ſtetit magna longanimitate me expectans ad pœnitentiam, ſuſtinenſque excluſionem; ſpecialibus beneficijs ipſam pulſauit obſtinationem meam, qua tanquã oſtio obſeratum illi tenebam cor meum: cumque pulſationes iſtæ haud me mouerent, excitatam beneficijs, inuitauit inſuper & voce: *Vox* quippe illius *dilecti mei*, vox inquam inſpirationis facta ad me eſt intrinſecus, qua ingens eius mihi exprimebatur deſiderium ingrediendi intra penetralia mei cordis. Audire mihi viſa ſum illum, ſic me affantem: O anima, cui tot, tamque eximia contuli beneficia, quam cohæredem feci cœleſtis regni vt ſororem meam ex eodem patre, & ex eadem matre Ieruſalem cœleſti; cui vt amicę meæ ſacramentum contuli corporis, & ſanguinis mei, Sacramentum vero Confirmationis exhibui, vt mea eſſes columba cœleſti; ſimilis columbæ meæ Spiritui ſancto, quamue per Sacramentum Baptiſmi ante omnia immaculatam feci meam, ipſe, ipſe ſum, qui te hiſce cumulaui beneficijs. Cur patieris, vt extra cor tuum diutius ſtans, pulſanſque ſubſiſtam. Nolo aliunde intrare, quam per oſtium: Tu (neque enim deeſt tibi gratia mea) ex tuo libero arbitrio amoue ſeras forteſque fores obſtinationis, & prauæ conſuetudinis. Tu *mihi aperi*, ipſe, præcedente libero arbitrio tuo, ſubſequar, deferens intrinſecus & gratiam iuſtificantem. *Mihi aperi*, non hoſtibus meis, ſimul ac tuis vim tibi inferentibus.

d Gal. 4. 26.

e Ro. 8. 15.

f Tit. 3. 4.

g Ro. 8. 14.

h Ro 5. 5.

i Sap. 8. 1.

k Io. 10. 1.

l Ier. 9. 21.

m Thren. 3. 51.

Animæ hoſtes quomodo in illam irrumpant, eamque furentur.

n Ro. 7. 22.

o Io. 10. 10

p Iacob 1. 14.

q Ro. 6. 12.

a Apoc. 3. 20

Paraphraſis.

Ex Verſ. II. ca. V. *Vox dilecti mei pulſantis, Aperi mihi ſoror mea, amica mea, colúba mea, immaculata mea.*

Expositio IIII.

De tertia Sponſa, quæ eſt Beata Virgo Maria.

17 SI exactius illa ſanctæ Eliſabeth perpendantur verba, quibus de glorioſiſſima Virgine loquens dixit:
b Luc. 1. 45. *b Beata, quæ credidit, quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt ei à Domino*: Intelligemus celſitudinis beatitudinem, B
Maria quomodo ob fidem beata prædicetur. inſignemque Dei genetricis gloriam B. Mariæ non tã inde proueniſſe, quod perfecta ſint illa, quæ dicta ei à Domino fuerant, ſuperuentio Spiritus ſancti obumbratioque virtutis Altiſſimi, aut conceptio, & partus eius, qui filius Altiſſimi vocandus eſſet, quam ex eo, quod fidem præbuit Angeli verbis, ex eo, quod credidit, non eſſe impoſſibile apud Deum omne verbum, atque adeo ea omnia perficienda in ſe, quæ per eumdem Dei nuntium ſibi fuerant prænuntiata, tametſi omnem naturæ ordinem prætergrederetur. Necnon & ex eo, quod ijs omnibus, quæ facienda in ipſa erãt, fidelem ſui præbuit conſenſum. Hinc eſt, quod hoc loco, vbi ipſamet refert proceſſum totius myſterij Incarnationis, in iſto, quod præ manibus habemus, eius myſterij principio, ardentiſſimum enarrat dilecti ſui ſtudium, quod in hoc vnum adhibuit potiſſimum, antequam carnem ex ea, & intra eam aſſumeret, vt fidelem iſtum ab illa extraheret conſenſum, quo veluti aperto per eam oſtio, is ingrederetur in eius vterum per portam illam ab Ezechiele deſcriptam, ſemper clauſam, admittentem nihilominus Deum, quoue id aſſequeretur, vt beata prædicaretur, & eſſet. At igitur, ſibi quiete contemplationi indulgenti adſtitiſſe dilectum ſuum, quod & Gabriel Angelus in ſua ſignic Luc. 1. 27. ficauit ſalutatione, cum dixit: *c Aue gratia plena, Dominus tecum*: adſtitiſſe vero pulſantem; verbis nimirum eiuſdem Angeli ipſam excitantem, oſtiumque fidei ipſius, quaſi tot pulſaſſe ictibus, quot verba protulit Angelus in ſalutatione, atque in eo, quod è cælis
Paraphraſis. ei detulit nuntio. Dum autem is ſic externis Angeli verbis pulſaret, intrinſecus ſibi auditam ipsãmet eius vocem, talibus ſe affantem: *Aperi mihi* oſtiũ fidei tuæ, aſſentire mihi fideliter, vt ingrediar in vterum tuum. Ita enim *amica mea* es, atque præ mulieribus omnibus mihi dilecta, eo arcto amoris vinculo proxima, vt amor ipſe cum pudiciſſimus ſit, tu quoque pudiciſſima perſeueres, dilecta mihi, & proxima inſtar pudiciſſimæ ſororis meæ. *Columba mea* tu es, vnique mihi E
ſponſata, columba ſane fœcunda propter partũ, quo me concipies, & paries fœcundata ab Spiritu ſancto; attamen ſimul & *immaculata mea* perſeuerans, nihil labis exiſta contrahens fœcunditate, & immaculata permanente virginitate tua.

Ex Ver. II. ca. V. *Vox dilecti mei pulſantis, Aperi mihi ſoror mea, amica mea, colúba mea, immaculata mea.* F

Appendix Expoſitionum, Ex antiquis Patribus collecta.

18 PAraphraſis Chaldaica: Et vox Spiritus ſancti admonebat eos per manus Prophetarum, & excitabat eos de ſomno cordis eorum. Reſpondit dominator totius ſæculi: Conuertere ad pœnitẽtiam, aperi os
Contemplatiui excitantur à Chriſto ad procurandam proximorum ſalutem. tuum, & exulta, & lauda me ſoror mea, dilecta mea Synagoga Iſrael, quæ comparata es columbæ in perfectione operum tuorum. Vt iuſtis hæc dicta ſumuntur ab omnibus fere Patribus, & quidem communio- A ri ſenſu, vt dicta contemplatiuis à Chriſto illos excitante, ad procurandam proximorum ſalutem. Ita Caſſiodorus, Greg. Pap. Beda, Iuſtus, Anſelmus, Richar. de S. Victore, Rup. Abb. licet id applicet ad B. Virginem; ſed Aug. ante hos omnes, clariuſue hunc ſenſum, Ser. 57. in Ioann. ita proſequitur. In ijs qui contemplationi vacantes ſuauiter, & humiliter requieſcunt, dum otioſe oblectatur Eccleſia, ecce pulſat, qui ait: *d Quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta.* Vox ergo pulſat ad ianuam, & dicit: *Aperi mihi ſoror mea*, &c. Pulſat, vt excutiat quietem ſanctis otioſis, & clamat: *Aperi mihi* de ſanguine meo, *Soror mea*, de acceſſu meo, *proxima mea*, de ſpiritu meo, *columba mea*, de ſermone meo, quem plenius ex otio didiciſti, *perfecta mea, Aperi mihi*, prædica me, ad eos quippe qui clauſerunt contra me, quomodo intrabo ſine aperiente? Quomodo enim audient ſine prædicante?

Caſſiodor. Greg. PP. Beda. Iuſt. Crgel. Anſelmus. Rich. Vict. Rup. Abb. Auguſt. d Matt. 10. 27.

Alij tamen iuſtis hæc dicta ſumunt à Deo quærente in illos ingredi. Ad ingreſſum per cognitionem referunt ea tres Patres, explicatque peroptime hunc ſenſum Greg. Nyſſ. hom. 11. vbi quatuor notat circa iſtorum verborum expoſitionem. Primum, Deũ illi ſeſe exhibere præſentem, qui dormiens ſæculo, vigilet Deo, quiue contemptis terrenis, inuigilet cæleſtibus, *a Similis expectantibus Dominum ſuum, quando reuertatur à nuptijs: vt cum venerit, & pulſauerit ianuam, confeſtim aperiant ei*, vt dicitur in Euangelio.

Tres Patres. Greg. Nyſſ.

Præſentem cui ſe exhibeat Deus.

a Luc. 12. 36

Secundum, Deum aperuiſſe quidem ſæpius ſponſę, ſemper autem ſponſam ipſam, & animam ſanctam lætari de noua Dei cognitione, ſemperque illi remanere deſiderium nouæ illius cognitionis, & manifeſtationis, ex quo deſiderio exultat ad vocem ipſius, cum ex voce illa promiſſam percipit eius apparitionem: cuius rei affert rationem hanc Nyſſ. Quia etſi aliquid Dei agnoſcamus, ſemper plus ſupereſt agnoſcendũ, quam id ſit, quod agnouimus. Sicut qui videt magni alicuius fontis aquam è principio venæ ſcaturientẽ, etſi aquam videat, qua ingentes fiunt fluuij, plus tamen ſupereſt ſemper videndum eius aquæ, quæ nondum ſcaturiuit.

In pia anima cognitio Dei cauſat deſiderium vlterioris cognitionis eiuſdem.

Simile.

Tertium, piam animam cognitionem hanc Dei deſiderantem in cognitione ipſa æque, ac in amore ſemper proficere: ſicque ſponſam primo audire pulſantẽ, tametſi nondum agnoſceret, quoadusque audiuit & vocem pulſantis: poſt vocis auditionem, tum intelligere: *Aperi mihi ſoror mea*, &c. Quemadmodũ & Moyſi primo per lucem cœpit Dei apparitio, poſtea per nubem Deus cum eo loquitur, denique perfectior effectus Deum ipſum videt in caligine.

Anima ſancta ſemper proficit in cognitione Dei æque ac in amore eiuſdem.

Quartum, oſtium mentis noſtræ eſſe coniecturalem myſteriorum cogitationem, & contemplationẽ, quod oſtium, quamue contemplationem ſponſus, & veritas pulſet per cognitionem ex parte in allegorijs, & ænigmatibus dicens: *Aperi mihi*, præbenſque ſimul & claues, quibus aperire anima queat, quatuor videlicet deſignata per iſta nomina, *Soror mea, proxima mea, columba mea, perfecta mea*; ac ſi dicat; Si vis aperiri oſtiũ, & attolli portas tuas, vt rex ingrediatur, oportet te meam fieri ſororem, faciendo voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, appropinquare veritati, & adeo exacte eſſe propinquam, vt nullo intermedio diſiungaris, & habere in natura columbæ perfectionem, nulla in re deficere, & eſſe plenam omni innocentia, & puritate.

Claues, quibus anima aperire queat oſtium intellectus ſui, vt Deus per illum ingrediatur agnitus.

19 Ad ingreſſum eiuſdem Dei in cor piorum per varias portas referunt alij: per ianuam quidem deuotionis, Amb. lib. de Iſaac, & anima c. 6. his verbis; Etſi dormias, ſi modo deuotionem animæ tuæ nouerit Chriſtus, venit, & pulſat eius ianuam, & dicit: *Aperi mihi ſoror mea*, quia nuptiæ ſpirituales ſunt Verbi, atque animæ. *Aperi mihi*, ſed extraneis claude, ſæculo claude, neque ipſa foras, ad illa materialia prodeas, neque tuum relinquens lumen, alienum requiras. *Aperi* ipſam te *mihi*, noli coarctari, ſed dilatare, & adimplebo te.

Admittit vult Deus in piã animam per ianuam deuotionis. Ambroſ.

Ianuam oris ſibi aperiri petit Chriſtus per orationes.

Per ianuam oris in oratione idem Ambr. lib. exhortat.

hortat. ad Virg. poſt dimidium, dicens; Eſt & illa ianua, quam vult parere, vt aperiatur: vt reſonet os tuũ laudem Domini, gratiam ſponſi, crucis confeſſionem, cum ſymbolum recenſes, Pſal. in cubiculo tuo concinis. Ipſa eſt anima, quæ ſe Chriſto aperit, quam nudi vapores carnis exagitant.

Ingredi in animã vult Chriſtus, ſed per ianuam fidei.

Per Ianuam fidei idem Amb. Ser. 12. in Pſ. 118. ver. 1. dicens: Ianua noſtra fides eſt, quæ totam domum, ſi fuerit robuſta, communit. Per iſtam ianuam Chriſtus ingreditur, vnde & Eccleſia dicit: *Vox fratris mei pulſat ad ianuam.* Audi pulſantem, audi introire cupientem. *Aperi mihi ſoror mea ſponſa, columba mea, perfecta mea.* Et paulo infra: Habemus, inquit, animæ noſtræ ianuam, habemus & portas. Ex varijs autem Pſalmorum locis oſtendit Amb. alias eſſe portas, quæ dicuntur æternales: alias, quæ dicuntur portæ iuſtitiæ, tametſi haud explicet, quænam iſtæ ſint, ſed diſtinguens, ait. Eſt ergo anima quæ habet ianuã, eſt quæ habet portas: ad hanc ianuam venit Chriſtus, & pulſat, pulſat & portas.

Ianuæ, & portæ animæ ſanctæ ſunt multiplices.

Theodo. Chriſtus mittitur intra animam per fores ſenſuum.

Per ianuas, ſenſus corporis intelligit Theod. dicẽs: Dum vigilat ſponſa, licet ea dormiat ſomno corporeo, voce fruitur ſponſi, eumque ad fores pulſantem exaudit. Quæ autem fores animæ ſunt, niſi corporis ſenſus, per quos ſponſa ſponſum excipit non modo pulſantem, verum etiam præcipientem, vt ſibi fores aperiantur? Hier. quoque huc reſpexiſſe videtur, dum epiſt. 22. ad Euſtochium poſt dimidium, hæc habet: *Vox fratruelis mei pulſantis, & dicentis. Aperi mihi ſoror mea, proxima mea, perfecta mea, columba mea*: Quid neceſſe eſt, inquit, vt cordis tui oſtia clauſa ſint? Sponſo aperiantur Chriſto, claudantur diabolo, ſecundum illud: *b Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, ne dimiſeris locum tuum.* Daniel *c* in ſublimi cœnaculo ſuo (neq; enim manere poterat in humili) feneſtras apertas ad Ieruſalem habuit: & tu habeto apertas feneſtras, ſed vnde lumen introeat, vnde videas Ciuitatem Domini: ne aperias illas feneſtras, de quibus dicitur; *d Intrauit mors per feneſtras noſtras.*

Cordis oſtia etſi diabolo claudenda, nuſquam tamen Deo.

b *Eccl.* 10. 4.

c *Dan.* 6. 9.

d *Iere.* 9. 21

Iuſtum quoque ad maiorem perfectionem per hęc vocari, cenſet Philo Carp. dicens: Quicumque Deo paret, & illius præcepta ſtudioſiſſime conſeruat, is ſe quotidie ad ianuam cordis acciri, & admoueri ſentit ad meliora ſemper, & altiora charitatis opera facienda, quod appellationes ipſæ ſignificant. Eiuſdem iuſti animam Chriſtum vocare in articulo mortis, arbitrati ſunt Caſiod. & Beda ex illo Euangelij; *e Vos ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum, quando reuertatur à nuptijs, vt cum venerit, & pulſauerit, confeſtim aperiant ei.* Confeſtim enim ſic Domino pulſanti aperimus, ſi mortem læti excipimus, neque ad iudicium eius inducí formidamus, cui nos in bonis operibus placuiſſe, quem nos ſemper honoraſſe meminimus. Mariam denique omnium iuſtiſſimam per hæc excitatam ad conſentiendum incarnationis myſterio cenſuit Ber. dum homi. 4. ſuper Miſſus eſt, habet: Aperi Virgo beata cor fidei, labia confeſſioni, viſcera creatori. Ecce deſideratus cunctis gentibus foris pulſat ad oſtiũ: O ſi te morante pertranſierit, & rurſus incipias dolens quærere quem diligit anima tua, ſurge, curre, aperi: Surge per fidem, curre per deuotionem, aperi per cõfeſſionem. Ad eamdem glorioſam virginem vt excitatam ad prædicationem à filio poſt reſurrectionem refert hæc ipſa Rupertus Abbas.

Philo Carp.

Caſiodor. Bedą.

e *Luc.* 12. 36

In articulo mortis piam animam ad ſeſe vocat Deus.

Maria excitatur ad cõſentiendum Incarnationis myſterio in ſe conſummando. Bernard.

Maria excitata à Chriſto ad prædicationem. Rup. Abb. Ambroſ.

Non defuerunt tamen, qui haud ad iuſtos, ſed ad peccatores hæc dicta accipiant: Nam Amb. ſer. 1. in Pſ. 118. ver. 1. Attolle, inquit, oculos mentis & videbis non ſolum angelos, ſed etiam Deum, qui dicat tibi: *Aperi mihi ſoror mea, proxima mea.* Pulſat ad Ianaam & quando tu dormis, ſi tamen excitatus euigiles, vel vocatus ianuam tui pectoris aperias, introibit. Quod ſi fugias lectionem propheticam, ſi domi non legas, in Eccleſia audire nolis, nonne es ſicut ille, qui auerſo conniuet obtutu, ne videat, quod poſſis videre, claudit oculos ne reſpiciat, cui poteſtas videndi eſt?

Pulſat, vocatque Deus per lectiones prophęticas & voces prædicatorũ.

Caſiodor.

Caſſiodorus quoque vocem iſtam, vocem internarum inſpirationum accipit, qua Deus inſpiret, & vocet animam ad aperiendum ſibi cor per pœnitentiã, & fidem. Conſentiunt huic ſenſui, quæ dicuntur ab Aponio, Beda, Iuſt. Org. & Philone Carpathio in ſuis commentarijs ſuper hunc locum.

Inſpirationibus vocantur animæ ad pœnitentiam Aponius. Beda. Iuſt. Orgel. Phil. Carp.

Sed & ad infideles eadem dicta ſumit Philo Carpathius dicens. Poſſunt & hæc referri ad tempus poſt reſurrectionem, cum Dominus noſter clauſis ianuis apparuit Apoſtolis, cum & Thomam incredulitatis reprehendit, & in eius perſona quamlibet infidelem animam, vtque ianuam ſibi cordis aperiret, ad fidem capiendam excitauit: vnde propinquam primum ipſam animam quaſi fidei vicinam, nondum tamen credentem, deinde ſororem, & ſponſam, & columbam, & perfectam ſuam ſponſus appellat, vt iamiam fidelem totam, & igne charitatis ardentem.

Thomam Apoſtolum quomodo Chriſtus poſt reſurrectionem pulſarit, atque vocarit ad fidei ianuam ſibi aperiendam.

Ex Verſ. II. cap. V. *Quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.*

Expositio I.

Iuxta ſonum litteræ.

FAcilis eſt iſtius litteræ ſenſus: poſt pulſationes enim, blandaſque voces exhibitas ad commouendum cor dilectæ ſuæ, vt ſibi aperiat, ſeque intra domum admittat, & tertias iam ſponſus adijcit machinas, eaſque validiores, quibus vel ob miſericordiam ſaltem flectatur, quæ ſimplici minime flectebatur charitate. Nihil enim amantium etiam ſubiratorum magis flectit animos, quam amatorum incommodum, vel imminens periculum aliquod. Idcirco maximam, quam ex nocturni aeris perpetiebatur, dum ita ſub dio maneret, proponit noxam ſimulq; & maius, quo d ſibi imminebat, indicat periculum, ſi intrinſecus ab ipſa nõ admittatur: Æque eſt autẽ, ac ſi dicat. 21

Primus ſenſus.

Aperi mihi, nec patiaris, extra fores diutius me manere frigido noctis tempore ſub dio, ni mortuum me velis: *quia* iam *caput meum* humido *plenum eſt rore, & cincinni*, crineſue mei *guttis* madent nocturnis, deciduaque & frigida fluunt pluuia *noctium*.

Paraphraſis.

Quamuis autem ſenſus iſte ſit commodiſſimus, addi nihilominus poſſunt & duo alij admodum congruentes. Siquidem quæ hic dicantur accipi poſſunt vel ad maiorem amplificationem amoris illius, qui ſibi aperiri petebat, vel ad improperationem ingratitudinis illius, quæ aperire tardabat.

Primo modo ſumpta illam ipſam amplificant rationem è charitate deſumptam, qua vna ſponſus aperiri ſibi efflagitat. Neq; enim alias adhibere vult machinas, quam vnius amoris, quo nil fortius nouit eſſe, nil durius. Hunc proteſtatus eſt blandis vocibus illis quatuor, ſororis ſuæ, amicæ ſuæ, columbæ ſuæ, & immaculatæ ſuæ. Hunc modo & euidenti comprobat effectu: Tantumdem quippe eſt, ac ſi dicat.

Secundus ſenſus.

Rogaui te, vt mihi aperires dilecto tuo, qui pro ſingulari in te dilectione te vnam volui ſororem meam, amicam meam, columbã meam, immaculatã meam. *Aperi* iã amabo tali dilecto tuo; *quia* ob ipſummet tui amorẽ intempeſtæ noctis frigore tuis adſto foribus, ros ipſe, quo *meũ plenum eſt caput*, ipſæque *noctium* guttæ, quibus mei madent *cincinni*, vehementiſsimæ meæ huius in te charitatis teſtes ſunt perquam optimi.

Paraphraſis.

Alio vero modo ſumpta vehementem eademmet verba continent obiurgationem. Increpare namque videtur ſponſus dilectam, quod moras in aperiendo moliretur, ſimulque eamdem incuſare ingratitudinis magnæ, quod vice adeo flagrantis charitatis, qua eam proſecutus fuerat, factoque exhibuerat, eligens eam, quam vnã pro ſua habere vellet ſorore, pro ſua amica, pro ſua columba, proque ſua immaculata, frigidum ab ipſa acceperit rorem, gelidaſue noctium guttas, ſub dio relictus: Ac ſi dicat.

Tertius ſenſus.

Ad primam mihi aperire debueras pulſationem: *Aperi*,

Paraphraſis.

Aperi, quid moraris? *Aperi mihi* dilecto tuo, qui vnam te volui sororem meam: *Aperi* vel de tua erubescens ingratitudine, quia ob tuas moras, *caput meum plenum est rore & cincinni* crinesue *mei guttis* pleni sunt *noctium*. Quoad vocum significationem, & lectionum varietatem in 1. par. verbisue ijs. *Quia caput meum plenum est rore*, nihil est, quod notandum sit: In altera vero parte & verbis illis, *Et cincinni mei guttis noctiū*, duo sunt animaduertenda. Primum est isto cincinnorum vocabulo haud existimandum, sponsum hic ab Spiritu Sancto proponi, qui cincinnatus, & calamistratus sit, capillos instar annulorum calamistro intortos gestans (quod fœdum, & ignominiosum honesto cuique est viro) sed qui Nazaræus sit, crinesue instar Nazaræorum gestet promissos. Quamquam nihil prohibeat, ipsos sponsi crines naturali flexu cincinnos præ se tulisse, prout colligitur ex similitudine, qua hoc ipso cap. 5. inferius cōmendantur, cum dicitur: *Comæ eius sicut elatæ palmarum*, vt ibi explicatur. Porro tametsi tā Hebraica vox קוצות Keuutzoth, quam & Græca βοστρυχοι, qua vsi sunt Septuag. etiam cincinnos designet, prout eam accipit Hier. significat tamen & crines ipsos, & comam prolixam, vnde in præcitato loco ipsemet Hier. vocabulo comarum eamdem reddit, vertens: *Coma eius sicut elatæ palmarum*. Et Amb. serm. 12. in Psal. 118. vers. 1. atque Aug. tract. 57. in Ioann. sequentes versionem Septuag. Sic & quod hic dicitur, legunt: *Et crines mei guttis noctis*.

Cant. 5. 11. *Hierony.* *Ambros. August.*

Quod dicitur, *guttis noctiū*, vel *noctis*, (vt habent Heb. & Sept. seu *nocturnis*, vt habēt Aquila & Symmachus,) duplicem habere potest sensum: Vel enim quid diuersum significat à rore, quo caput plenum esse, dictum est; Vel eumdemmet rorem. Si primum, exiguam quamdam significat pluuiam, quæ noctibus fieri solet iuxta eam Arist. doctrinam, quæ ait. Proprie nomina passionibus imponuntur, & quibusdam differentijs ipsarum: Cum enim secundum modica feratur, guttę, „ cum autem secundum maiores partes, pluuia vocā„ tur. Fauent huic sensui R. Salomon, & R. Innominatus dum vocabulum רסיסי resisse, quod in lectione Hebraica habetur Chaldaicum esse existimant, idem videlicet ipsum, quo vsa est paraphrasis Chaldaica in Cantico Deuteronomij: *Sicut guttæ super herbam*: Vbi Vulgata habent: *Quasi stillæ super gramina*.

Lib. 1. Meteor. Summa. 3. c. 1. *Deut. 32. 2.*

Melius tamen secundum alterum sensum eumdēmet significat rorem, qui & guttæ dicitur, & noctiū, quia noctibus decidat, vt ex philosophia constat, & ex experientia: & quia ob magnam copiam, qua caput replet, per crines capiti adhærentes defluens, in magnas, multasque decidat guttas.

Ex Vers. II. cap. V. *Quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.*

Expositio II.

De prima sponsa, quæ est Ecclesia Sancta.

22 REtulit in præcedentibus verbis Ecclesia, quomodo frequentissimis sanctorum Prophetarum vocibus eo tempore, quo in antiquo populo dormiebat, excitata fuerit ad conuersionem, prout fusius explicatum est in principio secundæ expositionis illorum: Retulit & quanta in eodem Iudaico populo à Deo obtinuerit beneficia, ipsomet Deo dilecto suo ea enumerante in his quatuor vocibus, *Soror mea amica mea*, &c. Addit modo & id, in quo potissimum ab eodem dilecto suo obiurgata tunc est, & ingratitudinis incusata.

Iudaicum populum ob idololatriæ scelus arguit sponsus cælestis.

Porro si Prophetarum, per quorum ora tunc Deus loquebatur, reuoluantur scripta, nulla re magis offensum, nullam ob rem frequentius populum illum obiurgantem, ingratitudinisue increpantem Deum videre est, quam ob idololatriam, cui is populus addictus maxime erat. Hanc & hic pariter exprobrans is ipse proponitur, sub egregijs metaphoris eo modo, quo & apud Ieremiam proponitur, apertius eundem populum, eamdemque Ecclesiam increpans, atque dicens: *a In omni colle sublimi, & sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix: ego autem te plantam vineam electam, omne semen verum. Quomodo ergo conuersa es mihi in prauum vinea aliena?*

a Iere. 2. 20

Vt autem hæc sponsi dicta percipiantur, primum inuestigandum est, quodnam sit caput Dei: siquidem Apostolus Paulus in prima epistola ad Corinthios istiusmodi gradationem faciēs, *b Omnis viri caput Christus est, caput autem mulieris vir, caput vero Christi Deus*. De capite Dei nihil dicit, quasi reuera Dei non sit assignare aliud caput, cum ipsemet sibi sit caput. Quod si ipse sibimet est caput, certe, dum hic ait: *Quia caput meum plenum est rore*: nomine capitis sui ipsam significat diuinitatem suam: Vel, si spiritualia membra eidem assignare velimus eo modo, quo & animæ assignamus (tametsi & hæc expers membrorum sit, quatenus spiritus est) iuxta varias, quas in se habet virtutes: qua ratione ob varia attributa, diuersa quoque membra in sacris litteris ipsimet Deo adscripta reperimus, faciem, aures, oculos, nasum, brachium, manus, digitos, & alia huiusmodi: quo modo eadem eius attributa, atque virtutes sub variorum membrorum metaphoris in hoc ipso capite quinto sponsa singulari celebrat encomio: eam sane virtutem, idue attributum caput Dei intelligemus esse, quæ est caput virtutum omnium, charitatem nimirum eius, bonitatemq; ipsius, quæ inter reliqua attributa primum facile obtinet locum: Ros autem super istiusmodi Dei caput ipsam significat idololatriam, qua cultus vni Deo debitus creaturis exhibetur, qua creaturæ ad æthera falsis eleuantur opinionibus, & vero præferuntur Deo; quaue quicquid boni, quicquid eximij, atque præclari vel à charitate, vel à bonitate, vel ab omnipotentia Dei est, id omne creaturis adscribitur.

Caput Dei ipsa est. *b 1. Cor. 11. 3.* *Idololatriae est ros spiritualis, quamvere sic dicta sit.*

Enimuero ros aliud non est secundum doctrinam Philosophorum, quam vapores tenues à Solis æstu ex imis terræ eleuati in sublime aeris, atque frigore serenæ noctis coacti. Porro si causas idololatriæ perscrutemur, quidue ipsa sit inuestigemus, inueniemus haud aliud esse, quam creaturas, easque sæpe etiam vilissimas, vt talpæ sunt, & vespertiliones, quas inter falsos Iudæorum Deos enumerat Isaias, *c* ab æstu concupiscentiæ, vel nimij affectus, vel nimiæ libidinis, vel vanæ gloriæ in sublime eleuatas, noctisue frigore, nimirum impia, ac peruersa ignorantia simul coactas, & quasi diuinum quid, ac cæleste in terras demissas hominibus in ipsis insciliæ tenebris, atque in frigore peccatorum persistentibus, vt colligere est ex Apostolo Paulo in primo cap. epist. ad Romanos, & apertius ex lib. Sapientiæ cap. 13. & 14. Huiusmodi itaque rore conqueritur Deus suum plenum esse caput, quod creaturæ positæ sint super diuinitatem suam, sibique prælatæ, & ipsa sua diuinitas illis operta sit, ita vt illæ pro Dijs prædicentur, atque colantur, ipse vero nequaquam. Non ait tātummodo: *Quia caput meum plenum est rore*: sed addit: *Et cincinni mei guttis noctium*: quibus verbis id ipsum egregie amplificat, designans, caput nedum diuinitatis, sed & charitatis, & bonitatis suæ tali rore repletum, ac coopertum esse: Nam & præstantissima beneficia, insigniaque prodigia, quæ ab ipsa eius diuinitate, bonitate, & charitate proueniunt, æque ac crines, à capite proueniunt, capitiue inhærent, tametsi deorsum tendant expansi: Ista, inquam beneficia eodem rore sunt cooperta, quatenus haud iam ipsi Deo, eiusue charitati, & bonitati accepta referrentur, sed creaturis ijs, quę impio, falsoque ritu colerentur. Quod quā verū fuerit, ea indicant verba, quæ ab ipsomet Iudaico populo prolata fuere coram vitulo aureo, quem in idolum sibi erexerant: *d Hi sunt Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti*. Sic apud Ieremiam dicunt ligno: *e Pater meus es: & lapidi: Tu me genuisti*. Et apud Oseam:

Ros quid sit. *Idololatria vnde ortum habeat.* *c Isa. 2. 20* *d Exod. 32. 4.* *e Iere. 2. 26*

f Va-

f Oſee 2. 5. *f Vadam poſt amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam, & linum meum, oleum meum, & potum meum.* Quod ergo hic dicitur, tale eſt.

Paraphraſis. *Aperi mihi*, conuertere ad me Dominum Deum tuum; operiat confuſio faciem tuam; *quia caput meum*, diuinitas mea, bonitas mea, meaque charitas, falſa peruerſaque operta ſunt diuinitate creaturarum, & admiranda beneficia illa, quæ inſtar crinium excapite ipſo meo in te prouenere, eiſdem iam accepta feruntur creaturis. Hæc quidem recte, ſi Eccleſia in tota hac enarratione priſtinum ſuum in antiquo populo enarret ſtatum.

23 Primus ſenſus. Quod ſi præſentem in Chriſtiano populo ſtatũ illa enarret iuxta ea, quæ in præcedentibus dicta ſunt, in verbis hiſce Chriſtus eius dilectus efficaciſſimam addit rationem, quintumve motiuum, qua Sanctos à contemplationis ſomno ad procurandam impellat proximorum ſalutem, & peccatorum conuerſionem. Ratio autem iſta, iſtudue motiuum efficaciſſimũ eſt ex eo, quod per illud ſancti quique commouentur ad compaſſionem, & zelum honoris Dei iuxta eum ſenſum, qui primo loco allatus in expo. litteræ.

Motiuum optimum ad procurandã iniquorum Chriſtianorum conuerſionem id eſt, vt propter eos non blaſphemẽtur Deus & illius ſerui.

Ecquis enim æmulator honoris Dei commiſeratione non moueatur, intelligens Chriſtum Ieſum, qui pro Dei gloria propaganda carnem ſumere non eſt dedignatus, vt nuntiaret Dei nomen fratribus ſuis, eiſdemque tanquam amicis, diuinæ gloriæ nota faceret myſteria, quiue ſuper crucem mori ſuſtinuit, vt fidelis populi Eccleſiam deſponſaret ſibi in vnicam columbam dealbatam in ſanguine ſuo; vt quotquot intra ipſam forent, immaculati eſſent; ob complurium Chriſtianorum improbitatem, ignominias ipſimet Deo, ſanctiſue, qui in Eccleſia ſunt, fidelibus irrogatas perferre coactum à Gentibus, quæ Deum ignorant? Videntes ſiquidem Gentes in eo populo, qui de Chriſti nomine gloriatur, & de veri Dei cultu, quiue Diuinam iactat legem, tot prauos mores, tot impietates, tot nefanda crimina, totue atrocia ſcelera, quot inſpicimus, & audimus, ac ingemiſcimus in prauis Chriſtianis, & in Deum, qui ab illis colitur, & in totũ quoque populum, qui tali adhæret Deo, opprobria, atq; blaſphemias impijs effutiunt linguis, prout apud

Chriſtiani praui ſunt in cauſa vt ab infidelibus blaſphemetur, & nomen Domini, & qui in eum credunt illique inſeruiunt.

a Ezec. 36. 20. Ezech. ipſemet conqueritur Deus, dicens: *a Ingreſſi ſunt ad Gentes ad quas introierunt, & polluerunt nomen ſanctum meum, cum diceretur de eis: Populus Domini ipſe eſt, & de terra eius egreſſi ſunt.* Quæ Dei verba explicans Apoſtolus ait: b *Qui in lege gloriaris, per præuaricationẽ legis Deũ inhonoras. Nomen enim Dei per vos blaſphematur inter Gẽtes, ſicut ſcriptum eſt.* Hinc & Petrus quoque Apoſtolus tã enixe rogat fideles, vt digne & laudabiliter conuerſentur dicens: c *Chariſſimi, obſecro vos tãquam aduenas, & peregrinos abſtinere vos a carnalibus deſideriis, quæ militãt aduerſus animam, conuerſationem veſtram inter Gentes habẽtes bonam: vt in eo, quod detractant de vobis, tãquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos conſiderantes, glorificent Deũ in die viſitationis.* De his opprobrijs, de hiſce blaſphemijs commiſerationem in ſanctorum animis commouere hic nititur Eccleſiæ dilectus eo modo, quo & in Pſalmo ſexageſimo octauo de ijſdem cœleſti Patri commouere conatus eſt compaſſionem, dicens:

b Ro. 2. 23.

c 1. Pet. 2. 11.

d Pſ. 68. 6. d *Deus tu ſcis inſipientiam meam* (quæ in membris ſcilicet meis eſt) *& delicta mea* (membrorum videlicet meorum) *à te non ſunt abſcondita. Non erubeſcant in me qui expectant te, Domine, Domine virtutũ. Non cõfundatur ſuper me qui quærũt te, Deus Iſrael: quoniam propter te ſuſtinui opprobrium, operuit confuſio faciẽ meam. Extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ*: en Chriſtum extra fores: *Quoniam zelus domus tuæ comedit me*: en deſiderium ſtudiumue, vt ſibi aperiatur: *& opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me.* Quod hiſce apertis ſignificat verbis: *Et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me*: idipſum & ſponſæ verbis ſignificat

24 metaphoricis, cum ait: *Quia caput meum plenum eſt rore.* Caput quippe illius eſſe Deum, ex Apoſtolo e clarum eſt. Ros autem frigida nocte deſcendens ſuper huiuſmodi caput, illudue, quantum in ſe eſt, infrigidans, frigidiſue replens diſtillationibus, quid aliud eſt, quam blaſphemiæ, & opprobria ipſa exprobrantium Deo, variaſque diſtillationes impotentiæ, inſcitiæ, prauitatis, & ceterorum huiuſmodi illi inferentia? Porro ros iſte in nocte deſcendit ſuper caput Chriſti, & ex frigore: ſiquidem nemo eſt, qui talia exprobret opprobria, & è cuius ore tales deſcendant blaſphemiæ, qui in nocte non ſit ignorantiæ, quod de ſe loquens fatetur Paulus dicens: *f Qui prius blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus: ſed miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate.* Cum ignorantia vero, & tenebris frigus impietatis in eis eſſe, qui blaſphemant, ea teſtantur Pet. verba: g *Hi vero velut irrationabilia pecora naturaliter in captionẽ, & in perniciem in his, quæ ignorant, blaſphemantes, in corruptione ſua peribunt, percipientes mercedem iniuſtitiæ, voluptatem, exiſtimantes dici delicias conſummationis, & maculæ.* Quibus conſona ſunt, quæ & Iudas item Apoſtolus ait: h *Hi autem* (impij ſcilicet, atque ſceleſti, de quibus locutus fuerat in præcedentibus) *quæcunque quidem ignorant, blaſphemant: quæcumque naturaliter tamquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur.* Denique quod in præcitato Pſalmo ſignificauit verbis ijs: *Non erubeſcant in me, qui expectant te, Domine, nor confundantur ſuper me qui quærunt te, Deus Iſrael*: hoc idemmet Ieſus Chriſtus ſponſæ eidem ſignificat, & hoc quoque loco ſub egregijs metaphoris dicens: *Et cincinni mei guttis noctium*, ſcilicet pleni ſunt. Crines namque Chriſti ſanctos illos eſſe fideles, qui Chriſti capiti, Deoque inhærent, & à Deo dependent, probatum eſt alibi ſæpius. Bene autem cincinnos ſuos eos appellat, quos guttis noctium aſſerit oppletos: vt indicet ob improbitatem malorum Chriſtianorum & illos quoque blaſphemari, ac maledictis laceſsiri, qui in fidelium plebe, & in Eccleſia ſanctorum ſanctiores ſunt, quorum & conuerſatio in cœlis eſt, quod cincinnorum deſignat forma. Cincinni namque capilli ſunt capiti inhærentes è capite quidem pendentes, ac culminibus ſuis retortis, ſurſum tendentes: Vt euitaret iſtas noctium guttas, iſtas blaſphemias, & maledictiones Paulus, *i* fidelibus Corinthiorum dixit aliquando ex perſona ſanctorum Apoſtolorum omnium: *Nemini dantes vllam offenſionem: vt non vituperetur miniſterium noſtrum*: rogans nimirum eos, ne quid praui operarentur, neue quis inter ipſos eſſet prauæ vitæ, vnde ſcandalizari, & offendi aliquis poſſet, vt tam ſanctũ Apoſtolatus miniſterium vituperationibus obloquẽtium non eſſet obnoxium. Hocque ipſum efflagitat Chriſtus, dum ait: *Aperi mihi, &c. quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* Tantumdem enim, ac ſi dicat.

e 1. Cor. 2. 3.

Blaſphemiæ ſunt ſicut ros ſuper caput Chriſti: quantũ enim in eis eſt frigiditatem Deo inferũt. Blaſphemiæ ex ignorãtia ſimul ac prauitate prouenium.

f 1. Tim. 1. 13.

g 2. Pe. 2. 12

h Iudæ 1. 10

Pſal. 68. 7.

Cincinni Chriſti ſunt ij, qui ſanctiores ſunt in Eccleſia.

i 2. Cor. 6. 3

Da operam, vt in his, qui in te dormiunt per peccata, præcluſus mihi aperiatur aditus: dum enim extra illorum corda ſum, perſeuerantibus eis in peccatis, & in obſtinatione, ab ijs, qui extra te ſunt dilectam Eccleſiam meam, Deus, qui caput meum eſt, blaſphematur, & opprobria exprobrantium Deo, cadunt ſuper me inſtar frigidiſsimi roris: quin & tota fidelium plebs, quæ inſtar comæ meo inhæret capiti, ijque etiam, quorum conuerſatio in cœlis eſt inſtar cincinnorum, qui ſurſum tendere videntur capillorum culminibus, eorumdem maledictis impetuntur.

Paraphraſis.

25 Secundus ſenſus. Iuxta ſenſum illum, qui ſecundo loco allatus eſt in litteræ expoſit. exaggerans verbis iſtis ingentem charitatem ſuam, qua vniuerſam Eccleſiam, atque adeo & illos, qui in ea ſunt, peccatores perſecutus eſt, ex tantæ charitatis ſuæ propoſitione nititur Chriſtus Deus ſanctos illos, qui cõtemplationi ſe dedidere ad procurandam peccatorum conuerſionem commouere. Proponit autem charitatem iſtam ſuam duplici argumento. Primum ex eo, quod ipſemet pro ſalute peccatorum tunc temporis, quando in nocte paſsionis, & ſuper cruce non habuit, vbi reclinaret caput ſuum, rore ſanguineo in ipſomet capite ſuo perfuſus eſt, quod & modo cum ſuper cruce crucifixum eum

Motiuum aliud ad procurãdam peccatorum conuerſionẽ eſt ingens charitas Chriſti in tales qui propter hanc conuerſionẽ, & ſeipſum & dilectos

Apostolos suos ærumnis subicuit.

eum quis contemplatur, eodem rore plenum conspicit, & spinis redimitum. Vocat autem sanguinem, quo caput suum madefactum est, Rorem: tum quia instar roris nocte defluxit, nocte enim spinis fuit coronatū ab impijs satellitibus: tum quia instar roris vim dedit spinis à se madefactis, vt iam rosas mundo producerent: vim dedit ærumnis, & tribulationibus, vt gaudiū exhiberent, & gloriationem, prout alias ostensum est. Addit deinde & alterum argumentum eiusdem charitatis suæ erga peccatores, dicens: *Et cincinni mei guttis noctium*. Cincinnorum vocabulo sanctos designans Apostolos, & discipulos suos, qui sibi vt capiti inhæsere instar crinium, ac cincinnorum, è capite proprie sumpto ad caput transiens metaphoricum, ac de cincinnis loquens metaphoricis. Porro cincinnos istos suos pro eadem peccatorū salute procuranda plenos proponit guttis noctium, frigidissimis nimirum, ac gelidis tribulationibus, laboribus, persecutionibus, cruciatibus, ac necibus, quæ recte designantur vocabulo guttarum noctiū, seu gelidæ pruinæ decoquentis herbas, flores, ac fructus: frequentissimum quippe est in sacris litteris, tam per noctis, quam per frigoris metaphoras ærumnas significari, ac persecutiones.

Sanguis capitis Christi quomodo dictus ros.

Tribulationes huius vitæ guttæ sunt exiguæ.

Secundum hunc ergo sensum vis huius rationis in eo sita est, vt ex hoc, quod Christus ob nimiam charitatem suam pro peccatorum conuersione capiti suo non pepercit, sicut & animæ suæ, nec dilectissimis Apostolis, & discipulis suis, quippe qui propterea & super cruce caput ipsum habuit sanguineo rore repletum, & discipulos suos postmodum nocturnis, frigidissimisue ærumnarū, ac persecutionum guttis ob id ipsum mundo oppletos exhibuit. Non expauescant iam neque morentur contemplatiui, dare operam eidem conuersioni peccatorum, metu retardati perturbationum, ac ærumnarum: Æque est enim, ac si dicat.

Paraphrasis.

Aperi mihi, da operam, vt in cordibus peccatorum fores, & pessuli mihi aperiantur obstinationis: quandoquidem charitatis ergo *caput meum* passionis nocte *rore* repletum *est* sanguineo, & qui mihi inhæsere vt crines capiti mei, inquā, Apostoli ob eandē ærumnis cōfecti sunt, & persecutionibus. Intuere igitur caput meum sic sanguine plenum, intuere cincinnos prædictos meos talibus oppletos guttis noctiū, & etiam tu quoque eidem te dede charitati, aperiens mihi.

Vnum circa hæc notandum, per hoc, quod tam graues ærumnæ, cruciatus, ac persecutiones Apostolorum guttę appellantur, confirmari id, quod ait Paulus: k *Momentaneum, & lene tribulationis nostræ.*

k 2. Cor. 4. 17.

Ex Vers. II. cap. V. *Quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.*

Expositio III.

De secunda Sponsa, quæ est Anima Iusti.

26 Tertius sensus. *Peccata totius mundi respectu immensæ charitatis Dei sunt instar exigui roris & tenuium guttarum aquæ super ardentem fornacem. Simile.*

QVod in ardentissimis accensæ fornacis flammis tenues aquarum guttæ, quodue exiguus ros efficit in terra ingenti calore combusta, hoc sane ex parte Dei efficiunt & hominum peccata in flagrantissima Dei erga quemcunque fidelem animam charitate, atque in beneficijs, quæ ita è tali charitate deriuant, sicut flammæ ab igne fornacis, & sicut cincinni, ac crines à capite. Enimuero sicut per proiectas in se aquarum guttas, vel etiam decidentes noctium stillas tantum abest, vt ingentes flammæ extinguantur, vel minimum quid suscipiant diminutionis, vt magis potius accendantur, altiusue eleuentur: Et ros quoq; in æstiuis caloribus decidēs, tametsi gelidus ille in se sit, auget potius, quam minuat æstus, sicut & exigua pluuia: Ita & peccata instar roris, ac pruinæ frigidissima, tametsi super flagrantissimam charitatis Dei fornacem congerantur à peccatoribus, atque etiam super diuina beneficia, quæ ex ipsa charitate vt flammæ à fornace procedunt: quanta illa sint, instar guttarum nihilominus se habent respectu tam ardentis fornacis, tamque flagrantium flammarum: atque adeo maiores per ea suscitantur & beneficiorū ipsorum flammæ, & æstus ipsius charitatis diuinæ. Efficitur autem, & prouenit istud omne ex vehementi tantæ charitatis calore, magnoque eius igne, non ex peccatis, ac peccatoribus ipsis: peccata enim per se, & ex natura sua eo directa sunt, vt charitatem, spirituſue ignem extinguant eo modo, quo & aqua ex natura sua id habet, vt ignem extinguat visibilem; & peccator peccatis ipsis suis, quid aliud tentat, quam vt diuinam tollat charitatem, diuinum ignem, Deumque ipsum, de quo scriptum nouimus, & quod charitas sit, & quod sit etiam ignis? Audiatur S. Bernardus loquens de propria voluntate radice peccatorum omnium: Vtinam (inquit) rebus mundi esset contentus ne in ipsum (horribile dictu) desæuiret auctorem. Nunc autē & ipsum, quantum in ipsa est, Deum perimit voluntas propria: omnino enim vellet, Deum peccata sua aut vindicare non posse, aut nolle, aut ea nescire. Vult ergo eum non esse Deum, quæ quantum in ipsa est, vult eum aut impotentem, aut iniustum esse, aut insipientem. Hæc omnia subindicat cælestis animarum sponsus, cum ad peccatricem animam ait, *Aperi mihi*, pulsans: & hæc subjicit in conuincentem rationem: *Quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Exprobrat enim illi per verba hæc ingratitudinem eius, vtpote, quæ flagrantissimam Dei charitatem, qua ipse eam tanto est prosecutus feruore quæue capitis locū in se tenet (vt supra declaratum est) frigidissimo peccatorum suorū rore repleuerit, beneficiaque illa omnia, quibus vt profusis crinibus è tali charitatis suæ capite defluentibus, decorata à se fuerat, gelidissimis noctium repleuit guttis gelidissimis, & obscurissimis actibus ingratitudinis: Tū simul ijsdem verbis ex ista ipsa repletione capitis, & cincinnorum suorum, ex tolerantia peccatorum, & prædictorum actuum ingratitudinis ipsam mirum in modum amplificat charitatem suam, & beneficiorum item suorum maiorem ostendit cumulū. Id vero & demonstrat verbis, & exhibet facto ipso: verbis demonstrat, cū peccata, ipsosue ingratitudinis actus, quibus ab anima conqueritur oppletum caput charitatis suæ, & crines beneficiorum suorum, exiguū tandem appellat ros, exiguasue guttas respectu tantæ fornacis, tantarumue flāmarum, vt supra explicatum iam est. Exhibet denique & facto: quandoquidem oppleto capite suo tali peccatorum rore, & cincinnis item suis talibus guttis ingratitudinis eius, adhuc ad eiusdem animæ ostiū stat, adhuc pulsat nouis beneficijs, adhuc clamat nouis inspirationibus, adhuc dicit, *Aperi mihi*. Ecquanam vero in re, quoue in actu magis, quam in isto, patefit diuinæ charitatis, flammarumq; eiusdem exaltatio? *Propterea* a *expectat Dominus* (inquit Isaias Propheta) *vt misereatur vestri, & ideo exaltabitur parcens vobis.* Et ipsemet Deus apud eumdem Prophetam b *Seruire* inquit, *me fecisti in iniquitatibus tuis, præbuisti mihi laborem in peccatis tuis*: en repletionem capitis, ac cincinnorum ipsius. *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor*: en exaltationem ignis, atque flammarum ex ipsius ignis vi prouenientem. Similia quodammodo his sunt, quæ & hic sub persona sponsi ait: Æque est enim, ac si dicat.

Peccata ex natura sua eo tendunt, vt si fieri posset diuinā charitatem, Deumque ipsum è medio tollerent.

S. Bernard.

Ex peccatorum, & actuum ingratitudinis tolerantia exaltatur flamma diuinæ charitatis, & beneficiorum eiusdem.

a Isa 30.18

b Isa.43.24.

Paraphrasis. *Aperi mihi* tu, cui tanta contuli beneficia, tantam & exhibui charitatem: *quia* dum extra cor tuum ipsa charitas mea, quæ caput mihi est inter virtutes reliquas, frigidissimis plena est peccatis tuis, & quæ instar cincinnorū à capite dependentiū ex ipsa charitate mea prouenient beneficia mea, gelidissimis plena sunt iniquitatibus tuis. Quamquā ob ingentem eiusdem charitatis meæ ardorem, magnamque vim beneficentiæ meæ ipsa peccata tua, tuæque iniquitates & multæ, & maxime exiguus ros sint, & modicæ guttæ: Vnde quid mirum, si per eas & fornax magis accen-

ditur, & flammæ euadant maiores, ita vt perseuerem stans ad ostium tuum nouis pulsans vocibus, simul ac gratijs.

27 Primas sensus. Quod si anima haud præteritæ vitæ suæ statũ, sed statum vitæ præsentis exponat in tota hac sua enarratione; cum illa sit sponsa Dei, debemus supponere, ipsam esse in gratia, atque adeo sororem, amicam, columbam, & immaculatam illius eo sensu, quo immaculatæ vocabulum excludit peccatum omne mortale.

Ab indeuotione, & tepiditate reuocatur pia anima. Adstitisse autem sibi, inquit, Deum dilectum suũ, quasi extra fores ad ostium cordis eius pulsantem, & dicentem: *Aperi mihi soror mea*, &c. quando ipsam frigide, & indeuote sibi inseruientem, tepideque diuina ministeria exercentem is ad feruorem excitat, ad actualem deuotionem, atque ad maiorem profectum; quod patefecit apertius per subiectam hãc rationem: *Quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.*

Tepiditas in Dei seruitio refrigerat caput Dei, eiusque cincinnos, & quomodo id faciat vt vos. Pro huius sensus intelligentia supponendum primo est, caput Dei respectu animæ esse charitatem illius, de qua sane charitate ait Apostolus: *c Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Et: *d Nunc manent tria hæc, fides, spes, charitas, maior autem horum est charitas:* quia nimirum caput est illorum, & est caput eiusdem Dei ad animam accedentis. Supponendũ secundo, per cincinnos, crines ue ex hoc Dei capite prouenientes, designatas cogitationes illas sanctas, atque cælestes, quæ in pia anima ex prædicta prodeunt charitate Dei, quas recte cincinnos potius appellat, quam crines suos: quia non instar crinium è capite quidem prodeunt, terram tamen versus demissæ sunt; sed & è capite prodeunt dictæ charitatis, & retortis culminibus instar cincinnorum cælum versus sunt directæ. Supponendum tertio, refrigerari in nobis huiusmodi charitatem Dei iuxta illud Domini: *e Refrigescet charitas multorum:* refrigerari autem aliquando glacie iniquitatum ac peccatorum mortalium, quo congelatur, & tollitur ex ipsa anima: aliquando vero rore peccatorum venialium, negligentiarum, atque tepiditatis in vita spirituali, iuxta illud Ecclesiastici: *f Nonne ardorem refrigerabit ros?* Eodemque rore, & eadem ratione refrigerantur & cincinni sanctarum cogitationum, vt eadem anima probat experientia, quando cum tepore se confert ad studium meditationis. Notandum quarto ex Aristotele, *g* rorem quidem sensibilem tunc fieri, cum serena, tranquillaue nox est, eoque anni tempore, quando nec magni sunt æstus, nec ingens, & vehemens frigus: pariue ratione, & ros de quo loquimur, spiritualis defluere minime potest ex animæ cælo, cum ea feruentissima æstuat charitate, vel cum glacie frigida est iniquitatis. At quando neque calida, neque frigida extiterit, quod tunc maxime est, quando in nocte huius sęculi absque vllo tribulationis vento, & absque vlla mortificationis asperitate tranquillam, serenam, atq; iucundam degit vitam in delicijs confabulationũ, deambulationis, & ceterarum voluptatum, quibus absque peccato mortali perfrui potest.

c Rom. 5. 5. d 1. Cor. 13. 13.

e Mat. 24. 12.

f Eccl. 18. 16.

g Arist. lib. 1 Met. summ. 3. cap 1.

Anima pia tunc magis tepida & indeuota, cũ est in prosperis, & animum relaxat.

His animaduersis patet iam, quid hoc loco sibi velit sponsus: Tantundem enim est, ac si dicat.

Paraphrasis. Serena tibi illucente nocte, cumue nec calida sis, nec frigida in tepore vitæ tuæ, quam iucunde, & in delicijs degis, *Caput meum pleniũ est rore:* charitas mea, quæ in te est tepiditate, *& cincinni mei* pleni *guttis noctiũ:* cogitationes quippe illæ meæ sanctæ, quæ è meo charitatis capite, instar cincinnorum tendentium in cælum, in deuotione, ac tepiditate ipsa tua iuncta cum quibusdam obfuscationis tenebris refertæ sunt, ita vt quoquo modo deorsum in terrã vertatur: ideo *Aperi mihi soror mea, amica mea*, quæ propterea & puriſſima esse debes, & *columba mea, & immaculata mea:* admitte me intra cor tuum, me inquam, ignem vrentem, roremue vniuersum consumentem.

Sic ea, quæ hic dicuntur, similia sunt ijs, quæ ab eo- *Apoc. 3. 15* dem dicuntur in libro Apocal. *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus: Vtinam frigidus esses, aut calidus: sed quia tepidus es, incipiam te euomere.* Nota illud, *incipiam.*

A *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum*, nempe charitatem feruentem, vt asserũt expositores omnes.

Ex Vers. II. c. V. *Quia caput meũ pleniũ est rore, & cincinni mei guttis noctiũ.*

Expositio IV.

De tertia Sponsa, quæ est B. Virgo Maria.

28 *Incarnationis motiuum & causa præcipua fuit Dei bonitas, & miseria hominum.* SIcut in Psalmo vndecimo pro ratione, qua motus fuit ad carnem sumendam, & ad accelerationem ipsius Incarnationis, miserias Deus assignauit humilium, & ærumnas gemitusue inopum, dicens: *a Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc*, id est de repente, *exurgam: Ponam in salutari*, id est constituam me salutare, *fiducialiter agam in eo*, familiariter me ei communicans. De incarnatione enim hæc interpretatus est Didymus: Ita & hoc quoq; loco Verbum diuinum eliciens è B. Virgine consensum, vt sibi aduenienti in orbem terrarum aperiat, admittatque se in vterum suum, quo introductus in eam, carnem ex ipsa sumat: illico hanc pariter illi affert rationem aduentus sui, & cur tã enixe eam sollicitet, vt sibi aperiat: sed melius hic eandem explicat rationem, significans, miserias hominum causam extitisse Incarnationis, non tamen eas aliter tantum potuisse causare mysterium, quam mouendo diuinam bonitatem suam ad misericordiã, ita vt ipsa bonitas sua, & misericordia immediata sibi extiterit ratio; miseria vero hominum, mediata, vt scholasticis vtamur vocabulis. Vnde Incarnationem ipsam efflagitans Propheta Dauid, misericordiæ Dei ostensionem exposcit, vtpote qui optime intelligeret, eius misericordiæ vt potioris causæ illam esse effectũ, dicens: *b Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis:* ac si diceret: Da nobis salutare tuũ, quod nos saluet tantis oppressos miserijs, ostendens misericordiam tuam, qua commoueris ad sumendam carnem, & afferendam salutem miseris. Duplicem igitur hanc vnam rationem affert diuinum Verbum, dum sibi aperiri petit à Gloriosa Virgine, ac primum dicit: *Quia caput meum plenũ est rore:* per capitis sui metaphoram, ipsam designans diuinitatem suam; sub metaphora autem roris misericordiam item suam, suasue & miserationes significans. Neque nouum in scripturis est, vt per roris metaphoram misericordia designetur: nam & apud Oseam Prophetam idemmet Dominus sic loquitur: *c Misericordia vestra quasi nubes matutina, & quasi ros mane pertransiens.* Misericordiam vestram passiue sumens, id est, quæ vobis exhibita est, seu qua vobis misertus sum, vt explicat Hieronymus, quem sequũtur & reliqui expositores huius loci, asserentes, misericordiam Dei comparari nubi matutinæ, & rori mane pertranseunti; quia sicut nubes matutina, & matutinus pariter ros ex sui natura, & per se tollerent siccitatem à terra, illam madefaciendo, ni Solis æstus eis obsisteret, ni illico radijs ea exsiccaretur solaribus: Ita & diuina misericordia per se parata semper est ad subueniendum necessitatibus hominũ; at ab hominibus ipsis, ab æstibus humanæ concupiscentiæ impeditur eius effectus. Verum etsi misericordia ipsa Dei considerata vt hominibus exhibetur, rori quidem comparetur, sed rori, qui mane pertranseat; quia sępius ab hominibus ipsis, vt dictum est, impeditur eius effectus: Eadem tamẽ misericordia considerata vt in ipso Deo est, ros simpliciter dicitur, & in maxima copia. Multus enim is est in miserationibus, & misericordiæ eius multæ; atque adeo bene ad hãc copiam designandam ait: *Quia caput meum*, diuinitas mea plena *est rore.* Ex copia vero ista prouenit, vt in ipso, quod replet, diuinitatis capite, ea suum causet effectũ communicationis bonitatis, & opis diuinæ ad homines: non secus ac matutinus ros copiose replens rosæ folliculum, efficit, vt rosæ flos expansus odorem suum longe, lateque diffundat, intuentibusque suam pulchritudinem communicet, quæ intra folliculum

B

C

D

E

F

b Ps. 84. 8.

Misericordia Dei comparata rori.

c Oseæ 6. 4.

Hieron.

Simile.

prius

29 *Misericordiæ suæ quomodo Deus participem fecerit B. Mariam, quando ex illa carnem susciperе voluit. Simile.*

prius concluſa erat. Quamquam in hoc, quod Verbum dicit Mariæ: *Aperi mihi: quia caput meum plenum eſt rore:* & id quoque illi ſignificet, quod iam diuinitas ſua tam promptam habeat miſericordiæ maximam exhibitionem, vt ſit inſtar vaſis pleni, quod de plenitudine ſua diffundat, roremque miſericordię eum, quo ſuum plenum eſt caput, eſſe ſimilem illi rori Hermon, de quo dicitur in Pſalm. *d* quod tanta plenitudine ſit ſuper montem Hermon, vt de celſiori illo monte ad demiſſiorem deſcendat montem Sion, feracem eum reddens, atq; fœcundum: Eadem quippe ratione indicare vult Verbum B. Virgini, rorem miſericordiæ ſuæ tunc temporis tanta plenitudine eſſe ſuper caput diuinitatis ſuæ, vt iam operæpretium ſit, de celſiſſimo eius diuinitatis vertice deſcendat in ipſam humiliorẽ montem, reddatq; eam fœcundam: *e* Miſericordiam quippe, & veritatem præcedere faciem Dei, ait Propheta Regius: *Et* ſecundum *f* alium Prophetam, *præparabitur in miſericordia ſolium in tabernaculo Dauid*, nempe in vtero Virginis Dauidicæ ſtirpis. Hanc autem miſericordiæ diuinæ deſcenſionem præparantis ſolum faciei, atq; perſonæ Verbi incarnati, Iſaias quoque ſub roris metaphora egregie efflagitaſſe reperitur, vbi dixit: *g Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Porro quid ſit iſtiuſmodi roris de pleno Dei capite deſcenſio, iſtiuſmodi diuinæ miſericordiæ irroratio in B. Mariam, ab ipſamet in ſuo exponitur Cantico, vbi ait: *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Reſpectus etenim Dei ad humilitatem Mariæ, quem poſtmodum conſecutum eſt, vt Maria ipſa conceperit, ac pepererit incarnatũ Verbum, vnde beata prædicata eſt apud omnes generationes, duo ſignificat: vel ſingularem humillimæ Virginis aſſumptionem ad dignitatem matris Dei, in qua aſſumptione primum in ipſam Virginem effundi cœpta eſt plenitudo roris miſericordiæ diuinæ, quæ iam caput diuinitatis repleuerat, vt declaratũ eſt: Vel iam exhibitam eidem Virgini, & effuſam è capite Dei eandem Dei miſericordiam, qua non tam eius adiuuaretur humilitas, & abiectio, quam eius animus à miſerijs humani generis commoueretur eo fere modo, quo ab ijſdem miſerijs miſericordiam item in Deo ſuſcitatam nouimus. Humilitas ſiquidem in ſacris litteris ſæpius afflictionem ſonat: Quemadmodum Anna mater Samuelis dicens, iuxta Originalia Hebræa. & Septuaginta: *h Adonai Domine Deus, ſi reſpiciens reſpexeris ad humilitatem ancillæ tuæ, & recordatus mei fueris*, &c. pro quibus in Vulgatis ſic legimus: *Si reſpiciens videris afflictionem famulæ tuæ*, &c. Ita & B. Virgo Maria cum dixit: *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*: rorem plane indicat ſibi impertitum diuinæ miſericordiæ, propter quam ad Dei imitationem humani generis cladẽ miſerata enixe illius expectatam deprecabatur ſalutem: afflictionem maximam vna hac de re verſans in pectore ſuo.

d Pſ.132.3. *e Pſ.88.15.* *f Iſa.16.5.* *g Iſa.45.8.* *Mariæ humilitatem reſpexit Deus impertiendo illi rorem miſericordiæ ſuæ. Luc.1.48.* *h 1.Reg.1.11.*

30 *Miſericordiã Dei miſeriæ prædeſtinatorũ maxime excitarunt vt ob redimendum mundũ is carnem ſumeret.*

Quo maior autem roris iſtius è deitatis ſuæ capite in ipſam Virginem ſanctam effundatur copia, quoue maiori miſericordia mota illa, citius ſibi aperire conſentiat, poſtquam dixit: *Quia caput meum plenum eſt rore:* addidit cæleſtis ſponſus rationem alteram, ipſam miſericordiam ſuam augentem: cum enim diuina miſericordia ex humanis ſit miſerijs quibuſcunque; ex miſerijs tamen illorum, qui amici, atque chariſſimi ipſi Deo ſunt, vtpote prædeſtinati, & electi ad gloriã, & iugem adhæſionem ad illum, immenſas plane eadem habet acceſſiones, & idcirco aptiſſime dicit: *Et cincinni mei guttis noctium*: Per cincinnos ſuos, eos deſignans; vel qui olim dum vitam in terris degerent, per iuſtitiam & ſanctitatem inſtar capillorum capiti deitatis ſuæ, ſibique adhæſere, & inſtar cincinnorum culminibus deſideriorum ſuorum adhuc cælum verſus directas ſuas habuerunt animas: vel qui prædeſtinati ad hoc eſſent, vt per charitatem eidem capiti ſuo, ſibique inſtar cincinnorum inhærerent, ſe ſequerentur, & à ſe dependerent. Per guttas vero noctium, miſerias vtrorumque deſignans; vel frigidorum peccatorum, quibus ſubiecti ij eſſent, qui aut adhuc viuerent, aut vitam acturi eſſent in terris: vel lacrymarum eorum, qui in nocturnis inferni tenebris ad ipſius Dei Incarnationem, & ad ianuæ cæleſtis patefactionem continuis ſuſpirabant noctibus.

Quod ergo tota hac oratione: *Quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium*: Cæleſtis ſponſus ſignificat internis vocibus Glorioſam alloquens Virginem, tale eſt:

Aperi mihi fidei tuæ oſtium, dum Angelus nuntiat Spiritum Sanctum in te deſcenſurum, & virtutem Altiſſimi obumbraturam tibi: *Aperi* per conſenſum, & deſcendam in vterum tuum. Ne moreris aperire, ecce iam venio: quia diuinitas, quæ *caput meum* eſt, plena *eſt rore* miſericordiæ, ſicue plena, vt tanquam rorem in te effuſam eam reſpiciam. Neque æquum eſt, vt iam tu moras moliaris, neque ipſe ſuſtineo longius meum differre deſcenſum, meamue Incarnationem; quia ad ſummum excreuit iam miſericordia in me: quia electi, qui ſancti deceſſerunt, inſtar cincinnorum inhærentes capiti diuinitatis meæ, miſerrimis pleni ſunt lacrymis *noctium*, quas fundunt in noctibus, nocturnoque iſto tempore, quo deſtituuntur vera luce conſpectus diuini: Et ij pariter, qui adhuc viuunt eidem capiti meo æque inſtar cincinnorũ meorum inhærentes vt prædeſtinati, & electi in me filio Dei ante mundi conſtitutionem, vt eſſent ſancti, *guttis noctium*, atque peccatis frigent, & algent. Itaque ſicuti iſtæ electorum omnium miſeriæ impellunt me, vt quantocyus exurgam ad eos redimendos, ita eædem & te moueant, vt mihi iam deſcendenti aperias. Paraphraſis.

Vnum hoc loco notandum, non licere hinc inferre: Chriſtum non fuiſſe vniuerſalem Redemptorem, quod ait ſe commotum ad carnem ſumendam ex miſericordia, qua miſerijs compaſſus eſt electorum: certum quippe, & de fide eſt contrarium, ſcilicet, miſeriarum totius humani generis miſeratum eum veniſſe in mundum, & veniſſe ex parte ſua, *i* vt mederetur omnibus, qui male ſe haberent, & *k* qui contrito eſſent corde; atque adeo poſtquam venit, libenter cum publicanis, & peccatoribus conuerſari eum ſolitum, legimus in *l* Euangelio, & ipſummet conteſtatum: *m Non veni vocare iuſtos ſed peccatores.* *Chriſtus tãetſi venerit vniuerſalis redemptor, ad veniendũ tamen in carnem commotus eſt præcipue ex miſericordia ſua in miſerias prædeſtinatorum.* *i Luc.5.31.* *k Iſa.61.1.* *l Mat.9.10* *m Mat.9.13.*

Licet autem, vt vniuerſalis Redemptor omnium compaſſus ſit miſerijs, &, vt inquiunt Scholaſtici, ſufficienter pro omnibus tam iuſtis, quam peccatoribus; tam electis, quam reprobis in Virginis vterum, & in mundum deſcenderit, mortemque ſubierit: Peculiariter tamen commotum ſe ait ad hæc: *quia cincinni* ſui *pleni* eſſent *guttis noctium*: quia electi, atque prædeſtinati miſerijs pleni eſſent, ob eorum videlicet miſerias tollendas: quoniam miſeriæ illorum miſericordiam ſuam magis prouocarent, vtpote capillorum ſibi inhærentium: quoniã miſerias haſce dumtaxat, noſſet, efficaciter per ſuam auferendas Incarnationem: quoniam illorum tantummodo efficax deſcenſurus erat Redemptor, eo modo, quo in Euangelio eũ ſic oraſſe reperimus. *n Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, ſed pro ijs, quos dediſti mihi.* Quæ omnia egregie explicata habemus ab Apoſtolo in Epiſtola ad Epheſios, vbi poſt multa ad hæc quoque ſpectantia, ait: *o Qui* (ſcilicet Deus) *prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum, in ipſum ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio ſuo, in quo habemus redemptionem per ſanguinem eius, remiſſionem peccatorum ſecundum diuitias gratiæ eius, quæ ſuperabundauit in nobis in omni ſapientia, & prudentia: vt notũ faceret nobis Sacramentum voluntatis ſuæ, ſecundum beneplacitum eius, quod propoſuit in eo, in diſpenſatione plenitudinis temporum, inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cælis, & quæ in terra ſunt, in ipſo. In quo etiam & nos ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundum propoſitum eius, qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ: vt ſimus in laudem gloriæ eius, qui ante ſperauimus in Chriſto.* *n Ioã.17.9* *o Eph.1.5.*

Ex Verſ. II. cap. V. Quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.

Appendix Expoſitionum, Ex antiquis Patribus collecta.

31 *Lacrymæ noſtræ implent capillos Dei, quatenus is conſors quodammodo tribulationum noſtrarum.*

PAraphraſis Chaldaica: Quoniam capilli capitis mei pleni ſunt lacrymis tuis, ſicut vir, cuius capilli tinguntur de rore cæli, & cincinnus cæſariei meæ repletus eſt guttis oculorum tuorum; ſicut vir, cuius cincinnus cæſariei ſuæ plenus eſt guttis pluuiæ, quæ deſcendunt in nocte.

Duobus modis hæc accipi ſolēt à Patribus, in bonum, & in malum. In bonum accipiuntur à Gregor. Nyſſeno homil. vndecima, Catena Trium Patrum, Ambroſio, Paulino, Aponio, Philone Carpathio, & Richardo de S. Victore, ſed diuerſimode.

Greg. Nyſſ. Deus admiſſus intra nos confert ſalutem, & doctrinam ſanctam.

Nam primo Gregorius Nyſſenus roris, atque guttarum metaphoris ſalutem accipit, & doctrinam ſanctam, ac ſi Deus dicat animæ: ſi me introduxeris, admiſeriſue in te, lucrifacies rorem ſalutis ex me, & doctrinam ex Prophetis, & Apoſtolis meis, qui mihi vt capiti inhærent, inſtar cincinnorum. Tria autem dicit circa horum verborum pōderationem Nyſſenus. Primum probat, per ros, quo caput Dei eſt plenum ſignificari ſalutem ex eo, quod iuxta verſionem Septuaginta dicitur in Iſaia Propheta: *a Ros, qui a te, eſt illis curatio.* Secundum, eorum, quæ captum noſtrum excedunt, nec cadunt ſub aſpectum, vt ſunt cæleſtia, atque diuina, quantacumque habeatur cognitio, exiguam eam eſſe, atque adeo dici guttas noctium è cincinnis, id eſt, viris ſāctis, & diuinis exhibitas. Tertium, ſi gutta cincinnorum, & doctrina Prophetarū, Apoſtolorum, & Euangeliſtarū, cæterorumque Sanctorum videtur nobis ſatis rationabiliter eſſe flumina, & maria, ſi cum noſtris conferātur viribus; quid exiſtimandum de illo fonte, qui dixit: *b Si quis ſitit veniat ad me, & bibat?* Et ſi gutta ſufficit ad generandum fluuium (guttā enim eſſe quicquid Apoſtoli ipſi cognouere indicauit Paulus, cum dixit: *c Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus.* &: *d Ego meipſum nondum arbitror comprehēdiſſe*) quid reputandum eſt, eſſe ipſum fluuium, qui per hanc guttam efficitur? Ad Nyſſeni ſenſum tendere videntur, & quæ dicuntur ab Aponio, ita hæc explicante: *Aperi mihi* pie, caſteque viuēdo, vt ad ingreſſum meum deſcēdat in te ros per cuius roris venam fontes, & fluuij de tuo corde procedunt, per quem iuſtitiam ſcripſerunt Patriarchæ, & Apoſtoli, ſine quo iniuſtitiam Philoſophi ſcripſerūt, & hæretici. Illud in Aponio eſt notandum, quod per cincinnos Chriſti, eiuſque capitis Dei intelligit Angelos, Archangelos, & reliquos, qui guttis occultę ſapientiæ pleni ſunt, & hominibus eamdem diſtillant de capite.

a Iſa. 26. 17 ſecundum Sept.

b Ioan. 7. 37

c 1. Cor. 13. 9.

d Philip 3. 13.

Aponius.

Tres Patr. Dominus implens piam animam diuinitatis ſuæ cognitione, dicitur habere caput ſuum plenum rore.

Quin & ſenſus quoque Catenæ Trium Patrum cum ipſo Nyſſeni ſenſu annectendus eſt: ſiquidem per caput diuinum diuinam intelligit mentem, quæ Verbum genuit: hāc rore impleri ait, dum tamquam rore perfectam animam implet cognitione ſuæ diuinitatis per terminos negatiuos, vt ſūt ſine principio, immenſum, infinitum, &c. Cincinnos vero eiuſdem capitis eſſe bonas Patris voluntates in Spiritu ſancto ab Vnigenito ad finem perductas, quæ tāquam guttis nocturnis plenæ ſunt iudiciis diuinis imperueſtigabilibus: vnde noctis guttæ nuncupantur, quaſi minuti quidam vapores cognitionis incomprehenſibilis, & inacceſſæ diuinitatis: per quas guttulas cognitionis mens animæ Verbo deſponſatæ patefacta, ipſum introducit in domum ſuam, atque adeo bene dictum, ait, ab eo eſſe: *Aperi mihi, quia, &c.*

32 *Ambroſ. Ros diuinæ gratiæ tollit*

Secundo Ambroſius rorem, ac guttas pro diuina gratia ſumens libro 3. de Virginibus circa medium, Sicut inquit ros cęli nocturnas amouet ſiccitates: ita ros Domini noſtri Ieſu Chriſti nocturnis, & ſæculari-

A ribus tenebris ęternæ vitę ſtillauit humorem. Hoc eſt caput, quod æſtu mundi neſciuit areſcere, vnde ait: Quia ſi in humido hoc faciunt, in arido quid facient? Hoc caput rorat alijs, ſibi abundat. Et bene abundat Chriſti caput; quia caput tuum Chriſtus eſt, qui plenus eſt ſemper, nec liberalitatibus exhauritur ſuis, aut diuturna deficit largitate. Cincinni autem pleni ſunt in eo guttarum noctis. Cincinnos Nazaræus habet, in quibus ferrū non aſcendit, quos nemo præcidit, qui nō calamiſtris compoſiti, & arte digeſti, ſed multiplici criſpantes virtutum nitentium gratia refulſerunt. Diſce in hiſtoria quales cincinnos Nazareus habeat, quos quādiu Sampſon habuit intactos, numquam vinci potuit; cincinnos perdidit, & meritum virtutis amiſit.

ab anima omnem ſiccitatem, & obſcuritatē.

Cincinni Chriſti ſunt eius virtutes numquam ab eo præciſæ.

Iud. 16. 17.

B

Tertio Paulinus epiſt. 4. ad Seuerum, Suppoſito, quod caput Chriſti ſit Deus, & crines huius capitis electio ſit Sanctorum, ſeu electi ipſi ſancti: Dū Chriſtus lætatur caput, ac crines iſtos maduiſſe guttis noctis, lætatum eum, inquit, ſancta conuerſatione ſanctorum, quam & in ſtellis coruſcare, Apoſtolus deſignat, quæ æque ſerenis noctibus micāt, quibus rores cadunt. Notat quippe Paulinus, ros non eſſe imbris humorem ſed refrigerij, quo reficiuntur arida ab ęſtu diurno gramina, huiuſque roris lucidis guttis non niſi ſerena nocte ſpargi terram.

Paulinus: Cōuerſatione ſancta Sanctorum Chriſtus lætatur. 1. Cor. 15. 41.

Ponderans deinde exactius noctis vocabulū, duo, inquit, hic per ſerenam noctem ſignificari poſſe, vel paſsionem Chriſti, de qua dictum eſt: *Et nox illuminatio mea in deliciis meis:* Vel ſęculum iſtud, quod conuerſione Gentium ſerenatum eſt Eccleſiæ lumine quaſi plena Luna, & ſanctis hominibus vt puriſsimis, lucidiſue ſideribus: tum per rorem, ac guttas harum noctium ſancta accipiens fidelium opera, quibus animam ſuam quiſque viuificans, à præteritæ ſiccitatis ſiti eam reficit. Ideo ait caput ſuum Chriſtus tali repletum rore lætatus, & illuminator noctium noſtrarum, tamen guttis noctis noſtræ crines ſuos gaudet eſſe perfuſos; quia ipſius refrigeriū & refectio eſt illæ fidelium operationes, quibus vel fratres iuuantur, vel inopes confouentur.

Paſsio Chriſti nox ſerena. Pſ. 138. 11. Sæculū iſtud nox ſerena.

C

Refrigerium Chriſti ſunt ſancta electorum opera præſertim miſericordiæ.

Quarto Philo Carpathius ex ſententia aliquorum, per caput ſponſi rore plenum reſurrectionem eius matutinam, inquit, ſignificatā: & per cincinnos guttis noctium repletos redemptorum animas, & populos ad fidem conuerſos, qui peccatorum frigore, & tenebris implentur, niſi paſtorum doctrina, ac vita per Spiritus ſancti gratiam illuminentur, & incaleſcant.

D

Phil. Carp. Caput Chriſti rore plenum ſignificat reſurrectionem eius matutinam. Cincinni populos ad fidem conuerſos.

Quinto denique Richardus per rorem, quo plenum dicitur caput Chriſti, diuinam intelligit miſericordiā: per guttas vero noctiū intelligit hominū peccata, & cœcitatem, quaſi hoc loco animæ piæ dicatur à Chriſto: Quia tāta tibi præſtiti, tu quoque beneficijs meis reſponde, & circa membra mea gratiā, qua ſpecialius es dotata, exerce: Ex eo enim, quod Deus ſum, abundo miſericordia, & rore gratiæ, & hi, qui mihi in fide inhærent, replentur peccatorum guttis, & cæcitate.

Ros implens caput Chriſti ingens copia miſericordiæ in Deo eſt. Guttæ noctium ſuper cincinnos hominum peccata & cæcitates.

E

In malū hæc accipiūtur ab Auguſtino Tract. 57. in Io. Caſsiodoro, Greg. PP. Philone Carpathio, Iuſto, Beda, Anſelmo, & alijs: Et inter hos pariter eſt aliqua ſenſuum diuerſitas.

Primo enim Auguſtinus loco citato, Nox, inquit, iniquitas eſt, ros vero eius, & guttæ hi ſunt, qui refrigeſcunt, & cadunt, & faciūt refrigeſcere caput Chriſti, hoc eſt, vt nō ametur Deus: ſed portātur in crinibus, id eſt, in ſacramentis viſibilibus tolerantur, at nequaquam interiora ſenſus attingunt. Vult ergo Auguſtinus, Eccleſiæ à Chriſto ſic dici: Tu ſtudes otio paucorum, & abundante iniquitate refrigeſcit charitas multorum.

33 *Refrigeſcente charitate ob iniquitatem multorum, caput Chriſti eiuſque crines dicuntur pleni rore, & guttis noctium.*

F

Secundo Caſsiodorus, & Beda, caput Chriſti rore plenum inquiunt, cum fideles frigeſcunt in charitate erga Deum, cū abundante iniquitate refrigeſcit charitas multorū: Cincinnos vero plenos guttis noctiū, cum

Caput Chriſti plenū rore, cum ſi

deles frigescũt charitate in Deum: Cincinni vero guttis noctium, cum ijdem persequuntur Dei seruos.

cum praui quique famulis quoque Christi instar cinnorum sese infra custodiam suæ mentis colligentibus, ac sui conditoris amori arctius inhærentibus, odium pro dilectione impendunt, prementes illos frigore asperæ, cæcæque persecutionis.

Cincinni Christi pleni guttis noctium, cum fideles fluunt stillationibus iniquitatum.

Tertio Gregorius PP. cum his consentiens quoad primam partem, discrepat quoad secundam, ait quippe: Per cincinnos eosdem populos intelligimus, quos in fide diuinitatis quasi in capite Christi pendentes, & opprimentes scimus: Sed cincinni pleni esse dicuntur guttis noctium; quia dum torpore huius tenebrosæ temporalitatis se suspẽdunt, magis ac magis stillationibus iniquitatum fluunt.

Iustus. Caput Christi plenum rore, cum Prælati illũ haud sincere annuntiant: Cincinni vero, cum ministrantes Sacramenta vitijs infecti sunt.

Quarto Iustus Orgelit. per caput Christi Prælatos in Ecclesiastico corpore intelligit; per cincinnos eos, qui in eadem Ecclesia Sacramenta visibilia ministrãt: Sed quia plerumque mortales vitijs, inquit, vel tenebrarum operibus inficiuntur, hi velut guttis noctium prægrauati, Christo quasi capiti adhærere videntur: & de primis ait: Ipsi Christũ non sincere annuntiant.

Phil. 1. 17. Anselmus. Rup. Abb. Caput Christi, &c. quando Prælati sunt ignorantia pleni: Cincinni, &c. quãdo plebs est erroribus plena.

Quinto Anselmus per caput Christi Prælatos pariter sumens, rore ignorantię eos plenos dici asserit, quatenus ros noctibus cadit. Per cincinnos eiusdem, quatenus cincinni sunt capilli retorti, & male adhærentes capiti, illos intelligit, qui licet sint de Ecclesia: tamen retorquent se, & subterfugiunt diuina præcepta, & sic elongando se à capite, pleni sunt guttis noctium, id est, magnis erroribus ex ignorantiæ cæcitate prouenientibus.

Ros super caput Christi blasphemiæ Iudæorum. Guttæ noctium super cincinnos Christi blasphemiæ, & peruersi sensus in Sacram Scripturam.

Sexto Rupertus Abbas Christum promouentem Mariam ad aperiendum os suum, & loquendum, quæ pertinerent ad confirmationem Euangelij, hanc verbis hisce, inquit, attulisse ei rationem: quia Iudei ipsum Deum, Dei filium blasphemantes negarent, & Sacras Scripturas, quæ testimonium perhibent de ipso; atque adeo, ita ei adhærent, vt cincinni adhærent capiti, sensu contrario peruerterent: quia extraneus factus fratribus suis, opprobria exprobrantium ceciderint super se, ac super cincinnos suos Sacrasue Scripturas.

Christus super humilem tantũ reperit requiem cum vndique ab alijs eiicitur offensus. Tribulatos visitat Deus & tribulationes simul perfert & ipse.

Septimo Ambrosius libro de Isaac, & Anima cap. 6. per rorem, & guttas noctium ærumnas, & molestias intelligens, Quia, inquit, decurso orbe terrarum plus molestiarum, & offensionis reperi, nec facile habui, vbi requiescerem.

Idem tamen Ambrosius sermon. 12. in Psalm. 118. vers. 1. eandem sequens roris, & guttarum noctium significationem, sed diuerso sensu: Considera, inquit, quando maxime pulsat ianuam Deus Verbum, cum repletum est caput eius rore nocturno. In tribulatione etenim, & tentationibus positos visitare dignatur: ne quis forte succumbat victus ærumnis: Repletur ergo caput eius rore, vel guttis, quando corpus eius laborat: Tunc ergo vigilandum, ne cum sponsus venerit, recedat excluſus.

Vers. III. cap. V. *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?*

Expositio I.

Iuxta sonum litteræ.

1 Primus sensus.

PRosequitur sponsa suum enarrare somnium, explicatque in hoc versu, quid tunc sibi visa sit respondisse dilecto suo ad tantam noctem eius adstanti foribus, pulsanti, enixeque deprecanti, vt ab ipsa admitteretur in domum: Duplicem autem sensum habere potest eius responsio. Primum, eumq; communiorem, & probabilem, secundum quem ex subindignato animo hæc prolata videntur: fœmineam quippe indignatiunculam suam friuolis hisce excusationibus sponsa subindicat, propter sponsi moram conceptam, vel etiam ex pigritia quadam subortam. Apte fœmineus seruatur, & exprimitur mos, inquit Legionensis: est namq; proprium fœminarum, cum rogantur, inepta quædam causificari, & ea se nolle fingere, quæ maxime, & ardentissime cupiunt. Porro istud sponsæ desiderium ipsamet in sequentibus contestatum facto ipso omnibus facit, vbi ait, postquam dilectus suus declinauerat se pene exanimatam, illumque hac, illacue quæsiisse. Quod ergo respondet tale est.

Paraphrasis.

Quid tantas tu traxisti moras, vt venires? Expectauite per totam noctem: Iam decubui, *expoliaui me* & intimam *tunicam meam*: non possum modo induere illam: Dum te monerem, *laui pedes meos*, quos in tui inquisitione hesterno die per agros oberrans puluere, cænoque consperseram: non possum modo illos inquinare denuo è strato consurgens, vt tibi aperiam. Sic, secundum sensum istum aduerbium, *Quomodo*, bis repetitum, non tam hæsitanter hic accipiendum est, quam absolute negans.

Secundus sensus.

Facilior tamen alter est sensus, qui & litteræ quoque admodum est consonus, secundũ quem non tam ex fœminea indignatione, quam ex naturali quadam dormientis, vel decumbentis pigritia tota hæc ipsa responsio prolata videtur, ita vt aduerbium, *Quomodo*, obdormiscentis, ac pigrescentis in lecto morositatem signet, ac si dicatur. Somno oppressa iam lecto me cõposui expoliata *tunica mea*, ablutisue pedibus meis, quo pacto nunc obdormiscens surgam iterum, atque, vt tibi aperiam, intempestiue plane pulsanti, & exuta tunica iterum *induar*, & ablutos illico *inquinabo pedes* ipsos *meos*? Similia certe illis quæ in Euangelio referuntur ab amico responsa alteri amico media nocte ad ostium suum pulsanti: *a Noli mihi molestus esse: iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere.*

Paraphrasis.

a Luc. 11. 6.

Tertius sensus.

Præter duos sensus istos congruos ambos, amboque litteræ consonos, tertius quoque ijsdem verbis assignari potest sane haud renuendus, nec à sono litteræ alienus: vt sponsa hæc protulerit haudquaquam dilecto suo pulsanti, atque vociferanti per ea respondens, sed sibimetipsi ea proferens; ita vt non tam responsio ea sint, quam discursus eorum, quæ secum mente reputabat, extrinsecus & verbo prolatus sibimet: tametsi nec id dissonum sit, vt illud ipsum, quod secum interno obuersabat discursu, suo responderit dilecto intempesta nocte pulsanti ad ostium enixeque efflagitanti ab ea, vt sibi aperiatur.

Quod autem illa secum reputabat id erat: An tali tempore, & loco, & absque ornatu, & puritate ad ipsius dilecti sui præsentiam requisitis, verecundiam, & virginalem pudicitiam suam deceret, eidem aperire dilecto suo. Itaq; cum hæc protulit verba vel sibimet, vel etiam sponso, non tam ex suborta indignatione, atque adeo ex affectu superbiæ & arrogantiæ, seu ex pigritia ea protulisse censenda secundum hunc sensum est, quam ex studio honestatis, pudicitiæ, ac decori virginalis, necnon & ex nimia reuerentia erga dilectum ipsum suum, qua ab illo conspici non audebat inornata, & sordida: fauetque eidem sensui aduerbium, *Quomodo*, siue hæsitatiue id sumatur, siue admiratiue, dubitans quippe quasi de re indecenti, seu admirans habitum, quo comparere sibi opus erat ante tantum sponsum, si absque congruenti tunicæ indumento, & inquinatis pedibus obuiam illi procederet, tale quid dicere videtur.

Paraphrasis.

Nocturno isto tempore quando exuta tunica, & ablutis pedibus iam lecto decubui, nescio, an meam deceat honestatem, vt reassumpta tunica, inquinatisue iterum pedibus exurgens vel etiam tibi dilecto meo aperiam. Vereor sane sic incompta, & sordida coram tali, ac tanto apparere dilecto. *Expoliaui* iam *tunicam*, qua adeo decenter summo studio me solita sum ornare, *quomodo* tam cito, & in tenebris apte nunc *induar illa? Laui pedes meos*, vt mundam totam me tibi seruarem, *quomodo* noctu ac derepente consurgens *inquinabo illos?*

Vers. III. cap. V. *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?*

Expositio II.

De prima Sponsa, quæ est Ecclesia Sancta.

2 Primus sensus. *Iudaicus populus qua peruersitate reliquerit sæpius cultū veri Dei.* aIer.44.16

DEsumitur intellectus huius sententiæ ab aliquibus expositorum tam Hebræorum, quam etiam nostrorum ex ijs, quæ habentur in cap. 44. Ieremiæ, vbi prædicanti ipsi Iudaico populo Ieremiæ, vt ad Deū conuerterentur, in hunc modum responsum ab eo populo est: *a Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te, sed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore nostro, vt sacrificemus Reginæ cæli, & libemus ei libamina sicut fecimus nos, & Patres nostri, Reges nostri, & Principes nostri in Vrbibus Iuda, & in plateis Ierusalem, & saturati sumus panibus, & bene nobis erat, malumque non vidimus. Ex eo autem tempore, quo cessauimus sacrificare Reginæ cæli, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio, & fame consumpti sumus.* Quasi & hoc quoque loco idem pariter populus Israeliticus metaphoricis verbis idipsum significet pulsanti, ac vocanti sponso, se nimirum mutasse viuendi rationem, expoliando se iugū eius, & abstergendo à se inquinamenta ærumnarum, quibus super terram coinquinari sibi videbatur, dum cultui vacabat ipsius.

Profecto, si velimus, Ecclesiam in tota hac enarratione explicare pristinum statum suum in antiquo Iudęorum populo, eo modo, quo superiora declarata videre est in principio secundę expositionis. singularum partium secundi versus, apertissimum censeo intellectum istum, eundemque & valde congruum antecedentibus, & primo sensui, qui allatus est in prima expositione soni litteræ maxime consonum. Contigit enim sępius vt rudis ille populus cum ob scelera sua, vel etiam ad probationem ita conficeretur ærumnis, vt derelictum se censeret à Deo ob dilationem opis diuinæ ex occulto aliquo Dei iudicio, Deū ipsum à se repulerit, abiectoq; eius cultu, ad idololatriam sese conuerterit, existimans in idolorum, falsorumue Deorum tutela, tanquam in molli strato requiem se inuenturum. His Deus Israeliticæ Ecclesię sponsus & pulsando eorum mentes prodigijs atq; miraculis, & per ora Prophetarum vocando ipsos ad conuersionem, idololatriam in primis obiecit, vt declaratū est in secunda expositi. versus præcedentis. Illi contra Dominum eo pacto cum ipsis conquerentem indignati, seu Ecclesia eorum nomine, responsione hac: *Expoliaui tunicam meam, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* suam ei palam faciunt indignationem.

Cultus Dei est propria tunica populi Dei.

Expendendæ autem sunt metaphoræ, quibus indignationem istam suam significant, siquidem & id, quod dicunt: Expoliaui *me tunicam meā*, non simpliciter: *Expoliaui me*, maximam vim habet: Tunicā quippe suam peculiarem, Deum ipsum suum appellat eo sensu, quo Apostolus Paulus & Iesum Christum eiusdem Dei filium proprium Christianorum indumentum agnoscens, ait: *b Induimini Dominū Iesum Christum*, eius nimirum fidem, cultum, atq; virtutes. Quod si per tunicam, intimam supponamus significatam vestem, dicens: *Expoliaui me tunica mea*: indicat se virtutes abiecisse, præcepta ac legem, quibus tanquam varijs indumentis ornata à Deo fuerat, iuxta illud Ezech. *c Et vestiui te discoloribus, & calceaui te hyacintho, & cinxi te bysso, & induite subtilibus.* Verum & ipsam quoque internam Dei fidem, eiusue cultum, quo operiebatur ignominia eius, quem nomine amictus sui appellauit Deus ipse apud eundem Ezech. dicens: *d Et transiui per te, & vidi te: & ecce tempus tuum, tempus amantium, & expandi amictum meum super te, & operui ignominiam tuam.* Declarans quippe quis iste esset amictus suus, subiecit: *Et iurauī tibi, & ingressus sum pactum tecum, ait Dominus Deus, & facta es mihi. Expoliaui* ergo *tunicam meam*, respondet Ecclesia in scelestis illis, & bene *expoliaui* simpliciter, & absque vllo addito, ad designandam vim, & efficaciam liberi arbitrij ad malum, iuxta illud Proph. *e Perditio tua ex te Israel.* Quia vero prima hac metaphora videbatur, se id tantum significasse iuxta prædicta, quod internum Dei cultum repulisset, addit & metaphoram alteram, dicens: *Laui pedes meos*; pedum nomine ipsas suas designans actiones, quibus in via huius sæculi quodammodo iter habebat, suam protestans religionem, internumque cultum extrinsecus pariter profitebatur in sacrificijs, & libaminibus: Inquinamentorum vero nomine eorum, quæ per huiusmodi lotionem ab hisce abstulit pedibus, intentionem illam suam ab ea, crediderim, falso vocabulo significatam, quæ prius sacrificia item, & libamina obtulerat Deo. Quamquam & id quoque non incongrue possit dici, vt per pedes, quibus iter conficitur, iter ipsum suum, quo viam religionis ambulauit, rationemque viuendi designauit: per sordes vero ærumnas atque miserias, quibus ipsa eius viuendi ratio, ipsumque eius iter inquinatum fuerat, quando à se fiebat tale iter per viam religionis Dei, iuxta ea, quæ ex Prophet. Ieremia, *f* vt ab Israelitis idololatris dicta relata sunt: *Ex eo tempore, quo cessauimus sacrificare Reginæ cæli, & libare ei libamina, indigemus omnibus, gladio, & fame consumpti sumus:* sacrificantes autem illi, *saturati sumus panibus, bene nobis* fuit, *malumque non vidimus.* In persona igitur istorum Ecclesia tale quid respondisse se, ait, Prophetis in nomine Domini sibi loquentibus ea, quæ supra dicta sunt.

b Ro.13.14. *Populus abijciens à se ornamenta virtutum, abjicit postmodum etiā fidem, & cultum Dei.* cEze.16.10

dEze.16.8.

A

B

C

D

E

F

c Os.13.9.

f Ier.44.18.

Expectaui diutius auxilium à Domino aduentumque eius: illo tandem non apparente, aliunde quæsiui requiem, decubuique in strato deliciarum, & voluptatum, absuli à me eius fidem, & ex intimis quoque meis illius absuli cultum, quo veluti interiori induta eram tunica, sacrificans, & libans, atque inseruiens Dijs, quos ipsa mihi elegi: absterśi à sacrificijs ipsis, & operibus meis iniquinamenta cæremoniarum legis, nec non & à mea viuendi ratione, qua in via religionis denuo habere cœpi iter, sordes ablui ærumnarum, & tribulationum, quibus Deum ipsum colerem, inquinata eram: Quomodo quaue ratione nunc ad pristinum redibo cultum? Non possum mutare assumptam viuendi rationem, iterumque indui expoliata tunica, & denuo inquinari afflictionibus, quieta decumbens, & libera à sordibus hisce.

3 Paraphrasis.

Hæc quidem recte, dum volumus Ecclesiam hic enarrare pristinum suum in Iudaico populo statum. Quod si velimus eamdem enarrare statum suum præsentem, secundū quem sensum in præcedentibus retulit, quomodo à Christo dilecto suo excitata fuerit, vt in sanctis illis suis, qui somno dediti essent contēplationis, se introducerent in corda peccatorum, procurando salutem proximorum: Nūc consequenter eas enarrat excusationes, quas contemplatiui vt plurimū solēt prętexere, ij præsertim, qui & pusillanimes sunt, & semetipsos magis, quam Deum amantes: Eæ autē duę sūt: altera, quod expoliauerint se tunica sua, *g* deponentes iuxta Pauli consilium, *secundum pristinā conuersationem, veterem hominem:* Nec congruū sibi videatur pro aliorum salute suam deperdere, iterū tunicam illam induendo, præsertim cum *h* in Euangelio hac de re admoniti sint, vt *qui in agro* sunt segregrati à populi frequentia, *non reuertantur tollere tunicam suam.* Altera vero est, quod iam pedes affectuū suorum abluerint, abstergendo ab intellectu, & voluntate sua omne inquinamentum rerum terrenarum, atq; in primis honoris, & gloriæ. Porro induplici hac excusatione duplex aduertitur error contemplatiuorū istorum. Primus, quod vitam actiuā, & occupationes, quibus quasi tunica omni ex parte operiuntur, & circūdantur, qui aliorū curam gerūt, cum illis necessario cōuersantes, quorum procurant salutem. Recte quidem tunicam suam appellantes, *i* quatenus *vnicuique mandauit* Deus *de proximo suo*, vt dicitur in lib. Ecclesiast. existimarunt, tunicam eam hanc esse, quam deponendam suadet Apostolus, veterem scilicet hominem, de qua, per eundem Apostolum alibi dicitur: *k Nunc autem deponite & vos*

Cōtemplatiui pusillanimes nimiumque se amantes, quomodo refugiunt suscipere curam proximi, & procurare eius salutem.

g Eph.4.22

h Mat.24.18.

Cōtemplatiui aliqui duplici ex errore auertuntur à procuranda salute proximi.

i Eccl 17.12.

k Col.3.8.

vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro: Nolite mentiri inuicem: quia nimirum antequam vitæ spirituali se dederent, quando cum hominibus, & cum proximo suo conuersati sunt, prædicta omnia in se fuisse recolunt, iisve se circundatos quasi vna tunica ex tot distinctis filis contexta. Quando autem spiritualem arripuere vitam, contemplationi se dantes, arbitrantur, fieri haud posse, vt absque enumeratis vitiis conuersari quis valeat cum hominibus mundi, & temporalibus non teneri occupationibus, ignorantes, quod sicut intima hominis tunica, quam interulam, seu subuculam appellamus, considerari dupliciter potest, vt sordida, atque vt candida, atque adeo & quando deponimus sordidam, dicimus nos deponere eam tunicã nostram, & quando induimur candidã, recte etiã dicimus indui eam pariter tunicam, & interulam nostrã, tametsi re vera duæ actu distinctæ ex sint: Ita & spiritualis, de qua nunc sermo est, tunica Christianorũ, vitæ nimirũ actiuæ, & occupationum, ac solicitudinum temporalium, curæque proximi; & vt sordida considerari potest, & vt munda, atque cãdida: & ideirco, tametsi illa quis se expoliauerit vt sordida; nihil prohibet, quin eadẽ induatur vt mũda. Quinimo Apostolus Paulus, dum tunicam istam, vt sordidã, atque adeo veterem hominem nnncupatã expoliari suadet, per eã illa describens vitia, quibus vita actiua, & conuersatio cum proximis deturpatur, iram, indignationẽ, malitiam, blasphemiã, & cet. ita eã suadet expoliari, vt simul & semel eamdẽ induamur vt mundã, & ideo nouũ hominem appellat tam, per eas pariter virtutes ipsam describens, quibus eadem quoque vita actiua, & cõuersatio cum proximis decoratur, mundaque exhibetur, & candida. Postquã enim dixit: *Nunc autẽ deponite & vos omnia: iram, indignationem*, &c. quæ relata iam sunt, subijcit: *Expoliantes vos veterem hominẽ cum actibus suis, & induentes nouum eum, qui renouatur in agnitionem, secundum imaginem eius, qui creauit illum*. Et apertius istã describens tunicam candidam, addit: *Induite vos ergo sicut electi Dei sancti, & dilecti viscera misericordiæ, humilitatẽ, benignitatem, modestiam, patientiam, supportantes inuicẽ: & donantes vobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelam, sicut & Christus donauit vobis, ita & vos*, & cet. quæ longius prosequitur: Ex quo apparet, quod friuola, & inanis ista sit excusatio: *(Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa?)* qua Ecclesia procurationem salutis proximi effugere satagit nomine contemplatiuorũ aliorum simplicium: cum & Sãcti quique Apostoli, & quotquot eorum inhæsere vestigijs, sancti & Prælati, & Prædicatores, exuta tunica illa sua sordida, qua in sæculo conuersati fuerant, de contemplatione ad eãdem conuersationẽ redire cõpulsi, vt proximorũ corda Christo aperirent, illã ipsam vitæ actiuæ tunicam, sed mundam, & cãdidã indutos, sese exhibuerint: Vnde Iacobus in sua Catholica: *m Quis sapiens*, inquit, *& disciplinatus inter eos? Ostendat ex bona cõuersatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ*? Alter eorumdẽ cõtemplatiuorum error est, quod arbitrãtur fieri minime posse, vt quis per viam ambulet vitæ actiuæ absq; inquinamento pedum suorum spiritualiũ, affectuum nempe suorum, cum tamen contrarium per Prophetam significatum constet, iis verbis: *n Quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantiũ bona*? Prouenit vero in ipsis error iste ex codẽ capite, ex quo & primus, dũ quippe *laui pedes meos*, eorũ nomine ait Ecclesia, significat, illos, dũ occupationibus tẽporalibus distenti, & negotiis mundi implicati fuerunt, dumque viam triuerunt multiplicis actionis, affectuum suorũ pedes ita habuisse immersos cœno rerum mundanarũ; vt nec opus prædicationis, & eruditionis proximi absque istiusmodi inquinamento, absque vehementi gloriæ, & honoris cupiditate, studio, & inquisitione potuerint peragere, atque adeo vitæ se dedentes contemplatiuæ, sic ipsos suos abluisse affectus, vt existimarint haudquaquã fieri posse vt è dictæ quietis strato surgant, & ambulent, denuo indulgẽtes curæ aliorum, quin denuo eosdem inquinent affectuum pedes. Porro, sicut vsu venire solet, vt inter complures, qui vnã, eamdẽque viam ambulent, quæ luto, cœnoque sit plena, quidam tanta ambulent cautela, tantaque agilitate, & circumspectione, vt ne culmen quidem, & extremum inquinent calcei: Alij è vestigio absque vlla circumspectione lutũ calcantes, nedum pedes, sed & tibias, & vestes quoque deturpent: Pari ratione sese res habet cum iis, qui aliorum curæ inuigilant, vitæque actiuæ dantoperam: nam complures videre est qui parum prudenter totos sese effundentes, multipliciaque apprehẽdentes negotia, vt aliorũ procurent salutem, parum sibimet ipsis prospiciunt; sicue mundanarum rerum calcant cœnum; vt pedes, affectusque suos coinquinatos rerum sæculariũ sordibus reperiant: Alios nihilominus videas è contra, eo pacto eidem se dantes vitæ actiuæ, tanta cautela negotia ipsa complexantes, eaue prouidẽtia salutem proximi procurantes; vt ne tãtillum sese inquinari in iis permittant, ambulantes quidem in mundo, at ita leuiter, tantaque cum agilitate spiritus; vt terram vix pedibus tangant: de quibus id dici potest Apostoli, quod ambulantes sint *in carne, sed nõ secundum carnem ambulantes ac militantes*: Siquidem cum iam spirituales re vera sint, etiam in mundo cõuersari cum opus fuerit ob proximorum salutem, in mundo ipso, & in negotijs, ac in hominibus sæculi spiritualia operari conantur, iuxta illud eiusdem Apostoli: *o Qui secundũ spiritum sunt, quæ sunt spiritus sentiũt*. Hæc ignorantes simplices contemplatiuorum nonnulli, seu Ecclesia eorum nomine (vt dictum est) ait: *Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos*? sicut & ob alterũ similem errorẽ dixerat: *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa*? Ac si dicat.

Similè. Vita actiua & occupationes sæculi sunt instar tunicæ interulæ, quæ exuitur sordida, & induitur munda.

Colos. 3. 12.

m Iac. 3. 13.

n Isa. 52. 7. Rom. 10. 15.

o 2. Cor. 10. 3. Rom. 8. 5.

Iubes, quo aperiam tibi ea, quæ tibi ipsi cõclusa sunt corda peccatorũ, è quieto consurgere me contẽplationis strato: dimisi iam mnndũ cum actibus, & occupationibus hisce tẽporalibus, quibus tamquã tunica vndique operiebar: *Expoliaui tunicã* istam vitæ actiuę, exuens me veterẽ hominẽ, deponẽsque vitia illa, quibus tunica hæc vniuersa cõtexta est, quibus in externa cum hominibus conuersatione circumdata eram; qua ratione denuo *illam induar*? Quin & *pedes* quoque interiorũ affectuum meorũ, quibus viam calcarã huius sæculi, *laui* à sordibus, quas in vita ipsa actiua contraxeram: *quomodo* nũc iterũ *illos* in eadẽ via *inquinabo*? sane & reuestiri non audeo, & inquinari cõtremisco.

Paraphrasis.

Iuxta eum sensum, quem tertio loco in prima expositione attulimus, ex affectu reuerẽtiæ in Christũ, cui inseruire in cõuersione animarum se nouerat, loquens Ecclesia sancta, talem secum ipsa in verbis hisce metaphoricis videtur habere discursum.

§ Tertius sensus. *Ex Aug.*

Obtemperandum certe est dilecto, & enitendum, vt vna cum ijs, qui in me dormiunt, quiete vacantes contemplationi, corda ei aperiam peccatorum, demque operam, vt perfectiores, qui in me sunt, obuiam Christo procedant dilecto meo ad procurandã proximorum salutem. Vereor profecto, ne tanto dilecto meo inornata, & sordida obuiam procedam in munere isto: *quomodo* in tenebris tantæ ignorantiæ, tãtorumue scelerum vita, & sanctitate in membris ipsis meis *induar illa*, qua induta iam eram antiquitus in Apostolis, Martyribus, sanctisue Doctoribus, quorũ exemplis, quorum doctrina, quorum denique & confessione operiebatur ignominia mea vniuersa, quibus & tamquam intima tunica reddebar decora in oculis eiusdẽ dilecti mei? *Expoliaui* sane *me* ipsam *tunica* ista, quando per mortem illos de terris trãsmisi ad cœlos. Qui terram adhuc calcant viuẽtes in præsenti sæculo, pedumque officium in me exercẽt, cuntes in mũdum, vt Euangelium disseminent, abluti quidem à me sunt à sordibus peccatorum: quando egredientes ad prædicandum infidelibus, & hæreticis tantos concepere Spiritus, sicue sese disposuere; vt quasi martyriũ subituri iter arripuerint in exterorum prouincias; Vereor autem, ne si modo eos reuocem ad procurandã

Paraphrasis. *Prædicatores, & Prælatos Sanctos quam difficile hic temporibus Ecclesia habeat.*

4 *In itinere vitæ actiuæ ambulari potest pedibus affectuum, & peccatorum mundi.*

Ooo iiij salutem

ſalutem eorum, qui intra me ſunt, peccatorum, iterum eos inquinem ſceleſta iniquorum conuerſatione: Quomodo autem fieri poterit, vt ſordida, atque incompta in occurſum egrediar dilecto meo.

Verſ. III. cap. V. *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?*

Expositio III.

De ſecunda Sponſa, quæ eſt Anima Iuſti.

6 Primus ſenſus. *Peccatoris reſiſtentia, qua obſiſtit inſpirationibus, & vocationibus Dei.*

EXplicat in hac ſententia pia anima eam, quam in principio conuerſionis ſuę, & antequam conuerteretur, fecit reſiſtentiam diuinis inſpirationibus, quidue ſtulti diuinæ reſponderit vocationi, vt haud quaquam è deſidię ſtrato ſurgeret ad illi aperiendum cordis ſui ſeras per conuerſionem, qui & validiſſimis ictibus pulſans, & multis, magniſue vocibus diu proclamans ante illud perſtiterat, vt ipſamet in præcedentibus retulit.

Tunica propria animæ peccatricis eſt mortificatio, & pœnitentia.

Expoliaui me tunica mea, ait ſe primum dixiſſe, *quomodo induar illa?* Porro, ſi velimus intelligere, quęnam iſta ſit tunica, quam vt propriam, & peculiarem tunicam ſuam appellauit, id perſcrutādum operæpretium fuerit quanam à Deo tunica primum homo donatus ſit; quicquid enim is habet (excepto peccato, quod multo eſſet melius, ſi non haberet) à Deo certe donatum habet: in libro autem Geneſis, vbi de initio hominis

a Gen. 3. 21 agitur, hæc reperiuntur verba: *a Fecit quoque Dominus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* Super quę verba Diuus Chryſoſtomus dicit: Quia propter trāſgreſsionem pœna mortis reus erat factus protoplaſtus, opuſque habebat veſte, quæ confuſionem tegeret, pelliceas fecit tunicas: quo docuit nos, vt mollē, & diſſolutam vitam fugiamus, neque inertem, & remiſſam ſectemur, ſed magis auſteram amplexemur. Ex quibus colligere licet, tunicas illas pelliceas præſtitas fuiſſe à Deo ad operiendam confuſionē, & turpitudinem, quæ ex peccato ipſis illata fuerat hominibus, & omnino ad cōtegendum ipſius peccati opprobrium; per eaſdem vero vt exmortuorum animalium pellibus confectas vitam auſteram deſignari, vitam, inquam, in pœnitentia, & mortificatione tranſactam, mortificationemq; ipſam, qua caſtigatur corpus, & vniuerſæ mortificantur carnales concupiſcentiæ: ſeu pœnitentia, per quam vnam peccatis moritur, quæue vna, ſi debitis conſtet partibus, cooperāte diuina gratia, aptiſſimū ac propriiſſimū eſt hominis peccatoris, atque ipſius peccati integmentū, iuxta illud Pſalmi; b *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Remittuntur quippe iniquitates per ſanctum baptiſma, dicit Origenes, teguntur per amaram peccati pœnitentiam. Et Didymus; *Beati quorum remittuntur iniquitates*, qui nuper ad diuinā legem acceſſerūt: *Beati* quoque, *quorum tecta ſunt peccata*, qui legi obtemperantes quam primum pœnitentiam agunt: Quibus conſona ſunt, quæ & Auguſtinus longius proſequitur, explicans, qua ratione contecta dicantur peccata. Hoc ſuppoſito, iam apparet quā conſequenter antecedentibus, quamue ſtulte ſe reſpondiſſe per hæc fateatur tunc tēporis, quando in peccato perſiſtebat abhorrebatque, atque adeo differebat pœnitētiā, quæ hic loquitur pia anima. Enimuero cū in ſuperioribus retulerit, ſe obſtinatam à Deo pulſatā, & vocatam, vt per pœnitentiam & mortificationem æque, ac per proprias claues cor ſuum ipſi aperiret, ſera obfirmatum obſtinationis in peccato; ipſa tātam dilecti ſui benignitatem, qua ad pœnitentiam adduci omnino debuit, exhibuiſſe ſe ait illi magis ingratam, & indignabundam ei ſignificaſſe, reiectam à ſe pœnitentiam, ac mortificationem nolle iterum aſſumere, atque adeo non poſſe tunc ſurgere à peccatis, in quibus tamquam in dulci ſtrato voluptuoſe quieſcebat

Pœnitentia eſt proprium tegmentum peccati.

b Pſal. 31. 1.

Origen. in Catena Græca ſup. 50. Pſalm. Didymus.

Auguſtin. enarr. 2. in Pſalm. 31.

A nuda, & libera à tanta vitæ aſperitate, à qua vndique veluti ſtricta circumdabatur tunica, velleque ex conſequēti in iucundo eo ſtatu perſiſtere, cordis ſui oſtio minime illi aperto. Hæc enim omnia iuxta primum litteræ ſenſum ſignificat, cum ait: *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa?*

Circa quæ duo animaduertēda ſunt. Primum, quo deueniat peccator, cum Dei abutens benignitate, & diuinis ingratus eſt beneficiis, quibus ad conuerſionem excitatur, tamquā validiſſimis ictibus pulſatus, & diuinas negligit inſpirationes, vocationeſque ad pœnitentiam. Deuenit namque eo, vt complaceat ſibi in nuditate, & confuſione ipſa, vt optimum peccatorum integmentum ab ſe repellat mortificationem, nec modū reperire ſciat à ſua obſtinatione recedendi per pœnitētiā: Idque ipſum eſt, quod apud Prophetā Oſeam ſceleſto populo Iſrael minitatus eſt Dominus, dicens: c *Dicite fratribus veſtris, Populus meus, & ſoſori veſtræ, Miſericordiam conſecuta. Iudicate matrem veſtram, iudicate*, id eſt arguite: *quoniā ipſa non vxor mea, & ego non vir eius: auferat fornicationes ſuas à facie ſua, & adulteria ſua de medio vberum ſuorum.* En pulſationes Dei, eiuſque vocationes ad conuerſionem, & pœnitentiā, cōminans deinde, quid facturus eſſet, ſi conuerti noluerit, addit: *Ne forte expoliem eam nudā, & ſtatuam eam ſecundum diem natiuitatis ſuæ.* Quid eſt hoc, *Ne expoliem eam nudam?* Si nuda eſt, quomodo expoliare eam minatur? Nuda certe quælibet eſt anima, quæ in peccato eſt, & nuditate confuſionis peccati ignominioſa: nuditatē tamen iſtam quoquo pacto operire ei permiſſum eſt tunica pellicea, quam Deus primis parētibus exhibuit, vt propriam eorum tunicā poſt peccatum, mortificationem, vitamque aſperam, qua vel pœnitētiam diuina adiuuante gratia de ipſis ſuis ageret peccatis, vel ſaltem ad pœnitentiam excitaretur per repræſentationem miſeriæ, ac mortalitatis ſuæ, quam pelliceæ illæ tunicæ ex mortuis animalibus confectæ præ ſe ferebant: Sæpe enim vſu venire ſolet, vt animæ quæpiam, tametſi in peccato ſint, & in peccato perſiſtant, aliqua nihilominus opera faciant mortificationis, aliqua ieiunia, aliquas peregrinationes, & ſimilia, quibus nedum in oculis hominū operiant confuſionem nuditatis ſuæ, ſed & excitantur aliquādo ad pœnitentiam agendam pro peccatis, quorum cauſa in eam deuenere confuſionem, & tantis ſubiectæ ſunt miſerijs; excitantur, inquam, illis non tanquam diſpoſitionibus, ſed tamquam repræſentatiuis, vt dictum eſt, ipſarum miſeriarum. Hac ergo etiā tunica peccatricem nudamque animam expoliaturum ſe, minatur Deus per Prophetam; ſiue operibus iis mortificationis ea id tantum intendat, vt operiat confuſionē nuditatis, & peccatorum ſuorum in oculis hominum, prout fieri ſolet ab hypocritis, qui confuſionem lupinæ repacitatis tunica operiunt pellis ouinæ, iuxta illud Domini: d *Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium; intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.*

d Matth. 7.

Siue ea ex animo bono efficiat iuxta conſuetudinem præcedentem peccatum, & ex ſuperſtitioetiam poſt peccatum ipſum habitu bono in huiuſcemodi mortificationibus.

In commintione vero iſta ſua ad hoc, vt intelligeretur, qua ratione hac tunica animam eam eſſet expoliaturus, poſtquam dixit: e *Ne forte expoliem eam nudā:* adiecit illico idemmet Deus: *Et ſtatuam eam ſecundum diem natiuitatis ſuæ.* Siquidem miſer homo in die natiuitatis ſuæ, & quando in lucem editur, nedum nudus corpore naſcitur, ſed & nudus anima nuditate cōfuſionis peccati originalis, ſicue tunc anima ipſa nuda eſt; vt nec confuſionem ſuam illam per ſe operire hac valeat tunica mortificationis vel pœnitentiæ.

e Oſeæ 2. 3.

Quonam vero pacto nudam iſtam animam, atque in peccato perſiſtentem hac ratione, hacue expoliat tunica? Duobus modis. Primo quia in pœnam peccatorum præcedentium paulatim diminuit auxilium ſufficiēs à ſe animæ illi præſtitum, quo prædicta bona opera mortificationis, ſicut & alia quæpiam opera ex ſuper-

7 *Inſpirationibus diuinis reſiſtens peccator eo deuenit vt cōplaceat ſibi in nuditate ſua.*

c Oſeæ 2. 2.

Mortificationis operæ exhibita à peccatore aliquando excitant illum ad pœnitentiam per repræſentationem mortalitatis, & miſeriarum eius.

8 *Peccatricem animā quomodo Deus comminetur expoliare tunica mortificationis & pœnitentiæ.*

ſuperſtitibus quibuſdam bonis habitibus moralibus faciebat, tametſi ita auxilium illud minuat, vt tamen tantum ſemper eius ipſi relinquat quantum ſat ſit, vt conqueri ea minime poſsit, quod etiam ſufficienti deſtituta auxilio conuerti, ac pœnitentiam agere minime potuerit: quomodo Aug. Deū dici indurare peccatorem, latius declarat. Expoliat inſuper & altero modo: dum præuidens, animam ipſam peccatricem per ſemet expoliandam ea tunica, ſicue à ſe abiecturam vitam aſperam, omnemque mortificationem, & quicquid ad pœnitentiam eam excitare quomodocumque poſſet, vt ignoratura ſit rationem, modumue reperire, quo ea iterum aſſumat, tunicaue induatur pœnitentiæ, ſic ipſam expoliari permittat: & idcirco, tametſi apud Oſeam eam expoliare cōminetur, quia re vera expoliat primo modo: haud tamen ſimpliciter dicit: *Ne expoliem eam nudam*: ſed, vt & ſecūdum quoque modum indicet, quo frequētius dicta tunica expoliat eos, qui aliquando ad pœnitentiam ſunt conuertēdi, magna cautela loquens, dixit: *Ne forte expoliē*, per aduerbium (forte) liberum arbitrium peccatricis animæ innuens, quod futurum eſſet, vt illa in pœnam ſuæ obſtinationis tunica ſemet expoliaret mortificationis, ac pœnitentiæ, & ipſe pariter eamdē illā exueret, permittendo hanc eius expoliationem ipſaque anima vtendo vt miniſtro iudiciorum ſuorū, libero tamē, tā in obſtinatione, quā in expoliatione prædicta.

Ex quo factum eſt, vt, quāuis in ſacris litteris Deus ſæpius indurare dicatur peccatores, eo tamen modo hanc eius indurandi rationem ex illo Pſalmi, *f Hodie, ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione*, &c. explicat Apoſtolus Paulus, dicens: *g Videte fratres, ne forte ſit in aliquo veſtrum cor malum incredulitatis diſcedendi à Deo viuo, ſed adhortamini voſmetipſos per ſingulos dies, donec hodie cognominatur: vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.*

Propterea ſponſa, cui optime vniuerſa hæc fuerūt explorata, referens, quæ ſibi contigere in obduratione cordis ſui, quando pulſanti, & vocanti dilecto ſuo noluit aperire è peccati ſtrato conſurgens; quidue eidem reſponderit, non ait ſimpliciter: *Nuda ſum*, ſeu, *expoliata ſum tunica mea, quomodo induar illa?* At. *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa?*

In mortificatione abiicienda quam ſtulte ſe gerat peccator.

Quo loquendi modo ſignificat primo, ſemet ex libero arbitrio ſuo abiciſſe à ſe aſperam viuendi rationem, omnemque mortificationem, qua adduci quo modo potuiſſet ad pœnitentiam: ſiue illam ita à ſe repuliſſe, vt ſummam eius conceperit abominationem: atque adeo neſcire tunc rationem, qua adduci poſſet, vt eam iterum ſumeret, relinquēs eam, qua iucunde fruebatur in ipſo peccati ſtrato, vitam voluptuoſam.

Simile.

Porro hac vtens metaphora expoliationis tunicæ ſuæ in hac ſua explicanda reſiſtentia, & obſtinatione, expreſſit ſane ad viuum, quam ſtulte in mortificatione ipſa à ſemet abijcienda, ſe geſſerit; ingens vero hęc eius ſtultitia exemplo ex arboribus deſumpto omnibus fit conſpicua. Enimuero ſi quis, vt arborem lenē, candidam, & expolitā haberet, tunica ea ſua aſpera, nigraue illam expoliaret, qua à natura ipſi conſultum eſt, vt & aeris intemperiei, & æſtibus vehementibus ſolis, magniſque hiemis frigoribus per eā obſiſteret, nonne ſtultum hunc talem ſinguli proclamarēt? ſtultus ſane, quandoquidem vt politam arborem haberet (quod tandem nullius momēti eſt, & ad nil inſeruit) dum eam expoliat tunica, vna cum tunica illa ſua aufert ei & vitam; ſimulque priuat ſemet & virore, & floribus, & fructibus illius: eoque certe ſtultiorē iſtū ipſum prædicaremus, quo, cum denuo tunicam illam induere arborem poſſet, nullo pacto ad id eum poſſe adduci, intelligeremus. Hanc ſimilitudinem ſuggerit Deus in Prophetia Ioelis, explicans mala, & damna quæ per poteſtates tenebrarum, & pec peccatū miſeræ inferuntur animæ, dicens: *h Ficum meam decorticauit, nudā ſpoliauit eam, & proiecit: albi facti ſunt rami eius.* Arbor profecto fici in vinea Domini quelibet eſt anima fidelis, quæ dulciſsimos bonorum operum fructus producere apta ſit.

Quæ vero per peccatum infructuoſa reddita eſt; qualem ſe fatetur fuiſſe ea, quæ hic loquitur, ficulnea illa Euangelij, *i* in qua Deus per tres annos quæſiuit fructum, & non inuenit: ipſa tamen ficulnea hac ſe decorticauit, ſpoliauitque tunica ſua aſperæ mortificationis: Quis non videat eius ſtultitiam, appelletque merito eam ficum fatuam, præſertim intelligēs, quod ipſamet confeſſa eſt, dicens: *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa?* ſtultitiam ipſam in excuſationem adducens obſtinationis, & ſegnitiæ ſuæ.

Pedes animæ ſunt eius potentiæ, & affectus, ac paſsiones, qui in peccatore vulnerati eſſe comperiuntur.

Magis autem ſtultitiam hanc patefacit in eo, quod adijcit, idipſum fere ſignificans metaphora altera dicens: *Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Pedes animæ ſunt potentiæ illius, imaginatio, intellectus atque voluntas, quibus inſtar velociſſimi ſpiritus, quin multo celerius, quam quilibet ſenſibilis ſpiritus per mare, per terras, per montes, ac per ſubterranea diſcurrit, moxque ad ſidera, nec non & ad ſupercœleſtia, atque ad diuina aſcendit.

Pedum animæ peccatricis qualia ſint vulnera.

Pedes quoque animæ ſunt illius affectus, & paſsiones, amor, deſiderium, ſpes, gaudium; nec non & odium, timor, deſperatio, atque triſtitia, quibus vel tēdit ad bonum, vel fugit à malo, vel firma conſiſtit, fruens re aliqua, aut ſuſtinens aliquod malum.

Hos omnes pedes vulneratos nouimus ſpinæ peccati originalis aculeo, vulnuſque auctum in ſingulis per peccata actualia; ita vt intellectus peccatoris propterea obſcuratus enaneſcat in cogitationibus ſuis, haudquaquam ſe attollens ad Deum, ſed acumē, aciēque ſuam vniuerſam ad terram deflectens: imaginatio inquietiſsima effecta, nec per momentū temporis in Deo poſsit cōtineri, ſed veluti folium arboris, quod ad omnem ventum circumfertur, per carnalia terrenaque diſcurrat. Quis fœtorē illum exprimat, qui ex vlcere prouenit voluntatis, & appetitus eiuſdem peccatoris? quod ſterquilinium tam fœdum? quæ lacuna tam lutulenta? quæ cloaca tam horrenda reperiri poteſt, quam ipſa? parique vulnere, fœtidoque vlcere etiam affectus paſsioneſue eiuſdem peccatricis animę computruere; ita vt illa aſcendere ob tale vulnus minime valeat ad cæleſtia, ſed per terram iis diſcurrat, mundana deſiderans; in mundo ſperans; mundana amet; mundanis oblectetur, impedimentū timeat cōſecutionis mūdanorum, eos odio proſequatur, qui in mundanorum conſecutione ſibi ſint impedimento, ac de mundanorū duntaxat amiſsione triſtetur. *k Vulnus & liuor, & plaga tumens*, ait Deus apud Iſaiam, *non eſt circūligata, nec curata medicamine, neque fota oleo*; de peccatoribus ijs loquens, qui in peccato perſeuerātes, nullā taliū vulnerū, taliſue vlceris curāt habere rationem.

Mortificatio eſt vnguentum à Deo præſtitum aptiſsimum pro pedibus animæ vulnerātis.

Neque enim à Deo Sapientiſsimo, ac benigniſsimo animarū medico neglecta ea ſunt vmquam, ſed præſtantiſsimum vulneratis quibuſq; exhibitum eſt vnguentum, ac fidelibus, quando baptiſmi intincti Sacramento, iſtud ipſum vnguentum ſuper prædictorum pedum vulneribus appoſitum pedibus ipſis circumligatis: Vnguētum autem iſtud mortificatio eſt, vnguētum amarum quidem, & nigrum, atrumue aſpectu, ſed vtiliſſimum pro peſsimis pedum vulneribus: tuncque ſuper vlcerib. iſtis appoſitum eſt, cum, antequā quis baptiſmi ablueretur aqua, interrogatus fuit: Abrenuntias Satanæ? & is reſpondit: Abrenuntio: iterumque ac tertio eſt adiectum; *Abrenuntias omnibus operibus eius, abrenuntias omnibus pompis eius?* & pari modo iterum, iterumque is reſpondit: *Abrenuntio*: Quid eſt enim vere abrenūtiare Satanæ operibuſque, ac pompis eius, niſi per mortificationem comprimere potentias ipſas noſtras, ne circa ea, quæ Satanę ſunt, circa terrena, carnalia, & mundana effundātur? niſi per eamdem mortificationem affectus quoque noſtros circumligatos curare, ne computreſcant ſanie illecebrarum carnis?

Quamobrem quandoquidem ad tam peſsimū vlcus curandum tam eximium à Deo accepimus mortificatio-

i Luc. 13.

f Pſ. 94. 8.

g Heb. 3. 12.

k Iſa. 1. 6.

h Ioel 1. 7.

tificationis medicamẽ tãque efficaci, ſaluberrimoque vnguento iſto conſenſum eſt circumligare pedes animæ noſtræ; nullo pacto admittere debemus, vt abſq; tali vnguẽto, & ligatura nudus pes aliquis remaneat; id quod Deus apud Ierem. cauendum quam maxime
Iere. 5. 22. ſignificat, dicens: *I Prohibe pedem tuum à nuditate.*

10 *Mortificationem è potentiis & affectibus abiicere quã magna ſit ſtultitia.*

Sultiſsimum ſane eũ proclamarent vniuerſi, qui vlcus habens in pedibus, vnguentum ab experto medico vlceri appoſitum, abſtergeret, pedes ipſos aqua lauans, qua exacerbantur vlcera, vt politos duntaxat. & candidos illos oſtentaret; præſertim ſi nec vllo pacto ſuſtineret, huiuſcemodi vnguento eos amplius ſibi perungi, tametſi exploratiſsimum haberet, ſanitatem numquam ſe abſque illo conſecuturum; talem anima ſponſa Chriſti fatetur, extitiſſe ſtultitiam ſuam antequam à peccatis conuerteretur, quando obſtinate diuinis reſiſtit inſpirationibus, quibus à Deo dilecto ſuo ſibi perſuadebatur, vt expulſis è corde ſuo mundi illecebris, & vanitatibus, perniciоſiſsimiſue deliciis carnis, & ſæculi, ipſum iam admitteret ſibique iam aperiret, è peccato ſurgens per pœnitentiã: intelligẽs quippe præſtari id à ſe minime poſſe, niſi & potẽtias, & affectus mortificaret ſuos, ſtultiſsime reſpondiſſe ſe ait: *Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Sultitiam certe ingentem infœlix præ ſe fert anima impotens, dum ait: *Laui pedes meos*, abſtergendo ſcilicet mortificationis vnguentum à potentiis, & affectibus ſuis: At multo maiorem iactat ſtultitiam ipſam ſuam, dum generaliter ſubdit: *Quomodo inquinabo illos?* Quæ quidem ſtultitia exemplo hoc clarius innoteſcet. Demus, aliquem, à Rege ad Palatium, à quo eiectus propter ſua fuerat ſcelera, vocatum, quo diuitiis ibi, & honoribus exaltaretur, & in regiam proueheretur familiaritatẽ, excuſationes prætexere, quod eo tendere minime poſſet ob id duntaxat, quia eo in itinere per viam ſibi foret tranſeundum cœnoſam, & dicere nullo pacto ſe commiſſurum, vt ablutos pedes ſuos inquinet, cum ſtatuerit ambulare potius per vias planas, mundas, ſtrataſue lapidibus; quam per cœnoſam, & lutulentam, & difficilem illam; tametſi non ignoret, per hanc ad gloriam, opeſue deducendum, cum è veſtigio per politam deducatur ad egeſtatem.

Similit.

Porro ſicut is maximam ſtultitiæ notam incurreret apud omnes ex iſtiuſmodi reſponſione Regi exhibita, qui benigniſsime eum vocauerat: Ita profecto maximam ſibimet & anima peccatrix inurit ſtultitiæ notam per reſponſionem hanc ſuam, *Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* quam Deo fecit, vocanti ipſam ad gloriam familiaritatis ſuæ, & ad experiendas in ipſo diuitias bonitatis ipſius, ſi conuerſa viam captare vellet pœnitentiæ, vtiliſsimo mortificationis cœno cõſperſam; tantumdem enim eſt dicere: *Quomodo inquinabo illos?* ablutos videlicet pedes, ac: Nolo amplius in via pœnitentiæ inquinare potentias, affectuſue meos atro limo mortificationis, quem à pedibus hiſce meis abſterſi: Volo, politis pedibus incedere per excultam deliciarum viam, quocumque me ducat:
m *Eccli. 21. 11.* *m Via* quippe *peccantium*, prout dicitur in libro Eccleſiaſtici, *complanata* (ſic legendum, non vt alij legunt, *complantata*, patet ex Græco) *lapidibus*: tametſi *in finem illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ.*

Paraphraſis.

Breuiter autem, quod tota hac ſententia, iuxta primum litteræ ſenſum pia ſignificat anima, ex his, quæ huc vſque dicta ſunt, tale quid colligi poſſe videtur.

Vocata, & pulſata à dilecto meo, vt ei aperirẽ per conuerſionem à peccatis, intelligenſque ſurgendum mihi fore à dulci voluptatum ſtrato relinquendaſque delicias carnis, quo illi cordis mei aperirem oſtium, indignans, hoc pacto ei reſpondi: *Expoliaui me* iam mortificatione, quam tunicam meam eſſe ſignificaſti per eas tunicas pelliceas, quas primis meis parẽtibus feciſti: Nolo eam indui iterum: *Laui pedes* potentiarũ, affectuumque meorum ab appoſito eiuſdem mortificationis vnguento nigro, ſimul & amaro, ac ſordido. Nolo iterum mortificatione ipſa meos hoſce inquinare pedes: cum obuiam tibi procedens viam calcatura ſim ſordido iſto mortificationis cœno oppletã: nolo per eam iter arripere, quidquid pollicearis eximij: Ambulandum tamen cum mihi ſit in hoc ſæculo, volo, ne pedes meos inquinem, incedere per viam illecebrarum, & voluptatum, viam expolitam & lapidibus plenam.

11 Secundus ſenſus

Hæc ipſa fere omnia facile accommodari poſſunt eidem ſententiæ acceptæ etiã in eo ſenſu, qui ſecundo loco allatus eſt in prima expoſitione ſoni litteræ, ſecundum quem ea, quæ hic dicuntur, excuſationes ſunt animæ pigreſcentis ad conuerſionem, ſi aduerbium, *quomodo*, ſumatur hæſitatiue, vt per illud peccatrix anima non dicat, vt in ſuperiori ſenſu, Nolo induere tunicam mortificationis, &c. ſed, Non inuenio, & neſcio rationem, & modum, quo mortificationem iterum aſſumam.

Quamquam ſi pia anima in tota hac enarratione non priſtinum explicet ſtatum ſuum, quando erat in peccato, ſed præſentem, quando exiſtens quidem in gratia vt Dei ſpõſa, at tepida adhuc, & imperfecta ab ipſo dilecto ſuo vocata eſt ad maiorem profectum in vita ſpirituali, prout declaratum eſt ſupra in fine tertiæ expoſitionis verborum præcedentium; hæc eius hæſitatio, qua aperire differt dilecto ſuo, ac ne per bona opera ad maiorem promoueatur diuinæ gratię acceſsionem impedit, ex duplici capite prouenire poteſt in ea, ex ſegnitie, & torpore illo, cuius argutã ipſam vidimus in ſuperioribus verbis illis, *Quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium*; ac ſimul ex ingenti reuerentia, qua ne ante diuinum eius conſpectum imperfecta ſemper ac immunda futura ſit, veretur: quia admodum ſibi videatur difficile, quãtumcunq; perfectioni indulgere, ſpiritualique profectui intendere ſtudeat, negligentiam in ipſis, quæ agit bonis operibus non committere aliquã, in ipſoque profectu ſuo ſorde vel veniali ſuos ſaltem non inſici affectus.

Fundatur autem iſtiuſmodi horum verborum ſenſus in quatuor Sacræ Scripturæ ſententiis.

In profectu ſpirituali pia anima ſemper eſt pauida, ne in Dei ſeruitio negligens ſit, & immunda ante Deũ progrediatur.

Primum in ea, qua in Pſalmo 108. Propheta Dauid certiores nos facit, maledictionem, cui anima ſit ſubiecta, dum aliquod admittit peccatum, veſtimentum, ac tunicam quampiam eſſe illius propriam, dicens: *n Induent maledictionem ſicut veſtimentum:* & paulo inferius idipſum eidem prophetans peccatori: *Fiat ei*, ſcilicet maledictio, *ſicut veſtimẽtum quo operitur*: ſuper quæ verba Auguſtinus expoſitione ſecunda, ſuper dictum Pſalmum, ait: Cum ſuperius iam dixerit de veſtimento, quid eſt quod repetit? an quia dixerat, *Induit maledictionem ſicut veſtimentum*, differt ab eo veſtimento, quod non induitur, ſed *operitur?* induitur enim quiſq; tunica, operitur pallio: Porro, quia maledictioni ſubijcimur, non modo propter peccata grauia, ſed etiam ob negligentias illas, quas in bonis quoque operibus, & in Dei ſeruitio committimus, iuxta illud Ieremiæ, quo ſecundum verſionem Septuaginta dicitur: *o Maledictus, qui facit opus Domini ἀμελῶς, negligenter*: ideo ex magna Dei reuerẽtia, magnoque cum timore, & tremore ſuam ſalutem operans, celſioraque opera aggredi coram Deo expaueſcẽs, ait: *Expoliaui me tunica mea*, illa ſcilicet maledictionis, quando per conuerſionem iuſtificata, diuinæ gratię adiutorio à maledictione me liberaui, cui me propter mea ſubieceram ſcelera: vereor, ne per negligentias modo meas quas in profectu, quem à me expoſcis dilecte mi, facile commiſſura ſim, vt eadem induar maledictionis tunica: idque admodum expaueſco, ne in profectu ipſo meo maledictioni memet ſubijciam. Denique id, quod ait: *Laui pedes meos*, in ea fundatur ſententia, qua in Lamentationibus Ieremiæ, vbi de grauiſſimis peccatis agitur Ciuitatis Ieruſalẽ, & cuiuſque animæ fidelis, & dicitur: *p Peccatum peccauit Ieruſalem; propterea inſtabilis facta eſt*, & paulo poſt in explicationem huius dicti ſubijcitur: *Sordes eius in pedibus eius*, quo loco ſub metaphora ſordium pedum animæ ea profecto ſignificãtur peccata, quibus grauiter peccãdo anima ipſa inſtabilis facta eſt

n *Pſ. 108. 18. & 19. Auguſt.*

o *Ier. 48. 10.*

p *Ierem. 1. 8. & 9.*

cta est pedibus potentiarum, affectuumque suorum.

Quod vero addit, *Quomodo inquinabo illos?* in alia fundatur sententia, qua in Euangelio Ioannis Saluator noster abluturus pedes discipulorũ, dixit Petro: *q Qui lotus est, non indiget, nisi vt lauet pedes:* vbi ex Sanctorum Patrum consensu sub eadem metaphora sordiũ pedũ venialia illa designantur peccata, quæ in vita hac ex terræ contactu etiam à perfectis, & sæpius in ipsis quoque bonis operibus, vel potentijs, vel affectibus contrahuntur: quibus sane sordibus erubescens pia anima diuino se offerre conspectui, verensque perfectionis aggredi viam, dicit.

q Ioan. 13. 10.

Paraphrasis.

Laui pedes meos, quando in baptismi sacramento abluta sum ab omnibus peccatis abrenuntians Satanæ, & omnibus operibus, ac pompis eius: Quando etiam lacrymis compunctionis per pœnitentiæ sacramentũ iustificata sum à peccatis mundoque valedixi, tibi despõsata dilecto meo. Vereor modo, ne & in ipso seruitio tuo, vel puluere aliquo venialium peccatorum ijdem mei affectuum inquinentur pedes: id vnum in profectu, ad quem me tam benigne allicis, expaesco, dilecte mi candidissime, ne vel tali puluere pedibus inquinata diuinos tuos offendam oculos.

A

B

Vers. III. cap. V. *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?*

C

Expositio IV.

De tertia Sponsa, quæ est B. Virgo Maria.

12 Tertius sensus. *Mariæ admiratio de modo, quo conceptura esset, quæ virum non cognosceret.*

PLanus istorum verborum sensus ex intellectu desumitur illorum eiusdem Beatæ Virginis verborũ, quæ ab ipsa reperiuntur prolata in Euangelio, quando Angelo sibi nuntianti, quod paritura esset filium Altissimi, admirans tam grande miraculum, modumque eius miraculi sciscitans, respondit: *a Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?*

D

Quod enim manifestis hisce verbis Angelo significauit, se ignorasse modũ, quo conceptura, & paritura fuisset, quę votum emisisset virginitatis, alienaque extitisset semper ab omni viri copula; illud ipsũ & nunc significat, seriem enarrans eiusdem mysterij: nã postquam in superioribus retulit, quo pacto intrinsecus quoque ab ipsomet Verbo dilecto suo excitata fuerit ad concurrendum cum libero arbitrio suo in opus Incarnationis, quod in ea patrandum foret, & ad cõsentiendum diuinæ electioni, qua ad id dignitatis euecta fuerat, vt mater Dei conciperet, & parturiret vnigenitum filium eius: Nunc consequenter admirationem suam explicat, & quid intra se secum ipsa reputauerit, interiusue quodammodo cum eo ipso, qui interius sibi loquebatur, dilecto suo collocuta sit, modum ignorans adhuc tanti, quod in se patrandum proponebatur, mysterij exponit, idque sub egregijs metaphoris: dicens quippe: *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa?* significat, abdicasse à se omnem filiorum cogitationem, quæ tunc temporis, quãdo maledicta censebatur omnis sterilis, cuilibet indita erat fœminæ, vt filiorũ procreatione ipsam sterilitatis ignominiam quasi tunica quapiam apud populum illũ operirent: filios vero propriam cuiusque mulieris tunicam recte appellatos, ex eo Isaiæ *b* loco, probari facile potest, quod Ecclesiæ, dum ei ingens filiorũ numerus proponitur, dicitur: *His omnibus* (scilicet filiis) *velut ornamẽto vestieris*: Addes denique; *Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* significat, se per votum virginitatis abstersisse ab affectibus suis omnem viri cognitionem, quæ in pudica, virgineaque mẽte sua sordes videbatur: omnemque viri cogitatum, quo inquinari arbitratur virgineã pudicitiam, à pedibus intellectus, & voluntatis suæ iam abluisse. Quod ergo ait, tale est.

E

F

Maria voto virginitatis expoliauit se tunica sua, & simul pedes lauit affectuum suorum.

a Luc. 1. 34.

b Isa. 49. 18.

Percepta excitatione dilecti mei ad consentiendũ conceptioni, ac partui filij Altissimi, tanti ignara mysterij, quomodo paritura essem, sic intra me mecum, & cum ipsomet collocuta sum dilecto meo: Ego iam omnem abieci cogitationem filiorum, quibus quasi propria tunica fœminæ operiunt ignominiam sterilitatis suæ: quomodo nunc quasi tunica mea induar illa eadem cogitatione? Quonam pacto id fiet, si eo, quod emisi virginitatis votum, laui pedes affectuum meorum à sordibus carnis, & ab omni inquinamẽto cogitationis viri? sordes enim mihi censeo, quicquid contra propositum est virginitatis; quomodo partu eosdem inquinabo modum sane ignoro, quo cõcepturа sim, & paritura, cum inquinamentone virginalis pudicitiæ, an vero mea seruata virginitate?

Paraphrasis.

Subtilius autem eadem verba perpendens, credederim admodum probabiliter, hæc à Beatissima Virgine, quæ non tam gloriari de virginitate, quam de humilitate, vilitateque sua se iactare solita erat, intra animi sui penetralia discussa fuisse, quin, quanto magis exaltatam à Deo se audiebat, per ea, quæ illi significata fuere in præcedentibus, tanto magis ipsa se demittebat intrinsecus, propter quam humilitatis discussionem legimus in Euangelio; *c* illam turbatam in sermone Angeli, quo miris se audierat euectam laudibus, vt asserunt Patres complures: ac ipsamet hic refert, quid tunc mente reputarit, ipsumque intrinsecus sibi loquentem allocutam esse Verbum dilectum suum, à quo ad dignitatem matris se euectam acceperat: sicue ea, quæ hic dicuntur, ex ingenti B. Marię reuerentia in dilectum ipsum suum, & ex maxima omni demissione prolata arbitror.

13 Alius sensus. *Mariæ eximiæ humilitatis expressio peregregia.*

c Luc. 1. 29.

Porro tunica, quam singulariter suam appellat Virgo Benedicta, ea singularis est prærogatiua gratiæ, atque iustitiæ, de qua apud Isaiam lætanter ipsamet ait: *d Gaudẽs gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis*, (saluam me scilicet faciens, & præseruans ab omni culpa, nedum actuali, sed & originali,) *& indumento iustitiæ circumdedit me*, pro interiori nimirum tunica. Hac tunica expoliauit semet Maria quando cogitatione sua vertit, quænam & qualis fuisset essetue absque diuinæ illius gratiæ ornamento; quando tribuens Deo, quod Dei esset, suam vilissimam intuebatur nuditatem; quando nuda quodammodo in abiecto humilitatis, vilitatisue suæ statu quiete iacebat contemplans: Contemplata vero tunc potissimum est istam humilitatem, vilitatem, ac nuditatem suam, cum ad altius dignitatis culmen prouectam se intellexit; idcirco tũc à celsissimo Deo, nedum edocta, quod ad dignitatem sponsæ, matrisue Verbi fuisset electa: sed & requisita de consensu in tantam dignitatem; excitata ab eodem Deo vt in admirabile Incarnationis diuinæ opus, quod patrandum in ipsa erat, consensum præberet (vt visum est in præcedentibus) quasi tanti mysterij complementum ab ea dependeret; suam fatetur vilitatem, eodem fere modo, quo in Euangelio idipsum, & Angelo nuntiãti eamdem proposuit humilitatem suam, vbi, audito toto cœlesti nuntio, breui quidem, at significantissima oratione respõdit: *e Ecce ancilla Domini*. Nota est quippe vis aduerbij, *Ecce*, quod in sacris litteris vsurpatur non modo ad significandam promptitudinem obedientiæ, prout communi expositorum consensu etiam in præcitata desumitur oratione: verum & ad significandam promptitudinem alicuius mysterij, vt Isaiæ 7. *f Ecce virgo concipiet*, & Luc. 1. *g Ecce concipies in vtero*: & ad exprimendam insignem aliquam admirationem, vt Isaiæ 12. *h Ecce Deus Saluator meus*: Quo sensu & in hac pariter Mariæ oratione congruentissime accipi posse, non dubitarim; vt duabus vocibus Virgo Sanctissima abiectissimam humilitatem suam Angelo proposuerit, & voce ancillæ Dei, cuius electam se intellexerat matrem; de qua abiecta vilitate sua alias quoque dixit: *i Quia respexit humilitatẽ ancillæ suæ*, prout decla-

d Isai. 61. 10.

Maria corã Angelo quãtum se exhibuerit humilem.

e Luc. 1. 38.

f Isai. 7. 14.

g Luc. 3. 31.

h Isai. 12. 2. *Ecce aduerbium significat magnitudinem rei.*

i Luc. 1. 48.

declaratum eſt alibi ſæpius: & voce ipſa, *Ecce*, qua eã- A
dem quodammodo admirara eſt humilitatem, vilita-
temque ſuam; vt ſenſus eius orationis ſit. Magnũ ſane
miraculum eſt, quod tam vilis ancilla Domini (per a-
poſiopeſim; ſubintellige tu) aſſumpta ſit ad tam gran-
dem matris Dei dignitatem: vel, admirare tumet An-
gelus Dei vilitatem mei, quæ vix nomen mereor ab-
iectiſsimæ ancillę Domini: aut quomodo, admirãter,
ancilla Domini; per apoſiopeſim, id eſt, ipſa adeo miræ
humilitatis, ipſa abiectiſſima ancilla Domini, indigna
ex me certe ſum à qua requiratur, quem expoſcis, cõ-
ſenſus, vt fiã mater Dei mei. Pari igitur modo & Deo
quoque intrinſecus ſibi loquenti prædictumque con-
ſenſum efflagitanti reſpondiſſe ſe, refert, his verbis.

14 Paraphraſis. *Expoliaui me tunica mea*, abſtracto à memet ornamẽ- B
to gratiæ tuæ, qua inſtar tunicæ induta à te fui, nudã
me profecto, viliſsimamque auerto & indignam, quę
ante te compaream: *Quomodo* nunc eadem tunica ip-
ſamet me induam conſenſu meo quodammodo effi-
ciens, vt mater Dei ſim, tantumque tuæ diuinæ in me
gratiæ culmen perficiens, atque conſummans? Hæc
vero haud dubitans, aut renuens locuta eſt, ſed præ
eximia ſui humilitate diuinam admirans benignita-
tem.

Ac quod non vt renuẽs conſenſum, ea dixerit, per
id comprobatur, quod illico ſubiecit: *Laui pedes meos,*
quomodo inquinabo illos? Quæ ſane verba iis propemodũ
ſimilia ſunt, quæ & Angelo, poſt propoſitam humili- C
Luc. 1. 38. tatem ſuam, vbi dixit: *Ecce ancilla Domini*, ſubintulit:
Fiat mihi ſecundum verbum tuum. Quamquam eamdem
reſignationem ſuam perfectius, & efficacius Deo ipſi
ſignificarit his verbis: *Laui pedes meos, quomodo*, & ce-
Mariæ reſignatio, qua conſenſum præbuit ad opus incarnationis, quam perfecta extiterit. tera, quam exhibuerit Angelo, cui dixit: *Fiat mihi ſe-*
cundum verbum tuum: Angelo ſiquidẽ ſignificauit, ad-
mirari ſe quidem indignitatem ex parte ſui: haud ta-
men congruum cenſere, vt vel abiectiſsima vilitas, &
indignitas ſua diuinæ opponatur potentiæ, cui nõ eſt
impoſsibile omne verbũ; idcirco tantæ obtemperan-
do potentiæ, ei ſe totam reſignare, vt fiat in ipſa, quid-
quid ab illius nuntio prædictum ſibi fuit. Dilecto ve- D
ro ſuo dicens: *Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?*
quatuor breuiter ſubindicat; fidem, quã internis eius
verbis præſtitit: Reſignationemque item ſuam perfe-
ctiſsimam, qua omnino propria ſe priuauit voluntatę
tam in aſſentiendo ei, quam de ſe factam acceperat,
electioni in matrem Dei, quam quacumque alia in re,
in qua diuinam eius percepiſſet voluntatem: Tertio
admirabilẽ eius extollit perfectionis, puritatiſve glo-
riam. Et ſuammet quarto ex humilitatis effectu de-
primit perfectionem in fide, atque in voluntatis re-
ſignatione, quas abluiſſe ſe dixerat.

Lotio in Maria non ſupponit ſordes alicuius peccati. Pro quorum intellectione nonnulla breuiter ſunt
ſupponenda. Primum, per pedes ſuos B. Mariam ſpi-
ritales illos deſignaſſe pedes, quibus ſpiritaliter ince- E
deret, ij autem ſunt duæ præcipuæ eius potentiæ, in-
tellectus, & affectus, ſeu alio nomine voluntas: hiſce
namque & diſcurrebat, & in corporeis paſsibus ad
rem tendebat volitam.

Secundo ſupponẽdum, verbum lauandi haud ſem-
per neceſſario ablutionem ſignare à ſordibus: fieri e-
nim poteſt, ſitque ſæpiſsime, vt membra, quæ mun-
diſsima ſunt, & abſque vlla ſorde abluantur odorata
aliqua aqua, non tam ad augmẽtum munditiei, quam
ad aquæ ipſius fragrantiam illis impertiendam; Id
quod factum nouimus in B. Virg. in qua nulla vm-
quam vel minimi peccati extitit macula.

Certum eſt quippe apud omnes Theologos, ablu-
tam à Chriſto fuiſſe per baptiſmum, per quod, tamet-
ſi nihil effectum ſit, quod ad ſordes ſpectaret, impar-
titum nihilominus illi fuit maius gratiæ augmentum
ex opere operato, ingenſque talium aquarum diuinæ
gratiæ fragrãtia ſuit illi communicata: ſic igitur, cum
ipſamet ait, *Laui pedes meos*; haudquaquam cenſenda
eſt, præ humilitate id de ſe pronuntiaſſe, quod falſum
nouerat; ſed eatenus lauiſſe ſe, inquit, pedes ſuos illos
ſpiritales, intellectum ſcilicet & voluntatem, quate- F
nus intellectui ſuo, quo iam circa diuina ſpatiari ſo-
lita erat, fragrantiſsimam ſummæ fidei exhibuit perfe-
ctionem, qua id credidit, quod difficillimum intelle-
ctu erat, Deum fieri hominem, ſeque miſeram, & abi-
ectiſsimam ad tam excelſam electam matris eiuſdẽ
Dei dignitatem, tantamque Trinitatem in ſe ſuper-
uenturam, & ea omnia, quæ ſibi nuntiata fuerant ab
Angelo: voluntati vero item ſuæ, qua ſemper cœleſtia
petebat, tendebatque ad Deum, perfectionem præ-
ſtitit odoratiſsimam ſummæ in eumdem Deum reſi-
gnationis, qua & in id quoque conſenſit, vt filius Dei
in ipſius vtero conciperetur, vtue mater Dei fieret tã
conceptione, quam partu, ex cuius conſenſus exhibi-
tione ab ipſa, quam in ſemet aduertebat, vilitate auer-
tebatur, vt ſignificauit in prima parte iſtius verſus.

15 *Maria in ipſa perfectiſsima reſignatione ac fide ſua magnos eſſe defectus fatetur, in comparatione perfectionis, & puritatis Dei.* Quæ vero hac ratione lauiſſe ſe dixit pedes ſuos,
eoue modo ſuum & intellectum perfeciſſe, & volun-
tatem; cum perſpectum optime haberet, nihil in hac
vita adeo eſſe perfectum in anima ſancta, quod humi-
litate non reddatur perfectius: B. Maria in eo ipſo
quod ablutis pedibus Verbo obuiam quodammodo
proceſſit, ſuum præbens aſſenſum, vt id in ſe deſcen-
deret carnem ſumens; incomprehenſibilem venien-
tis ad ſe Dei non tam maieſtatem admirans, quam
reuerens puritatem, & perfectionem Sanctitatis, ſuos
in ipſamet puritatis perfectione, quam expoſuerat,
fatetur defectus, quos certe redarguit ipſa Dei puri-
tas, atque perfectio. Quod enim ait: *quomodo inquinabo*
illos? admiranter dictum ab ea eſt: admirante nimirum
defectus in perfectione ipſa pedum ſuorum intelle-
ctus & voluntatis ad Dei preſentiam. Porro quod in-
quinare ſe, inquit, dictos pedes, tantumdem eſt. ac ſi
dicat, exhibere, & oſtendere illos inquinatos, nõ qui-
dem ſorde vlla peccati, ſed defectibus à perfectione,
& puritate Dei, à qua longe ſe abeſſe agnoſcebat, dum
coram illo eſſet; tametſi ſtuduiſſet, vt pedes ipſos
ſuos, quibus terram calcare opus ſibi erat, perficeret
pro viribus ſuis, eo ſenſu quo in cap. 1. dixit; *k Nolite* k Can. 1. 16.
me conſiderare, quod fuſca ſim: quia decolorauit me ſol, vt vi-
dere eſt in noſtra expoſ. quarta eorum verborũ, ſenſu
vltimo; quoue iuxta lectionem Sept. ſeraphim illa a-
pud Iſaiam *l* ſtantia ante cõſpectum Dei, duabus alis l Iſa. 6. 2.
velabant faciem ſuam, & duabus alijs velabant pedes
item ſuos, vt interpretantur, quod habẽt Sept. [duã-
bus velabant faciem, duabus velabant pedes,] grauiſ-
ſimi ex Patribus, conſentiuntque Doctores Hebræo-
rum: ob id quippe ea coram Deo velabant ſuas & fa-
cies, & pedes, vt quamdam præ ſe ferrent actu illo e-
rubeſcentiam de imperfectione ſua collata cum per-
fectione diuina, deque fœditate ipſiuſmet pulchritu-
dinis ſuæ collatæ cum pulchritudine Dei, in cuius cõ-
ſpectu ſtellas eas ſpiritales neutiquam mundas eſſe,
nec mundos eſſe ſpiritales ipſos cœlos, teſtatur in li-
bro Iob Eliphaz Themanites: *m* velabantque item fa- m Iob 15.
cies, & pedes ſuos; vt operimento illo, ſuos ſe erubeſ- 15.
cere teſtarentur defectus, quos in eo ipſo perfectiſsi-
mo committebant actu, quo tunc ſuam ingentẽ erga
diuinam Maieſtatem præ ſe ferebant reuerentiã. Vn-
de Chryſoſtomus homil. 1. in illud Iſaiæ: *Vidi Dominũ*,
&c. Cum plurimam, inquit, Seraphim habeant erga
conditorem reuerentiam; & hanc vndequaque co-
nentur præſtare: deinde quoniam non aſſequuntur,
quod expetũt, quod deeſt affectui, hoc velo obtegũt.

Quod ergo hac ſecunda parte huius verſus, *Laui*
pedes meos, quomodo inquinabo illos? ſecũdum præexpoſita
ait B. Virgo ad Verbum efflagitans conſenſum ipſius
in opus Incarnationis, tale eſt.

Paraphraſis. Quamuis, dum meam contemplor vilitatẽ, abſtra-
cta inſigni gratiæ tuæ tunica, qua me decoraſti, indi-
gniſsimam me reputem ad id culminis, ad quod me
euexiſti, ita vt vix audeam ex me viliſsima, pariter &
indigniſsima, quantum ad meam ſpectat nuditatem,
quem expoſcis, promere aſſenſum, & quodammodo
à memetipſa indui tunica hac eximiæ gratiæ tuæ, qua
Mater Dei efficior; Nihilominus vilitatẽ ipſam meam
ab infinita potentia tua euectam intelligens, duos laui

pedes

pedes meos, non quidem à ſorde peccati aliqua illos expurgans, ſed odoratæ perfectionis aquæ fragrantiam illis impertiens, intellectui perfectionis fidei, voluntati vero perfectæ reſignationis: intellectu, perfectiſſimo modo fidem præſtans vniuerſis, quæ per Angelum mihi ſignificaſti: voluntate, aſſentiens omnibus quæ expoſcis, tibi illam exhibens promptam, in te eã reſignans à quacunque alia re alienã. Quidni tamen admirer ſimul & Maieſtatem tuam, & meam imperfectionem. Quandoquidem hoc ipſo actu quo pedes iſtos meos, ſic per expoſitam abluo perfectionẽ, quoue perfectiſſima & fide, reſignatione aſſenſum præbeo, obuiam tibi procedens dilecto meo: coram te Deo meo inquinatos illos ipſos oſtendo pedes meos coramque perfectione tua, ac reſpectu puritatis, ſanctitatiſue tuæ, compluribus eos, ac memet totam plenam exhibeo defectibus.

Verſ. III. cap. V. *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?*

Appendix Expoſitionum, Ex Antiquis Patribus collecta.

16 PAraphraſis Chaldaica. Reſpondit cœtus Iſrael coram Prophetis: Ecce iam abſtuli à me iugum præceptorum eius, & ſerui idolis populorum, quomodo ergo erit mihi facies, vt conuertar ad eum? Reſpondit ei Dominator ſæculi per manum Prophetarum: ego quoque abſtuli maieſtatem meam de medio tui, quomodo cõuertar? Tu autem feciſti opera mala. Ego ſanctificaui pedes meos ab immũditijs tuis, ſed quomodo inquinabo eos inter te operibus tuis malis.

Sunt, qui tam per tunicam, quam per inquinationem pedum ſcelerum ſordes accipiant, & peccata: diuerſa tamen ratione à ſponſa hæc dicta ſumẽtes, haud omnino in hoc ipſo conueniunt ſenſu: ſiquidẽ Greg. Nyſſ. hom. 11. arbitratur, piam animam iam Deo pulſanti aperire, verbiſque hiſce modum ſignificare, quo ſponſo aperuit, Deumque intra ſe admiſit. Per hoc nimirum, quod pollicita eſt, non amplius reſumpturam ſe tunicam peccati à ſe reiectam, neque incedendo in hac vita, terrenum amplius admiſſuram inquinamẽtum; hæc quippe, ait, aditus ſunt ad ſanctificationem.

Anima quãdo & quomodo aperiat Deo pulſanti Greg. Nyſſ.

In huius ſenſus explicatione plura ait Nyſſ. quæ hic haud cenſeo prætermittenda, præſertim cum ad eiuſdem ſenſus dilucidationem ſpectẽt, & digna ſint, quæ hoc loco notentur.

Primum animam in baptiſmate exuere mortuas illas tunicas pelliceas, *a* quibus caro peccato obnoxia induta fuerat in paradiſo; carnemque ipſam eam quã Apoſtolus *b veterem* appellat *hominem*: ſimulque aperuiſſe Chriſto, cum eodem tempore induta eſt *hominem nouũ in iuſtitia, & ſanctitate veritatis* Ieſum Chriſtum, vt idem declarat Apoſtolus.

Anima in baptiſmo exuta ſemel ac induta eſt.
a Gen. 3. 21
b Coloſſ. 3. 9

Secundum, apte eamdẽ animam ſubinferre, *Quomodo induar illa?* quandoquidẽ præceptum ſit *c* Apoſtolis ne haberent duas tunicas, illam ſcilicet, quã aſſumpſerũt, innocentiæ & illam, quam abiecere, peccati: cũ nec conducat, iuxta *d* dictum Domini nouum pannum veteri veſtimento aſſuere, nam alioquin aufert ſupplementũ nouum à veteri, & maior ſciſſura fit in veteri ipſo.

Tunicam veterem vna cum noua habere non licet.
c Matth. 10. 10.
d Marc. 2. 21.

Tertium, eodem tempore baptiſmi, vel pœnitentiæ ipſammet animam abluere illas peccati ſordes, quas è terra peccando ſumpſere primi parentes, vnde & audiuit Adã, e *Terra es & in terram reuerteris*: exiſtimat autem Nyſſenus, ablutionem iſtam pedum idem eſſe cum ſolutione corrigiæ calceamentorum, *f* quã Chriſto exhibere Ioannes non potuit, in quo peccatum non fuit vllum: idem & cum ſolutione ipſorũ calceorum, pelliumque mortuarum. Quod autẽ abſque iſtis calceis piæ animæ incedendum ſit, probat tripliciter ex eo: quod de Moyſe, aſcendente in terram ſanctam,

Lotio pedum idem cum ſolutione calceorum, & depoſitione peccatorum.
Gen. 31. 9.
Ioan. 1. 27

A haud narrat ſacra ſcriptura, quod calceos, quos *g* ad iuſſum Domini in monte Oreb ſoluit, rurſus indutus ſit: Secundo ex eo, quod inter ſacerdotalia indumenta, quæ à Deo inſtituta fuere per Moyſem nullum numeratur pedis indumentum: quia nimirum ſacerdotalis pedis ornamentum erat, eſſe nudum & liberum ab omni indumento: oportet enim ſacerdotem incedere ſuper terram ſanctam, ſuper quam haud fas ingredi eum pellibus mortuis. Tertio ex *h* eo, quod Dominus Ieſus diſcipulis prohibuit calceos, quando eis præcepit, ne irent in viam gentium.

g Exo. 3. 5.

Indumentum pedum Sacerdotis ambulantis ſuper terram ſanctam eſt eſſe nudos

h Luc. 10. 5.

Quartum, animam iuſtificatam incedere per viam ſanctam, de qua Chriſtus Dominus ait, *i Ego ſum via*, B quæ non licet ab eotangi qui peccãti, pelliſue mortuæ non ſoluerit indumentum: ſeruare autem in via hac lapidibus conſtrata pedes ſuos impollutos, prout & Dauid ſibi conceſſum aſſeruit, vbi dixit: *k Eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fæcis, & ſtatuit ſupra petram pedes meos & direxit greſſus meos.* Quam Petram ipſummet Chriſtum eſſe, ait Nyſſenus, qui cum ſit lux, veritas, immortalitas, & iuſtitia, ſe ipſum rebus hiſce, quaſi quadam incruſtatione, ſpiritualem ſternit viam.

Pia anima pedibus nudis incedit per viam ſanctam, qui Chriſtus eſt.
i Ioan. 14. 6.
Chriſtus quo modo via ſtrata.
k Pſal. 39. 3.

Cum hoc Nyſſeni ſenſu conueniunt, quæ dicuntur à Catena trium Patrum, & à Pſello, niſi quod Catena aſſerit, eamdem animam dicere, pedes ablutos lauacro baptiſmi, & ſancti Spiritus, & diuinorum mandatorum obſeruatione. C

Tres Patres. Pſellus.

Ambroſius quoque eodem ſenſu hæc ipſa accipit, ſed vt alia ratione ab anima ſancta prolata exiſtimat: nã ſer. 16. in Pſal. 118. verſ. 1. vt illius querelas hæc ſumens, *Exui*, ait illam dicere, tunicã peccatoris, velamẽque terreni. cur quaſi peccator, atque terrenus adiudicor? *Laui pedes*, ne qua delicti ſors poſſet adhærere veſtigio, cur das in me delinquentibus poteſtatem?

Ambroſ.

17

Pia anima conqueritur quod abiecto à ſe peccato, vt peccatrix peccatoribus ſit ſubiecta.

Sermone vero 22 in eundem Pſalm. in expoſitione litteræ Tau, ex his verbis colligit, animam ſanctã pulſanti Domino indicare, ita ſe correxiſſe, ſiue peccatorũ eſſe oblitam, vt, etiam ſi velit, ea admittere nequeat. D verba Ambroſij ſunt; Veteris hominis veſtimentum vitiis erroris intextum, in lauacri regeneratione depoſitum, neſcit, quomodo poſſit induere: ſtudio enim correctionis inoleuerat obliuio peccatorũ: Tanta vis conſummatæ emendationis eſt, vt in quandã pueritię redeat ſpiritalis ætatem, quæ vias erroris ignoret; crimen, etiamſi velit, non poſſit admittere; quia deſueuit peccandi vſum noſſe: eundem ſenſum affert lib. 8. in Luc. cap. 17. & in lib. Apolog. Dauid poſteriori (ſi liber ille eius eſt) & in li. 3. de Vir. vbi ſic legens, *Nocte exui tunicã meam*, In hac, inquit, ſæculi nocte prius tibi (loquitur ad Virginem) corporalis vitæ amictus eſt exuendus: Exuit enim ſe carnem Dominus, vt pro te dominationibus, & poteſtatibus mundi iſtius triumpharet. Vide, anima Deo deuota, quid dicat: *Quomodo induam illam?* ſic ſe actus corporis, & terrenos exuit mores, vt neſciat, quomodo, etiamſi velit, rurſus poſſit induere. *Quomodo*, ait, hoc eſt. qua verecundia? quo pudore? qua poſtremo memoria? Conſuetudo enim boni vſum prauitatis veſtis amiſit.

Peccata ita abiicienda à nobis vt omnis ſimul eorum memoria prauaque abijciatur conſuetudo.

Eodem loco lib. 3. de Virg. exverbis, *Laui pedes meos, quomodo, &c.* colligit, cauendum nobis, ne peccata, à quibus ſemel per baptiſmum abluti fuimus, iterum perpetremus. Bene inquit ſancta Eccleſia dicit, *Laui pedes meos.* Non dicit, *Quomodo iterũ laudabo eos?* ſed, *quomodo iterum inquinabo eos?* quaſi oblita maculæ veteris, oblita contagij: Admonet igitur in miniſterio corporali. quemadmodum ſpirituale debeamus actuum noſtrorum diluere veſtigium. Itaque pedes cum ſemel laueris æterni fontis irriguo. & myſterij mundaueris Sacramẽto, caue veram corporeæ cupiditatis illuuiẽ, ne lutulenti actus ſordibus inquinentur. Iſti ſunt pedes, quos Dauid lauit in ſpiritu qui te docet, quẽadmodum eos inquinare non poſſis dicens: *l Stantes erat pedes noſtri in atriis tuis, Ieruſalẽ*: vtique hic nõ corporis, ſed animi intellige pedes: Quomodo. n. terrenus homo in cælo haberet corporis pedes? Quemadmodum vero in cælo ſtare poſſis, docet te Apoſt. dicẽs: *m Noſtra*

Recidiuatis in peccatis cauenda.

Per conuerſationem exiſtere pedes viæ animæ ſunt ſtantes in cælo.
l Pſ. 121. 2.
m Ph. 3. 20

autem conuersatio in cœlis est: conuersatio morum, conuersatio factorum, conuersatio fidei.

Pia anima veretur, ne egrediens, in tentationes incidat & peccata.

Animæ pauidæ hæc tribuit idem Ambrosius, cum in lib. de Isaac, & anima capit. 6. hæc habet: Audiens anima, *aperi mihi, & caput roris plenum*, hoc est tentationibus sæcularibus, subito turbata, & quasi surrectura, quæ surgere iubebatur, ait, cum aloe redolet, & myrrham insignia sepulturæ. *Exui tunicam meam, &c.* veretur, ne iterum in tentatione resurgat, ne iterum in culpam redeat, & peccatum; atque gressus sucs, virtutumque progressus terrenis incipiat vestigiis inquinare. Paulo vero inferius: Exuit, inquit, tunicam pelliceam, quam acceperunt *n* Adã, & Eua post culpam, tunicam corruptelæ, tunicam passionum; *Quomodo induam eam?* Non requirit, vt induat, sed ita significat abiectam, vt iã indumento sibi esse non posset.

n Gen. 3. 21.

Tunica peccati & passionum ita abijcienda, vt nequeat amplius inseruire pro indumento. Theodorit.

A quo Ambrosij sensu haud multum distant, quæ asseruntur à Theodorito, licet ipse non tam ex metu, quam ex ignauia, & pigritia hæc dicta censeat, quasi Christus id ab ea exposcat, vt induat iterum, &c. Atqui hoc illi spõsus non præcipit (ait Theodoritus) neque enim vult, vt depositum veterẽ hominẽ iterũ sumat, aut sanctis manibus suis ablutos coinquinet pedes, sed vt sine labore, inquinatione aperiat sibi vel aurium, vel oculorũ fores, quo aut per cognitionem, aut per auditum ingressus, in animabus sanctificatis inhabitet.

Quæ ignaua est anima suadentis Domini verba contrario accipit sensu.

18

Communiori tamen sensu à Patribus hæc sumũtur vt verba Ecclesiæ, in persona contemplatiuorum excusantium se, cum à Deo excitatos se senserint ad studium prædicationis, & ad procurandã proximorum salutem. Quem sensum fusius prosequitur Augustinus Tract. 57. in Ioannem prope finem, vbi inter alia hæc habet: Qui amant otium bonorum studiorũ, & nolunt perpeti laborioſarum molestias actionum, eo quod minus idoneos ad hæc ministranda, & sine reprehensione agenda se sentiũt, mallent, si fieri posset, sanctos Apostolos, & prædicatores veritatis antiquos excitari aduersus abundantiam iniquitatis. Passa ergo difficultatem Ecclesia propter inopiam Prædicatorum, & recolens illa sua membra sana sermonibus ingemiscit, & dicit: *Exui me tunica mea, quomodo induar illa?* membra illa mea, quæ Christo aperire euãgelizando excellentissime potuerunt, quomodo ad corpora, quibus exuta sunt, redire nunc possunt? Deinde respiciens ad eos, qui prædicare, & populos acquirere, ac regere, ac sic Christo afferre vtrũque possunt; sed in difficultatibus actionum peccare metuũt: *Laui*, inquit, *pedes meos, quomodo inquinabo illos? Quisquis enim verbũ nõ offendit, hic perfectus est.* Quis est, qui nõ offendit in tãta abũdãtia iniquitatis, in tãto frigore charitatis?

August. Prædicatorũ bonorum magnã inopiam habet Ecclesia.

Cassiodor. Contemplatiui vocati à Domino ad curam proximi timent redire ad occupationem sæculi

o Matth. 24 18.

Ijsdem contemplatiuis tribuit hæc Cassiodorus: dissentit tamen ab Augustino, dum per tunicam, quã expoliasse se dicunt, & metuere iterum eam induere, curas intelligit, & occupationes sæculi huius, sine quibus id Marthæ munus exerceri minime potest, ex illo Euangelij: o *Qui in tecto est, non descendat tollere tunicam suam*, id est qui in sublimi contemplationis est non descendat tollere curas sæculi; lotionem pedum, inquit, tunc factam, cum actiones suas, quibus iidem terrena agere consueuerant, dignis pœnitentiæ fletibus abluerunt; aiunt autem, se metuere, ne iterum ad cogitanda terrena, & caduca redeuntes, ablutos inquinent pedes suos.

Beda. Anselmus. Phil. Carp. Greg. Pap. Rich. Vict. Rup. Abb.

Cassiodoro consentit Beda in omnibus, Ans. Philo, & Richar. Vict. Greg. quoque PP. nisi quod per tunicam ex eodẽ loco Euangelij intelligit omnia exteriora quibus onerantur, opes, honores, &c.

Actiuæ vitæ indulgentes necessario implicantur extesioribus.

Rupertus Abbas referens eadem ad B. Virginem haud longe ab hoc Gregorij sensu discrepat, nisi quod tam per tunicam, quam per inquinamẽta accipit terrena, & exteriora, quibus implicari opus est omnes, qui vitæ vacent actiuæ.

19

Consuetudo praua quam damnosa.

In bonum sensum tam tunicæ, quam inquinationis vocabula sumens Aponius, Docemur, inquit, per hæc ob malam consuetudinem difficile, aut vix aliquando cum magno labore expoliatam animã charitate, quæ sola cooperit omnes nuditates, id est, multitudinem peccatorum, reuestiri; & semel reuocatos à via angusta, & euangelica per deliciarum consuetudinem, & desidiæ, aqua dilutos pedes cum magna contritione cordis in præparatione Euangelij reuocari, & spe cõsuetudinis recontegi.

Deniquẽ Philo Carpathius referri, inquit, hæc posse ad resurrectionem sponsi, qui iam se mortalitatem assumptæ carnis exuerat, & ab angustissimis terræ gressibus ad amplissima cœlorum spatia transierat, vt semel mortuus haud vltra se moriturum ostenderet, iuxta illud Apostoli; p *Et mors illi vltra non dominabitur*: id indicant, *Quomodo induam illam?* Et, *quomodo inquinabo illos?*

Phil. Carp. Resurgens Christus non fuit amplius morti obnoxius.

p Rom. 6. 9.

Vers. IIII. cap. V. *Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius.*

Expositio I.

Iuxta sonum litteræ.

POstquam in præcedenti versu sponsa retulit, quid sibi visa sit in somnio respondisse dilecto, fores suas pulsanti, ipsamque efflagitanti, vt ostium ei aperiret: Consequenter nunc suam prosequens enarrationem, subiicit, quid sibi pariter visum sit, feciſſe dilectum ipsum, audita eius tergiuersatione. Qui enim tanta eius charitate flagrabat, quantam sua ipsa contestatus est oratione, du ad pulsationes adhibuit voces, & voces eas, quarum singulę eximiam in illam præ se ferrent charitatem, haud indignatus, illico abscessit repulsus, at instantius ad eam studuit penetrare: Mittens nimirum manum per foramen ostij eius, nitensque pessulum reuoluere, aut seram reserare: ait autem sponsa, se id omne aduertisse, eoque percepto totam fuisse commotam vsque ad intima viscera. Hic est facillimus breuissimusve totius litteræ huius sensus, vt percipitur ex originalibus Hebræo, & Græco, tum Sept. tum aliorum interpretum. 1

Quo autem explicatius omnia innotescant, supponendum primo, foraminis eius hic fieri mentionem, quod in ostio sit, ex fere communi expositorum sententia tam nostrorum, quam etiam Hebræorum: tametsi nonnihil discriminis inter eos reperiatur in explicando, quodnam & quale ostij foramen id fuerit, in quod sponsus misit manum suam vel totam, vel digitos eiusdem manus partem. Siquidem Rabbi Abraham Aben Ezdra rimulam eam intelligit, quæ est inter duas ostij valuas, quæve aliquando præsertim in domibus agrestibus latior esse solet, ita vt per ipsam digiti immitti queant, vel festucæ arundinis, aut etiam cultri cuspes, & acies ad eleuandum pessulum. Nostri communiori consensu illud intelligunt foramen, per quod clauis immittitur ad obserandum, & aperiendũ pessulum, aut seram, quod ve latius quoque sit operæ pretium est, vbi magna sit clauis, atque adeo non incõmode sæpius per illud digiti possunt immitti. Legionensis discribit quoddam pessuli genus apud Arabes nunc vsitatum, ad cuius similitudinem putat fuisse forsitan pessulũ, de quo hoc loco fit sermo. Quicquid tamen hac de re sit, videri hæc possunt apud ipsum. Denique ex voce qua vsi sunt Sept. vertẽtes, ἀπὸ τῆς ὀπῆς. ὀπὴ enim tametsi & generaliter aliquando significet quodcumque foramen: frequentius tamen vsurpatur pro feneſtra: atque adeo bene S. Amb. haud foramen hic legit, sed prospectũ, colligere fas est foraminis vocabulo significatam feneſtellam illam, quæ in valuis domorum fieri aliquando solet vel ad prospiciendum, vel vt per eam immissa manu pessulum reseretur: quo vltra seram, ipsum obfirmatum est ostiũ.

Foraminis vocabulo quid hoc loco significetur.

R. Abraham

Legionensis.

Ambr. lib. 3. de Virgin.

Supponendum secundo vocabulo, ventris, haud tam ventrem ipsum externum hoc loco significatum, quam quæ intra ventrem sunt viscera, atque in primis cor,

Ventris vocabulo quid significetur.

cor, atque præcordia, iuxta frequentissimum sacrarum litterarum vsum hic ab expositoribus omnibus obseruatū: Patet hoc ex voce Hebraica רחמי vmengai, quā recte reddidit Symmachus vertens, τὰ ἐντερά μου, *interiora mea.* Symmach.

Supponendū tertio pro verbo, *Intremuit*, quod habemus in Vulgata, in Hebræo esse verbū המה hamu, ab המה hamah, quod proprie significat resonare, & fremere cum strepitu, ac tumultuari instar ebullientis vini, aut maris fluctibus perstrepentis: eodemque sensu illud reddidere & Septuaginta, verrentes, ἐθορύβη, *tumultuatus est*, fremuit. Vnde admodum mihi placet cōiectura doctissimi Genebrardi arbitrantis, nostrū Interpretem vertisse haud, *Intremuit* sed infremuit. Quāquam nec verbum *Intremuit*, alienum ab hoc loco sit, siper tremorem internam conturbationem significatā accipiamus, prout accipiendum declarat idemmet Interpres, dum in cantico Habacuc legit. a *Audiui & conturbatus est venter meus, à voce contremuerunt labia mea*: Tametsi in Hebræo ibi non sit idem verbum המה hamah: quin & verbum istud hamah hoc quoque loco eodem sensu accipit Symmachus, dum vertit, τὰ ἐντερά μου ἐταράχθη, *Interiora mea conturbata sunt.* Genebrardus a Hab. 3. 16

Porro quod secundum Vulgatam Sponsa dicit, *Venter meus intremuit*, seu, *conturbatus est ad tactum eius*, clare per Originalia Hebræa Græc. & Sept. declaratur: pro eo enim quod dicitur, *Ad tactum eius*, in textu Hebraico est עליו ngalau, *super eum*, quomodo verterunt & Septu. ἐπ' αὐτὸ: quapropter tātumdem est, *ad tactum eius*, ac super eum tangentem, scilicet, pessulum, seu. Quādo, & cum primum ipse tetigit pessulum, aut seram. 2

Quid sit autem, quod ait spōsa, *Venter meus*, seu, *viscera & interiora mea intremuerunt*, seu *infremuerunt*, aut *conturbata sunt super eum tangentem pessulum*; Ex duobus Ieremiæ locis est colligendum, in quibus cum sint & idem nomen & idem verbum, quibus hic vsa est sponsa, apertior tamen ipsa hæc explicata reperitur phrasis modusve loquēdi, siquidē in cap. 4. vbi vulgata legit: b *Ventrem meum, ventrem meum doleo, sensus cordis mei conturbati sunt*: in Hebræo haberur, *Viscera mea, viscera mea* (idem nomen, quod hic) *doleo parietes cordis mei* (id est præcordia, quæ sunt tāquam parietes cordis, quia sunt fere cordi coniuncta subaudi, doleo) המה homeh, (idem verbum, quod hic) infremuit, tumultuatū seu conturbatum est mihi cor meum. Primum autem ex hoc loco, quod colligitur est idē esse viscera interiora, atque etiam præcordia ipsa, ac cor: & nomina ventris, aut viscerum, & præcordiorum ipsum significari cor. Tum colligitur quoque, tumultuationē, seu conturbationem cordis ipsum esse intrinsecus cōceptum dolorem, seu illā vniuersam cordis, & animi conturbationem ex intimo dolore prouenire. Ex altero vero loco item Ieremiæ 31. vbi ad verbū tota hæc spōsæ phrasis, provt patet ex Hebræo, vsurpata à Domino reperitur in hunc modum: c *Idcirco conturbata sunt viscera mea super eum: miserans miserebor eius, ait Dominus*: colligere fas est, eandem viscerum seu cordis, aut animi conturbationē ex affectu prouenire miserationis. Denique ex versione Theodotionis, qua (vt refert Theodoritus) sic spōsæ verba reddita sunt ex Hebræo, *Ventermeus calefactuseſt*, colligi potest & tertius affectus, isque præcipuus, ac causa duorum prædictorum, ipsa ventris, aut cordis, & animi cōturbatione designatus affectus amoris flagrātisve charitatis. Ex triplici vero affectu per istiusmodi conturbationem designato, triplicem deducere possumus sensum verborum spōsæ. b Ier. 4. 19. c Ier. 31. 20. Theodor.

Primus sensus. Primum: *Dilectus meus*, audita tergiuersatione mea, *manum misit suam per foramen* ostij, vt reserato pessulo ingrederetur ad me. Dolui sane mecum ipsa, animusve meus præ dolore conturbatus est in me, cum illius aduerti patientiam, qua repulsus, haud quaquā est indignatus, sed perstitit; dolui profecto de mea in illum ingratitudine, meaque morositate, cum primum tangentem pessulum sensi.

Secundus sensus. Secundum: *Dilectus meus* videns meam & pigritiam, & morositatem, *Misit* tandem *manum suam per foramen* ostii, enitens amouere pessulum. Vt primum eius percepi conatum circa ostii reserationem ingenti, fateor, in illum commota sum miseratione, quod tamdiu (me miseram) sub dio illum reliquerim ad roré, atque ad frigidissimas noctium guttas, adeoue immorigerate cum illo egerim, haud illico ei aperiens.

Tertius sensus. Tertium: *Dilectus meus* ob inanes excusationes meas indignatus minime est; quinimo vehementiorem mihi exhibens suam in me charitatem immissa manu *per foramen* ostij pessulum conatus est reserare, vt me adiret; Certe percipiens, illum hoc pacto pessulum tangere, ob ignem suæ in me charitatis intima quoque mea incaluerunt præcordia, suscitata nimirum in mutuæ erga ipsum flamma charitatis.

Circa lectionum varietatem prætereo, quæ fusius explicata iam sunt, vnum tantum superest animaduertendum, mendose in aliquibus codicibus Hebraicis, pro, עליו ngalau, super eum, legi, עלי ngalai, super me, vt notant ipsimet Hebræorum Doctores, & patet ex versione Sept. Interpretum.

Vers. IIII. cap. V. *Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius.*

Expositio II.

De prima sponsa, quæ est Ecclesia Sancta.

PRosequitur Ecclesia pristinum suum enarrare statum, quo in Israelitico populo fores quodammodo Deo clauserat vnico, veroque dilecto suo ad venerationem falsorum Deorum conuersa; postquam varias, insigneque diuinæ benignitatis rationes exposuit, quibus vocata, pulsatave fuerat ab ipsomet dilecto suo, vt sibi iam aperiret per conuersionem: postquam & ipsa suas explicauit tergiuersationes obstinatissimas (vt visum est in principio secūdæ expos. præcedentis sententiæ) nouam iam enarrare aggreditur rationem, qua tandem impulit eam dilectus, vt surgēs aperiret, relictaque idololatria, ad ipsum rediret, eiusve admitteret cultum. Rationem autem istam haud in verbis, sed in facto nitentem refert, nimirum in flagellis, quibus per foramē intellectus illius populi manum misit iustitiæ suæ tetigitque repagula obstinationis eius, sicve, vexatione dante intellectum, effecit, vt ingratitudinem suam agnoscens, ad tactum flagellorum ipsius & de ingratitudine ipsa, & de scelere idololatriæ gemitibus, magnoque pœnitentiæ dolore commotus, resipuerit. 2 Iudaicum populum flagellus aliquando Deus ad se conuertit ab idololatria.

Ex duobus locis sacræ scripturæ veritatem istorum omnium colligere fas est, ex cap. 2. lib. Iudicum, vbi hæc habentur verba; a *Fecerunt filii Israel malum in conspectu Domini, & seruierunt Baalim, ac dimiserunt Deū Patrum suorum, qui eduxerat eos de terra Aegypti, & secuti sunt Deos alienos, Deosque populorum, qui habitabant in circuitu eorum, & adorauerunt eos, & ad iracundiā concitauerūt Dominum, dimittentes eum, & seruientes Baal, & Astharot: Iratusque Dominus contra Israel, tradidit eos in manus diripientiū; qui ceperunt eos, & vēdiderūt hostibus, qui habitabāt per gyrū; nec potuerunt resistere aduersariis suis, sed quocumque pergere voluissent, manus Domini super eos erat, sicut locutus est, & iurauit eis, & vehementer afflicti sunt.* Porro quod tangente manu hac iustitiæ Dei pessulū obstinationis eius, populum illum ingenti dolore sæpius commotum, sceleris sui pœnituerit, ea, quæ paulo post subiecta sunt, verba declarāt: *Cū Dominus iudices suscitaret, in diebus eorū flectebatur misericordia, & audiebat afflictorū gemitus*: ea scilicet quibus clamabant ad Dominū, iuxta illud Ps. b *Clamauerunt ad Dominū, cū tribularentur: & de necessitatibus eorū liberauit eos*: Id quod ex altero loco libri primi Regū manifestius deducitur, c vbi, tāgente manu Domini, & flagellante eumdem populū per Philisthæos, a Iud. 2. 11. b Ps. 116. 13 c 1. Reg. 7. 3

congregatoque vniuerso populo illo ante Samuel in Cariathiarim, Samueli obtemperantes, qui tale eis dederat consilium: *Auferte Deos alienos de medio vestri Baalim, & Astharot, & præparate corda vestra Domino, & seruite ei soli*: congregati in Masphath, in signum doloris interni hauserunt aquam, & effuderunt in conspectu Domini.

Quia vero (vt in præcedentibus iam visum est) nedum pristinum in antiquo illo populo, verum etiam præsentem in populo Christiano statum suum Ecclesia ipsa in tota hac exponit enarratione: cum in superiori sententia suas enarrasset tergiuersationes, quibus in iis, qui in se sunt, contemplatis simplicioribus, nimiumque semetipsos amantibus vitâ actiuâ refugere conata est, & procurationē salutis proximi, ad quam à Christo dilecto suo fuerat promota: Sequitur modo explicare, qua ratione dilectus ipse eas diluere obnixus sit excusationes in duplici fundatas errore. Enimuero, cum simpliciores illi contemplatiuorum existimantium, fieri non posse, vt quis in mundo conuersetur absque tunica veteris hominis, & vitiis iis, quibus tunicam illam contextam ostendit Apostolus in epistola ad Colossenses, *d* & absque inquinamento affectuum, potentiarumve pedum spiritualium: propterea aperire ei peccatorū corda renuerint, quodob prædicta metuerent actiuam aggredi vitam, vim omnipotentiæ suæ Christum illis ostendisse, inquit, qua errores illos, quasi manu pessulum, reserare studuit, patefaciens nimirum eis, quod qui ipsos reuocauit, potens quoque sit, & per alios id efficere, & per semetipsum: manuque ipsa potentiæ suæ eos ab omni seruaturus sit vitio, ab omni inquinamento. Potest autē id, quod hac sententia significatur istiusmodi explicari exemplo. Demus, Principem aliquem, tumultuante populo magnaue commota contentione in foro, quempiam sibi fidum aduocare, eique mandare, vt quantocyus in forum accurrens, tumultum cōtentionemve illam sedet: excusanti vero se viro illi, eoque tendere refugienti præ metu sibi, vitæque suæ imminentis periculi, Principem potentiam suam ipsam aperire, qua vel per se ipsum sua duntaxat præsentia, vel per alios complures perficere id valuisset, elegisse nihilominus eum, vt ex mandato munere illo ei patefaceret, quantum in ipso haberet fiduciæ, quanto ipsum prosequeretur amore, & quātum optaret ipsum prouehere, atque adeo nunquam permissurum, vt vel minimum subiret vitæ discrimen. Profecto, his perceptis, totus vir ille commoueretur, illius expauescens indignationem, suam ipsius erubescens ingratitudinem, tantaue in Principem illum exardesceret dilectione, vt assurgens illico, quo eius expleret mandata, nulli iam parceret labori, nullum paueret periculum. Tale quid sibi, seu potius quibusdam contemplatiuis suis contigisse, ait Ecclesia: propterea enim, mittente dilecto manum suam per foramen ventrem suum dicit intremuisse, ipsiusve in præcordiis contemplatiuos ad tactum manus omnipotentis Dei & verecundia, & amore erga illum commotos, provt & Ieremiæ *e* contigisse legimus, qui cum prædicationis onus, ad quod destinatus à Deo fuerat, excusatione puerilis ætatis, & imperiti sermonis effugere conatus esset, ad diuinæ manus tactū toto corde prædilectione se tangentis Dei commotus, difficillimum onus illud aggressus est, neutiquam sibi, vitæque suæ parcens. Quod ergo secundum sensum istum dicitur, tale est.

Dilectus meus, friuolis perceptis excusationibus, quibus surgere in contemplatiuis renueram è quieto cōtemplationis strato, ac per procurationem salutis proximi peccatorum ei aperire corda, *per foramen* tandem intellectus, ac per cognitionem, per quā scientiæ clauis immittitur in intellectū ipsum, *manū misit* potentiæ suæ, qua firmata sunt vniuersa, pessulum amouere nitens minimæ simplicitatis, & omnis erroris, suam mihi contestatam faciens omnipotentiam, qua ab omni me præseruare potest periculo, ob omni & sorde. Ad huiusce modi vero manus illius missionem, eademue manu eius tangente pessulum inanium quibus detinebar, errorum, conturbata illico sum præ verecundia, præque exardescente in illum dilectione commota sum tota.

Congruit huic sensui proptime id, quod iuxta Vulgatam dicitur: *Et venter meus intremuit ad tactum eius*: nā tametsi ad prædictum sponsi tactum & vniuersa Ecclesia conturbata sit præ verecundia, præque dilectione, vt dictum est: ij tamen, qui ventris locū in ea obtinent, tum quia demansos sacrarum litterarum intra se continent cibos: tum quia potentiam generatiuam, quæ in ventre sita est, in se habent, ita vt per illos Ecclesia ipsa filios gignere suo soleat dilecto: hi (inquam) intremiscunt, metuentes, ne pœnas suæ dent sterilitatis, eo sane modo, quo & pœnas is dedit in Euangelio, *f* qui acceptum talentum otiose, & absque fœnore seruauit.

Omnipotentiā Dei considerans nullū expauescit aggredi opus ad quod ab ipso vocatus sit Deo.

d Coloss. 3 8.

Similis.

e Ierem. 1. 9

Paraphrasis.

f Matth. 25

Vers. IIII. cap. V. *Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius.*

Expositio III.

De secunda Sponsa, quæ est Anima Iusti.

SIcut nunquam grauius peccatorem castigat Deus in præsenti vita, nec grauioribus vmquam eum visitat flagellis, quam cum illum minime flagellat, provt ipsemet terribilibus apud Oseam comminatus est vocibus iis: *a Non visitabo super filias vestras, cum fuerint fornicatæ, & super sponsas vestras, cum adulteratæ fuerint: quoniā ipsi cum meretricibus cōuersabantur, & cum effeminatis*, & addens: *Et populus non intelligens vapulabit*: Ita è conuerso numquā maiora in eosdem peccatores exhibet amoris indicia, quam cū manu ipsa sua illos in præsenti flagellat vita, iuxta illud: *b Quem diligit Deus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit*: flagellis namque, angustiis, & tribulationibus, quas in illos immittit, suam eis patefacit præsentiam, siue præsentem se exhibet, vt doctorem, ac præceptorem, qui ipsos ad rectum reducant iter: vnde apud Isaiam legimus: *c Et dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam breuem* (Angustias nimirum, & tribulationes) *& non faciet auolare a te vltra doctorem tuum, & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum*: Horum omniū fidam se testem præstat pia illa anima, quæ sponsa est magni Dei: enarrans quippe conuersionem suam, modumve, quo à Deo conuersa iam fuit, postquam varias exposuit rationes vocationum, inspirationum, beneficiorū, quibus frustra excitata ab ipso fuerat, vt à peccato surgeret, eique aperiret per conuersionem: postquam & suam quoque obduram exposuit resistentiam, qua rationibus iis omnibus obstitit, deuenisse tandem illum inquit ad potentissimum flagellorum medium, quo & ad pœnitentiam peccatorum, & ad illius flexa est charitatem, ait quippe, *Dilectus meus misit manum suam per foramen*, &c. persistens in illa ipsa metaphora ostij clausi, quam cœptam retulit à sponso pulsante, atque clamante: *Aperi mihi soror mea*, &c.

5 Peccator grauius à Deo castigatur in hac vita per id ipsū quod non flagellatur.

a Osee. 4. 14.

b Heb. 12. 6

c Isa. 30. 20

Vt autem tota huius metaphoræ, huiusve sententiæ vis percipiatur (vim enim peculiarem singula habent verba) supposito eo, quod in sacris litteris est frequentissimum, & apud sacrarum litterarum peritos est vulgatissimum, Dei flagella sub manus eiusdē Dei metaphora designari; quia manu nos & minitari, & flagellare solemus, quod vel ex vno Ps. loco probare sat fit, in quo ista ad Deum habentur verba: *d Inuenietur manus tua omnibus inimicis tuis, dextera tua inueniet omnes, qui te oderunt.*

d Ps. 20. 9

Notandum primo, S. Hieron. lib. 5. comment. super Ezech. in explicatione eorum verborum cap. 16. *e Ecce ego extendam manum meam super te*, istud dicere esse discriminis in scriptura sacra inter extensionem, & missionē manus diuinæ: quod extensione significātur flagella ad vindictā, provt colligere fas nobis est ex iis Isaiæ verbis: *f Abiecerūt legē Domini exercituū, & eloquiū Sancti Israel*

Hieronym. Manus Dei extensio, eiusdemque immissio quomodo inter se differant.

e Eze. 16. 27

f Isa. 5. 24.

Israel blasphemauerũt. Ideo iratus est furor Domini in populũ suum: & extendit manum suam super eum, percussit eum: & conturbati sunt montes, & facti sunt morticinia eorum quasi stercus in medio plateærum. In his omnibus non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta.

Missione vero eadem significantur flagella inflicta non tam ad vindictam, quam ad probationem, vt colligitur ex eo, quod legimus in libro Iob: g *Mitte manum tuam, & tange omnia, quæ habet.* Quãuis autem discrimen istud à B. Hieronymo assignatum haud omnino solidum esse conuincatur ex vno eodemque capite libri Iob, vbi vnus idemque solicitans Deum, vt iustum Iob permissis tentaret flagellis, primum manus extensionem, tum & missionem pariter petiit. Primum siquidem dixit: h *Extende paululum manum tuã, & tange cuncta, quæ possidet*: Altera vero vice dixit: i *Mitte manum tuam, & tage os eius, & carnem*, & cætera, iuxta versionem ipsiusmet Hieronymi; facit tamen ad propositum, & intellectum eius, quod hoc loco ait sponsa: *Dilectus meus misit manum suam*, id quod de manus Dei missione inquit, dummodo probationis vocabulum eo sensu accipiamus, quo per ignem à scoria probari dicitur argentum, quo ve ij, qui prædestinati sunt ad salutem, per flagella, tentationes, & tribulationes à scoria probantur peccatorum, de qua Danieli prænunciatum legimus: k *Eligentur, & dealbabuntur multi.* Et Dominus apud Ieremiam: l *Ecce ego conflabo, & probabo eos*: de peccatoribus loquens. Est enim alia probatio item per flagella, & tribulationes, de qua Angelus ad Tobiam dixit: m *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit vt tẽtatio probaret te*: quæve cũ de iustis à Deo fiat, haud quaquam ad purgationem fit præexistentis delicti; quod in iusto minime esse supponitur, dum iustus, & Deo acceptus, iuxta illud Dauid: n *Probasti cor meum, & visitasti nocte: igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas*: Sed fit vel ad occasionẽ maioris meriti, provt colligitur ex Epistola Iacobi, dicentis: o *Omne gaudium existimate fratres charissimi, cum in tentationes varias incideritis, scientes, quod probatio fidei vestræ patientiam operatur: patientia autem opus perfectum habeat.*

Vel ad ostensionem eius, quæ in iusto ipso latens inest, virtutis, iuxta illud Petri; p *In quo* (scilicet Iesu) *exultabitis, modicum nunc si oportet cõtristari in variis tentationibus, vt probatio vestræ fidei multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inueniatur in laudem, & gloriam, & honorem in reuelatione Iesu Christi.*

Vel denique ad augmentum præmij, vt ex iis deducitur Pauli verbis: q *Gloriantur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem non confundit*: Exinde quippe per istiusmodi probationem augeri dicitur spes, quæ non confundit, quia per illam cœlestis glorię augetur præmium, quod certo speratur. Cum igitur ait sponsa, *Dilectus meus misit manũ suã*, loquens de probatione, quam eius, dum in peccato adhuc persistebat, fecit benignissimus Deus per flagellorum missionem, de primo loquitur probationis genere, quod ingentem præ se fert Dei in ipsam charitatem, propter quam, cum ad vltionem manum ipsam suam extendere ei potuisset, provt peccatoribus aliis compluribus, tamquam filiæ ad probationem, delictorumque ipsius purgationem manum eandem flagellorum mittere dignatus est, provt filiis quoque Israel ab eodem Domino factum dicitur in libro Sapientiæ, quando super impios Ægyptios extendit manum suam, eos vlciscens: r *Cum enim tentati sunt, & quidem cum misericordia disciplinam accipientes, scierunt, quemadmodum, cum ira iudicati impij, tormenta paterentur. Hos quidem tamquam pater monens probasti: illos autem tamquam durus Rex interrogans condemnasti.*

6 Peccator in hac vita haud tota Dei manu, sed exigua eius parte, & modicum flagellatur.

Confirmantur hæc per id, quod non dixit simpliciter, *Dilectus meus misit manum suam*: at adiecit, *per foramen*: per hoc quippe significat, haud tota manu fuisse tũ à Deo flagellatã, sed modicũ duntaxat: neque in furore castigatam, quem maxime timebat Dauid, postquam peccauit, cum diceret; f *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me: Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & confirmasti super me manum tuam*: At cum benignitate, & misericordia, iuxta illud, quod & Dauid quoque cognouit, aliasue istis contestatus est verbis: t *Quoniam ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius*, id est quoniam flagella (vt bene exponit Basilius) prouenient ex iusto iudicio eius, ex indignatione, quam in illo peccator suis prouocat peccatis: in voluntate tamen eius, etiam dũ ex indignatione eos flagellat, quos per pœnitentiam probare vult, est vita, quatenus ira, flagelliue ipsis vitam eorum vult, ad iustificationem eos adducere satagens; vnde & subdit: *Ad vesperum*, in nocte scilicet tribulationum, ac flagellorum, *demorabitur fletus*, in peccatoribus scilicet, & *ad matutinum*, conuersionis, & iustificationis, *lætitia*, in eisdem scilicet demorabitur, prout expressius Deus ipse protestatus eidem est Dauid, loquens de filio illius Salomone: u *Ego ero ei in patrẽ, & ipse mihi erit in filium: Quod si iniique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum, misericordiam autem meam non auferam ab eo.* Quo loco notant Hebræorum Doctores, Deum significare, se flagellaturum quidem filium delinquentem, at flagellis tenuibus, qualibus flagellari solent ij, qui infirmi sunt, atque debiles: seu illi, qui fragiles se quoque norunt, atque terrestres. Pro vocabulis enim, *virorum, & filiorum hominum*, in Hebræo sunt duæ voces, infirmitatem, fragilitatem, atque miseriam designantes, אנשים anaſcim, à verbo אנש anasce, quod infirmitatem, fragilitatemue notat: & filii אדם Adam. A terra autem nomen istud אדם Adam deriuatum, nemo est, qui nesciat. *Misit* ergo *dilectus manum suam per foramen*, quando post speciales inspirationes, & vocationes, postquam specialia beneficia Deus pro illamet, quæ ipsi innata est, benignitate & flagella quoque adhibuit, vt piam conuerteret animam in peccati strato iacentem: Quin etiam semper quando in hac vita flagellat quempiam, per foramen manum suam mittere dicendus est, tota quippe manu in alia vita flagellat, & flagella, quæ immittit in vita ista, respectu flagellorum futuri sæculi adeo exigua sunt, vt haud simpliciter flagella, sed quasi flagella debeant appellari, prout ab aliquibus notatum fuit super illud Ioan. x *Et cum feciſſet Iesus quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo.* Atque adeo cum in futuris flagellis illis quibus plaga pessima castigantur iniqui, effundere quasi tota manu dicatur super illos indignationem, prout ipsemet Dominus locutus est apud Ieremiam dicens: y *Effundam super eos malũ suũ*, id est, quod sibimetipsis commeruerunt, & *dices ad eos verbum istud. Deducant oculi mei lacrymam per noctem, & diem, & non taceant: quoniã contritione magna cõtrita est virgo filia populi mei plaga pessima vehementer.* Et apud Oseã: z *Super eos effundã quasi aquã irã meam*, non quasi mel, aut oleum, quorũ post effusionẽ multum reliqui esse solet in manu, aut vase: sed quasi aquam, quæ tota ex effusa manu decurrat. In flagellis vitæ præsentis stillare quasi è parte duntaxat manus suæ dicitur, ita vt flagella ipsa quantũcunque grauia, vel instar manus stillantis, vel instar stillæ, aut guttæ cẽsenda sint ob tenuitatẽ. Hinc namque crediderim factũ, vt apud Sanctos Prophetas hoc verbũ, stillare, tam crebro reperiatur vsurpatũ, cum vel minas intentarent huiusmodi flagellorum, vt patet ex vno Michææ loco, vbi ait: a *Vtinam non essem vir habens spiritum, & mendacium potius loquerer: stillabo tibi in vinum, & in ebrietatem, & erit super quem stillatur populus iste*: Vel ipsa indicarent flagella, vt apud Danielem: b *Stillauit super nos maledictio, & detestatio, quæ scripta est in libro Moysi, serui Dei, quia peccauimus ei.*

Considerantes simpliciter verba ista, *Dilectus meus misit manum suam per foramen*, hoc sensu, quem huc vsque prosecuti sumus, missio ista diuinæ manus per foramen præter ea, quæ dicta sunt de significatione exiguitatis, & tenuitatis flagellorum præsentis vitæ in comparatione eorum, quæ idemmet Deus in futuro inferet sæculo, duo insuper alia sponsa indicat haud contemnenda. Primũ, in flagellis ipsis immittẽdis ad peccatores, vt per eacõuertantur: benignissimũ Deũ

7 In iis flagellare Deus solet peccatores, ne ab Ecclesia fugiãt, per quæ ipsum offendũt. Simile.

g Iob. 1. 11.
h Iob. 1. 11.
i Iob. 2. 5.
Probat Deus animas per flagella duplici genere probationis.
k Dan. 12. 10.
l Ier. 9. 7.
Iusti cur per flagella à Deo probentur.
m Tob. 12. 13.
n Psal. 6. 3.
o Iacob. 1. 2
p 1 Pet. 1. 6
q Rom. 5. 3.
r Sap. 11. 10
s Psal. 7. 23
t Psal. 29. 6.
u 2. Reg. 7. 14.
Flagella vitæ præsentis ad modum exigua, & tenuia sunt in comparatione flagellorũ alterius vitæ
x Ioan. 2. 15
y Ier. 14. 16
z Osee 5. 10
Stillandi verbo cur vtantur Prophetæ loquentes de flagellis Dei.
a Mic. 2. 11.
b Dan. 9. 11

ſe gerere inſtar ancupis illius, qui cum velit captam auem impedire, ne fugiat, in aperto vel retis, vel caueæ foramine manum ponit, aut etiam manum ipſam ſuam per foramen illud immittit, tenetque auem eã. Eadem quippe ratione illas, quas per electionem, ac prædeſtinationem iam cepit animas, videns, aliquando à ſe auolare, intra rete tamen, & caueam, intra Eccleſiam perſeuerantes in fide Catholica; volenſque impedire, ne eæ, quæ peccatis à ſe elongantur, per hæreſim aliquam, & infidelitatem (quod ſæpius euenire ſolet) omnino à ſe diffugiant, extra Eccleſiam auolãtes, mittit manum flagellorum ſuorum per foramen ſenſuum ipſarum, per quod fugam ipſam capiunt, tribulationibus illos afficiens ſenſus, per quos potiſſimum ab ipſo declinare eæ ſolent, auferens ciborum guſtũ per illatam nauſeam, mollitiem tactus crudelibus, fœtidisve eam percutiens vlceribus, talesve in propinquos, vel in ſubſtantias immittens caſtigationes, quibus earum & auditus flagelletur, & viſus, provt prænunciatum Heli Sacerdoti per puerum Samuelem legimus his verbis: c *Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, vt non ſit ſenex in domo tua: Et videbis æmulum tuum in templo, in vniuerſis proſperis Iſrael, & non erit ſenex in domo tua omnibus diebus: Verumtamen non auferam penitus virum exte ab altari meo: ſed vt deficiant oculi tui, & tabeſcat anima tua, & pars magna domus tuæ morietur, cum ad virilem ætatem venerit.*

c 1. Reg. 2. 31.

Simile. Per flagella Deus venatur, & capit peccatores.

Vel ſecundo, ſe gerere inſtar venatoris illius, qui cũ feram inuenit, in locum quempiam, in quo ex vna parte ingens ſit præcipitium, illam deducere ſatagit: tum rete in ea collocat parte, è qua fugam captare poſſet: ſicque facillime eam apprehendit, ipſamet in eius manus ſeſe dedente, vt præcipitium illud euadat: In eundem quippe modum peccatricem animam peroptatam ſibi feram in ſilua mundi huius errantem reperiens Deus eo illam deducit, vbi ex vna parte illi ſit præcipitium inferni, atroxve conſcientiæ vermis, quæ prius minime aduertebat: ſingularique prouidentia in parte altera deliciarum, è qua fugere conſueuit, ne ab ipſo caperetur, rete collocat tribulationum, ſuamve flagellorum manum, quo illa in ſe reuerſa, aduertenſque præcipitium ex vna parte ſibi imminens ſempiternum, & è parte altera deliciis, ac voluptatibus ſæculi huius ſe orbatam, intremiſcens ad ſuum conuertatur dilectum, provt ex perſona cuiuſpiam talis animæ in lamentationibus Ieremiæ reperimus cõteſtatũ his verbis: d *Expandit rete pedibus meis, conuertit me retrorſum*: Quæ ſic exponit Hieronymus: Expãdit rete tribulationum, & ſicme captiuũ factũ conuertit à peccato.

d Ierem. 1. 13. Hieronymus.

8

Peccatorem Deus conuertit plerumque illum in ijs flagellans, ijſve eum prinans, perquæ peccare eũ ſolitus.

Verum, tametſi haud incongrue hæc colligantur ex prædictis verbis. *Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen*, ſimpliciter ſumptis: quia tamen in prima litteræ expoſitione id pro certo eſt ſuppoſitum, quoddilectus miſerit manũ ſuam per foramen oſtij, vt immiſſa manu, aut digitis ſeram, vel peſſulum reſeraret, quo oſtium ipſum obfirmabatur occluſum: dicendũ, per hoc ſignificari, in conuerſione huius, quæ hic loquitur animæ, eam ſeruaſſe Deum rationem, quam ſeruare vt plurimũ ſolet, cũ efficaciter ad conuerſionẽ adducit quempiam per ærumnas, & per flagella: Ea vero eſt, vt caſtigans, ærumnisve flagellans, ſuper illa manum ſuam flagellorum ſuorum mittat, quibus veluti ſera, ac peſſulo obfirmatum ſeruatur, quod iam concluſum ſibi eſt cor peccatoris, ijs eum priuans, per quæ magis peccat: ſic illum, qui per nimium in filios amorem, ipſum offendere perſeuerant, in filiis ipſis caſtigat, filijs eum orbans, vt patuit factum cũ Heli Sacerdote. *e* Mulieres, quę inani pulchritudinis ſpecie, & meretricijs peccant ornamentis, in formæ flagellat deturpatione & in ablatione eorumdem ornamentorum ſuorum, provt longius proſequitur Iſaias in fine cap. 3. *f* Opulentos, qui collatis abutentes frugum, aliarumve diuitiarum donis in carnis illecebras, vel in auaritiam ea conuertunt in largitoris offenſam, priuatione flagellat eorumdẽ, vt *g* apud Ezechielem Deus ipſe eſt conteſtatus, vbi poſtquam ſcelera enarrauit Iudæorum, à quibus offendebatur donis, quæ liberaliter illis elargitus fuerat, dicens: h *Tuliſti vaſa decoris tui* (loquitur ad Ieruſalẽ) *de auro meo, atq; argento meo, quod dedi tibi, & feciſti tibi imagines maſculinas, & fornicata es in eis, & ſumpſiſti veſtimenta tua multicoloria, & operuiſti illas, & oleum meum, & thymiama meum poſuiſti coram eis, & panem meum, quem dedi tibi, ſimilam, & oleum, & mel, quibus enutriui te, poſuiſti in conſpectu eorum in odorẽ ſuauitatis*: ea tandem ſubijciens flagella, quibus obſtinationem, & auerſionem iſtiuſmodi ab eis ablaturus erat, ait: *Ecce ego extendam manum ſuper te*: declaranſque quomodo extenſurus erat manum flagellorũ ſuorum ſuper eos, addit: i *Et auferam tibi iuſtificationem tuam* (vel vt alij habent codices item Vulgatæ) ius tuum: illud nimirum ius omne, quod ad prædicta dona mea habes: ſeu portionem, quæ tibi ex iis contigerat, quã vulgo diceremus *la parte*, quam tibi ex illis aſſignaram partem vberrimam, vt ex Hebraica voce חקה chukeh colligitur. Licet enim dictio חק chok multas habeat ſignificationes, vt in diuerſis ſacrarum litterarum lolis aduertere eſt, congruere tamen illi in præcitata Dei commination prædictam ſignificationem, vna cum R. Dauid complures aſſerunt doctiſſimi viri: Nec ab hac eius ſignificatione diſcrepantem exiſtimo verſionem Sept. quæ habet, auferam νομιμά σου, νόμιμον quippe à verbo νέμειν, diſtribuere, diuidere, tribuere, deductum diſtributionem ſignificat conſueram, legitimamve portionem, quam partem vulgo nuncupamus: ſicve intelligendi hoc loco ſunt Septuag. dum apud Latinos Patres citati ſic reperiuntur; *Auferam legitima tua*. Eo plane ſenſu, quo clarius idemmet Deus apud Oſeam, explicatis ijſdem ſceleribus Iudaici populi, & animæ peccatricis, addit; k *Et hæc neſciuit, quia ego dedi ei frumentum, & vinum, oleum & argentum multiplicaui ei, quæ fecerunt Baal: Idcirco conuertar, & ſumam frumentum meum in tempore ſuo, & vinum meum in tẽpore ſuo: & liberabo lanam meam, & linum meum, quæ operiebant ignominiã eius*: Quibus in verbis duo notãda ſunt. Primum, per id, quod addit, & repetit, *in tempore ſuo*, indicari, eum eſſe Dei morem in huiuſmodi flagellis inferendis contra eos, qui nominatarum rerum abutuntur donis, prout aduertit etiam B. Hieronymus; vt ad grauiorem pœnam tunc fere iam obtentas auferat fruges, quando in tempore meſſis, atque vindemiæ vberiorem præ ſe ferebant copiam: nam hoc pacto illos affligit magis; tum quia conceptas iam eorum ſpes irritat vniuerſas, inaniaque eorumdem ad nihilum redigit cogitata, quibus in prauos vſus colligendorum copiam diſtribuere, ac diſſipare ibi decreuerant: tum quia ſi in tempore areæ, & torcularis, quando ſterilitatem præteritam nouis frugibus terræ fœcundat, omnium rerum penuria eſt; multo ſane maior conſecutura promittitur penuria pro reliquo anni tempore, quo vetera conſeruantur. Deinde & id quoque notandum per hoc, quod dicit Deus, *Et liberabo lanã meam, & linum meum*, &c. deſignari opes ipſas quaſi inuitas detineri apud ingratos, & peccatores, vtpote quæ vellent, ſi per Deum ſibi liceret, ſe transferre ad iuſtos, pro quibus conditus eſt vniuerſus, quoſve Dominos ſuos veros eſſe perciperent, ſi ſenſu præditæ eſſent & cognitione. Poſſent hæc non incongrue confirmari ex alio loco Apoſtoli in epiſt. ad Romanos, tametſi ſecundum litterã alius ſit eius loci ſenſus; ex iis inquã Pauli verbis: l *Vanitati creatura ſubiecta eſt nõ volens, ſed propter eum qui ſubiecit eam in ſpe. Quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatẽ gloriæ filiorũ Dei: Scimus enim, quod omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſq; adhuc*: Si vanitatis vocabulo vel peccatores ipſos deſignatos accipiamus, iuxta illud Pſalmi: m *Verũtamen vniuerſa vanitas omnis homo viuẽs*. Et illud: n *Homo vanitati ſimilis factus eſt*: vel vana eorumdem peccatorũ cogitata, vanaſque electiones, iuxta illud Eccleſiaſtes: o *Vidi cũcta, quæ fiunt ſub ſole, & ecce vniuerſa vanitas, & afflictio ſpiritus*: vbi pro afflictione ſpiritus Sept. habent, *electionem ſpiritus*, προαίρεσιν πνεύματος, eam nimirum electionem, quam nos Italice diceremus *capricci*: Quos certe

e 1. Reg. 4. 11.

f Iſa. 3. 16.

g Ezec. 16. 26

h Ezec. 16. 19

i Ezech. 17.

k Oſe. 2. 8.

Ad grauiorem pœnam Deus tunc peccatores flagellat fruũ penuria quando maiore earum conceperant ſpes.

Diuitiæ quæ ſi inuita detentæ apud ingratos, & peccatores, vellent ſe transferre ad iuſtos.

l Ro. 8. 20.

m Pſ. 38. 6.

n Pſ. 143.

o Eccl. 1. 14.

certe & afflictionem ſpirituum, & vanitatem in peccatoribus eſſe, nemo eſt, qui neſciat: vt ſenſus Apoſtolicorum verborum ſit, Creaturam, fruges nimirum, pecudum armenta, aurum, argentum, aliaſue opes, cum apud ingratos, & peccatores detinentur, eſſe quidem illis, & vanis eorum electionibus ſubiecta, at haud ſponte ſed propter Deum, cuius diſpoſitione illis quidem ſic fuit ſubiecta, vt liberanda ab eis, eorumve electionibus forent aliquando. Scimus quippe, quod per prædicta omnis creatura ingemiſcit, & parturit, & dolet quaſi doloribus partus (loquitur per proſopopœiã) .i. ſi ſenſũ haberet, ingemiſceret, & vehemẽter doleret vſque adhuc, tamdiu videlicet, quamdiu ab illis liberabitur: quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute ea corruptionis, atque peccati in libertatem gloriæ filiorum Dei, quando nimirum veluti libera gloriæ, & decori inſeruiet iuſtorum, & eorum, qui Dei facti ſunt filij, à peccati tyrannide erepti. Quod ſi creatura ingemiſcit, & dolet, dum vanitati non volens ſuiecta eſt, conſequenter dicendum, eamdem exultare, cum à manu Domini peccatores flagellante, liberatur ab illorum ſeruitute, cumue libera in liberos tranſit iuſtos.

10 Sic igitur ſecum ab dilecto ſuo factum refert ſponſa, quando tribulationibus, & flagellis excitata eſt ad conuerſionem, manum nimirum flagellorum miſſam à Deo ſuper prædictam creaturam, à qua veluti peſſulo obfirmatur illi concluſa. At valde notandum, quod poſtquam dixit: *Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen*, adiecit: *Et venter meus intremuit ad tactum eius*: quaſi manu ipſa, qua peſſulum reſerebatur, venter, id eſt cor animuſue ſimul fuerit tactus: Quod ſane ita verum eſt, vt haud opus ſit, probetur aliunde, quam ex quotidiana experientia, qua ſinguli eorum, qui plus æquo ad opes affecti ſunt, & ad terrena reliqua, cum ea ſibi vel à Deo tanguntur, vel ab hominibus, quomodocunque id fiat, tangi ſibi ſentiunt ſimul & cor, doloreſve frequenter ſuſtinent mortis, quos cordis ipſius tactum conſequi nouimus: Nec mirum, cum Chriſtus Dominus dixerit: *p Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum*. Caute autem pia anima, cui optime hæc probata fuerant, indefinite locuta eſt, ſecundum verſionem vulgatam dicens: *Ad tactum eius*: vt actus ipſe Dei & ad ea, quæ peſſuli locum in ipſa obtinebant. & ad ventrem referretur, atq; cor ipſius, quod rebus illis affixum fuerat.

Diues auarus cum tãgitur in diuitiis, tangitur ſimul & in corde.

Tribulationes, & flagella quibus in hac vita probantur prædeſtinati, debent dici tactus ſolũmodo manus Dei ob brevem illorum durationem.

p Mat. 6. 21

Circa hæc, iſta ipſa vox tactus perpendenda primo loco eſt: Tum, quomodo ex eo tactu venter intremuiſſe dicatur, eſt explicandum.

Sane miſſio manus Domini per foramen, omniſve flagellatio, qua Deus in hac vita caſtigat, aut tentat, & probat quempiam ex electis, atque prædeſtinatis, tactus duntaxat dici debet, ad differentiam flagellationis illius, qua ab eodem Deo puniuntur præſciti, & reprobi etiam in hac vita, & damnati in ſæculo futuro. Super iſtos quippe flagellans Dei manus, nedum tangit percutiens, ſed & percutiendo firmatur, coniungens flagella vitæ præſentis cum æternis inferni pœnis. At vero ſuper electos minime firmatur flagellans, ſed vel in flagellis ipſis admiſcet conſolationes, vel ſtatim poſt flagella proſpero aliquo eos conſolatur euentu, prout cum S. Iob factum nouimus. Idcirco Eliphas arguens illum, quod flagellatus à Deo, conturbatus eſſet, flagellationem eam tactus vocabulo exprimens, dixit: *q Nunc venit ſuper te plaga, & defeciſti: tetigi te, & conturbatus es*. Nec ſatanas ipſe alio vocabulo eamdem auſus eſt exprimere: propterea prima vice dixit: *r Extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ poſſidet*. Alteta vero vice iterum flagellationem eidem Deo efflagitans: *ſ Mitte*, inquit, *manum tuam, & tange os eius & carnem*. Expreſſit vero ad viuũ, cur iſtiuſmodi flagellatio electorum dicatur tactus, Sapiens his verbis: *t Tetigit tunc*, id eſt, aliquãdo, *& iuſtos tentatio mortis, & commotio in eremo facta eſt multitudinis, ſed non diu permanſit ira tua*, indicans ob temporis breuitatem, atque ob breuem durationẽ (vt iam dictum eſt) tactum eam appellari: quam breuem durationem expreſſit Apoſtolus, dum iſtam ipſam flagellationem, *u Momentaneum, & leue* nuncupauit *tribulationis*: Atq; adeo haud mirum, ſi quæ tactus manus Dei appellatur, eadẽ graviſſima ſimul ſit: ſtant enim ſimul duo iſta, breuitas, & grauitas flagelli, ac tribulationis, quia manus ipſa Domini, quæ flagellando tangit, grauiſſima eſt, adeo vt B. Iob tactum eius præſentiens exclamarit aliquando: *x Miſeremini mei, miſeremini mei ſaltem vos amici mei quia manus Domini tetigit me*. Et S. Dauid apertius iſtam eiuſdem diuinæ manus exponẽs grauitatẽ, ait: *y Quoniam die ac nocte grauata eſt ſuper me manus tua*.

u 2. Cor. 4. 17.

x Iob 19. 21

y Pſ. 31. 4.

III

In conuerſione ſua in primo in ſe ſentit tumultum cogitationis: Secũdo compunctionem pro offenſa facta: Tertio peccata ipſa ſua coram pro nuntiat: voto confeſſionis. Auguſt. enarrat. 2. in Pſ. 31.

Porro ex citata iſta Dauid ſententia cum iis, quæ ab eodem ſubiiciuntur, colligere facile poſſumus, quid ſit hoc, quod dictum ab ſponſa eſt: *Et venter meus intremuit*, ſeu, *inſonuit*, aut, *tumultuatus eſt ad tactum eius*. Expendens quippe Aug. hæc Prophetæ verba: *z Quoniam die ac nocte grauata eſt ſuper me manus tua, conuerſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina. Delictum meum cognitũ tibi feci, & iniuſtitiam meam non abſcondi: Dixi, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino*. Ex ipſa, inquit, aggrauatione manus, ex ipſa humiliatione conuerſus ſum in ærumna mea, factus ſum miſer, confixa eſt mihi ſpina, compuncta eſt conſcientia mea: Quid factum eſt dum configeretur ſpina? datus eſt ei ſenſus doloris, inuenit infirmitatem ſuam & ille, qui tacuerat confeſſionem peccati ſui, vt clamando in defenſione peccati ſui, inueteraſceret virtus eis, modo quid fecit, confixa ſpina? Peccatum meum cognoui, cognitumque & tibi feci illud per confeſſionem. Dixi enim in corde meo, confitebor, &c. Hæc omnia modicis hiſce verbis: *Et venter meus intremuit*, ſeu, *inſonuit ad tactum eius*, ſcilicet Dei, à ſe in principio conuerſionis ſuæ prolata fuiſſe, pia narrat anima: *Ad tactum* quippe grauiſſimæ manus Dei, quam dixit miſſam per foramen, Deoque ipſam grauiſsimis ærumnis flagellante, vt ſaltem per iſtiuſmodi flagella ſibi per conuerſionẽ aperiretur ab ea: *Venter*, inquit, *meus intremuit*, idẽ profecto per hæc ſignificans, quod ſignificauit & Dauid, dicens: *Conuerſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina*. Siquidem peccator, vexatione dante ſibi intellectum, primo in corde tumultum cogitationum in ſe per flagella commotum ſentit, in ipſaque ærumna, quam ſentit, quodammodo inſtar tumultuantis, commotique maris intra ſe conuertitur: quod bene expreſſum eſt in verſione Septuag. in qua habetur: *Et venter meus tumultuatus eſt*. Deinde configitur in eodem corde eius ſpina doloris, quo conſcientia compungitur: quod expreſſit Vulgatæ textus: *Et venter meus intremuit*. Quamuis enim tremor timorem, pauoremque præſe ferat; hoc tamen loco zelum illum, atque dolorem eum ſignificat, quo anima compuncta de Dei dolet offenſa; eo plane modo, quo in libro Machabæorum de Matathia dicitur: *a Et vidit Matathias* (eum ſcilicet, qui Deum offendebat per idololatriam) *& doluit, & contremuerunt renes eius, & accenſus eſt furor eius ſecundum iudicium legis. & inſiliens trucidauit eum ſuper aram*. Id quod magis patet ex Lectione Originalium Heb. & Sept. quæ pro eo, quod in Vulgata legimus: *Ad tactum eius*, habent, *ſuper eum*, vt viſum eſt in prima expoſitione: Fieri enim poteſt, vt quis à Deo flagellatus per flagella ipſa, & per immiſſas ſibi tribulationes ad peccatorum ſuorum excitetur cognitionem, conuerſus in ærumna ipſa ſua, vtve per ærumnam talem, ac per peccatorum ſuorum cognitionem confixam in ſe ſentiat ingentis doloris ſpinam, atq; in ſua compungatur conſcientia, venterque eius contremiſcat præ timore, atq; dolore ad tactum & flagellationem Dei, atque nedum doleat ſuper Deum, id eſt, ſuper peccatum, quatenus Dei offenſa eſt; ſed & intremiſcat, & compungatur ſimpliciter ſuper peccatum ipſum, quatenus cauſa extitit illorum flagellorũ, quæ ſuſtinere compellitur; vel etiam ob metum aliorũ flagellorũ, quæ in præſenti vita propter illa ſibi imminere contremiſcit. Quo pacto impiũ Anthiocum *b* poſt innumera ſcelera à Deo tactũ, grauiſſimaque ægritudine flagellatũ, legimus intremuiſſe

Dolor quatuis habeat debeat ab anima pœnitente.

z Pſ. 31. 4. 1.

a 2. Mach. 2. 24.

b 1. Mach. 6. 8.

q Iob 4. 5.

r Iob 1. 11.

ſ Iob 25.

t Sap. 18. 20.

ad Dei tactũ, atque adeo dixiſſe: *Receſſit ſomnus ab oculis meis, & concidi, & corrui corde præ ſolicitudine: & dixi in corde meo: In quantam tribulationem deueni, & in quos fluctus triſtitiæ, in quos nunc ſum, qui iucundus eram, & dilectus in poteſtate mea? Naac vero reminiſcor malorum, quæ feci in Ieruſalem, vnde & abſtuli omnia ſpolia aurea, & argentea, quæ erãt in ea, & miſi auferre habitantes Iudæam ſine cauſa. Cognoui ergo, quia propterea inuenerunt me mala iſta: & ecce pereo triſtitia magna in terra aliena.* Attamen dolor iſte nec cuiquam eſt ſalutaris, ſicut nec ipſi Antiocho ſalutaris extitit, vt manifeſte colligitur ex lib. Machabæorum, vbi dicitur: c *Orabat autem hic ſceleſtus Dominum* (ad cuius ſcilicet tactum tremebat atque compungebatur) *à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* Atque adeo ſponſa, quæ per Dei flagella conuerſa à peccatis fuit, ſalutari dolore intremuiſſe, inquit, ventrem ſuum ad tactũ Dei; ita tamẽ, vt intremuerit ſuper eũ, non ſuper tactũ ſimpliciter, zelo nimirum eius, qui à ſe offenſus, ipſam tetigit: quo pacto & ſanctum quoque Dauid feciſſe legimus, quando poſtquam à Nathan Propheta audiens comminata à Deo ſibi flagella propter peccata, quæ admiſerat adulterij, ac necis Vriæ, in pſalmo, quem tunc deplorans cecinit, hæc habuit ad Dominum verba: d *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco* (en cognitionem peccati) *& peccatum meum contra me eſt ſemper,* (en compunctionem.) Vis videre, quomodo venter ipſius intremuerit, ac tumultuatus ſit ſuper Deũ? *Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci:* Ac ſi dixerit: Ob hoc duntaxat doleo, quia te meis offendi delictis. Id quod apertius ſignificauit in paulo ante relato loco pſalmi 31. vbi poſtquam dixit, e *Conuerſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina,* ſubiecit illico, *Delictum meum cognitum tibi feci.* Et: *Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiã meã Domino: & tu remiſiſti impietatem peccati mei:* indicans dolorem ipſum ſuum, ex Dei flagellis in ſe ſuſcitatũ, fuiſſe ſibi maxime ſalutarem: quando quidem dolens, cõpunctusve corde, Deum offendiſſe ingemuerit, atque in ipſo dolore interno ſuo ea quibus Deũ offenderat, delicta ſua manifeſtaſſe, ſecumque intra cor dolens locutum, dixiſſe. *Confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino:* Quod certe & ſpõſa quoque in ſua hac enarratione factum à ſe refert, ſi ſequamur lectionem Hebraici textus, quæ habet, *Et viſcera mea inſonuerunt ſuper eum:* Quid eſt enim, *inſonuerunt,* niſi ſonitum ediderũt? Haud vero alium eius præcordia edidere ſonitum, quam interni ſermonis huius, quem Dauid expreſſit: *Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meã Domino:* Qui certe præcordiorum ſonitus ſalutarem facit dolorem ipſum, & compũctionem illam, quæ ſuper Deum eſt: quoniam nec contritio ipſa abſque iſtiuſmodi ſonitu, & voto confeſſionis eſſet ſalutaris, cum per illam abſque hoc voto peccata minime dimittantur, quæ cum eo voto ipſi contritioni adiuncto Deus illico remittit, vt bene notat Aug. ſuper prædicta verba, dicens: Attendite fratres, magna res. Dixi, pronuntiabo: Non dixi, pronunciaui, & tu remiſiſti: Dixi, pronuntiabo, „ & tu dimiſiſti, quia eo ipſo, quod dixit, pronuntiabo, „ oſtendit quia nõdum pronuntiauerat, ſed corde pro„ nuntiauerat: Hoc ipſum, dicere, pronuntiabo, pro„ nuntiare eſt. Ideo & tu remiſiſti impietatem cordis „ mei. Confeſſio vero mea ad os nondum venerat: Di„ xerat enim: Pronuntiabo aduerſum me: verumtamen „ Deus audiuit vocem cordis mei. Vox mea nondum „ in ore erat, ſed auris Dei iam in corde erat.

Ex his fuſius pertractatis breuem hunc eorum, quæ hic dicuntur, colligito ſenſum: vt pia anima ſponſa Dei proſequens enarrare modum, ac ordinem conuerſionis ſuæ, dicat.

Dilectus meus animaduertens, quod nihil mecum proficeret ſanctis, frequentibuſve inſpirationibus, ſpecialibus beneficiis, & ſingularibus vocationibus, torporemque meum intelligens, quo ei abſque vllo pudore obſiſtebam, ad flagella tandem deuenit, quo vel per illa me adduceret, vt per conuerſionem ſibi præcluſa aperirem oſtia cordis mei: In ipſis vero flagellis magna etiam mecũ vſus eſt miſericordia: *miſit enim manum ſuam per foramen,* haud tota me manu flagellans, ſed exigua dumtaxat eius parte, modiceque caſtigans, imo ſiue potiſſimum me ſua flagellauit manu, per quæ tamquam per peſſulum obfirmatum obſtinatione peccati detinebatur cor meum. Dumque ea tangeret per illorum ablationem, ſeu diminutionem, tetigit profecto manu ſua illa grauiſsima ſimul, & ipſum quoque cor meum, quod eis inhærebat infixum; quodque adeo ad huiuſmodi *eius tactum* tumultum intra ſe cœpit ſentire cogitationũ, flagella ſimul atque peccata obuerſantium: Tum idem ipſum cor *intremuit* compunctione, internoque dolore, ac zelo eius, quem peccatis meis offenderam: ac demum *inſonuit* ſonitum emittens, quẽ ipſe ſolus perciperet dilectus meus, qui ſcrutatur renes, & corda; ſonitum, quo cõfeſsionis voto dixi: *Confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino:* quo ſonitu dolor ipſe meus factus eſt mihi ſalutaris.

Si eadem pia anima in tota hac enarratione nedum priſtinum, ſed & præſentẽ enarret ſtatum ſuum iuxta duplicem ſenſum allatum in principio ad illa verba, *Ego dormio, & cor meum vigilat:* proſequentes quæ dicta ſunt in vltimo ſenſu tertiæ expoſitionis præcedentiũ verborum, *Exui me tunica mea, quomodo,* &c. Dicendum referre iam ſponſam, quid poſt friuolam excuſationem ſuam præexpoſitã à Deo ſecum ſit actum, ſimulque oſtendere, quam rationabiliter illum appellet dilectum ſuum, qui cum ex inani tergiuerſatione illa anſam arripere debuiſſet indignationis, occaſionem accepit potius maiorem ipſi exhibendi amoris oſtẽſionem, quippe qui à verbis proceſsit ad facta, & facta, quæ efficacia forent: Ait namque, *Dilectus meus miſit manum ſuam,* illã profecto manũ auxilij efficacis, quam Regius Propheta efflagitabat, cũ diceret: f *Fiat manus tua ſuper virum dexteræ tuæ, & ſuper filium hominis, quem confirmaſti tibi.* Porro, cum hæſitatio ea, qua Anima ipſa aperire diſtulit Deo, à quo vocata fuerat ad maiorẽ profectum, vt explicatum eſt in fine tertiæ expoſitionis præcedentium verborum, ex duplici prouenerit capite: ex ſegnitie, ac torpore quopiam eiuſdem animæ tepiditati innitente: vel etiam ex ingenti reuerentia, qua ante Dei conſpectum imperfectam ſe ſemper, ac immundam fore veretur; vt tam negligentiæ, torporiue illi ſuo, quam etiam nimio pauori, nimiæue item eius reuerentiæ conſuleretur, dilectum ipſum, inquit, miſiſſe *manum* eam *ſuam per foramen:* Hoc enim duobus modis poteſt intelligi, vel quod miſerit manum per rimulam portæ, per illam, quoad fieri poſſet aditum ſibi faciens, quo indicatur, Deum iuxta morem ſuum, quo per quaſcũque tenuiſsimas rimas agit ſeſe intro ad noſtrum animum, quamlibet vel minimã exhibitam arripiens occaſionem nobis benefaciendi ex ipſamet excuſatione allata, quatenus reuerentiam præferebat, atque ex bono licet adhuc imperfecto, & nimis pauido eius reuerentiæ actu, veluti ex modica cordis rima, ſuam ingeſſiſſe manum, occaſionem inde ſumens, vt efficax mitteret auxilium, quo anima in charitate proficiens, omnique imperfecto excuſſo timore, charitatem ipſam in ſe introductam percepe-rit. Vel ſecundo, quod miſerit *manum per foramen* oſtij ad referandum peſſulum: quo indicatur, eundem Deũ audita tergiuerſatione animæ, qua per pigritiam, ac torporem differebat illi aperire, ipſumque intra ſe admittere, *ſuam* auxilii efficacis *manum* in eam miſiſſe, vt ſegnitiem, torporemve illum ab ipſa tolleret, qua ſegnitie tepiditas cordis oſtium veluti peſſulo obfirmata ſeruabatur: Vnde conſequenter optime ſubintulit anima ipſa: *Et venter meus intremuit ad tactum eius:* nam tactus diuinæ eius manus, efficacisve illius auxilii exhibitio tanto interiora ipſius animæ calefecit feruore charitatis: vt & torporẽ ipſum in ea reddiderit feruentem, & tepiditatem, ac frigidum pauorem ab illa abegerit. Enimuero quod ait, *Venter meus intremuit:* haud illum intra ſe commotũ ſignificat tremorem, qui metum cõſequi ſolet, prouenitque ex gelido frigore per oſſa currente: quin potius illum deſignat motum, qui ex aduentitio calore magno intra

ipſa

c 2. Mach. 9. 13.

12

d Pſ. 50. 5.

e Pſa. 31. 4

Voti confeſſionis neceſſitas in compunctione.

Auguſt. Enarrat. 2. in Pſal. 31.

Paraphraſis.

13 Alter ſenſus.

Manus Dei eſt auxilium eius efficax.

f Pſ. 79. 18.

Deus quamlibet vel minimam occaſionem accipit, vt nobis benefaciat.

Pigritiam omnem Deus ab anima tollit, cum il lam æſtu accendit charitatis.

Tremor in pia anima ex feruore eſt charitatis.

ipsa sit præcordia, illi plane similem, quem in feruenti musto fieri videmus; quanquam si proprie loquendum sit, ebullitio potius, quam tremor appellandus esset. Patent hæc ex vi verbi Hebr. חמו hamu, quod (sicut dictum est in prima expositione) eum significat sonitum, ac motum, qui sonitui, ac motui similis sit musti ebullientis, prout & manifeste colligitur ex
Zach.9.15. loco illo Zachariæ Prophetæ, in quo vbi vulgata legit: *Et bibentes inebriabuntur quasi à vino*, Hebraicus textus habet, *Et bibent* המו כמו יין *hamu chemo iain, tumultuabuntur*, seu, *mouebuntur*, *& ebullient quasi vinum*. Quibus consonat versio Theodotionis, quam hoc loco sic habere, *& venter meus calefactus est super eum*, ex Theodorito retulimus, congrueretque optime & versio Vulgatæ, si pro *Intremuit*, legeremus, *Infremuit*, secundum coniecturam Genebrardi. Quod ergo hic ait pia anima, tale est.

Paraphrasis. Pigrescente me in prospectu spiritali, ad quem tãtis inspirationibus excitata desuper fueram. Deus facto tandem probauit, se iure optimo dilecti mei appellatione vocatum. Audita enim tergiuersatione, inaniq; excusatione mea, qua ob socordiam, reuerentiamque nimio pauore imperfectam ipsi aperire, ipsumue per maiorem charitatis profectum in cor meũ admittere recusaram, haud indignatus est; quin potius vt *dilectus meus* efficax mihi elargitus est auxilium, ex ipsamet reuerentia illa mea, licet imperfecta, occasionem arripiẽs mihi benefaciendi, ac veluti per cordis rimulam *manum* ipsam mittens auxilij sui, eademue manu quasi per foramen ostij, ac tepiditatis meæ, qua cor concluſum tenebam, pessulum reserauit torporis illius mei, quo in tepiditate ipsa obfirmabar, negligentiam à me auferens, nimiumque timorem omnem. Siquidem *ad* huius auxilij, & istiusmodi efficacissimæ manus eius missionem, *tactumue* prædicti pessuli illico præ charitatis feruore mea commota sunt viscera, corque ipsum meum incaluit *super eum* præ ardentissima in eum charitate, *intremuit*, ac commotum est instar ebullientis vini.

Ex Vers. IV. c. V. *Dilectus meus misit manũ suã per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius.*

Expositio IIII.

De tertia Sponsa, quæ est B. Maria.

14 SEquentes primum sensum illum, qui allatus est ad præcedentia verba in quarta illorum expositione, facile est consentaneam & hisce afferre intelligentiã, præsertim cum iam ex dictis in secundo sensu expositionis etiam secundæ habeamus, manus Dei metaphora diuinam eiusdem Dei omnipotentiam designatam: Metaphora autem foraminis ostij designatum intellectum, quo in animam immittitur clauis cognitionis. Siquidem Verbum æternum percepto interno illo colloquio, quo B. Maria in præcedenti sententia anceps de modo, quo conceptura esset filium Dei ob votum, quod emiserat perpetuæ Virginitatis, sic secum ipsa locuta fuerat, allocuta simul & Verbum: *Expoliaui me tunica mea*, abijciẽte à me omnem cogitationem filiorum procreandorum: *quomodo* cogitationem hanc modo quasi *tunicam induam? laui* perfectissime *pedes* affectuum carnis voto Virginitatis, *quomodo inquinabo* nunc *illos* filium conceptura? Ad hæsitationẽ istam tantæ Virginis, de admirando eo modo, quo talis conceptio facienda in ipsa esset absque vlla viri cognitione, haud verbis, sed facto respondit: quamquam & verbis quoque per Angelum de eodem modo illam, ac de toto fecerit instrui incarnationis mysterio. Factum vero istud est, quod Virgo ipsa, quæ sola id percepit, hic refert dicens: *Dilectus meus misit manum suam per foramen*, intellectui nimirum meo suam repræsentans manum omnipotentiæ, cui facillimum sit omnem difficultatem tollere: hac quippe eius manus immissione vniuersam meam, qua anceps eram, reserauit ignorantiam, ipsoque manu illa pessulum huius ignorantiæ meæ tangente, meus, in quo tam admirandum Incarnationis opus patrandum erat, *intremuit venter*, simulq; & omnia, quæ in ipso sunt, interiora mea intremuere eo tremore, quo & Angeli corã illo contremiscunt, dum illum laudãt, & benedicunt.

15 Alter sensus. Quod si sensum alterum ibidem secundo loco allatum sequamur, quo in præcedentibus iis verbis B. Virgo vsquequaque perfectum Domino exhibuit humilitatis, & resignationis voluntatis suæ actum, quẽ externis verbis patefecit & angelo, dicens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*. Dicendum, eãdem Virginem in hoc, quem exponimus, versu enarrare id, quod siletur in Euangelio, quid videlicet factum à Verbo sit post acceptum prædictum humillimæ resignationis actum, iuxta communẽ quippe sanctorum Patrum consensum statim ac verba illa, *Ecce ancilla Domini*, &c. completa fuere, Spiritus S. superuenit in Mariam, & virtus Altissimi obumbrauit illi, prout prius ab Angelo significatum eidem fuerat. Hoc ergo Incarnationis opus in se peractum, quaue ratione tunc factum id intra se sit, exponit, metaphoricis tamen verbis.

Incarnationis opus quando, & quomodo factum in Mariæ vtero.

Pro quorum intellectione supponendum primo, metaphora manus verbi designatum Spiritum S. illi consubstantialem, quo veluti manu larga, & aperta distribuuntur diuinarum munera gratiarum, iuxta illud Pauli: *a Diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus*, &c. *Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundum eumdẽ Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu*, &c. quo & veluti manu idẽmet Verbũ & condidit vniuersa, iuxta illud: *b Emittes spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ*: & vniuersum imprimis cœlorum ornatum effecit, iuxta illud: *c Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum*: & illud Iob: *d Spiritus eius ornauit cœlos*: Metaphora autem missionis manus istiusmodi per foramen id significari à Deo factum in perficiendo admirando Incarnationis opere, & in præstanda eximia ea gratia B. Mariæ, vt intra ipsam, & ex purissimis eius sanguinibus id perficeretur, morem illum sibi consuetum seruasse, quo à nobis occasionem benefaciendi sumere, & quasi per rimas licet pertenues, munera mittere solet gratiarum suarum.

Manus Verbi diuini est Spiritus sanctus.
a 1. Cor. 12. 4.
b Ps. 103.
c Ps. 33. 6.
d Iob 26. 13.

Missio Spiritus sancti in B. Mariã tempore incarnationis, qua missio manus diuinæ perforamen.

Sic quippe prolatis à B. Virgine verbis iis humillimæ resignationis, actuque illo quasi rimula in Virgine ipsa apparente, inde quasi per foramen dilectus eius in illam misit manum suam Spiritum S. simul quoque & ipse in illam descendens.

16 *In instanti Incarnationis quomodo intremuerit vẽter Mariæ.* Ad primum vero diuinæ manus huius tactum ventrem suum intremuisse, inquit Virgo benedicta; quia in eodem instanti illo facta est perfecta organizatio corporis Christi, infusio animæ, atque hypostatica vnio Verbi, & humanitatis. Quidni autem intremuerit commotusue sit venter, in quo tam subito filius conceptus est, qui simul perfectus Deus esset, & homo perfectus? Cum in insigni illa visione gloriæ Dei, quam sibi exhibitam refert Isaias Propheta, legamus, *e Commota superliminaria cardinum à voce clamantis, domumque repletam fumo*. Quis vero nesciat, fumum esse naturale ignis signum, ita vt vbicunque fumus exurgens conspiciatur, ignem ibi esse arguatur? Vnde bene in ipsamet visione dicitur: *Et volauit ad me vnus de Seraphin, & in manu eius calculus, quẽ forcipe tulerat de altari*: vt intelligeremus, non apparuisse gloriam Domini sine igne, sicut nec Moysi in rubo, nec Ezech. *f* in curru Cherubin; atq; adeo bene secundum versionẽ Theodotionis ipsamet ait: *Et venter meus incaluit super eum*.

e Isa. 6. 4.
f Ezech. 10. 2.

Quis enim explicet, quam ingens in instanti illo incarnationis in eiusdem Virginis visceribus flãma succensa sit charitatis in filium, quem conceperat? Quis inexplicabilem vel mente attingat exultationem illã, qua in eisdem perfusa est visceribus, atque præcordiis suis, dilectum ipsum suum in se percipiens? *Viscera mea*, (inquit secundum lectionem Hebraicam) *sonuerunt super*

Maria intrinsecus instructa fuit a verbo de modo quo conceptura esset filium.

Paraphrasis.

per eam. Quomodo ſonuerunt? præ lætitia benedicentes eum, quem conceperat: quo ſenſu eodem verbo eademque phraſi vſi ſunt & Iſa. & Ier. Prophetæ ambo ſe explicantes, qua ratione ipſorum venter ſonaturus eſſet: Iſaias quidem dicens: *g Venter meus quaſi cithara ſonabit*: Ier. vero: *h Cor meum quaſi tibia reſonabit.*

g Iſa. 16. 11
h Ier. 48. 36

Quod igitur ſecundum hunc ſenſum ait B. Virgo, tale eſt.

Paraphraſis.

Verbum diuinum, *Dilectus meus* percepto inſigni eo actu humilli næ reſignationis voluntatis meæ, indeque occaſionem quodammodo arripiens, quaſi *per foramen*, & rimulam *manum ſuam miſit*. Spiritum S. quo eius organizatum eſt corpus: *Ad tactum* autem ignitæ manus *eius* primum, quo nedum corporis organizatio, ſed & vnio animæ cum organizato ipſo corpore, & vnio pariter hypoſtatica diuinitatis cum humanitate intra vterum meum facta ſunt in inſtanti, *intremuit venter meus* præ calore ebulliens eius, quo ab igne ſuccenſus eſt charitatis in illum; tantaque in præcordiis meis perfuſa ſum exultatione, & gaudio ad eumdem ignis illius tactum; vt ſuper illum *viſcera* ipſa *mea* vniuerſa ſonuerint, quaſi cithara, & quaſi tibia, carmina concinentia gaudij, & benedictionis, qualia profecto coram illo à cæleſtibus ſpiritibus in cæleſti cantantur gloria.

B

C

Verſ. IV. c. V. *Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius.*

Appendix Expoſitionum, Ex antiquis Patribus collecta.

17 *Per flagella Deus excitat ad conuerſionem.*

PAraphraſis Chald. Quando manifeſtum fuit coram Domino, quod populus domus Iſrael nolebat pœnitentiam agere, & conuerti ad eum, extendit plagam fortitudinis ſuæ contra tribum Ruben, & Gad, & dimidiam tribum Manaſſe, quæ erat trans Iordanem, & tradidit eos in manu Senacherib Regis Aſſyriorum, qui tranſtulit eos in Lachhach, & Chabor fluuios Gozam, & ciuitates Medorū; & tulit de manu eorum vitulum conflatilem, quem poſuerat Ieroboam impius in Leſemdam, quæ vocata eſt Pameias, in diebus Paceæ, filij Romeliæ: & quando audiui ego, miſerationes meæ reuolutæ ſunt ſuper eos.

D

Deus in hac vita cognoſcitur tantum ex operationibus, & ex hac ipſa cognitione ingens inſurgit admiratio.

Per operum ſuorum exhibitionem miſiſſe Deum manum ſuam, communiorem tenet Patrum conſenſus: Quomodo vero iſta manus miſſio facta dicatur per foramen, & quomodo ſponſæ venter conturbatus ob eamdem ſit, diuerſimode ab ipſis explicatur. Primo enim Gregorius Nyſſenus hom. 11. ſupponens ex dictis, piam animam aperuiſſe totam portam dilecto ſuo ablato cordis operculo, deductoque velo oſtij, id eſt cordis: At dilectum ipſum manum duntaxat per foramen ei miſiſſe. Cum enim humana natura comprehendere eum minime poſſit, qui eſt infinitus, per manum operationum ſuarum illū ipſi ſe manifeſtaſſe, atque ad eius penetraſſe cognitionem, idque etiam per exiguum foramen, ob modicam, quam homines in hac vita habent, ipſarum operationum Dei, & quidditatum, effectuumque creaturarum notitiam. Nihilominus ob tenuem illam Dei cognitionem, qua per manus eius miſſionem prædictam ſuo aliquatenus ſatisfactum deſiderio eſt, vt præſenti in vita illum viderit; ventrem, inquit dicere, ſuum commotum eſſe ſuper illum, ex ingenti admiratione, & ſtupore, quoniam vniuerſa animæ facultas cogitandi, & intelligendi commota eſt admiratione eorum, quæ per manum Dei aguntur, quorum conſideratio humanæ ſubiecta naturæ per ſe manifeſtat, comprehendi, & capi non poſſe naturam eius, qui ipſa operatur, qui fecit, & condidit vniuerſa.

E

Greg. Nyſſ.

Theodor.

Secundo Theodoritus: Quia, inquit, noluit aperire pulſanti, tangit eam per quendam ex ſenſibus, quem foramen appellauit, inferens manum, hoc eſt, actionem, ſuumque accendit in ea amorem, provt ipſamet anima fatetur iis verbis, *Venter meus commotus eſt*, quod Theodotion vertit, *Caleſactus eſt.*

A

Greg. Papa.

Tertio Gregorius Papa, *Manum*, inquit, *dilectus per foramen* ad ſponſam mittit, vt ſurgat, quando per ſubtilem intellectum, quanta ſit operationis diuinæ virtus, inſpirando manifeſtat; quod videlicet & inter pericula ſaluare poſſit: quod etiam in pace niſi per eum nemo ſaluus ſit: quod in tumultu certaminis ſperantes in ſe non derelinquat: *Ad* cuius *tactum venter* ſponſæ *intremuit*: quia S. anima quo amplius diuinam potentiam per interiorem viſitationem præſentialiter ſentit, eo diſtrictius iudicat, quicquid in ſe carnale deprehendit: Quo maiori enim charitate in Deum ardet, quem mente concupiſcit, eo timidius ei ſe ſubiicit, ne ſponſus aliquid in eo inueniat, propter quod eum à ſe dimittere velit.

Greg. Nyſſ. Manus Dei miſſa eſt per foramen, quando Verbū caro factum eſt, tunc maxima excitata eſt admiratio.

Ad præcipuum Incarnationis opus refert hæc ipſa Greg. Nyſſ. citata hom. 11. nam ſub manus Dei metaphora verbum accipit diuinum, per quod, quouis veluti manu facta ſunt omnia: Miſſam autem hanc manum per foramen, quando in peregrinatione ſuſcepta exinauiuit ſemetipſum, arctius ſeſe contrahens in eo, quod in omnibus naturæ noſtræ participem ſe fecit, excepto peccato. Qua manus miſſione per foramē, venter Eccleſiæ cōmotus ſit ſuper illum, quia poſtquā ea ratione ſeſe contraxit, grandē in animis hominum excitauit ſtuporē rei nouæ, qui fieri poſſet, vt Deus in carne cōſpiciatur; vt Verbū caro factum ſit, vt partus in virginitatem, & virginitas in matrem ceciderit, &c.

Caſſiodor. Deus mittit manum per foramen, cum ad memoriā nobis reducit opera ſua.

Caſſiodorus quoque ad idem opus Incarnationis hæc referens, alio modo ait: *Dilectus manum per foramen* mittit, cum nos ad memoriam operum ſuorum reuocat; vt cogitemus, quia, cum Deus eſſet, pro nobis homo fieri dignatus eſt, vt terrena noſtra ſuſcipiens, cæleſtes nos faceret & moriendo pro nobis vitā æternā nobis donaret: Quod cum fit, *venter intremuit*, quia cū talia cogitare incipimus, cordis noſtri arcana ſe concutiunt, dum ſtupere incipimus, quanta dignatione hæc conditor pro nobis agere dignatus eſt.

Beda. Ex conſideratione operum Chriſti confunduntur, qui curā proximi refugiunt, & qui infirmi ſunt, animum ſumunt.

Conſentientia his ſunt, quæ dicuntur à Beda, qui tamen ita hæc applicat iis, qui curam proximorum in præcedentibus ſuſcipere recuſarunt, vt Eccleſia eorum nomine dicat: *Et venter meus intremuit ad tactū eius*: quia recordata miſericordiæ, & operationis Dei conſcientia paueſcit, iuxta illud propheticum: *Conſideraui opera tua, & expaui*; atque ad curandam proximorum ſalutem, pro qua Deus incarnatus eſt, & mortuus, pro viribus aſſurgere feſtinat.

Addit & alterum applicationis modum, vt ventris nomine ſumatur mollities, & infirmitas eorum qui doctrinæ officium accipere recuſant; vel quia minus ſe cenſent idoneos; vel quia otio ſuæ quietis delectantur; ſicut *ad tactum* dilecti *venter intremuit* ſponſæ, cum ad inſtinctum diuinæ compunctionis infirmi illi torporem ignauiæ diſcutiunt, ſeſeque ad exercitium boni operis accēdunt, atque ad prædicandum, & cōſulendum proximis aſſurgunt.

Manus Dei miſſa eſt per foramen, quando Verbum Incarnatum manifeſtauit diuinitatem ſuam per miracula ob quæ homines obſtupeſcebant.

Alio inſuper modo ad idem Incarnationis myſteriū eadem referens Greg. Nyſſ. ac per manus diuinæ metaphoram, intelligens ſignificatam vim operatricem miraculorum, per quam Chriſtus Dominus magna & innumera operatus eſt miracula; ſeu etiam miracula ipſa, quæ ea facta ſunt manu: Verbum, inquit, miſiſſe *manum ſuam per foramen*, quando caro factum, in terra conuerſans, diuinitatem, verumque pulchritudinis ſuæ ſplendorem per miracula manifeſtauit illa, quæ ante oculos hominum ingenti cum eorum admiratione operatus eſt, idcirco ad huiuſmodi admirationis commotionē ſignificandam, ſponſam ſubintuliſſe ait: *Et venter meus commotus eſt ſuper illum.*

Ambroſ. Qui progreſſus in pia anima fiant ex cognitione Dei per opera illius.

Huic Nyſſ. ſenſui annectenda ſunt, quæ dicuntur ab Ambr. ſerm. 12 in Pſal. 118. v. 1. his verbis: Nonnumquam ſi moraris, mittit Chriſtus manum ſuam per feneſtram, ſicut ait ſponſa: *Frater meus miſit manum ſuam de proſpectu, & venter meus conturbatus eſt ſuper eam.* Primū tan-

tanquã de prospectu mittit manũ suam quando Deus esse, operibus æstimatur: Vnde ait: *Si mihi non creditis, vel operibus credite.* Deinde augetur amor, & intimis visceribus conceptus inolescit; inde intelligibili vtero, in quo est receptaculum verbi, seminibus eius infusis, plenitudinem eius corporaliter inhabitantem haurire anima nostra desiderat: Non.n. turbatur vterus fœminarum, nisi quæ fuerint aluo graues. Eadem fere ad verbum replicata reperiuntur in lib. de Isaac, & anima cap. 6. quo loco id tantum notandum, quod pro vocabulo prospectus habetur, cauerna.

Ioan. 10. 38.

Ad Christi aduentum pia anima quomodo turbetur.

Ad spiritalem Christi aduentum, seu ad spiritualem eiusdem operationem referuntur hæc ipsa ab aliis, & diuersimode. Vnde Ambr. lib. 3. de Virginibus post dimidium. Bonum, inquit, est, vt ad aduentum Domini interiora turbentur. Si ad Angeli aduentũ Maria turbata est, quanto magis ad Christi nos turbamur aduẽtum? influentibus quippe diuinis, corporeus peregrinatur affectus, & vsus exterioris hominis exolescit.

Tres Patr.

Per spiritus sancti missionem Deus in anima corripit omne genus intemperantiæ.

Eodẽ sensu Catena trium Patrum; Dilectus, ait dicere piam animam, misit à Patre procedentem ab eo spiritum ipsi consubstantialem, cuius tanquam manu peragit diuina gratiarum munera per mentem meã, veluti per foramen aliquod; & pariente me initiũ sapientiæ, timorem dilecti mei, tanquam iudicis, gulæ, ventrisque corripitur vitium, vnde genus omne nascitur intemperantiæ, & statim ego surrexi.

Cassiodor.

Cassiod. *Dilectus manum per foramen* mittit, & ventrem tangit, cum interna conditor inspiratione cor visitat, & ad profectum virtutum cor ascendit.

Greg Papa. Pia anima ex eo quod cœlestis gaudij intellectu tangitur, ipsa sua exultatione turbatur.

Greg. Pap. hom. 19. in Ezech. *Dilectus misit manum per foramen*, quando virtute sua Dominus noster animam per subtilem intellectum pulsat, & venter in tactu illius contremiscit, quia infirmitas nostra per hoc, quod cælestis gaudij intellectu tangitur, ipsa sua exultatione turbatur, & fit in mente pauor cum lætitia; quia etsi iam sentit, quod de cælesti gaudio diligit, adhuc metuit, ne pereat, quod vix tenuiter sentit.

Prædicator pusillanimus excitatur ad prædicationẽ per ampliorẽ gratiæ visitationem.

Richard. de S. Vict. Dum inquit, pia anima trepidat actibus mundi implicari, si suscipiat onus curæ proximorum, & se dedat procurationi salutis eorum. Dilectus, qui ipsam ad munus illud excitarat, consolatur eam, & ampliori gratia visitat, cor eius penetrans. Quã gratiæ visitationem sponsa appellat missionem manus per foramen: quia quasi per rimam Christus infundit gratiam, cum non totam animam perfundit, sed quadam mensura gratiæ visitat; & quam sic in parte visitat, non plene illustrat. Manus ergo dilecti operatio hæc gratiæ, & donum potest intelligi: Venter vero ipsa mens, in qua cogitationes excoquuntur, sicut cibi in ventre. Reliqua quæ addit Richardus, consentiunt cum dictis à Cassiod.

Anselmus. Prædicator agnoscens dispositos ad audiendum, & benefaciendum in firmiorum animos, non potest renuere officium prædicationis

Anselm. quoque, vt ab Ecclesia dicta hæc sumens, nomine ventris ipsius Ecclesiæ accipit infirmiores illos, quibus prædicandum doctioribus suasit Christus in præcedentibus. Ac si Ecclesia ipsa dicat: Dixi, quomodo implicabor curis sæcularibus prædicando aliis, sed oportet me facere, quia cum Dominus inspiret eos, & paratos efficiat ad recipiendum, ego quomodo negarem officium meum? Ipse certe dilectus meus misit. i. inspirauit inferioribus meis, manum suam, id est, auxilium, & operationem, s. quomodo ipse operatus est. & in quibus imitari eũ oporteat, & quomodo ipse auxilietur volentibus secundũ eũ operari, & hoc per foramen, id est, latenter eos visitando, & ad tactũ eius. i. ad inspirationem passionis, & aliorum quæ fecit, & sui auxilij, intremuit. id est, intra se tremuit dolens dẽ præteritis ad meliora appetens instrui.

18

Deus mittit manum &c. quando docet animam transire per passionum angustias, licet in firmiores conturbẽtur ipsa pœnarum acerbitate.

Referunt ad missionẽ manus in flagellis hæc Iust. Orgel. & Apon. Iustus enim Ecclesiæ ea tribuens, *Dilectus*, inquit, misit *manum suam per foramen*, quando eã per passionum angustias transire perdocuit: *venter* vero eius *conturbatus est ad tactum illius*, quando imminẽte persecutione, infirmiores, qui in ipsa erant, cõtremuerunt acerbitate pœnarum, quæ ipsi illatæ fuerũt ex permissu dilecti: tactus namq; iste, aduenientis plagæ intelligitur cruciatus secundum illud libri Iob: *Tange ossa, & carnem eius, nisi in facim benedixerit tibi.*

Per flagella excitat Deus obstinatam animam, vt conuertatur.

Apon vero animæ eadẽ applicans. Quando, inquit, anima in quocũque errore posita pulsanti non aperit, *Christus per foramen mittit manum suam*, castigando per damna rerum, per famem, & reliqua flagellorum genera, mittit per foramen, vt sentiat quidem, sed non dat, vt videat manum, quæ corripit contemptorem. *Intumescit enim venter* animæ, id est sensus, quando pro peccatis iuncis fuerit acerrimis flagellatus.

Thom. Apostolus misit manum suam per foramen lateris Christi, & anima eius intremuit ad veram resurgentis præsentiam.

Singulariter Phil. Carp. Videntur, ait, non absurde de Thoma Apostolo, & in persona eius de omni incredulorum anima posse hæc intelligi, cum Iesus illi dixit: *Infer manum tuam in latus meum, & digitos in locum clauorum, & noli esse incredulus, sed fidelis.* Tunc quippe ille de vera Christi resurrectione certior factus; tunc fide plenus, tunc venter eius, hoc est, mens & animus exhorruit ad tam veram, tamque mirabilem resurrectionis præsentiam.

Ioa. 20. 27.

Rup. Abb. De sensibili manus Christi missione, tactu, & dulci tacti cordis timore.

Deniq; Rup. Abb. de sensibili manus Christi missione, quam nonnunquam aliquibus sanctis animabus in visione exhibuit, dulciter per pectus quasi per foramen cor apprehendens, & constringens, ac de tremore dulci, & suauissimo huiusmodi tactum in iisdem animabus cõsequente, hæc intelligit, probatque experimentis quibusdam, quæ videri possunt apud ipsum.

Vers. V. c. V. *Surrexi, vt aperirem dilecto meo. Manus meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima.*

Vers. VI. c. V. *Pessulum ostij mei aperui dilecto meo, at ille declinauerat, atque transierat.*

Expositio I.

Iuxta sonum litteræ.

Quod ex indito à natura ordine in nobis ipsis experimur quotidie, vt internos animi motus & externi consequantur motus corporis, hoc & in se sponsa quoque refert esse expertam. Cum enim in præcedenti sententia significa rit, animum ipsum suũ ex eo, quod *dilectus misisset manum per foramen*, motibus variis fuisse commotum, consequenter nunc externos explicat corporis item sui motus. Tres sane motus in intimis præcordiorũ suorum suscitatos parcis iis designauit verbis: *Et venter meus intremuit*, seu, *commotus est ad tactum eius*: dolorem commixtum zelo indignationis aduersus ingratitudinem, & tarditatem, torporẽve sui ipsius, commiserationem erga dilectum sub dio ad rorẽ manentẽ, atque ad frigidas guttas noctium: & amorem flagrantissimum in illum ipsum dilectum, qui tantæ erga ipsam charitatis exhibebat specimen in eo, quod neutiquam indignatus ob repulsam est, sed & immissa manu per foramen, ostium conabatur reserare, vt declaratũ videre est in prima eorum verborum expositione: Externos nunc tres alios narrat motus, qui ex prædictis tribus prouenere, quiue illos cõsecuti sunt. Enimuero ex dolore, & indignatione illa factum est, vt actutũ surgeret ad aperiendũ dilecto, quẽ dolebat, ob segnitiem à se reiectum; Idcirco, *surrexi*, inquit, *vt aperirem dilecto meo.* Surrexit quippe, cũ dolens, contra pigrum indignata est stratũ, in quo decubuerat: Miserans vero extra fores clamãtis dilecti, quo caput eius deliniret rore plenum manibus ipsis suis; suauissimum myrrhæ apprehendit vnguentum: Ac denique ex affectu charitatis pessulum aperuit illi qui ad hoc, vt idem pessulum reseraret, manus suas per foramen miserat item ex charitate. Ideo post designatum secundum illum motum in verbis ijs, *Manus meæ distillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima*, adiecit, *pessulum ostij mei aperui dilecto meo.*

Faci-

Primus ſenſus.

Facilis ergo, ac planus eorum, quæ hic dicuntur, ſecundum noſtram Vulgatæ lectionem, hic mihi eſſe videtur ſenſus: vt ſponſa ſuos hoſce referens motus, dicat.

Paraphraſis.

Tremente ventre meo præ dolore, & zelo aduerſus ſocordiam meam, poſtquam vidi ipſum elaborantem, vt oſtium, immiſſa manu per foramen, reſeraret, dimiſſa omni ſegnitie, *ſurrexi* illico, *vt aperirem* ego *dilecto meo*; miſeranſque illius, quem audieram exclamaſſe: *Aperi mihi, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium*: præ miſeratione ipſa, qua *ad eius tactū mea commota ſunt viſcera*, vt ſuper madidos eius cincinnos, madenſque & frigido rore caput, pretioſum more patrio vnguentum effunderem, accepi vas myrrhæ probatiſſimę, quæ ſic è vaſe ipſo exuberabat, vt ad minimum motum vndequaque effuſa ſit; atque adeo *manus* ipſæ *meæ*, quæ illam deferebant, cum ad oſtium tenderem, *diſtillauerunt myrrham*, quin & *digiti* quoque *mei* vbertim myrrham eam fundebant probatiſſimā, tūm amore commota in intimis præcordiorum meorum *peſſulum* illud, quod idem dilectus meus manu ſua reſerare conatus fuerat, moras haud amplius ſuſtinēs præeximia, qua me proſequebatur charitate, egomet *ei aperui* vere *dilecto meo*. At (heu me miſeram) cum oſtiū ipſum aperirem, is repulſam ſuam, moraſque meas vlciſcens, quove me cautam magis, magiſve & ſedulam in ſui efficeret charitate, illico abſceſſit: Siquidem aperto oſtio, ipſe iam *declinauerat*, nec declinauerat modo, *ſed & tranſierat*: nedum enim ingredi renuit, at tranſiens abſceſſit.

2

Quoad lectionum varietatem ſciendum primo, tam in textu Hebraic. quam in verſione Sept. magna cum emphaſi ad vtrumque verbum, *ſurrexi*, &, *Aperi*, appoſitum pronomen, *ego*. Secundo, pro eo, quod Vulgata legit, *Et digiti mei pleni myrrha probatiſſima*, in Hebræo haberi: *Et digiti mei* מור עבר mor ngober, *Myrrham tranſeuntem*. Myrrham autem tranſeuntē optime reddidit noſter Interpres, *Myrrham probatiſſimā*, ſicut & Sept. eodem ſenſu reddidere, myrrham plenam: Nam participium ipſum עבר ngober *tranſiens*, Hebraico idiotiſmo adijci ſolet vt epithetum abſolutum rebus præſtantiſſimis ad exprimendam earum excellentiam, propter quam per omnium manus, ſeu etiam per partes omnes ex tranſeant; ſic & in hoc ipſo capite quinto, vt proprium excellentis myrrhæ epithetum, reperitur, vbi dicitur: *Labia illius diſtillantia myrrham*, עבר ngober tranſeuntem: cuius nimirum odor longe lateque tranſit, ac manat, pro quo Vulgata reddidit, *primam*. Per quem locum arguuntur erroris, qui vt participium vocem eandem accipiunt relatum ad ſubſequentia, iuxta Hebraicam diſtinctionem, de qua iam loquar, ac ſi ſenſus ſit: *Et digiti mei*, ſcilicet. *diſtillauerunt myrrham tranſeuntem ſuper manubria peſſuli*, id eſt, in tanta copia, vt è digitis ipſis tranſierit ad manubria peſſuli.

Tranſiens myrrha quid ſit.

Cant. 5. 13.

Sciendum tertio, id, quod in Vulgata eſt in principio verſus ſexti, *Peſſulum oſtij mei*, in textu Hebraico iuxta diſpunctionem Maſoretarum, reperiri in fine verſus quinti, atque hoc modo legi, כפות המנעול על ngal chappot hamangul, adiecto accentu ſoph-paſſuk, quo Hebræi vtuntur in fine verſuum, *ſuper manubria*, aut, *cardines penuli*, aut, *ferę*. Cui lectioni conſona eſt & lectio Septuag. quæ ſic habet: ἐπὶ χεῖρας τῆς κλείθρου, *ſuper manubria*, ſeu, *ſuper manus peſſuli*. Incertum eſt autem tam in lectione Hebraica, quam in verſione ipſa Septuag. cum quibus iungenda hæc ſint, an cum antecedentibus hoc modo: *Et digiti mei myrrham tranſeuntem*, ſeu vt habent Septuag. *plenam ſuper manubria peſſuli*: An cum verbo ſubſequenti hac ratione, *Super manubria peſſuli aperui ego dilecto meo*. Licet enim in Heb. textu accentus ille diſtinctiuus reperiatur, quē appellant Soph-paſſuk; nihil tamē prohibet, quin adhuc eadem verba iungi poſſint cū ſubſequētibus in hūc ſenſum, *Super manubria peſſuli*, id eſt, apprehēſis manubriis peſſuli, *aperui*, &c. quomodo ea intellexiſſe videtur noſter Interpres, dum ad ſenſum reſpiciens, vertit: *Peſſulum oſtij mei aperui*, &c. Siquidem idem ipſe accentus Soph-paſſuk nonunquam ſententiam tranſmittit ad ſequentem verſum, vt ex Hebræis ipſis notat Rabbi Dauid Kimki in 2. li. Paralipom. verſ. 18. cap. 30. vbi manifeſte apparet, præpoſitionem, *Pro*, poſtquā appoſitus eſt prædictus accentus, referēdam ad ſubſequentem verſ. Et inverſione quoque Sept. eodē ſenſu prædicta verba, *ſuper manubria*, &c. ad ſubſequentia relata reperiuntur apud Gregorium Nyſſenū ho. 12. in Cāt. necnon & apud Ambroſium ſerm. 12. in Pſ. 118 verſ. 1. vbi ſic iſta refert: *Manus meæ diſtillauerunt myrrham: digiti mei myrrha pleni*. Simili modo legit & Hieronymus epiſtola 140. ad Principiam. Codex quoque Græcus, qui nuper impreſſus eſt Romæ, eandem ſeruat diſtinctionē. Communis nihilominus Hebræorū expoſitorum conſenſus aliam in textu Hebraico ſequitur diſtinctionem, qua prædicta verba referuntur ad præcedentia, & complures etiam ex ſanctis, antiquiſſe Patribus noſtris, qui verſionē exponunt Sept. eandem diſtinctionem amplectuntur. Ita Theodoritus, & apud eūdem Theodoritum Catena trium Patrum, & Pſellus, qui ſolet eſſe compilator, & abbreuiator Nyſſeni. Quin & Ambroſius, quem pro contraria ſententia citant, hanc ipſam manifeſte ſecutus conſpicitur tū in libro de Iſaac & Anima cap. 6. vbi ita hæc refert. *Et ſurrexi ego aperire fratri meo. Manus meæ diſtillauerunt myrrham: digiti mei myrrha pleni ſunt ſuper manus clauſuræ*: Tū in lib. 3. de Virginibus legens: *Manus meæ diſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni in manibus clauſuræ*. Legit autem Ambroſius, ſemper *pleni*, quia ex codicibus Græcis aliqui habēt πλήρεις, *pleni*, pro eo, quod melior lectio habet, πλήρη, *plenam*: noſter Interpres vertens: *Pleni myrrha probatiſſima*, ambas lectiones adhibuiſſe videtur. Biblia Compluten. nec non & Regia nouam in eadem verſione Sept. adhibent diſpunctionem: Sic enim legunt, δάκτυλοί μου σμύρνης πλήρεις ἐπὶ χεῖρας τοῦ κλείθρου ἤνοιξα ἐγώ: *Digiti mei myrrha pleni ſuper manus. Peſſulum aperui ego*, &c. Cuius lectionis ſenſus hic eſſe videtur: Præter manus diſtillantes *myrrham*, *digiti quoque mei plena myrrha* eadem. Amoto peſſulo *ego aperui*, &c.

R. Dauid.

Greg. Nyſſ. Ambroſ.

Hieron.

Theodor. Tres Patres. Pſellus. Ambroſ.

Sciendum denique, pro eo, quod in Vulgata eſt, *At ille declinauerat, atque tranſierat*, in Hebræo eſſe ועבר ודודי חמק vedodi chamak ngabar, quæ optime reddidit noſter Interpres, *At ille*, ſcilicet dilectus meus, *declinauerat, atque trāſierat*, ſicut & Aquila, ἐκλινεν παρῆλθεν, *declinauerat tranſierat*. Verbū enim חמק chamak diſceſſum, & elongationem ſignificat, congruitque optime & ſignificatus circuitus, atque conuerſionis, eidem tributus à R. Dauid, vt ſenſus ſit, aperto oſtio, *dilectus meus circuitum agens pertrāſijt*, Italice, *ſi volto, è paſſo via*: quod expreſsit Symmachus vertens: ἀκουσῦσας παρῆλθεν, *reuuens pertranſijt*: Septuaginta ſimpliciter, ἀδελφιδίς μου παρῆλθεν, *fraternus meus pertranſijt*.

Aquila.

R. Dauid.

Symmachus.

His circa lectionum varietatem explicatis, haud abs re fuerit, ſi & alios afferamus ſenſus, qui & aliis quoque lectionibus congrui ſint. Neque enim definire facile eſt, quænam vera earum lectionum ſit, quas iuxta varias diſpunctiones tam ex textu Hebraico, quam ex verſione Septuag. retuli: Quamquam, ſi verum fateri debeam, ſecundum iudiciū meum tenue, veriorem ipſe exiſtimem, quæ ſic habet, *Surrexi vt aperirem dilecto meo. Manus meæ diſtillauerunt myrrham, & digiti mei myrrham plenam*, ſeu *probatiſſimam ſuper manus peſſuli. Aperui ego*, &c. quæ & communior eſt tum apud Hebræos, tum apud noſtros Patres, vt indicatum iam eſt in prænotatis. Poſſunt ergo afferri tres alij ſenſus præter illum, qui noſtræ allatus eſt lectioni. Duo prædictæ diſtinctioni, quam magis probo, & vnus diſtinctioni alteri, quæ legit, *Manus meæ diſtillauerunt myrrham, & digiti mei myrrham plenam*, ſeu, *probatiſſimam. Super manus peſſuli aperui*, &c.

Primus fundatur in patria illa Palæſtinæ conſuetudine, qua mulieres, quo vim charitatis ſuæ patefacerent ei, quem diligebant, cum ante eum comparebant, vnguenta in manibus geſtabant, quæ ſuper eum è vaſe effundertnt, ijſve eum delinirent: Sic Mariam

Secundus ſenſus. Vnguentis profundere amantes ſuit mos Palæſtinæ.

Magda-

Magdalenam corã Christo dilecto suo comparuisse, nouimus, cum in Euangelio legamus: a *Et cum Iesus esset Bethaniæ in domo Simonis leprosi, & recũberet: venit mulier habens alabastrũ vnguẽti nardi spicati pretiosi: & fracto alabastro, effudit super caput eius.* Sic & alias quoque ab sponsa nostra factum vidimus supra, ipsamet hoc referente, atq; dicente: b *Dum esset Rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suũ.* Idipsum itaq; & hoc loco significat à se factum. Sicut autem de Maria legimus, fregisse alabastrum, vt largius vnguentum effunderet, vtue copiosiori vnguento inungeret caput Christi: ita ad eamdem vnguenti copiam designandam, quam surgens secum deferebat, vt vngeret dilectum suum, sponsa ipsa ait, manus suas distillasse myrrhã, & digitos pariter suos eamdem myrrham probatissimam, quæ è pleno scilicet vase defluebat, distillasse super manubria pessuli, quæ apprehenderat, vt aperiret. Neque enim ad hęc explicanda, necessarium est asserere id, quod inuentum est ab Aloysio legionensi, quasi per verba ista significare voluerit sponsa, se, dum festinat, acceptum vasculum confregisse, myrrhaque per manus defluẽte, se digitosue suos, ac pessulum ostij infecisse. At quod simpliciter ait, secundum hunc sensum tale est.

Statim ac conatum dilecti mei intellexi, quo missa manu sua per foramen ostij, pessulum reserare obnixus est, tota intrinsecus erga illum commota ipsamet *surrexi, vt ei aperirem*, obuiamque illi procedens, adeo plenum accepi vasculum myrrhæ probatissimæ, qua meum erga ipsum protestarer amorem, vt vnguentum ipsum vndequaque efflueret, manusue *meæ, & digiti quoq; mei myrrham distillarint super manubria pessuli*, quæ meis ipsis apprehenderam manibus, quo aperirem: *Aperui dein dilecto meo*, sed sero: nam ille aperto ostio, auertens faciem abscessit, atque præterijt.

Alius item sensus eorumdem verborum secundum eamdemmet distinctionẽ in alio fundatur more item patrio feminarum, Orientalium præsertim, ac Iudæarum, quo, cum lauabant corpus, varijs vnguẽtis, vel saltem vnguento aliquo se perfundebant. Sic de Iudith legimus: c *Et lauit corpus suũ, & vnxit se myrto optimo*: Sic Susannã, cum lauaretur in pomario, puellis dixisse, legimus: d *Afferte mihi oleum, & smigmata, & ostia pomarij claudite, vt lauer.* Sic Noëmi præcepit Ruth: e *Lauare, & vngere.* Sic ergo & sponsa feciisse se, indicat, dum quæ superius se lauisse significauit, dicẽs, *Laui pedes meos*: nunc inunxisse se pariter insinuat, dicens: *Manus meæ distillauerunt myrrham*, &c.

Porro, sicut totius corporis lotionem per pedum ablutionem insinuauit, cuius duntaxat commemoratio necessaria sibi videbatur, quando è strato surgere ipsam pigebat: ita & inunctionem quoq; totius corporis sui è perfusis myrrha probatissima manibus, digitisue suis designat: qua ipsa manuum inunctio ad suum nunc facit propositum; vtpote quæ significare velit, se non surrexisse tantum, sed & myrrha delibutam obuiam processisse dilecto suo, adeo vt, si ad eius complexus peruenire potuisset, futurum, vt ipsum mira sui fragrantia recreasset; quandoquidem manibus suis contrectans manubria pessuli, suauissimum illis impertijt probatissimæ, qua delibuta fuerat, myrrhæ odorem. Quod ergo ait, tale est.

Cõmotis præ dilectione præcordijs meis in dilectum meum mittentem manum suam per foramen ostij, *surrexi* illico, *vt illi aperirem*, obuiamq; ei processi lota, & suaui delibuta vnguento. Certe si illum attingere, vel ad ipsum propius accedere valuissem, fragranti eum probatissimę myrrhę, qua perfusa eram, recreassem odore: Siquidem attingens solummodo manubria pessuli ad aperiendum ostium, tantum pessulo illi communicaui odoris, vt visæ sint *manus* ipsæ *meæ, & digiti* illi, quibus pessulum apprehẽdi, distillasse eamdem *myrrham probatissimam super* contacta eiusdem *pessuli manubria*. At dilectum ipsum meũ nec licuit attingere, nec is permisit, vt in domum cum admitterem, credo, in præteritæ socordiæ meæ pœnam. Siquidem ego sane illi *aperui* vti *dilecto meo*, *at ipse*, cum aperuissem, ingredi renuit, quin & abscessit.

Postremus denique sensus haud certe improbandus eorumdem verborum secundum distinctionem alteram, quæ legit sic: *Manus meæ distillauerũt myrrhã, & digiti mei myrrham transeuntem*, seu, *plenam*, aut, *probatissimã. Super manubria pessuli*, aut *seræ aperui dilecto meo*, &c. fundatur in tribus huiusmet Cantici sententijs: Primum in ea, qua in principio sponsa id laudis ex fragrantissimo aromatum odore contulit in dilectum suum; vt, postquam dixit, vel iuxta Hebraicam veritatem, f *Odori vnguentorum tuorũ optimorum*, scilicet nullus est, qui comparari queat; vel iuxta versionem Septuaginta; *Odor vnguentorum tuorum super omnia aromata*, id quod & litteram nostram, *Fragrantia vnguentis optimis*, significare ostendimus: adiecerit, *oleum*; seu *vnguentum effusum nomen tuum*, id est, ita suaui vnguentorũ odore redoles, vt ipsummet vnguentum effusum dici debeas. Secundo in ea, qua in eodem ca. primo ex myrrhæ odore præsertim illum commendans eademmet sponsa dixit: g *Fasciculus myrrhæ*, seu iuxta Hebr. *colligatio myrrhæ*, aut iuxta versionẽ Septuag. *alligamentũ guttæ, dilectus meus mihi.* Et tertio in ea, qua sponsus ipse in capite quarto dixit. h *Vadã ad montẽ myrrhæ*, indicans, se totum myrrham necessario redolere; cum in monte myrrhæ hortum habeat, ad quem sæpius se conferat, in quo & myrrham vberrimam colligat, prout & in hoc capite quinto contestatus est, dicens: i *Messui myrrham meam.* Cum ergo sponsa hoc optime comprobatum nosset, dolet in his, quæ modo refert, quod illo tam suaui odore fragrãti, minime permissum sit sibi, vt potiretur, vtue myrrhæ eius fieret particeps, eo modo, quo particeps facta fuisset, si ipsum attingere, vel cum eo commorari, sibi licuisset. Probat autem hæc arguens à minori, relinquens alijs, vt inferant maius id, quod consecutura fuisset, si is ab ipsa nõ declinasset, ac pertransisset, quando illi aperuit. Quod enim ait, tale mihi esse videtur.

Ventre meo tumultuante, atque trementę præ dolore, ac zelo, quo corde contabui, & conturbata in intimis sum viscеribus ob torporem, & ingratitudinem meam, quã tunc percepi, cum *dilectus meus misit manũ suam per foramen* ostij, vt pessulum reseraret; *surrexi* statim, omni tandem abiecta socordia, *surrexi*, inquam, ego ipsa, *vt aperirem dilecto meo*: adhibitisue manibus ad manubria pessuli *aperui* eidem *dilecto meo*; & ex contactu pessuli illius, quod ipse contrectarat, tantum *manus meæ* perceperunt odoris, vt viderentur distillasse *myrrhã, & digiti* quoq; *mei* viderẽtur *pleni myrrha probatissima: At ille declinauerat, atque trãsierat.* Ac si dicat: O quãtum fragrãtiæ maioris mihi impertijsset, ni declinasset, si illum attingere valuissem, qui alioquin *fasciculus myrrhæ* mihi esse solet, & *inter vbera mea* commorari!

Secundum Genebrardum, & alios recentiores id tantum simpliciter significatur à sponsa, quod, dum recluderet pessulum, aperiens dilecto suo, manus digitique sui myrrha sint delibuti, qua sponsus ipse sola attrectatione pessulum ipsum imbuerat, quando *misit manum suam per foramen* ostij, ac si dicat: Cum illã ostij partem attigissem, quam ipse myrrha olens contrectarat, etiam *manus meæ myrrham*, ac odorem myrrhæ contraxerunt, ita vt viderentur tam eæ, quam & *digiti* earum stillare *myrrham probatissimam.*

1 Mar. 14. 3.

b *Cant. 1, 11.*

Legionensis.

Paraphrasis.

Tertius sensus.

Vnguentis se inungere cũ lauarentur, fuit mos fœminarum Orientalium.

c *Iudith 10. 3.*

d *Dan 13. 17.*

e *Ruth 3. 3.*

Paraphrasis.

Quartus sensus.

f *Cant. 1. 3.*

g *Cãt. 1. 13.*

h *Cant. 4. 7.*

i *Cant. 5. 1.*

Paraphrasis.

Genebrard.

Verſ. V. cap. V. *Surrexi, vt aperirem dilecto meo. Manus meæ ſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima.*

Verſ. VI. cap. V. *Peſſulum oſtij mei aperui dilecto meo, at ille declinauerat, atque tranſierat.*

Expositio II.

De prima Sponſa, quæ eſt Eccleſia Sancta.

4 Primus ſenſus. *Cum Iudaico populo in priſtinum ſtatum de lapſo quomodo ſe geſſerit Deus.*

EXplicatis in præcedenti verſu his, quæ circa priſtinum ſtatum ſuum ſibi contigere in antiquo Iudæorum populo, tẽpore Iudicum, quando ſæpius per immiſſa à Deo flagella, ad ipſum, qui eam flagellabat, conuerſa, admiſſorum peccatorũ ſe pœnituit (prout declaratum à nobis eſt in ſecunda eorundem verborum expoſit.) enarrat modo Eccleſia Sancta ea, quæ circa eundem priſtinum illum ſtatum euenere tempore Regum: tũcque in primis, quando ob extremã Regum impietatem populus vniuerſus à Deo ſuo deſciſcens, illum quaſi extra fores repulit, falſoſue ei C prępoſuit Deos: quando Deus & varijs beneficijs fores, cordaque eius pulſauit, & multorum Prophetarum vocibus ad ipſum inclamauit, vt ſibi aperiret, conuerſus à vijs ſuis peſsimis: quando deniq; & manum validam flagellorum ſuper eũdem immiſit, Regemque eius, qui cordis locum in ipſo tenebat, ea ratione commouit, vt ad illius pœnitentiam, & Eccleſia ipſa, totuſue populus ille ſurrexerit à peccatis & ſceleribus ſuis, conuerſus ad verum Deum ſuum, ipſiſue pœnitentiæ ac mortificationis operibus ſuam proteſtans cõuerſionem, ſic Deo aperuerit dilecto ſuo, vt idola vniuerſa, falſumue ac impium à ſe abſtulerit eorum cultum, quo tanquam prævalido peſſulo præcluſus fuerat aditus Deo: & nihilominus Deus ipſe eiuſdem Eccleſiæ dilectus ab illo tunc declinauit, pertranſienſue reliquit quodammodo eum. Quorũ omnium hiſtoriam tum in 4. lib. Regum tũ in 2. lib. Paralip. habemus, vbi poſt enumerata execranda Regis Manaſſe ſcelera, quibus à Iudaico populo Deum expulit, eiuſdem Regis explicatur pœnitẽtia: eum quippe ſtatum rerum ſuarum Eccleſia hic narrat. Lege caput 33. lib. 2. Paralip. & videbis quam apte ipſa poſtquam dixit: *Dilectus meus miſit manũ ſuam per foramẽ, & vẽter meus intremuit*, ſubiecerit: *Surrexi*, &c. Sic enim ibi habes: a *Igitur Manaſſes ſeduxit Iudã, & habitatores Ieruſalem, vt facerent malũ ſuper omnes gẽtes, quas ſubuerterat Dominus à facie filiorũ Iſrael. Idcirco ſuperinduxit eis Principes exercitus Regis Aſſyriorũ, ceperuntque Manaſſen, & vinctũ catenis, atque compedibus duxerũt in Babylonẽ*, (en miſsionem manus diuinæ) *Qui poſtquã coangustatus eſt, orauit Dominũ Deum ſuum, & egit pœnitentiã valde corã Deo patrum ſuorum*: ſurgẽs nimirum, vt aperiret dilecto ſuo per pœnitẽtię, ac mortificationis opera, quibus *manus* eius *diſtillauerunt myrrhã, & digiti eius, myrrhã* adeo ipſi dilecto ſuo probatam, atq; acceptam, vt propterea is exaudierit orationẽ eius (vt habetur in præcitata hiſtoria) reduxeritque *eum Ieruſalem in Regnum ſuum*, & veram Dei notitiam eidem ſit elargitus: *Cognouit enim Manaſſes*, dicitur in textu, *quod Dominus ipſe eſſet Deus*. Quod ſi quis & id quoque verificatũ obſeruare velit eodem tempore, quod Eccleſia ipſa Deo aperiens dilecto ſuo, peſſulum amouerit, id nimirum omne, quo veri Dei cultus excludebatur: audiat quid eodẽ capite libri Paralip. de eodem Manaſſe dicatur: b *Et abſtulit Deos alienos, & ſimulacrũ de domo Domini: aras quoque, quas fecerat in monte Domus Domini, & in Ieruſalẽ, & proiecit omnia extra Vrbẽ*. Legat & caput 28. lib. 4. Reg. c vbi refertur ſtudium pijſsimi Regis Ioſiæ in amouendis, nedum è templo, & Ieruſalem, ſed & è toto A Regno ſuo ijs omnibus, quæ vel ad cultum pertinebant Idolorum, vel aliena erant à vero Dei cultu. Quo ex capite collige quoque intellectum eorum verborũ, *At ille declinauerat, atque tranſierat*, quę immediate ſubintulit ſpõſo, poſtquam dixit: *Peſſulũ oſtij mei aperui dilecto meo*: ſtatim quippe, ac enarrata ſunt, quæ circa prædictum ſtudium in ipſo amouendo peſſulo ſunt adhibita: quæue ad pietatem & ſanctitatẽ ſpectabant Regis Ioſię, cuius pietatis exemplo populus vniuerſus, totaque eius populi Eccleſia Deo aperuit, hæc adijciũtur verba: d *Verumtamen non eſt auerſus Dominus ab ira furoris ſui magni, quo iratus eſt furor eius cõtra Iudam: propter irritationes, quibus prouocauerat eum Manaſſes: Dixit itaque Dominus: etiã Iudam auferã à facie mea, B ſicut abſtuli Iſrael: & proijciam Ciuitatem hanc, quam elegi Ieruſalẽ & domũ, de qua dixi. Erit nomẽ meũ ibi*. Atq; adeo in ſignum præſentaneũ huius declinationis, & trãſitus ſui ab eo populo permiſit, vt pijſsimus ille Rex Ioſias occideretur, & Nechao Rex Ægypti aſcẽderet in Ieruſalem, & poſt illum Babylonij, vt ſponſa ipſa ſignificat in ſubſequentibus.

d 4. Reg. 23. 26.

5 Secundus ſenſus.

Si præſentem eadem Eccleſia ſuum proſequatur enarrate ſtatum: contemplatiues illos, quos iam cõmotos ad proximorum curam ſuſcipiendam retulit in ſuperiori verſu; nunc opus ipſum aggreſſos, inquit, vt peccatorum corda Deo aperiant, qui ab illis excluſus fuerat, & frigido ſcelerum rore oppletus. In hac autem enarratione nedũ factum ipſum exponit, ſed & appoſitiſsimis verbis in eo vtitur exponendo; & modum quoque explicat, quem in eo ſtudio conuerſionis animarũ ij adhibuere, quemue & ſinguli quique adhibere debant boni Prædicatores: ac demum, quid ſequi vt plurimum ſoleat poſt ipſam animarum conuerſionem, qua Deo obdurata peccatorum corda aperiuntur: Examinemus vniuerſa ſigillatim.

Surrexi, inquit primo: neque enim fas eſt, vt quiſq; prædicationis munus aggrediatur, vel quoquo pacto illud exerceat, ni prius is ſurgat: Idcirco quãdo Apoſtolis, primitiuæque Eccleſiæ munus iſtud à ſponſo demandatum fuit, ſuperius in hoc cantico ſic dictũ ab illo eſt: e *Surge propera amica mea*; idẽque replicatum inferius reperimus: ſic Ieremię dictum à Domino, legimus: f *Tu ergo accingere lumbos tuos, & ſurge, & loquere ad eos omnia, quæ ego præcipio tibi*: aliaſq; frequẽter Prophetis ceteris eodem modo: Sic & Petro Apoſtolorũ Principi, cum deſtinatus eſt Cornelio, ad prædicandum Gentibus Euangelium, & ad Gentes ipſas conuertendas, dictũ eſt: g *Surge Petre, occide, & mãduca*: ac, *Surge & deſcende, & vade*. Significat porro Eccleſia, cũ ait: *Surrexi*, bonos prædicatores ſuos haud à negotijs terrenis, ad prædicationem tetendiſſe, ſed à quiete contemplationis; vt videlicet eructent verbum bonum, quod in ſecreto hauſerunt vna cum vino dulcedinis Spiritus ſancti: Surrexiſſe autem, dimiſſo ſtrato ipſo contemplationis, omniue quietis dulcedine, ad labores, atque ad contradictiones paratos.

Prædicatores boni è contẽplatione ad prædicationem ſurgunt.

e Cant. 2.

f Iere. 1. 17

g Act. 10 13. & 20.

Quia vero haud ſat eſt, vt quis ad munus ſurgat prædicationis, ſed operæpretium inſuper eſt, vt in eo implendo rectam habeat intentionem: complures namque reperire eſt, qui ad prædicandum aduolent; vel ad inanem captandam gloriam, vel ad lucrum aliquod capeſſendum temporale, quorum ſtudiũ in eo ſolo eſt, vt placeant hominibus, aureſque demulceant audientium: idcirco ad indicandam rectam ipſam intentionem Sanctorum Prædicatorum ſuorũ, poſtquã dixit, *Surrexi*, addidit: *vt aperirẽ dilecto meo*, id videlicet pro ſcopo proponens, vt obdurata peccantium corda Deo aperiam: vt in fidelium corda Deũ per conuerſionem admittam, quem excludunt ijdem à ſe per auerſionem delinquentes. Bene quoque, rectam hanc proponens intentionem ſuam, Deum dilectum ſuum appellat, indicans, Prædicatores ipſos tam ad prædicandum, quam ad aperiendum Deo per procurationem conuerſionis peccatorum, ex Dei charitate moueri, quem ſolum toto diligunt corde,

Prædicatores boni rectã intẽtione mouentur ad prædicãdum.

a 2. Paral. 33. 9.

b 2. Paral. 33. 15.

c 4. Reg. 28 A.

Ex

6 Ex qua dilectione prouenit, vt ſurgentes vas acci- A
Prædicatores boni facto implent, quod verbis prædicant.
piant myrrhæ, quo ipſum perfundant dilectum ſuum. Porro vas, quod accipiunt myrrhæ, obedientia eſt, propter quã è ſtrato ſurrexere contemplationis; quaue, prædicationis munus aggredientes, in id ſtudium adhibent ſuum, vt totam Dei legem, quam alijs prædicaturi ſunt verbo, impleant & facto: congruentiſsime autem obedientia ipſa per vas myrrhæ, à ſpõſa ſumptum, deſignatur. Primum enim amaritudinẽ quamdam ex ſua fert natura, ſicut & vas amaram deferens, ſeu continens Myrrham: quam obedientiæ amaritudinem mugitu illo ſuo fœtæ eæ conteſtatæ
Obedientia deſignata per vas myrrhæ.
h 1. Reg. 6. 12. ſunt *h* vaccæ, arcam Domini in directum portantes, quas alibi veri obedientis typum eſſe, oſtendi ex Gregorio Papa, & alijs. Quod ſi in vaſe myrrhæ cõtinetur B
id, quod à corruptione præſeruat corpora, ſane & in virtute pariter obedientiæ impletio continetur mandatorum Dei, quæ eamdem vim habet à corruptione ſeruandi non tam corpora, quam animas, iuxta illud
i Ioan. 8 51 Domini: i *Si quis ſermonẽ meum ſeruauerit, mortẽ non videbit in æternum.* Nec odor multo certe præſtantior, quã vaſis myrrhæ deeſt obediẽtiæ: quandoquidem experientia comprobamus, virum obedientem apud vniuerſam congregationem bene audire: odorque eius adeo diuinas oblectat nares; vt merito odori victimarum ac holocauſtomatum præferatur à Samuele, di-
k 1. Reg. 15 22. cẽte. *k Numquid vult Dominus holocauſta, & victimas, & nõ* C
potius, vt obediatur voci Domini? Melior eſt enim obedientia, quam victima, & auſcultare magis, quam offerre adipem arietum, qui offerri Domino ſolebat in odorem ſuauitatis.

7 *Manus meæ ſtillauerunt myrrhã*, ait ſpõſa, quę ſumpto vaſe myrrhæ in eo præſertim obedientiam ſuo exhibuerat dilecto, quod tametſi moleſtũ arbitrata eſſet, ſurgere è quieto contemplationis ſtrato; ſurrexit nihilominus, vt ei aperiret, quia id ille ſibi demandarat, dicens: *Aperi mihi ſoror mea*, &c. In implendo autem ex obedientia mandato iſto, ob quod ad prædicationem ſurrexit, manus ipſas ſuas inquit diſtillaſſe myrrham, D
quæ typus eſt mortificationis ex indita amaritudine:
Prædicatores boni pœnitentiam in primis prædicant, & mortificationem, quam in ſuo oſtendunt corpore.
quia Prædicatores, qui per peccantium conuerſionẽ aperire Deo ſtudent, prædicationem ſuam à pœnitentia exordiuntur: pœnitentiam potiſsimum prædicant, & carnis mortificationem; vel cum Ioanne præcurſore Domini dicẽtes: l *Facite fructus dignos pœnitentiæ: iam enim ſecuris ad radicem arboris poſita eſt*: vel cũ Apoſtolo: m *Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationẽ, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam,*
l Marc. 3. 8 &c. nedum labia habent diſtillantia myrrham pri-
m Coloſſ. 3. 6. mam, ad imitationem Chriſti redemptoris noſtri, de
n Cãt. 5. 13 quo in hoc ipſo cap. quinto dicetur: n *Labia illius lilia diſtillantia myrrham primam*: ſed & manus quoque ha- E
bere debent, myrrham ipſam diſtillantes, huiuſue diſtillationis manuum maiorem habere rationem, quam diſtillationis labiorum: mortificationem ipſam in ſemetipſis opere magis prædicantes, quam verbo, prout & à magno illo pœnitentiæ prædicatore, Ioan-
o Matt. 3. 2 nem dico Baptiſtam, legimus *o* factum, quippe qui in deſerto aſperrimam degebat vitam, veſtitus de pilis camelorum, comedenſque locuſtas duntaxat, & mel ſilueſtre: ideoque Apoſtolus Paulus de ſe, ſimilibuſue ſibi pœnitentiæ, & mortificationis prędicatoribus ait:
p 2. Cor. 4 10. & 12. p *Semper mortificationẽ Ieſu Chriſti in corpore noſtro circũferimus, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris: & mors in nobis operatur, vita autẽ in vobis*: ac ſi dicat: ſẽper F
quocumque prædicantes pergimus, Chriſti mortificationẽ nobiſcum, nedũ in animi patiẽtia deferimus, ſed & in corpore quoque noſtro exhibemus, & exprimimus caſtigantes illud, ne forte cum alijs prædicamus, ipſi reprobi fiamus: vt aliquãdo vita, gloriaue Chriſti Ieſu manifeſte in noſtris reluceat corporibus: Si quidem in nobis mors nunc viuit, qui in iugi verſamur mortificatione, propter quam mortificationem noſtram in vobis vita prouenit pœnitentiæ, ac iuſtificationis.

8 Veruntamen mortificationes Prædicatoris pœni-

tentiæ, haud ex illis eſſe debent, quas reprobat in Euangelio Chriſtus Dominus dicens: q *Cum ieiunatis nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes: exterminat enim facies ſuas, vt appareat hominibus ieiunantes*: ſed tales, quę probatiſsimæ ſint, & coram Deo, & coram hominibus: eæ vero ſunt, quæ ſancta perficiũtur diſcretione; cuius diſcretionis ſymbolum digiti ſunt, quibus diſcerni vnaquæque conſpicimus: atque adeo ad id, quod dixit, *manus meæ diſtillauerunt myrrham*, congruenter ſancta adiecit Eccleſia: *Et digiti mei pleni myrrha probatiſſima.*
Mortificatio prædicatorũ qualis eſſe debeat.
q *Matt. 6. 16.*

Subditque illico: *Peſſulum aperui dilecto meo*: quia per exemplum probatiſsimæ huius mortificationis conuertit facile ad pœnitentiam auditores ſuos Prædicator veritatis, teſte B. Bernardo, qui ait: Dicovobis: ſermo quidem viuus, & efficax exemplum eſt operis, facile perſuadens, quod intendimus, dum factibile probat eſſe, quod ſuademus. Et notandum, quod ſponſa non dixit ſimpliciter: *Aperui dilecto meo*, prout dicendũ videbatur, cum ſimpliciter ei ſponſus dixiſſet prius: *Aperi mihi*, &c. at dixit: *Peſſulum oſtij mei aperui*, idque tũ demum, cum aduertit, ſponſum manum ſuam miſiſſe per foramen oſtij, conatumque, vt peſſulum reſeraret, quo obfirmabantur eius oſtij valuæ.
Bern. ſer. 3. in feſto reſurrect. dominicæ.
„ „ „

Porro tametſi per peſſulũ oſtij Eccleſiæ, quod reſerare enixus eſt ſponſus eius Chriſtus, illa ſuperius in expoſit. ſecunda, verſ. 4. intellexerimus, quibus Eccleſia ipſa in contemplatiuis ſimplicioribus præpediebatur, ne obuiam ſponſo procederet, ad procurãdam proximorum ſalutem, duo nimirũ errores, quibus ij decipiebantur, vt videre eſt in pręcitata expoſit. Nihilominus, cum ex antecedentibus cõſtet, perid, quod eidem dictũ eſt: *Aperi mihi*, &c. contemplatiuos fuiſſe excitatos à ſponſo, ad aperiendum non tam ſemetipſos, quam corda peccatorum, à quibus ſponſus erat excluſus: ac per apertionem illam, fuiſſe deſignatam peccatorum conuerſionem, qua in eorum corda admittitur Deus prædicatione, & exemplo eorumdem contemplatiuorum: melius magiſue ad propoſitum ſenſui, quem modo proſequimur, per peſſulum oſtij Eccleſiæ ea accipienda videntur, quæ impedimento ſunt, ne peccatores ipſi ſua ſponſo aperiant corda, ea, quibus validius in peccato obfirmãtur, quæ iam Deo obſerata ſunt corda, cuiuſmodi ſunt diuitiæ, honores, illecebræ, & cetera huiuſmodi: quæ per foramen tangit Dominus, cum mauum immittit flagellorum ad correctionem ipſorum peccatorum, minitans eorum ablationem, ac propemodum reſerare ſatagens peſſulum: ab eoque, vt à ſponſo, & à magiſtro edocta Eccleſia, edoctiue eius prędicatores iſta ipſa vt peſſulum prædicatione ſua aperire nituntur, quo ſane aperto, apertum illico afferunt & oſtium cordis, quod iam Deo erat obſeratum; conuerſa reputant peccatorum corda ad Deum: ideo audacter pro illis ait Eccleſia: *Peſſulum oſtij mei aperui dilecto meo*: ac ſi dicat, oſtiũ meum aperui dilecto meo, aperiens peſſulum eiuſdẽ oſtij, quo videlicet oſtium ipſum obſeratũ tenebatur, quo idem oſtium in ipſa obſeratione obfirmabatur. Aperiunt porro Prædicatores obſeratum Eccleſiæ oſtium, cum prædicatione ſua corda peccatorum eorum, qui membra ipſius Eccleſiæ ſunt, ita cõuertunt, quomodo & clauſum cõuertitur oſtiũ, quando valuę eius aperiuntur, vel ipſummet aperitur: quomodo ad iſtiuſmodi valuarum conuerſionem aditus ei patefit, qui extra fores pulſabat: Aperiunt vero peſſulũ eiuſdem oſtij, cũ eadem prædicatione ſua vanitatem edocentes prædictarũ rerum, quibus homines præpediuntur, ne Deũ intra ſe admittant, peccatoribus ipſis, qui adeo obſtinate ijs addicti erant, illarum perſuadẽt contemptum, quo ſane perſuaſo, conſequitur, vt ipſimet ab illis, vel ſaltem ab earum affectu ſeſe liberantes, cordium ſuorum fores vni expandant dilecto ſuo: Cum econuerſo, ni peſſulum iſtiuſmodi affectus amoueant, fieri nullatenus poſsit, vt apertum Deo exhibeant cor ſuum per veram, bonamque conuerſionem: quod haud obſcure conteſtatus eſt Dominus
Cor peccatoris quo obſeretur peſſulo Deo.
Terrenorum abiectionem & contemptum in primis prædicãt boni prædicatores, vt iniquos conuertant.
Conuerſio peccatoris deſignata per apertionem oſtij.

1 *Luc.* 14. 33. f *Matt.* 10. 37. Ieſus, cũ dixit: r *Niſi quis renuntiauerit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* &: f *Qui amat patrẽ, aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus: & qui amat filium, aut filiam ſuper me, non eſt me dignus.*

Quamuis autẽ apertio iſta peſſuli ſimul, ac oſtij, & conuerſio peccatorum, ad Deum intra ſe ſuſcipiendum, terrenaque & temporalia è cordibus ſuis abijcienda, ingentẽ & Prædicatoribus ipſis, & vniuerſæ etiam Eccleſiæ lætitiam afferat & exultationẽ. Quia tamen ſæpius vſu venire ſolet, vt ad huiuſcemodi conuerſiones magnæ vel à conciuibus, vel à parentibus, & cognatis, vel à conſortibus in crimine cõuerſorum, turbulentiſsimę aduerſus Eccleſiam ſuſcitentur tempeſtates, magnæq; contra Prædicatores ipſos commoueantur perſecutiones, nec non & illos, qui conuerſi ſunt, frequentes, validique inſurgant tentationum fluctus: ita vt Deus nedũ ab ipſis, ſed ab Eccleſia quoque declinaſſe videatur: Ideo, poſtquam dixit: *Peſſulum oſtij mei aperui dilecto meo*: conſequenter adijcit recte ſponſa: *At ille declinauerat, atque tranſierat*; nõ quod vere declinarit, ſed quod declinaſſe viſus ſit.

Quod ergo ſecundum primum litteræ ſenſum ait Eccleſia, breuiter tale eſt.

9 Paraphraſis. In Prædicatoribus meis è quieto contemplationis ſtrato, dimiſſa omni mea quiete, dulcedine, & commodo, obediens *ſurrexi* ad prædicandum haud certe alia intentione, quam vt per peccantium hominum conuerſionem obſerata per peccatum eorum corda Chriſto *aperirem dilecto meo*: mortificationem autem prædicatura non tam labijs, verboque, quã manibus & operibus meis *myrrham* diſtillare ſtudui, mortificationemque ipſam edocere: dedique operam, vt operibus prædicarẽ mortificationis meæ, quæ & diſcreta eſſet, & Deo probatiſsima. Porro mortificans meipſa in primis in abiectione terrenorum, *aperui* ſane corda multorum peccatorum, quę mea iam erant membra, conuertens illa ad dilectum meum, *aperui*, inquã, illi aperiens *peſſulum oſtij mei*, deducẽs peccatores ipſos ad conuerſionem, aperiendo, & explicando eis vanitatẽ & deceptionem illecebrarum carnis, & terrenorum eorum, quibus veluti peſſulo obfirmata ipſorum tenebantur corda, efficienſue, vt ipſimet corda Chriſto aperirent, &, amotis inde, ac contẽptis rebus ijs, quibus à bona præpediebantur conuerſione, Chriſtum intra ſe admitterent vnicum dilectum ſuum: Tantæ vero ex iſtiuſmodi illorum conuerſione in me commotæ ſũt turbæ: tãtæ in Prædicatores meos excitatę ſunt perſecutiones: tantæ demum in conuerſos iſtos ſuſcitatę ſunt tempeſtates; vt dilectus meus Chriſtus tunc potiſsimum declinaſſe, atque tranſiſſe viſus ſit.

Explicantur hæc ipſa melius per eadem ſponſæ verba ſecundum lectionẽ Originalium Heb. & Sept. quę ſic habet: *Manus meæ ſtillauerũt myrrhã, & digiti mei myrrhã plenã trãſeuntem atque perfectã ſuper manubria*, ſeu, *cardines peſſuli. Aperui ipſa dilecto meo: at ille conuerſus pertranſiit*: ſi eo accipiatur ſenſu, quem ſecundo loco in prima attulimus expoſ. Declarat quippe Eccleſia ſãcta per hæc quanã ratione potiſsimum ſancti Prædicatores conuertant delinquentes, ita vt ij Deum in ſua admittant corda: quaue ratione è veſtigio cum illis ſeſe gerat Deus.

Prædicatores boni qua ratione potiſsimum conuertant peccatores.

Ratio, quam ij ſeruant, eam eſſe, inquit, quod ad prædicationem ſurgentes, curãt vt manus ſuæ diſtillent myrrham, dando operam, vt facto, atque operũ exemplo mortificationem prædicent, ſtillant quippe & manus eloquium ſuum, cum myrrham fragrantiſsimam ſtillant ipſa manuum opera: atque ipſo mortificationis ſtudio in id potiſsimum ait, illos ſuum intendere conatum, vt digiti ſui ſtillent myrrham perfectiſsimam ſuper manubria, aut cardines peſſuli: Peſſulus quid ſit, iam explicatum eſt, id videlicet omne, quod impedit, aut retardat, ne Chriſtus animarũ ſpõſus intra cor admittatur; id quod obſtinatos reddit peccatores, ne ad Deum ſua conuertant corda, opes, dignitates, cogitationes, amicitiæ, illecebræ, honores, fama, &c. Cardines intra quos cõtinetur, atq; verſatur, & quibus ſuſtinetur huiuſmodi peſſulus, ipſi ſunt affectus vehementiores in illud omne, quod enumeratum eſt, & ijs ſimilia. Manubria quoque eiuſdem peſſuli, quibus is apprehenditur, vel vt claudatur, vel vt aperiatur, ijdem ſunt eorundem affectus, cõcupiſcentiæ, atque libidines. Hoc ergo modo ſancti Prædicatores procedunt: prædicantes exemplo mortificationis, curant, vt nedũ manus ſuæ, id eſt, opera ſua in vniuerſum, ſed & digiti quoq; ſui ſinguli, ſingula nimirum opera ſua primã, ac perfectiſsimam mortificationis myrrham ſtillent, ac prædicẽt ſuper affectus prædictorum, quibus homines peccatores retinẽt illa quibus veluti manubrijs ea apprehendunt, vt corda ſua Deo claudant, quibus denique illa ſuſtinent ſuper obſeratis, & obduratis cordibus ſuis in Dei æmulationem: ſtillantque huiuſmodi myrrham, cum in ſingulis operibus ſuis docent, mortificandos vehementes affectus prædictos. Quomodo vero id doceãt innuitur epitheto illo, quod in textu Hebraico perfectæ huic mortificationi, myrrhæque huic tribuitur: *Et digiti mei myrrhã tranſeuntẽ ſuper cardines, aut manubria peſſuli*: tranſiens quippe myrrha dicitur, quæ prius ſtillat in digitis ipſis, tũ è diſtillatione digitorum ipſa tranſit & ſuper manubria peſſuli: per id ſiquidem, quod in ſingulis operibus ſuis mortificationem affectuum circa mundana, atque terrena præ ſe ferunt, edocent & peccatores quoſque mortificationẽ eandem affectuum ſuorum; quæ certe mortificatio cõgruentiſsimo inſignitur nomine, & cum myrrha plena in verſione Sept. & cum myrrha probatiſsima in verſione vulgata appellatur: ea quippe vna & Deo probatiſsima eſt, & numeris omnibus abſoluta.

Affectus peccatoris ſunt cordine, quibus ſuſtinetur peſſulus: & manubria eiuſdem peſſuli, quo obſeratur Deo illius cor.

Poſt diſtillatam hanc myrrhã, poſtquãque ſuomet exemplo prædictam edocuit mortificationẽ, tuto & confidenter ſubdit Eccleſia: *Aperui dilecto meo*: oſtendens ſubitaneum exemplaris eius doctrinæ effectũ, ipſam peccatorum conuerſionem: quia, ſicut in præcedenti eius explicatione dictum eſt, ſtatim ac mundani homines, & peccatores deſpectum concipiunt prædictorũ, eorumue mortificare ſatagunt affectus, cordium ſuorum fores Chriſto aperiunt Deo ſuo.

Verſ. V. cap. V. *Surrexi, vt aperirem dilecto meo. Manus meæ ſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſsima.*

Verſ. VI. cap. V. *Peſſulum oſtij mei aperui dilecto meo, at ille declinauerat, atque tranſierat.*

Expositio III.

De ſecunda Sponſa, quæ eſt Anima Iuſti.

10 Primus ſenſus. *Pœnitentiæ actus externi tres.*

INternam pœnitentis animæ conuerſionem à peccatis, internoſue pœnitentiæ motus tria conſequantur, operæpretium eſt, quo & pœnitentia ipſa completa ſit, & vna cũ iuſtificatione Deus in pœnitentem animam illam dici queat admiſſus. Primum eſt depoſitio realis peccatorum, eaque nedum per abſceſſum ab ijſdem peccatis, ſed & per vocalem eorum confeſsionem. Secundũ, mortificationis opera talia, qualia ipſis proportionata ſint commiſsis ſceleribus. Tertium, receſſus ab ijs vniuerſis, quibus in peccato conuerſa detinebatur anima, & per quæ à Deo ſuo elongata iacebat, vel etiam ſi admiſſus aliquãdo fuiſſet, fugari illico is facile poſſet, ita vt nec permanens, nec cænans cum ea ſit. Tria hæc ſingula, & vniuerſa tempore cõuerſionis ſuæ à ſemet præſtita, & exhibita in his, quæ modo exponimus, oſtendit anima ſponſa Chriſti, ſuam enarrans conuerſionem, eiuſdemque

conuerſionis

conuersionis modum: expositis enim in præcedenti sententia internis præcordiorum suorum motibus, aggreditur iã & motus istos explicare externos: *Surrexi*, inquit, recessum significans à peccatis; *vt aperirẽ dilecto meo*, illorum designans peccatorum suorũ cõfessionem: *Manus meæ distillauerunt myrrham*, operibus videlicet mortificationis satisfacere studẽs; quę mortificationis opera peccatis ipsis suis proportionata extitisse testatur addens: *Et digiti mei pleni myrrha probatissima*, per digitos discretionẽ signãs: adijcitq. *Pessulũ ostij mei aperui dilecto meo*, indicans, & ea omnia à se abiecta, & relicta fuisse, quibus veluti pessulo cor suũ præcludi soleret Deo dilecto suo: Declinasse vero ait, tum demum, atque transisse dilectum ipsum suum, cum ingredi deberet, id innuẽs, quod de nouo conuersis euenire solet vt plurimum.

Recessum à peccatis quæ impediant.

Præclare autem recessum à peccatis hoc verbo *surrexi*, designat: eo namque vno ab omnibus se expediuisse significat, quibus per peccatum detẽta retardabatur à conuersione. Enimuero quinq; in causa esse solent, vt surgere quis nequeat vel è lecto, in quo decumbit vel è loco, in quo iacet; segnities, ægritudo, compedes, funes, aut ingens onus.

Iacebat ipsa dormiens peccati somno, atq; otij socordia, prout exprobratum ei nouimus à sapiẽte his
a Prou. 6.9 verbis: a *Vsquequo piger dormies? quando consurges è somno tuo? Paululũ dormies, paululũ dormitabis, paululũ conseres manus, vt dormias: & veniet tibi quasi viator & cursor egestas, & paupertas quasi vir armatus.* Iacebat & ęgra iniquitatis
b Psal. 40.4. ægritudine: b *Vniuersum* quippe *stratum eius* versauit Deus *in infirmitate* illius. Iacebat funibus peccatorum
c Prou. 5. 22. constricta: c *Iniquitates* enim *suæ*, (ait Salomon) *capiũt impium, & funibus peccatorum constringitur*: atq; adeo sic
d Isa. 52.2 eã admonebat Propheta: d *Excutere de puluere, consurge, sede Ierusalẽ, solue vincula colli tui captiua filia Sion.* Iacebat scelerum cõpedibus præpedita; quid enim nõ faciat
e Thren. 3. 4. peccatum*e* *Vetustam*, inquit ipsamet anima, *fecit pellẽ meam, & carnem meã: contriuit ossa mea: ædificauit in gyro meo, & circumdedit me felle, & labore: in tenebris collocauit me, quasi mortuos sempiternos: circũædificauit aduersum me, vt nõ egrediar, aggrauauit cõpedẽ meum.* Iacebat demum grauissimo peccatorũ pondere pressa, prout ipsamet
f Psal. 37.5 contestabatur, cum diceret: f *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meũ, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.*

Per confessionem peccator aperit Deo.

Porro, quia surrectio ista à peccatis per eorumdẽ peccatorum confessionem consummata est, & hanc quoque insigni artificio designauit, dicens: *Surrexi, vt aperirem dilecto meo.* Surrexit quippe, aperiens os suum ad proferẽda peccata: sed quemadmodum in actu respirationis aperitur quidem os ad emittendum calidum spiritum illum, quo suffocari cor posset, ni extra mitteretur; at nihilominus per eamdem oris apertionem frigidus alius intromittitur spiritus, quo æstuantia refrigerantur præcordia ipsa; ita vt proptera recte quis dixerit, cum respirat: Aperio os, vt iucundissimo aperiam spiritui: Ita & eidem animæ aperienti os suum ad prõferenda peccata dicere licuit; Aperui dilecto meo, quia eadem oris apertione & peccata extra se mittit & Spiritus sancti gratiam admittit intra se.

Quæ circa alias pœnitentiæ partes, & circa reliquum præsentis sententiæ dicenda forent, colliget facile vnusquisque ex dictis supra in secunda expositione.

11 Tertius sensus.

Iuxta tertium sensum: Pia anima quam ex negligentiæ torpore Deum aliquantulum offendisse vidimus, quæue in præcedenti versu ad Dei tactum per noui, ac specialis auxilij exhibitionem timore, reuerentia, atque amore intrinsecus commotam se dixit; effectum nunc narrat prędictæ cõmotionis internę: quod illico surgens, eius se pœnituerit torporis, amotoque eodem, aperuerit se Deo, feruorique spiritus. Bene autem post amoris commotionem surrexisse se ait, vt aperiret dilecto suo: idque post specialem diuinæ gratię tactum. Nescit enim tarda molimina Spiritus sancti gratia; & ad socordiã animæ spiritualis affectus charitatis se habet instar ignis ad frigidum, immotumque puluerem tormentarium, cum lampades ipsius charitatis lampades ignis, atque flammarum esse perhibeãtur. Surgens autem, feruorem, quem ex igne illo susceperit, illico & extrinsecus cœpit exhibere: obuiam enim lacrymis lotam, & mortificationis vngento delibutam Deo processisse se asserit; declaratque in primis, quomodo hac myrrha delibuta processerit, dicens: *Manus meæ distillauerũt myrrhã & digiti mei pleni myrrha prima, seu probatissima super manubria pessuli*; quibus significat, se illico manus adhibuisse ad tollendũ totum id quo tamquã pessulo per negligentiam, & torporem fuerat retardata à spiritus feruore: atque pro singulis rationibus, rebusq; illis, quibus in socordia fuerat detenta, speciali se castigasse mortificatione, specialique pœnituisse contritione: ita vt iã torpor ipse, eiusdemque memoria suauem redoleat myrrhæ fragrantiam. Porro, cum subijcit: *Aperui dilecto meo, at ille declinauerat, atque trãsierat*: significat, multo maiori eiusdem myrrhæ, aliorumque vnguentorũ optimorum copia fuisse perfusuram dilectum ipsum suum; ideoque summo feruore ostium cordis sui totum illi aperuisse, eidemque in occursum prosilijsse, vt super illum largius myrrham primam effunderet lacrymarum, factoque alabastro nardipistici pretiosi, demisissima eum inungeret humilitate, æstuantisue charitatis vnguento optimo delibutum expetitis tandem illum susciperet amplexibus. Quibus cum ob transactam socordiam haud digna fuerit, recte addit: *At ille declinauerat sibi, atque trãsierat*: haud enim penitus Deum ipsam dimisisse agnoscit, sed declinasse dũtaxat per transitum: quia sic illi, sapientiæque eius visum est expedire, vt ipsa tantillum adhuc in spiritus feruore diuinis eius destituta consolationibus, succenderetur magis in feruore illum quærendi, fieretque in futurum causa magis ad omnem deuitandum torporem in vitæ spiritualis studio, cui is maxime repugnat.

Negligentię in vita spirituali quomodo ex affectu charitatis posiea corrigat.

Ob negligẽtiam transactam Deus aliquando dimittit piã animam in ariditate.

12 Quartus sensus.

Iuxta quartum sensum: Eadem pia anima idipsum asserit; quod surgens Deo obuiam processerit, omnemque à se amouens socordiam, totam se illi expãderit; eo tamen discrimine à sensu superiori: quod secundum istum sensum, & illud ipsum, quod pro singulis rationibus, & rebus ipsam demoratibus, speciali se castigauit mortificatione, inditum sibi fatetur ab eodem Deo, qui specialis gratiæ exhibitione pessulũ tangens negligentiæ, & torporis, quo sibi obserabãtur ostia cordis dilectæ suæ, super ipsum pessulũ myrrham effudit primã, primum ipsam excitans animam ad se mortificandum in ijs, quę torporem ei causarãt; Æque est enim, ac si dicatur.

Negligens quod surgat ad feruorem spiritus, prouenit à Deo tangente pessulum.

Surrexi à torpore spiritus, vt fores Deo *aperirem dilecto meo*: dedi operam, vt *pessulum* penitus amouerẽ totius socordiæ meæ: in tactu manubriorũ dicti pessuli, cum primum animum applicui, ad negligentiam à me amouendam, excitatam me sensi ad lacrymas, & mortificationis opera specialia pro singulis actibus, quibus Deo meo socordem me exhibueram. O quãtũ mihi ista mortificationis opera extitere suauia! Si ergo dilectus meus tantum pessulo ipsi torporis impertijt fragrantiæ, cum illum tetigit; quantum mihi infudisset suauitatis; si præsentem eum habere potuissem inter vbera mea vti fasciculum myrrhæ, vt pro me passionibus, doloribus, mortique erucis expositum. At ô me miseram! *Aperui* quidẽ ei, vt *dilecto*, summoque feruore ipsum meditata sum, qui pro me tanta laborauit sedulitate; nihil tamen in talibus meditationibus percepi fragrantiæ, & suauitatis, quia *ipse sibi* occulto quo iudicio suo *declinauit*, *atque transiuit*, arida me relicta.

Paraphrasis.

Si dulcedine Deus exhibet in mortificationis studio, multo maiorem exhibet in studio amoris, & vnionis.

Charitatis affectus suscitat à quacumque socordia.

Simile.

Verſ. V. cap. V. *Surrexi, vt aperirem dilecto meo. Manus meæ ſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima.*

Verſ. VI. cap. V. *Peſſulum oſtij mei aperui dilecto meo, at ille declinauerat, atque tranſierat.*

EXPOSITIO IV.

De tertia Sponſa, quæ eſt B. V. Maria.

13 Tertius ſenſus. *Mariam à præbendo conſenſum in Incarnatione quid retardarit.*

QVod B. Virginem retardauit, ne ad primam Gabrielis Angeli vocem illico ſuum dederit conſenſum, vt in eius vtero Dei filius carnem indueret, fieretque mater Dei & hominis, firmiſsimum (vt viſum eſt in ſuperioribus) propoſitũ extitit virginitatis, ingenſque pudicitię, & puritatis amor. Ideo enim inſtrui volens de modo, quo futura erat mater, in euangelio dixit: a *Quomodo fiet iſtud, quoniã virũ nõ cognoſco?* Et in hoc ipſo cap. quinto dixit: b *Exui tunicam meam, quomodo induar illa?* &c. Sicut autẽ in Euãgelio à B. Luca refertur, illã, ſtatim ac inſtructa fuit ab Angelo de admirabili modo tanti myſterij, ſuum pręſtitiſſe conſenſum; & ex eiuſdem Euangelij contextu colligitur, ad conſenſus prolationem diſparuiſſe Angelũ: ita hoc loco ab ipſamet exactius narratur, quomodo hæc contigerint, ſignificans, poſtquam admirabilem ab Angelo audiuit modum maternitatis cum cõſeruatione virginitatis, adhuc ſibi ſuperfuiſſe metuendam puritatis ſuæ denigrationem in hominum opinione: Nihilominus, cum ventre, & interioribus vniuerſis intremuit, immiſſa manu omnipotentiæ Dei per foramẽ intellectus ſui; ſicue perſuaſa eſt, per omnipotentiam Dei omnem tolli poſſe difficultatẽ, vt explicatum eſt primo ſenſu expoſit. quartæ verſus præcedentis, mente primum ſurrexiſſe ſe, ait, vt dilecto ſuo aperiret, ſuumque vt daret cõſenſum: ac iuxta tertium litteræ ſenſum, manus ſuas diſtillaſſe *myrrham*, & digitos ſuos *myrrham primã ſuper manubria peſſuli*: mẽte pariter ſtatuens, mortificationem omnẽ ſuſtinere, quæ peſſulo, atq; propoſito virginitatis, pudorique ſuo manebat apud homines, qui tanti haud conſcij forent myſterij: vt, quod dixit, *Manus meæ diſtillauerũt*, &c. tantundẽ ſit, ac ſi dicat ipſa: Mente cõtrectans ingentem meum pudicitiæ amorem, ſuper ipſum vt *ſuper peſſulum* me demorantem ab exhibẽdo conſenſum in Incarnatione filij Dei, *diſtillaui primam* mortificationis *myrrham*, complacens mihi in eo ipſo quod propter Deum mortificationi huic ſubiacerẽ in aliquorũ hominũ opinione, apud quos male mea audiet puritas: Addit autẽ, quomodo poſtmodum & re ipſa ſuum exhibuerit cõſenſum, adeo ab Angelo expetitum; ſicue aperuerit Verbo dilecto ſuo, vt carnem ſumens, ſuum intraret in vterum dicens: *Aperui dilecto meo*: Quia vero dilectus eo vſq; locutus fuerat per Angelum, quem & dilectũ pariter hucuſque appellauit, quatenus dilectum ipſum ſuũ repręſentaret, eo diſparente ad cõſenſus exhibitionẽ, ait: *At ille declinauerat, atque tranſierat.*

Maria eum præbuit conſenſum Incarnationi, ſubiacuit mortificationi prauæ opinionis aliquorum.

Maria præbente conſenſum Incarnationi Angelus diſparuit.

14 *Maria in Incarnationis momento inſtructa de obſtinatione Iudaici populi.*

Sed nedum antecedẽtibus, at & conſequentibus melius hæc ipſa connexa apparebunt, ſi, iuxta alium illum ſenſum præcedentium verborum, quem ſecũdo loco in quarta eorum expoſ. attulimus: iam ibi enarrato modo, quo in B. Virginis vtero ipſa factaeſt verbi Incarnatio, nunc ſubſequenter ſupponamus, eandem Virginẽ Glorioſam enarrare, quomodo inter alia, de quibus inſtructa diuinitus fuit, pertinẽtibus ad Chriſti perſonam, paſsiones, & gloriam, de ea edocta fuit Iudaici populi obſtinatione, qua Chriſtũ ipſum filium ſuum ſuſcepturus is minime eſſet.

Maria quã ſollicita pro

Oſtendit autem Virgo glorioſa, quantum in eo ipſo tempore, quo primum incarnatum eſt Verbum, pro conuerſione eiuſdem populi fuerit ſollicita, quãtaue erga illũ affecta extiterit charitate. Videtur autẽ locus iſte vim eandẽ habere, atq; ille, in quo Apoſtolus eadem flagrãs charitate, dixit: c *Veritatem dico in Chriſto, non mẽtior, teſtimoniũ mihi perhibente conſcientia mea in Spiritu ſancto, quoniã mihi triſtitia magna eſt, & cõtinuus dolor cordi meo. optabã enim ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundũ carnẽ*, &c. Explicatum eſt namque alias iuxta aliquorum Sanctorum Patrum ſententiam, ibi Paulum, cũ dixit, ſe optaſſe anathema eſſe à Chriſto profratribus, ſignificaſſe, eo proceſsiſſe charitatem erga Iudęos, vt prẽter magnã triſtitiam, continuumque dolorem, quo angebatur pro eorum obſtinatione, optarit mortem pro eorum ſalute ſubire, vt Chriſto pro illorum ſatisfaceret obſtinatione. Idipſum autẽ eſt, quod hic ait B. Maria; dicens quippe: *Surrexi*, &c Æque eſt, ac ſi dicat.

conuerſione Iudaici populi.

c Rom. 9. 1.

Incarnato in me Dei filio, agnitaque eodem temporis momento obſtinatione Iudaici populi, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem, ſurgens, ſedulaque exiſtens, vt etiam in eis aperirem Chriſto dilecto meo, illumue in eorum admitterem corda, obuiã illi proceſsi cum vaſe myrrhæ adeo redundanti, vt & manibus, & digitis diſtillaret myrrha prima: nulla enim extitit mortificatio, nullus dolor, nulliuſue paſsionis amaritudo, quam tunc nõ ſubijſſem; vt illi ſaluarentur, Chriſtumue in ſe admitterent: *Peſsulum* ſilentij mei *aperui dilecto meo*, largiſsimas illi fũdens pro eodem populo preces; *ſed is* decreto æterno *iam declinarat & tranſierat* ab eis.

Paraphraſis.

Vel, iuxta ſecundum litteræ ſenſum: *Manus meæ diſtillauerunt myrrham, & digiti mei myrrhã primã ſuper manubria peſſuli.* Pro Iudæorum obſtinatione, qua veluti peſſulo Chriſtũ ab eorum cordibus arcendum noui, omni ex tunc me expoſui amaritudini, paſsioni, & cruciatui. *Aperui* quidem in aliquibus eorum; dilectumque meum in eorum admiſi cor: attamen à populo vniuerſo *ille*, iuxta eius ſcelera, decreto *declinarat* æterno, & ab eo tranſire decreuerat ad gentes.

Secundus ſenſus.

Verſ. V. cap. V. *Surrexi, vt aperirem dilecto meo. Manus meæ ſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima.*

Verſ. VI. cap. V. *Peſſulum oſtij mei aperui dilecto meo, at ille declinauerat, atque tranſierat.*

Appendix Expoſitionum, Ex Antiquis Patribus collecta.

PAraphraſis Chaldaica: Cum prævaluit contra me plaga fortitudinis Domini, obſtupui propter opera mea: & ſacerdotes obtulerunt oblationes, & adoleuerunt incenſum aromatum; & non fuit acceptum cum beneplacito; quoniam Dominator ſæculi clauſit portas potentiæ in conſpectu meo. 15

Dixit Chriſtus Iſrael: volui quærere doctrinam à facie Domini, ipſe autem abſtulit maieſtatem ſuam de medio mei.

Quatuor ſũt iſtius ſententiæ partes. Prima, *Surrexi, vt aperirem dilecto meo.* Secunda, *Manus meæ ſtillauerunt.* Tertia, *Peſſulum oſtij mei aperui dilecto meo.* Et quarta, *At ille declinauerat, atque tranſierat.*

Et quidem communiori veterum Patrum conſenſu tota ſententia Eccleſiæ tribuitur, vel etiam animę ſurgenti ad procurandam proximorum ſalutem: Vnde Caſsiodorus, Bene, ait, primo dicitur, *ſurrexi*: deinde, *vt aperirem dilecto meo*: Qui enim prædicando, aliorum corda vult Deo aperire, prius debet ad ſtudium bonorum operum erigi, & opere implere, quod prædicat, ſicut de Domino dicitur: a *Quæ cœpit Ieſus facere, & docere.*

Prædicator debet prius facere, quã docere. Caſsiodor.

a Act. 1. 1.

Et Gre-

Greg. Pap.

Et Gregor. Papa: Surrexit; quia tacta, id est maioris amoris flamma succesa: qui enim perfecte amat, surgit, vt proximo benefaciat. Hisce consentiunt Philo Carpathius, Beda, Anselmus, atque Richardus de S. Victore.

Phil. Carp. Beda. Anselm. Richard.

Ad maiorem animę progressum eamdem primam partem referunt Ambrosius, Psellus, Tres Patres, & Richardus: Vnde Ambrosius lib. de Isaac, & anima ca. 6. Postquam, ait, in vtero concepit anima, & concepit desiderium videndi Deum, surrexit, vt propius eũ videret. Surrexit autem per vigorem, atque virtutem: præsentia enim Verbi hausit anima virtutem, sicut præsentia Mariæ, cum vtero grauis esset, erudit Ioannem in vtero constitutum, vt *b* exultaret, præsentiam Domini recognoscens.

Profectus animæ est ex Dei præsentia. Ambrosius. Psellus. Tres Patres. Richard. b Luc. 1 41

Et Psellus: Surrexi ad laboriosum, & magis diuinum ordinem, vt quem antea capere non potueram, laboribus multis latiorem cogitationis portam patefaciens, sponsum comprehenderem.

Psellus. In contemplationis studio laborandum. Richard.

Richardus vero, Surgit, inquit, vt dilecto aperiat anima: quia accepta gratia amplius accenditur ad hãc percipiendam, ad amandum feruentius, & ad magis insistendum operibus charitatis.

Gregorius Nyssen. hom. 11. surrexisse inquit piam animam ad studium mortificationis, vt per illud aperiret Deo.

Greg. Nyss. Mortificationis studio Deo aperimus.

Secundam partẽ, *Manus meæ distillauerunt myrrhã, & digiti mei pleni myrrha probatissima*; singulariter in cõcilio II. Hispalensi, quod habetur in tertio tomo Conciliorum cap. 13. Patres tribuisse reperiuntur Christo: sic enim dicunt: Salomon in Canticis Canticorum passionem carnis Christi prędicans, ait: *Manus meæ distillauerunt myrrham, & digiti mei guttam*, vbi specialiter ostenditur, in manibus, ac digitis solam carnẽ Christi in stipite infixam, sicut in Ps. 118. *Confige clauis timoris tui carnes meas.*

16 Concilium Hispalense. Crucifixa sola caro Christi. Psalm. 118. 120.

Communi tamen aliorum Patrum consensu haud sponso, sed sponsæ tribuuntur. Et quidem conueniũt fere omnes, vt hic de studio agatur mortificationis designato per myrrham: in hoc ipso tamen est maxima inter Patres expositionum diuersitas. Communior, quæ est Cassiodori, Gregorii Papæ, Bedę, Anselmi, Ruperti Abbatis, & Richardi de S. Victore, *Manus* Ecclesiæ distillare dicuntur *Myrrham*, cũ illius Prædicatores se dant studio continentiæ, & mortificationis: vel, cum morti se exponunt pro Christo: id quod ait & Iustus Orgelitanus. Digitos vero stillare *myrrham probatissimam*, cum per discretionem discernunt, an sancta, rectaque intentione eidem indulgeant studio.

Prædicatores dare se debẽt studio continentiæ, & mortificationis, idque cũ recta intentione. Cassiod. Greg. Papa. Beda. Anselm. Rup. Abb. Richard. Iust. Orgel. Mortificatio qualis esse debeat.

Addit Gregorius Papa: Sicut in vna manu plures sunt digiti: sic in vna conuersatione per discretionem diuersæ sunt virtutes. *Digiti* autẽ *pleni myrrha probatissima* semper esse debent: quia mortificatio carnis in omnibus tenenda. In hoc autem vltimo conuenit Gregorius cum Theodorito.

Greg. Pap. Theodor.

Et Richard. *Digiti*, ait, sponsæ *pleni* sunt *myrrha probatissima*, cum, omni custodia seruãs illa cor suum, innumeras cogitationes, & motus cordis discutit, & noxia repellens, vtilia recipit.

Richard.

Notat Philo non tam dicta Prædicatorum debere stillare myrrham, quam manus, & facta.

Phlio Carp.

Ad mortificationem voluntariam referunt eadem Gregorius Nyssenus, & Ambrosius. Nyssenus enim hom. 12. ait, Necando membra terrena, & carnis cortinam auferendo, ostium Deo aperitur. *Surrexi*: cur? quia *manus*, id est, motus animi actionum effectores, *stillauerunt*, non sunt factæ stillare, vltro ex sese prõferunt voluntariam corporearum affectionum extinctionem. Sic *surrexi* ex eo, quod membrorum mortificationem sponte instituit: Non ab alio myrrha mihi in manus data, sed defluente illa ex animo; ita vt in omnibus prorsus animi motibus, qui digiti vocãtur, hæc animi affectio conspiciatur; non vnum, vel alterum digitũ, sed omnes digitos: quia vt inueniatur Dominus, omnes animi motus indistincte cõprimendi sũt.

Greg. Nyss. Mortificatio voluntaria esse debet. Animi motus omnes comprimẽdi.

A Pulchre ergo sponsa manus suas myrrhę plenas ostẽdit; cum vitijs omnibus mortua surgat, vt sponso aditum patefaciat: myrrha enim symbolum est mortis.

Quibus haud dissona sunt, quæ ait Ambrosius li. de Isaac ca. 6. Talis debet esse anima, quę verbum est receptura, vt moriatur mundo & consepeliatur Christo: Sic enim Christus inuenitur, & tale sibi quęrit hospitium. Deinde ipsa ministeria operationum, id est, manus, & digiti, quibus comprehenditur Christus, mortificantur: quos digitos velut eminentia factorũ nostrorum opera possumus æstimare.

Ambros. Inuenit Christum animæ, quæ moritur mũdo, seque mortificat.

Aponius referens hæc ad contritionem, & confessionem: *Manus*, ait, id est, opera animæ, *stillauerũt myrrham* per amaros gemitus cumpũctionis, & mortificationis peccati, de qua *digiti* confessionis culpę procedunt, qui *pleni* sunt *probatissima myrrha* lacrymarum.

B

17 Contritio causat confessionem peccatorum.

Tres Patres exponentes versionem Sept. secundum quam stillatio myrrhæ dicitur facta super manubria pessuli: Excitata per cõtemplationem, *vt aperirem dilecto meo; manus meæ*, ait pia anima, id est, potẽtiæ actiuæ, mens, & ratio, per electionem fuderũt sermones, & mores mortificantes carnalem sensum. *Digiti mei myrrham plenam in manus pessuli*, pas siuæ nimirũ potentię, id est sensus, concupiscentia, & iracundia, quæ menti, & rationi, vt manibus digiti cooperantur, per cognitionem, & virtutem, propriam mortificationem, & probatissimam distillauerunt in opera affectionum, quæ instar pessuli aditum Deo occludunt.

Tres Patres. Contemplationis fructus mortificatio in potentiis singulis.

C

Ambrosius libr. 3. de Virginibus accipiens fidem designatam per myrrham. Quam, inquit, *myrrham* distillant *manus*, nisi illam, quam obtulit iustus Nicodemus magister in Israel, qui meruit lauacri prius audire *e* mysterium, qui *d* attulit misturam myrrhæ, & aloes quasi libras centum, & misit in corpus Iesu? perfectum vtique odorem attulit. Hunc odorẽ fragrat anima, quæ Christo aperire incipit, vt accipiat primum odorẽ dominicæ sepulturæ, & credat, quia caro eius non vidit corruptionem.

Ambros. Fidei odorẽ accipit anima, quæ Christo cœperit aperire e Ioan. 3. 3. d Io. 19. 19

Denique Philo Carpathius S. Thom. Apostolo hæc tribuens, Tunc (inquit) *manus* illius *stillauerũt myrrhã*, *&c.* cum ad illud Domini præceptum; e *Mitte manum tuam in latus meum*, *&c.* latus Iesu manibus suis contrectauit, in clauorum loca digitos immisit. *Distillauerunt* autem *myrrham* gentibus, quando & ipsis prædicauit, quod ad aliorum vtilitatẽ dubitando palpauit. Clauserat ante cordis ostium resurgẽti Domino fratri suo, aperuit mox, & manus eius palparunt Christum ipsum, qui dixerat: f *Dicite fratribus meis*, *&c.*

D

Philo Carp. Thomæ Apostoli manus palpantes latus Christi stillauerunt myrrham. e Io. 20. 27. f Matt. 28. 10.

Tertiam partem, *Pessulum ostij mei aperui dilecto meo*, communiori sensu exponunt Cassiodorus, Gregor. Papa, Philo Carpathius, Beda, & alij de renũtiatione voluptatum sæculi, quibus tamquam pessulo claudi tur cor nostrum Deo.

E

18 Voluptatibus sæculi renuntiandum, & Christo aperiemus cor. Cassiod. Greg. Pap. Philo Carp. Beda.

Anselmus de amotione pessuli ignorãtiæ, & cæcitatis, quam amotionem Prędicatores in auditoribus fieri satagunt.

Anselm. Rup. Abb. Prædicatio fieri debet post studũ mortificationis, & discretionis.

Rupertus vero Abbas pessulo clausuram silentij designatam sumit, ac si dicatur à B. Virg. Rupi silentium, aperui os meum, vt erudirem alios. Notatque præclare Rupertus, prius manus stillare mortificationem, deinde digitos esse plenos discretione, & tertio os aperiri, id est, prædicari.

Richard. Victor.

Richard. de S. Vict. de rescisione paruarum negligentiarum, quæ sunt in vita spirituali hæc intelligit: Sera enim, ait, cum paruasit, & angusta, latitudinẽ tamen ostij concludit, vt, nisi illa reserata, patere non possit. Ita hęc minima nisi rescindantur, non dignatur dilectus ita venire ad animam, vt perfecte ad eam intret, & perfecta gratia eam repleat; paruæ enim negligentiæ obscurant animam, & impedimentum faciunt amplioris gratiæ.

F

Greg. tamẽ Nyss. singulari ratione hæc ita legens: *Adhibitis manibus clausiro, aperui quidẽ fraterno meo, at præterijt, &c.* ipsorum sensum hunc esse ait: Posteaquã per mortẽ vitiorũ surrexi, posteaquã myrrha repleta sum,

Greg Nyss. Fides, & opera sunt clauis ad aperiendum cor nostrum.

adhibui manus,id est opera claustro fidei,vt per hæc duo,opera scilicet,atque fidem aperirem ostiũ Regni,sperans, faciem desiderati sic mihi manifestandã, vt eam agnoscere possem.

19 *Incomprehensibilitas Dei magis agnoscitur, cum magis illum comprehendere satagimus. Cassiod. Beda. Eccl.7.24. Psal.63.8.*

Quarta deniq; pars, *At ille declinauerat, atque transierat*, communiori sensu ad id refertur, quod frequẽtius euenire solet,tametsi diuersimode id à Patribus explicetur. Siquidẽ Cassiod.& Beda id inquiũt esse, quod plerũque cũ spiritualia quæque tractare volumus, quãto subtilius intẽdimus,tãto acies cordis reuerberatur,iuxta illud Salomonis: *Dixi,Sapiẽs efficiar, & ipsa longius recessit à me*: & illud Psal. *Accedet homo ad cor altum,& exaltabitur Deus.* Quanto enim quisque ad contemplationem diuinam maioris cordis contemplatione extollitur,tanto altius,quod quærebat esse inuenit : tantoque magis incomprehensibilitatẽ Dei dignoscit,de qua incomprehensibilitate hæc intelligunt, & Nyssen.& Psellus.

Greg.Nyss. Psellus. Greg.Pap. Deus cur aliquando abscondat se à pia anima. Richard.

Greg.Papa,transire,&declinare tunc,inquit Deũ, quando anima magis laborat,vt ipsum apprehendat, ne superbiat de eius apprehensione.

Explicat hæc ipsa melius Richardus,dicens: Cum anima se digniorem Dei susceptione exhibuerit,non illi se præbet,sicut desiderat , sed ab ea declinat,vt in humilitate eã conseruet, & desiderium eius amplius excitet,ac perfectius impleat. Cum enim ex ipsius declinatione humiliata fuerit,& magis feruens,ex hoc & meritum eius crescit,&plenius eũ susc ipere digna fit. Tunc autem declinare is dicitur,quando præsentiam suam sentire non dat , cum tamen ei præsens sit.

Eadem ratione declinare,& discedere Deũ ab anima,quę cũ mundo luctatur,aut ærumnis conficitur, vt probet illius charitatem,fidem,ac robur,inquiunt Philo Carpat. & Iustus Orgelitan.

Philo Carp. Iust. Orgel. De ascensione Christi. Philo Carp. Rup. Abb. Ambros. Transit Deus penetrans piæ animæ intima.

Ad Ascensionem Christi in cælum, qua præsentia corporis declinauit, & transiuit ab Ecclesia,referunt hoc Philo Carpath.& Rupertus Abbas.

Ambrosius tamen singulari ratione hanc Dei declinationem , & transitum ipsam eiusdem Dei penetrationem in anima factam intelligit: Vnde serm.12. in Psal. 18.vers.1.ait: Potest quidem& sic accipi, *frater meus trãsiuit*, sicut legimus quod penetrauit dilectę intima medullarum. Et quemadmodum ad Mariã dictum est: g *Et tuã ipsius animã pertransibit gladius, vt reuelentur multorum cordium cogitationes.*

g Luc.2.35

Anselm. Deus prædicatores antecedit in conuersione animarum.

Ad quem Ambrosij sensum alluſit forte Anselm. dum ita hæc reddit,vt Ecclesia in suis Prędicatoribus dicat: Licet ego aperuissem audientium corda;tamen antequam ego aperirem, Sponsus seipsum eis manifestauerat : in quo se monstrat Deus diligentiorem, quam sint homines etiam diligentissimi.

Ex Vers.VI. c.V. *Anima mea liquefacta est, vt dilectus meus locutus est. Quæsiui,& non inueni illũ: vocaui,& non respondit mihi.*

Expositio I.

Iuxta sonum litteræ.

20 HAud dubium,quin & in his sponsa suam adhuc, quam cœperat,prosequatur narrationem: Illud potius verti in his ipsis potest in dubium quibusnam cũ verbis prima huius sentẽtiæ iungenda sit pars,qua dicitur: *Anima mea liquefacta est, vt dilectus meus locutus est*: cum immediate præcedentibus ijs : *Pessulũ aperui*, &c. An cũ immediate subsequentibus: *Quæsiui*, &c. Cum vtrisque enim vno eodemque versu continetur, atque adeo & cum vtrisque connecti,& duplicẽ pariter habere potest sensum, vtrumque satis commodum.

Certe,vt ad præcedentia referrẽtur,videbatur potius ab sponsa dici debuisse: *Anima mea liquefacta est , vt aduerti dilectũ meum declinasse,atque transisse*: id si quidem immediate significatum ab ea fuerat,ideoque addita hæc videntur , vt per ea ingens exprimeretur dolor, qui ex tali secutus est sponsi discessu. Neque enim vllatenus meo sedet animo,quod ab aliquibus Hebræorum asseritur, consentientibus nonnullis etiam ex nostris , Sponsam per hæc significare non tam hunc, qui ex discessu , quam qui ex verbis eiusdem sponsi secutus est, mœrorem . Aiunt quippe,ob id maxime sponsæ animam liquefactam;quia eius dilectus declinans,talia,ac similia protulerat verba: Non ingrediar domum tuã ; quia ab initio aperire noluisti. Enimuero si sponsa ob istiusmodi verba adeo se commotam significare intendisset,nullatenus in tam exacta enarratione verba illa prætermittere debuisset;quin ea referre congruebat potius,quam ipsam dilecti declinationem,prout effectũ ab ipsomet Salomone videmus in libro Prouerbiorum , vbi similia narrans,quæ contingere solent inter sapientem , ac paruulum haud admittentẽ sapientiæ consilia , istiusmodi refert verba: a *Quia vocaui ,& renuistis,extendi manũ mea,& nõ fuit, qui aspiceret*,&c. *Ego quoque*,&c. *Tunc inuocabũt me,& non exaudiam: mane consurgent,& non inuenient me*, &c.

a Prou. 1. 24.

Quod ergo hic dicitur: *Vt dilectus meus locutus est*: referendum est ad superiora,vbi sponsa dilectum ipsum suum pulsantem eius fores , atque hisce se affantem proposuit: *Aperi mihi soror mea*,&c. prout communiori Expositorum sententia refertur: At non in eo sensu, quo ea accipit Soto Maior,iungens quidem hæc cum præcedẽtibus: *Aperui dilecto meo, at ille declinauerat*, &c. quasi ab sponsa dicta hæc sint in sui excusationem,& vt per ea tacitæ cuidam satisfaceret obiurgationi,quæ sibi fieri potuisset ob id,quod iam retulisset,sponsum declinasse,cum ipsa demum aperuisset; merito nimirum illũ declinasse , ac noluisse ad eam ingredi;quandoquidem ipsa tam segnis fuisset: ac si dixerit : Cum aperui,ille declinauit. Quod autem ei haud illico aperuerim,id fuit in causa,quod,vt primum prænarratas eius accepi voces adeo benignitatis, charitatisue plenas,*anima mea* præ vehementissimo amoris æstu *liquefacta est*:seu iuxta Originalia,*egressa est*,ita vt haud iam mei compos,quid facerem ignorarim. Verum in præexposito sensu,quo ingens in his significatur dolor,ob quem sponsæ anima ex ipso dilecti sui discessu contabuit , pulcherrimeque,& summa cum energia is ipse exprimitur amoris languor, quẽ apertis verbis postmodum ipsamet significabit sponsa, cũ dicet. *Nuntiate dilecto meo,quia amore langueo*: hunc enim amoris languorem,animique deliquium ex dilecti abscessu, atque absentia causatum, per animæ liquefactionem designatum, clarius exprimunt Hebr. & versiones Septuag.ac Symmach.secundũ quas sponsa ait: *Anima mea egressa est*. Porro per apposiopesim hæc dicta sumenda sunt iuxta hunc primum sensum , quem verum, & germanum arbitror,si hæc cum præcedentibus sint iungenda: Ac si sponsa postquam dixit, *At ille declinauerat , atque transierat*,subinferat.

Primus sensus.

Liquefactio est languor charitatis.

Symmach.

Anima certe *mea liquefacta* tunc *est*,*cum* primum *ille*, fores pulsans,allocutus me est: Quas igitur, quãdo ille,me aperiente,abscesit,pertulerim& amoris,&doloris turbas, vobis arguendum relinquo. Nititur sensus iste in ea amoris proprietate , secundum quam tunc magis ille sentitur, cum absens id sit,quod amatur,iuxta doctrinam S.Thomæ 1.2.quæst.29.art.3.in corp.confirmatam ijs Augustini verbis,quibus propefinem lib.10.de Trinitate,ait: Amor haud ita sentitur, cum eum non prodit indigentia. Vide Ambrosium serm.11.in Psalmum 118.vers.1. egregie de his differentem.

Paraphrasis.

Amor sentitur magis cum amatũ est absens.

S.Thom. Augustin.

Ambros.

Congruentius tamen,iudicio meo,hęc ipsa, *Anima mea liquefacta est,vt dilectus meus locutus est*, ad subsequẽtia ea referũtur: *Quæsiui,& non inueni illũ,vocaui*,&c.vt quẽadmodum supra in vers.4.& 5.sponsa significarat internos primum in se insurrexisse præcordiorũ motus super dilectũ tangentem ostij sui vectes,tũ propterea& externo quoque corporis motu se surrexisse, vt eidem

21 Secundus sensus.

vt eidē aperiret: Pati ratione & nunc explicet, ſe extra domum egreſſam ad illum quærendum nedum greſsibus, ſed & vocibus; cum interno animi effectu ad illum fores ſuas pulſantem egreſſa prius eſſet iam ex tunc, cum beneuolentiæ, & amoris plena locutus eſt verba illa: *Aperi mihi ſoror mea, &cet.* Quem ſenſum apertius quidem exprimunt Originalia Heb. & Græca, dum legunt: *Anima mea egreſſa eſt, ipſo loquēte*, ſeu vt habent Septuag. *in verbis eius.* Sed & admodū apte expreſsit lectio noſtra Vulgatæ, dictum animæ egreſſū altera deſignans metaphora liquefactionis item animę, alludens ad modum, quo vel cera, vel metalla defluunt, & decurrunt liquefacta per ignē, tametſi immobilia ex ſe ſint, & dura; vt per alluſionem iſtam ſponſa ſignificet, benigniſsima illa ſpōſi verba inſtar ardentis ignis ſibi extitiſſe, atq; adeo per ea liquefactam eſſe animam ſuam, ita vt propterea inſtar liquefactæ ceræ, liquefactiue metalli concurrerit ad ipſum quærendum, ſimulq; ſuas excuſet moras, quibus duram ſe exhibuiſſe viſa eſt in aperiendis foribus dilecto. Indicat enim, haud vllatenus duritiei id adſcribendum eſſe, cum ad primas eiuſdem dilecti voces anima ſua liquefacta ſit: Ac ſi dicat.

Paraphraſis. Cum eximiū illū *dilectus meus* mihi exhibuit amoris in me ſui ignem, benigniſsimis me alloquens vocibus, compellanſque ſororem, amicam, proximamq;, columbam, & immaculatam ipſius, *liquefacta* in me *eſt anima mea*, atq; inſtar liquefacti metalli ex me defluens, egreſſa ad ipſum eſt; ideoque & corpore è domo me proripiens, quæſiui illum, tametſi haud eū inuenerim; nec vllum ab ipſo acceperim reſponſum, licet elatis eū vocarim vocibus: quia *egreſſa* ex me *anima mea*, haudquaquam mei eſſem compos, ſed tamquā incenſa cera, incēſaque metalla eo decurrerem, quo impetus me propellebat amoris, atque doloris.

Liquefactio idem eſt quod ecſtaſis

Ecſtaſis quid S. Thomas. Sic iuxta hunc ſenſum ſub metaphora liquefactionis animę ille ſignificatur amoris effectus, quē Theologi appellant ecſtaſim, de quo S. Thomas q. 28. art. 3. ecſtaſim pati aliquem tunc dicit, cūm is extra ſe ponitur, cumque extra ſe egreſſus quærit amico frui.

Tertius ſenſus. *Liquefactio eſt exhibitio amantis ad amatum. Simile.* Sed cum ſecundum eumdem S. Thomam eadem quæſt. 28. art. 5. ad argumenta in contrarium, ipſa liquefactionis metaphora pro diſtincto alio amoris vſurpetur effectu, ſecundum quem amans ab amore ipſo redditur mollis, & aptus ad ſubintrationē amati in ipſum, æque ac cera liquefacta mollis, aptaq; redditur ad recipiendas formas imprimendas: idcirco & tertium addere poſſumus ſenſum propriū, & admodum lectioni noſtrę congruentem; vt tota hac ſentētia ſponſa intendat ſuum ſignificare ſtudium, quo dilectum iuxta amantium mores tūc declinantē quæſiuit ſedulo voce, & greſsibus, ſimulq; cauſam à ſe remouere, cur ipſum nec inuenerit, nec quicquam ab eo habuerit reſpōſi: Hæc enim præmittēs: *Anima mea liquefacta eſt, vt Dilectus meus locutus eſt;* Æque eſt, ac ſi dicat.

Paraphraſis: Cum primum dilectum meum loquentē percepi, *anima mea* inſtar cerę *liquefacta eſt*, optās vt is ad me ingrederetur: declinauit ille, quando ei aperui: quā ob cauſam ignoro. Adhibui ſtudiū vt ipſum inuenirem; *quæſiui, & vocaui illum*, nō tamen *inueni, nec reſpōdit mihi.*

Ex Verſ. VI. cap. V. *Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus meus locutus eſt. Quæſiui, & non inueni illū: vocaui, & non reſpondit mihi.*

Expositio II.

De prima Sponſa, quæ eſt Eccleſia Sancta.

22 Primus ſenſus. DIcuntur hæc ab Eccleſia iuxta primum ſenſum exponente, qualiter & in antiquo populo ſe habuerit, & in fidelibus Chriſti, vtri que ſuum à ſe excludentibus dilectum Deum vel per idololatriam, vel per varia peccatorum ſcelera. Videre enim eſt in antiquis Prophetis Iſaia, Ieremia, Ezechiele, & alijs, quanto cum dolore vocata ad conuerſionem rebellium Iudæorum ob Dei offenſas contabuerit: ſed ex Daniele colligi poteſt, quantum & amore, & dolore commota ſit magis, cū relicto eodē populo in Babylonica captiuitate, declinaſſe ille vi us eſt ab eo. Quis vero eſt, qui ignoret, quomodo qui ſanctiores ſunt eccleſiæ Prædicatores cū internis vocibus à Deo excitātur ad conuertēdos peccatores, & dolore intrinſecus commoueātur ob perceptas Dei offenſas, & amore liqueſcant, & langueant in eum Deum, qui tam benigne illorum nedum expectat, ſed & procurat ſalutem. Quorum certe & amoris, & doloris motuum vix exprimi poteſt exceſſus, quando prædicationis opus aggreſsi obſtinatione obduratos illos reperiunt ita, vt Deus ipſe declinaſſe videatur ex eis. Exceſſum ſane iſtum exprimere nititur Paulus, cum ait: a *Veritatē dico in Chriſto, nō mentior, teſtimoniū mihi perhibente conſcīētia mea in Spiritu ſancto; quoniā triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo: Optabam enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.*

Prædicatores Sancti quam doleāt de Dei offenſis, deque audientium duritia.

a *Rom. 9. 1.*

Verba Chriſti ſtuporem & ecſtaſim cauſabant. Quod ſi tantæ ſuauitatis erant Chriſti verba, cum ille prędicaret adhuc mortalis, vt nedum diſcipulos in ſtuporem inducerent, ita vt in Euangelio Marci legamus: b *Et diſcipuli obſtupuerunt in verbis eius:* & Petrus ex perſona omnium diſcipulorū quaſi immmobilis per ea redditus dixerit: c *Domine, ad quē ibimus? verba vitæ æternæ habes:* ſed & omniū, vel etiam infideliū Iudæorum corda abſtraherent in admirationem, ita vt quaſi extra ſe rapti, in loquentem Chriſtum ipſum ij defixos tenerēt oculos, teſte B. Luca, qui ait: d *Et omnis in Synagoga oculi erāt intendentes in eū, & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebāt de ore ipſius.* Quāto magis verba eiuſdem iam immortalis, atque per reſurrectionem glorioſi, verba pollicentia Spiritum ſanctū, & verba illius poſtrema Sāctos Apoſtolos, mulieres illas ſanctas cum Glorioſiſsima Virgine, qui toti ab ipſo pēdebāt, eiuſque languebant dilectione, in ecſtaſim cōmouiſſe, credendum eſt, ita vt & in illorum perſona nunc dicat Eccleſia: *Anima mea liquefacta eſt*, extra ſe rapta in ſtuporē, & ecſtaſim tūc eſt, *vt* Chriſtus *dilectus meus locutus eſt* verba: e *Accipietis virtutē ſuperuenientis Spiritus ſancti in vos, &c.* Non explicat autem, quod magis explicare deberet, quam liquefacta poſtmodū ſit, quando, poſtquam nubes ſuſcepit illum ab oculis eorum, quæſierunt, vocauerūntque eum, nec inuenerunt: Quod tamen ſubindicatū habemus in hiſtoria f Actuum Apoſtolorum, ex qua colligēre licet, vniuerſum chorū illum remanſiſſe obſtupefactum, mœrentem, & ita extra ſe, vt immobiles perſtiterint, opuſque fuerit, vt ab apparentibus Angelis ſuſcitarentur. Sic enim ibi dicitur: *Et nubes ſuſcepit eū ab oculis eorum. Cumque intuerentur in cælū, &c. Ecce duo viri adſtiterunt iuxta illos in veſtibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid admiramini aſpicientes in cælum, &c.*

b *Marc. 10. 24.*

c *Io. 6. 68.*

d *Luc. 4. 20 & 22.*

e *Act. 1. 18 Aſcendente Chriſto in cælum, Apoſtoli quomodo remanſerint.*

f *Act. 1. 9.*

Iuxta ſecundū litterę ſenſum non incōgrue hęc ipſa gentium Eccleſię tribuuntur. Quis enim abnuat, Gentes, cum idola colerent, de quibus per Prophetā dicitur: g *Simulacra gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum*, inſtar duriſsimorum metallorum ſe habuiſſe, prout per eundē Prophetam imprecatū illis nouimus ijs verbis: h *Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.* Porro, quæ hac ratione in idolorum cultu obduratæ erant, cum per Verbi Incarnationē Dominus locutus eſt, vt primum Verbum caro factum eſt, & cæli enarrauerunt gloriam eius per ſtellam, quę tribus apparuit Magis earundem Gentium primitijs, inſtar liqueſcentium metallorum in ijſdem Magis ad Chriſtū humanæ naturæ dilectum confluxere, prout multo ante per Iſaiam Prophetam fuerat prænuntiatū, vbi dicebat; i *Et erit in nouiſsimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montiū, & exaltabitur ſuper colles, & fluent* (en metalla liquefacta) *ad eū omnes gentes.* Affertque cauſam iſtius liquefactionis, & fluxus idem Propheta iſtā ipſam, quę ſic aſſeritur, quia *dilectus locutus eſt*, dicēs: k *Quia de Siō exibit Lex, & Verbū Domini de Ieruſalē:*

23 Secundus ſenſus. *Idololatræ inſtar duriſſimorum erant metallorum.*

g *Pſal. 113. 12.*

h *& 16.*

In tribus magis eccleſia gentium inſtar metalli liquefacti confluxit ad Chriſtum.

i *Iſa. 2. 2.*

Magi cur quæſierint Chriſtum in Ieruſalem.

k *Iſa. 2. 3.*

hancque

hancque ipſe crediderim, aſsignari poſſe rationem, cur Eccleſia nunc dicat: *Quæſiui illum, & nõ inueni*: quia nimirum cum in tribus Magis Gentium primitijs ob prędictam prophetiam exiſtimaſſet, Verbum Domini egreſſurum de Ieruſalem, ſicque carne indutum, fuiſſe exortum Regem Iudęorum in Ciuitate ipſa Ieruſalem, iam effectum dilectũ ipſius, illum quæſiuit, nec tamen ibi inuenire eum potuit, vt habes in Euãgelio Matthæi.

Ex Verſ. VI. cap. V. *Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus meus locutus eſt. Quæſiui, & non inueni illũ: vocaui, & non reſpondit mihi.*

Expositio III.

De ſecunda ſponſa, quæ eſt Anima Iuſti.

24 Secundus ſenſus. *Qua contritione pia anima conuerſa ſit à peccatis.*

EXplicat in his pia anima, quomodo iam ex tunc, cum exiſtens peccatis obdurata inſtar metallorum ante conuerſionem, internis à Deo vocata fuit inſpirationibus; atque inſtar eorundem metallorum ignis calore liquescentium, liquefacta & ipſa ſit ob contritionem, charitatis æſtu ſuccenſa, egreſſaque è C priſtina peccatorum ſuorum duritie, ad Deum interno cordis affectu cõuerſa, Deum ipſum quæſierit dilectum ſuum, & opere, & precibus: Simulq; ſubindicat, quomodo Deus nec precibus reſponderit, nec in ſanctis ſe inueniri ſiuerit exercitijs, iuxta illud Iob:

Incipientes cur Deum quærentes, non inueniant illum.

a *Iob* 30. 20.

a *Clamo ad te, & nõ exaudis me: ſto, & nõ reſpicis me. Mutatus es mihi in crudelẽ, & in duritia manus tuæ aduerſaris mihi*: prout per ſapientem prænuntiatũ eſt verbis ijs:

b *Sap.* 2. 1.

b *Fili accedens ad ſeruitutẽ Dei ſta in iuſtitia, & in timore, & præpara animã tuã ad tentationem*: & quam ob cauſa illum non inuenerit, nimirum, quia haud ſapienter eũ quæſiuit, dum eum in guſtu quæſiuit ſenſibili, tãetſi ſpirituali, inſtar liqueſcentis metalli eo decurren- D tis, quo fuerit inclinatum, decurrens & ipſa etiam, in Deo quærendo, quo à proprio inclinatur amore.

Simile.

Verbi Dei quam ingẽs ſit vis.

Ex hoc loco licet colligere, quam magna ſit verbi Dei potentia, ſiue illius, quod extrinſecus aure percipimus, ſiue illius, quod interna fit inſpiratione. Enimuero tametſi ob ingens illius robur ignitum dictum ipſum nouerimus per Prophetam; multo tamen eſt quolibet igne validius, vt patet in liquefactione metallorum, quæ quãuis duriſsima, liqueſcunt certe ad ignem, at operę pretium eſt, vt igni diutius adhęreãt; quo liquefiant: cũ è veſtigio anima, quæ quolibet ęre eſt durior ob obſtinationem, vt primum huius Verbi E perceperit vim, liquefactã ſe dicat: *Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus locutus eſt*. Porro iſta ſubita liquefactio, quę vi Verbi Dei fit in anima per auditũ, admodum diuerſa ab illa eſt liquefactione, quæ eidem animæ cõtingit per viſum in amore profano. Licet enim & illa ſubito facta ſit, in malũ tamen ipſius animæ facta eſt; quin & in interitũ eiuſdem, vt plane intelligi poteſt per vulgata illa Poetæ verba: Vt vidi, vt perij: hæc tamen in bonum animæ eſt, atque in vitã, cũ per eam ad Chriſtum fluat, qui via eſt, & veritas, & vita.

25 *Liquefactio pia animæ non tam tribulationibus quam interna ſit Dei locutione.*

Notandum eſt autẽ, duo à ſponſo facta fuiſſe: pulſauerat namque fores, & locutus fuerat; attamen pro cauſa liquefactionis haud aſsignari pulſationem, ſed F locutionem. Siquidem tribulationes, quibus extrinſecus animę fores pulſantur à Deo, talem haud exhibent calorem charitatis, qui liquefacere illam queat, ni interna adſit eiuſdẽ Dei locutio ad cor, quæ vt ignea cor ipſum illico liquefaciat, præſertim cum internæ locutionis verba ſint amantis; cũ è contra pulſatio per tribulationes, frigidũ timorem potius cauſet,

Amoris proprium eſt, vt liquefaciat, & quomodo.

quam amorem, cuius eſt proprium, vt liquefaciat. Quid vero congruentius eſt, quã amori tribuere hãc liquefactionem, qua id, quod alioquin durũ eſt, redditur fluens: cum exploratum ſit, eos eſſe præcipuos amoris effectus, vt amantem impellat ad amatum, eundemque cum illo vniat: Quæ certe vnio tunc fit egregius, cũ amor ipſe ſit mutuus, atque adeo & ambos amãtes ad alterutrum fluidos faciens. Nec ignoramus, dilectum piarum animarum Chriſtum Ieſum dixiſſe in Pſ. 21. c *Factum eſt cor meũ tanquã cera liqueſcens*. Vnde ſi liquefacta anima fluat ad Ieſũ, qui & liquefactus vt cera fluit ad ipſam animam, quid exinde cõſequitur, niſi perfecta vnio? quam expreſsit Apoſtolus, cum dixit: d *Qui adhæret Deo vnus Spiritus eſt.*

c *Pſ.* 21. 15.

d 1. *Cor.* 6. 17.

Deuotionis teneritudo duplex.

Bene quoque adijcit ſtatim anima, quę ſic liquefacta eſt: *Quæſiui illum*: Sunt enim plerique, qui quandã è diuinis verbis ſentiunt deuotionis teneritudinẽ, ita B vt liquefieri ad illud videantur: non tamen vere liqueſcunt, quod ex eo patet; quia non fluunt ad Deũ, dimiſſa peccati duritie: Sed quæ vere liquefacta eſt, ſurgit à peccato, fluit ad Deum, illique vnita non inueniſſe ſe ait eum: *Quæſiui eum & non inueni.*

Quomodo vero inueniret, quem extra ſe quærit, cum ipſum habeat ſibi vnitum?

Deus cum pia anima ludere quodammodo videtur, & quomodo.

Animaduertendum & id denique, quod frequentius cum pijs animabus obſeruare conſueuit Deus illarum dilectus, vt cum illis vnitus ſit arcto charitatis vinculo, ludere cum illis nihilominus videatur, modo illis ſeſe manifeſtans, modo vero occultans: quodue magis ex hoc loco percipitur, non quæſitus manifeſtum ſe illis exhibet; cum vero ab ijſdem quęritur ſeſe occultans, aufugere quodammodo ſe fingit ab eis: ad quam forſitan amatorium ludum alluſit Salomõ, cum in lib. Prou. increatam ſapientiam ita loquentem inducit: e *Cum eo erã cuncta cõponens, & delectabar per ſingulos dies ludens corã eo omni tempore, ludẽs in orbe terrarũ, & deliciæ meæ eſſe cum filijs hominũ.* Enimuero cũ Chriſtus Dominus, qui & diuina eſt ſapientia, pro delicijs habeat, vt à filjs hominum dilectus, per dilectionem ipſam illis vnitus ſit, amatorio quodammodo iſto, de quo nũc agimus, ludo, coram æterno Patre, cum ijſdem deliciatur: idq; vt maiores in illis exſuſcitet charitatis flammas, prout ex ſubſequentibus huius Cãtici ſententijs facile eſt intelligere.

e *Prou.* 8. 30.

Ex Verſ. VI. c. V. *Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus meus locutus eſt. Quæſiui, & non inueni illũ: vocaui, & non reſpondit mihi.*

Expositio IV.

De tertia Sponſa, quæ eſt B. V. Maria.

26 Tertius ſenſus. *Maria quã ardens ſtudium adhibuit ſaluti Iudæorum.*

IVxta tertium ſenſum indicat in his Virgo Glorioſa ingens, quod adhibuit ſtudium in procuranda ſalute populi ſui Iſrael doctrina, & precibus; remouetq; à ſe cauſam eorum reprobationis: Æque autẽ eſt, ac ſi dicat. *Aperni dilecto meo*, cum cõſenſum exhibui Angelo mihi nuntianti, Verbum à me incarnandum, à Patre accepturum ſedem Dauid, & regnaturũ in domo Iacob: intellexi ex tunc, illud ipſum ex diuino decreto ab eadem domo Iacob declinaſſe, tranſiſſeque ad Gentes: *Quæſiui* poſtmodum dilectum ipſum meũ in populo illo, non prætermittens quippiam, vt illũ in eo inuenirem, precibus inſtiti. Quod ſi illum *nõ inueni*, nec ab eo exaudita ſum; id haud mihi imputandum; cum vt primum is per Angelum locutus ea eſt verba: a *Ecce concipies, & paries filiũ, & vocabis nomen eius Ieſum: hic erit magnus, & filius Altiſsimi vocabitur, & dabit illi Dominus ſedẽ Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternũ*: inſtar cerę *liquefacta* ſit *anima mea*, mollem ſe exhibens, vt is, qui in domo Iacob in æternum regnaturus promittebatur, in me intraret, ſicut forma impreſſa in liquefactam ceram ingreditur.

a *Luc.* 1. 31.

Poſſemus & alia ratione perfectam Marię reſignationem ſub hac liquefactionis metaphora deſignatã ſumere ex ea Ariſtotelis doctrina, ſecundum quã id, *Ariſt.*

quod

quod liquefcit, nullo termino proprio clauditur. Quidni enim liquefactam dicam B. Virginis animã, quæ nihil habens propriæ volũtatis, dixit: *Ecce ancilla Domini: fiat*, non hoc, vel illud, fed generaliter, *fecundũ verbum tuum*: ac fi dixerit, Verbum tuum igne charitatis fuccenfum meam liquefecit animam: Verbum ipfum tuum fit eiufdem animæ terminus: Charitas ipfa tua me liquefacit: charitas item tua meam terminet voluntatem.

Ex Verf. VI. cap. V. *Anima mea liquefacta eft, vt dilectus meus locutus eft. Quæfiui, & non inueni illũ: vocaui, & non refpondit mihi.*

Appendix Expofitionum, Ex Antiquis Patribus collecta.

27 PAraphrafis Chaldaica. Et anima mea defiderauit vocem verborum eius: quæfiui maieftatem gloriæ eius, & non inueni: oraui coram eo, & ipfe obumbrauit cœlos nubibus, & non fufcepit orationem meam.

Liquefacta anima recedit à peccato. Diuiditur hæc fententia in duas partes. Primam: *Anima mea liquefacta eft, vt dilectus meus locutus eft*: feu, *Egreffa eft in fermone ipfius*, communiori fenfu Patres intelligunt de liquefactione, quæ fit ob receffum à peccato, quo anima veluti rigido obdurata erat frigore, tãetfi id diuerfimode explicent. Enimuero *Ambrofius* tũ in libro de Ifaac cap. 6. tum in libr. 3. de Virginibus legẽs: *Anima mea egreffa eft*: de egreffu à voluptatibus fæculi id explicat. Verbum Dei, ait, fecuta, exiuit de corpore, eleuãs fe de eius tabernaculo; &, bonus exitus, inquit in tertio de Virginibus, cum ad Dei Verbum anima de vitijs ad virtutes fefe transfert: cum denique, contemptis rebus terrenis, cœleftium amore liquefcit. Duo enim hæc fimul fieri, inquiũt Sancti Patres, amoris calefactionem, & receffum à peccatis. Id quod his verbis explicat Gregor. Papa homil. 25. in Euang. Mens hominis conditoris fui fpeciem non quærentis, male dura eft; quia in femetipfa remanet frigida: At fi ardere iam ex defiderio cœperit ad fequendum, quem diligit, liquefacta per ignem amoris currit, fit defiderio anxia, vilefcũt in fæculo, quæ placebant. Additque idem Gregorius expofit. in Cantic. ita per hanc liquefactionẽ diffolui duritiem cordis, vt anima ipfa per eam in lacrymas liquefiat. Quibus confentiunt, quæ dicũtur à Caffiodoro, & Beda, necnon & ab Aponio, qui refert hæc ad Iudaicũ populum inftar cerę liquefactum ob ignitas Dei minas ab omni frigore criminum.

Ambrofius. *Liquefactio tauſat ſimul amoris calorem & receſſum à peccatis. Greg. Pap.* *Caſſiodor. Beda. Aponius.*

Richard. Liquefactio facilia reddit animæ, quæ prius videbantur dura. Richardus quoque de Sancto Victore liquefactionem à duritie accipit; at admodũ diuerfa ratione: ait enim; Cum in mente loquitur Deus, emollefcunt fortia, & quæ prius dura videbantur propter terrena oblectamenta, cum liquefit anima, & ita calefit, mollefcunt, & delectabilia fiunt.

Hugo Vict Hugo de Sancto Victore annotat. in cap. 7. cœleftis hierarchiæ tomo primo: Anima non quæreret Deum, nifi liquefieret ad illum.

28 *Liquefit anima deficientibus viribus corporis ad cæleſtes conſolationes.* Ad deliquium animi, feu carnis, corporifue defectum circa res fublimes, atque diuinas referre hæc videtur Greg. Pap. & Philo Carpathius; hic quippe ait: Spõfa diu adhuc in corpore inclufa, fuftinere non valet fpõfum, quia a *corpus, quod corrũpitur, aggrauat animã.* Rapitur enim fæpe anima cœlefti amore incenfa, ad æterna illa gaudia contemplanda; fed diu illic effe nequit farcina corporis onufta. Sed clarius Gregorius libro quarto Moral. cap. 30. An non robore fuo feffam fe inuenerat quæ dicebat: *Anima mea liquefacta eft, &c.* quia nimirum mens dũ occultæ locutionis afpiratione tangitur in ftatu fuę fortitudinis infirmata, ipfo, quo abforbetur defiderio, liquatur; inde fe apud femetipfam feffam inuenit, vnde vltra fefe effe conſpicit fortitudinem, quam conſcendit: Hinc Propheta, cum vifionem Dei fe vidiffe diceret, adiungit: b *Elangui, & ægrotaui per dies plurimos.*

Philo. Carp. *a Sap. 9. 15* *Greg. Pap.* *b Dan. 8. 25.*

Rup. Abb. Animæ anima quomodo liquefacta ſit poſt Chriſti aſcenſionem. Singulariter Rupertus Abbas, quod dicitur: *Et dilectus meus locutus eſt*, interpretans de locutione Domini facta per Mariam ipfam, quæ hæc dicebat, hunc putat iftorum effe fenfum: Licet Chriftus abijffet in cœlum, tamen vt ego aperui os meum, & locuta fum de eo; tũc & dilectus meus locutus eft eo fenfu, quo Paulus ait: c *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus?* Et *liquefacta eſt anima mea*: flebã, & præ fingultibus erumpentibus non poteram verba contexere, verum fletus delectatio erat mihi. Quoties enim aliquid differebam, quod à fponfo factum effet in terris, toties anima mea liquefiebat, & erat fimul ignis amoris, & gladius doloris: & ficut gladius fluere facit de corpore fanguinem, & ignis adipem liquefacit; fic verba illa animam meam. Atque etiam quoties aperiebam mentem ad conſiderandum, quod dilectus meus difcefferat: anima illico liquefacta erat.

c 2. Cor. 13. 3.

Greg. Nyſſ. Progreſſus animæ eſt continuus in hac vita, cum à verbo tranſeunte trahatur. Gregorius Nyffenus homil. 12. legens; *Anima mea egreffa eſt ad verbũ eius*: refert præclare hęc ad pię animę progreffum, dicens: Præterijt dilectus, non tamen prorfus animam dereliquit, fed eam ad feipfum attraxit, verboq; attraxit. O fœlicem egreffum: d *Dominus cuſtodiat ingreſſum tuum, & egreſſum tuum*, ait Dauid. Egreffus eft ex eo, in quo fumus, ingreffus eft ad bona, quæ fupra nos funt pofita. Ad Verbũ egreditur: quia inquit fponfus: e *Ego ſum oſtiũ, ſi quis per me ingredietur, is & ingredietur, & egredietur*, ita vt numquam definat ingredi, & egredi, fed femper ingrediatur ad maiora, & egrediatur à minoribus. Probat hæc Nyffenus exemplo Moyfis, quod videri poteft apud ipfum.

d Pſ. 120. 8

e Ioã. 10. 9.

Tres Patres. Egreſſus ad imperfectiora eſt impedimentum, quo Deus ab anima non inueniatur. Catena trium Patrum eamdem fequens lectionem Sept. contrario modo accipere videtur iftum animæ egreffum, nẽpe ad imperfectiora; fic enim ait: Exiuit ex interna cogitatione ad externa, vt inueniat fponfum in fermone eius, id eft, quo eam allocuta eft, dicens: f *Egredere in veſtigijs gregũ*: Vnde cõfecutum poſt ea eft, vt illum non inuenerit in creaturis externis.

f Cant. 1. 8.

29 *Proſpera cũ quæruntur, haud à Deo dantur plerumque. Philo Carp.* Secundã partem, *Quæfiui, & non inueni illũ: Vocaui, & non reſpondit mihi*, communiori fenfu Patres referũt ad vehemens piæ animæ defiderium, quo quiete iugiter & Deo frui exquirit, & obfecrat. Quem fenfum præclare ita explicat Philo Carpathius. Pacem quærit fponfa in moleftijs, quibus in hac lacrymarum valle afflictatur, nec inuenit in corpore, aut rerum caducarum vfu. Vocat, nec exauditur, cũ orando, meditando dulcedine illius diuinæ præfentiæ fatiari appetit, nec illi datur, quod exoptat. Vellet enim interna illa fuauitate aſsidue frui, fed corruptibili mole corporis impedita, fæpe conata decidit. Quæ cõfona funt ijs, quæ affert & Gregorius Papa, & Iuſtus Orgelitanus, qui in horum confirmationẽ affert illud Iob: g *Clamo ad te, & non exaudis, &c.*

Greg. Pap. Iuſt. Orgel. g Iob 30. 20.

Caſsiodorus, & Beda ex hoc loco tria colligunt. Primũ, quod cõſolationes ſpirituales nõ funt in manu noſtra, ita vt ſemper, cum volumus, illas habeamus. Secundum, quod nec ſemper audiamur à Deo, quando ex hac miſera vita ad cœleſtẽ gloriam tranſferri petimus; & licet clamemus tota die: *Adueniat regnum tuum*: illud tamen non venit, nec à nobis acquiritur, niſi quando Deus voluerit. Et tertium, quod non reſpondet, vt perpetuæ noſtræ conſulat ſaluti.

Caſſiod. Beda. Conſolationes ſpirituales non ſunt in noſtra poteſtate. Orationes cur aliquando non exaudiat Deus. Quæſitum non inuenit ad votum, ait Richard. de S. Victore; nec ad omnia, quæ petit, vel deſiderat, reſpondet ei, ſed cum non exaudit ad voluntatem: tamẽ exaudit melius ad vtilitatem: concedit enim quod magis expedire nouit.

Richard. Victor. Orationes quomodo ſemper exaudiat Deus. Ad Dei incomprehenſibilitatem hęc referunt Gregorius Nyſſen. homil. 12. Tres Patres, & Pſellus. Licet extra naturam ſuam egreſſa ſit anima, ait Nyſſenus, ne ab vlla re impediatur in cognitione: tamẽ adhuc quærit, adhuc clamat, nec inuenit. Et quomodo inueniri poteſt, quod nullæ res cognitæ oſtendere nobis poſſunt? Quęſiuit eũ per ratiocinationes, & cogitationes

Incomprehenſibilitas Dei quãta. Greg. Nyſſ. Tres Patres. Pſellus.

& extra

& extra hæc omnia poſitus erat, mẽtis captũ fugiens. Vocauit, id eſt, voces innumeras excogitauit, quibus ineffabilis illa benignitas commonſtraretur, & maior omnium erat. Sic Dauid poſtquã dixit: h *Tu Domine, miſerator, longanimis, verax, robur meũ, cornu ſalutis meæ*, &c. tandem fatetur, ſe non inuenire voces, & admirabundus exclamat: i *Quam admirabile eſt nomen tuum!*

h Pſ. 85. 15 Pſal. 17. 3.

i Pſal. 8. 10

Aponius. Deus quærendus toto corde.

Denique Aponius non inuentum inquit à Iudaico populo Deum; quia non quæſiuit illum toto corde; quia prorſus non reliquit falſos Deos, non fecit vt Dauid: k *Clamaui in toto corde meo.* Ideo enim anima nõ inuenit Dominum, quia partem cordis auaritiæ relinquit, partem blaſphemijs, &c.

k Pſal. 118

Deus non inuenitur in hac terra. Hugo Vict.

B Totum hunc locum peregregie pertractat Hugo de S. Vict. Inſtit. Monaſt. de arca morali l. 4. c. 4. vbi ait. Deum non ſic ſinere ſe inueniri ab anima: quia non vult ab illa inueniri in hac terra, in hoc ſæculo, cum animam ipſam diligat pro terra, & patria cæleſti.

Verſ. VII. c. V. *Inuenerũt me cuſtodes, qui circũeunt Ciuitatẽ: percuſſerũt me, & vulnerauerũt me: tulerunt palliũ meũ mihi cuſtodes murorum.*

Expositio I.

Iuxta ſonum litteræ.

1 Primus ſenſus.

QVia in præcedenti verſu ſponſa ingens expoſuit ſtudium, quod adhibuiſſe ſibi viſa eſt in quærẽdo dilectum ſuum, qui iam declinauerat, atq; tranſierat, nec tamẽ expoſuit, qua ipſum quęſiuit, ſicut in ſimili caſu in c. 3. vbi dixit: a *Surgam, & circuibo Ciuitatem, per vicos, & plateas quæram, quẽ diligit anima.* Atq; adeo facile conijcere quis potuiſſet, merito ipſam nõ inueniſſe dilectum ſuum, cũ vix extra domeſticas fores egreſſa, illum ſibi quæſiſſet, qui longius declinauerat: miro artificio id ſuum quærẽdi euehit ſtudiũ. Primo enim indicat in ipſa quæſitione ſua Ciuitatem vniuerſam circuiſſe, per vicos ſcilicet, & plateas: Idcirco nãque, dum huiuſmodi ageret circuitus, inuentam ſe inquit à cuſtodibus illis, qui id muneris obeunt, vt nocturno tempore circumeant Ciuitatem, ne quid turbarũ in ea contingat. Secũdo, dum haud ait ſe inueniſſe eos cuſtodes, & circitores, ſed ab illis ſe inuentã, indicat, ſtudium ipſum ſuum in eo dumtaxat collimatum, vt dilectum quęreret, nec ſe in obuios quoſque alios intẽdiſſe, vllamue eorum rationem habuiſſe, atq; adeo nihil ab ijs ſciſcitaſſe. Tertio, nec paſſam, vt ab ijs ipſis, qui eam inuenerunt, detineretur: ideo enim ait ab illis ſe percuſſam: quin, nedũ è manibus eorum elapſam, curſum ſuum proſecutam: Sed & quarto haud abſtinuiſſe à clamoribus, quibus dilectum vocabat, ideoque ab ijſdem, qui nocturnas turbas, atq; fragores nollent, ſe vulneratã. Porro, quia in munitis Ciuitatibus duo ſunt vigilum genera: Alterum eorum, qui cuſtodias ſuas ſeruant circumeundo Ciuitatẽ, ob idque circitores dicti, vt præexpoſitum eſt: Alterum vero eorum, qui in eo potiſsimum ſeruant vigilias, vt eiuſdem Ciuitatis cuſtodiant mœnia, ideoq; cuſtodes dicũtur murorum: in hos quoque quinto ſe incidiſſe, maleque ab illis habitam aſſerit: Cum enim non inuentum intra Ciuitatem, iam & extra illã per agros, atque per villas quærere eum vellet, murorum cuſtodes auditis eius clamoribus, quibus vehementius eũdem vocabat dilectum muros ipſos iam attingentẽ, vi illata detinere eam conati ſunt, ideoque currentis apprehenderunt pallium, tulerunt illud ab ea, dũ ipſa amoris impetu delata, ex eorũ proripuit manibus. Quod ergo ſponſa ipſa hic dicit, breuiter tale eſt.

a Cant. 3. 2

Vigilum Ciuitatum duo ſunt genera.

Paraphraſis. Quærens ſane non inueni dilectum meum, nec vllum ab eo accepi reſponſum, cum tamẽ nimis ſedula fuerim in ipſo quærendo, atque vocando. Circuiui enim per totam Ciuitatem, adeoque circuiui veſana præ dilectione, vt nec obuios, qui me inuenerunt, aduertiſſem circitores, niſi ab ijs percuſſa fuiſſem, dum A me demorari tentarent. Proſecuta ſum tamen curſũ meum, meaſque & voces: quas illi cum ferre nõ poſſent, quam percuſſerãt, cum propinquam habuerãt, elõgatam vulneribus cõfecerunt. Quid plura? egreſſum extra Ciuitatem, vt per nemora & agros eundẽ quærerem, elatioribus illum compellãs vocibus, *cuſtodes murorum* me detinere conati, fugienti *tulerunt mihi pallium.*

Per hæc autem, quibus ſpõſa ſuam concludit narrationem, quam in principio huius actus quarti cœpiſſe, vidimus, confirmor in mea ſententia, quam & in expoſitione prima illorum verborũ, b *Ego dormio, & cor meum vigilat*, aſſerui; totam videlicet narrationẽ iſtam ſomnij eſſe, haud rei, quæ facto ipſo cõtigerit. Si enim vigilanti hæc cõtigiſſent, haud ita mentis inops extitiſſet, quæ etiã in amoris æſtu prudentiſsima ſimul, & pudiciſsima erat, vt non obuios ipſos de ſuo interrogaret dilecto, prout ſupra eã feciſſe vidimus in cap. 3. vbi res geſta narrata eſt: vnde forſitan haud contigiſſet, vt ab illis percuteretur, & vulneraretur; præterea haud vmquam paſſa eſſet, vt vigilanti illud ſibi auferretur pallium, quod virginitatis, ac pudicitię erat inſigne, à vigilibus præſertim murorum cuſtodibus. Nec abſque huiuſmodi velo per latos, patenteſue oberraſſet agros, & tandem aliquem ſtudium ipſum ſuum quærendi habuiſſet effectum, vel inueniſset dilectum ipſum, prout inuenit alias in cap. 3. vel non inueniſſet, & id ſaltem ſignificaſſet: cum tamen nihil hac de re dicat, ipſam concludens narrationem, videtur indicare ſomnij imperfectionem.

b Cant. 5. 2

2 Secundus ſenſus.

Quamuis primum iſtum ſenſum antecedentibus congruentiorem exiſtimem, & narrationi ſomnij, vt dictum eſt: admodum tamen probabilem & hunc alterũ cenſeo, qui & facilior eſt, & Sanctorum Patrũ interpretationibus magis conſonus; vt in hoc verſu ſeptimo ſponſa non tam id intendat, vt ſtudium illud euehat, quod adhibuit in quærendo, & vocando dilectũ ſuum, quam vt ob adſtantium oculos proponat, quæ in eo ipſo ſtudio perſiſtens, ab amorem dilecti ſui paſſa ſit, cui vni ſuam ſeruatam vellet pudicitiam, atque dilectionem: Ac ſi dicat.

Paraphraſis. Cum ita ſedulo quærerem, vocaremque dilectum meum, quem non inueniebam, oberrans per Ciuitatem, obuij mihi facti ſunt *cuſtodes* qui eandem *circumeunt Ciuitatem*, vim inferre tentarunt, renitentem *percuſſerunt, & vulnerauerũt me*: quin inſuper ab illis elapſę *cuſtodes murorum pallium mihi abſtulerũt*, cum pudicitiã meam ne vel tantillum lædere potuiſſent. In textu Hebręo atque etiam in verſione Septuag. abſque vlla coniunctione prolata hæc habentur per figuram, quã Rhetores Græco vocabulo ἀσύνδετον, Aſyntheto, appellant, vim inferentem rebus, quæ dicuntur vehementioremque reddẽtem orationẽ. *Percuſſerunt me, vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum.*

Licet autẽ Maſoretæ in textu Hebræo diſtinxerint orationem per accentum Zacheph Katon adhibitum ſuper voce *mihi* לי id eſt. *ſuper me*, ita vt vox, *cuſtodes murorum*, ſit ſuſpenſa abſque verbo: congruentius tamen iudicio meo iungenda eſt cum præcedentibus: Videturque mihi ſponſa ipſis murorum cuſtodibus acceptum id totum referre, quod pro ſeruanda pudicitia ſuſtinuit: pallium namq; quod ab ijs ſibi ablatũ aſſerit, id genus eſt veli, & pepli, quo Virgines, nouęq; nuptæ vti cõſueuere pro inſigni pudicitiæ, de quo in lib. c Geneſis de Rebecca Virgine dicitur, Viſo Iſaac ſponſo ſuo tuliſſe cito pallium ſuum, & ſe operuiſſe, Vnde bene pro pallio Sept. habent θέριστρον, de qua voce Hier. Cõm. in Iſa. c. 4. Theriſtra, ait, nos poſſumus appellare palliola, quibus obuoluta eſt Rebecca, & hodie quoque Arabiæ, & Meſopotamiæ operiuntur fœminæ, & in ep. 7. ad Lætã: Theriſtrũ pudicitię hic ſponſæ ablatum, ſignificat, quia pudicitiæ inſigne id erat, vt conſentiunt tam noſtri quam Hebræi.

c Gen. 24. 65.

Theriſtrum eſt velum pudicitiæ.

Porro ex lectione iſta Originalium Hebr. & Septuag. tertium huius ſententiæ deducere poſſumus ſenſum haud improbabilem; vt ſponſa talia ſibi velit.

Tertius ſenſus.

Quærente

Paraphrasis. Quærente me, atque vocante dilectum meum vndequaque obuii mihi facti sunt *custodes, qui circumeunt in Ciuitate*, pertranſij illos illeſa: verū poſtea à cuſtodibus murorū male habita ſum: ſiquidem nedū *me percuſſerunt*, ſed & *vulnerauerunt tulerūtque mihi*, quod pro virginitatis inſigni geſtabam, *pallium*, quove, pro ſeruanda dilecto meo pudicitia, operta incedebam, violenter mihi abripuerunt theriſtrum, cum tamen nihil meæ obeſſe potuerint puritati, elabente me ex eorum manibus.

Verſ. VII. c. V. *Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt Ciuitatem: percuſſerunt me, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum.*

Expositio II.

De prima Sponſa, quæ eſt Eccleſia Sancta.

3 *Iudaicus populus quomodo ſanctos tractarit Prophetas.*

PRoſequens Eccleſia narrationem eorum, quæ ſibi contigerūt in antiquo populo, hac poſtrema eius narrationis parte aſſerit, ſe, dum in Sanctis Prophetis, ac præſertim in Proph. Ierem. quæreret, inuocaretq; Dominum, qui à populo illo declinaſſe videbatur, obuios habuiſſe peſſimos Reges, cuſtodes circūeuntes Ciuitatem Ieruſalem, ab ijſdemque percuſſam ſe, & vulneratam in ijſdem Prophetis: quin & à Principibus Sacerdotum, de quibus aliquando Deus dixerat: *a Super muros tuos, Ieruſalē, conſtitui cuſtodes: tota die, & nocte non tacebunt laudare nomen Domini*: ablatum ſibi pallium cultus veri Dei, quod inſigne ſibi erat ſeruādæ pudicitiæ vni Deo. Lege poſtrema cap. lib. 2. Paralip. Hebræi per cuſtodes circumeuntes Ciuitatem, haud ita commode intelligunt Nabuchodonoſor, eiuſque Duces qui Iudaicam Eccle. aggreſſi percuſſerunt, vulnerauerunt, palliumque illi abſtulerunt, domum Domini deſtruentes: Per murorum cuſtodes, Angelos, qui & ipſi tunc temporis illam dereliquere.

a *Iſa. 62. 6.*

Hebræorum ſenſus.

Si vero Eccleſia haud tranſacti, & antiqui, ſed præſentis ſtatus ſui narrationem proſequatur, iuxta primum ſenſum, in hiſce hæc ſibi velle videtur. Dum in mundi huius Ciuitate vndequaque per ſanctos Prædicatores meos Deum quærerem, eumdemque prædicationis voce inclamarem dilectum meum, qui à quibuſdam declinarat Prouincijs, obuios habui & Tyrannos, & hæreſiarchas cuſtodes, ac circitores huius mundi, qui vna cum ſatana eorū Principe circumeūt, & quærunt, quem deuorent. Quæ vnum Deum, eiuſque fidem veram tantum quærebam, nullam eorum habui rationem: ab illis inuenta haud paſſa ſum vt meum retardarent curſum: idcirco percuſſa ſum ab eis, æque ac in ſanctis Apoſtolis: quin ab ijſdem ſum etiam vulnerata: cum prohibentes veræ fidei prædicationem nedum exilio, bonorum expoliatione, ſed & vulneribus Sanctos ipſos vulnerarunt Prædicatores: Cumque non deſiſterem inclamare nomen dilecti mei, Epiſcopi Prouinciarū illarum, qui vt ſuperintendentes, *cuſtodes* eſſe debuiſſent ſanctorum fidei dogmatum, ſanctæque obſeruantiæ, præfortium certe murorum, me ſibi abripere tentarunt: Effugi ex eorū manibus prædicatura Chriſtum extra illas Prouincias, *tulerunt* tamen ij *meum pallium* puritatis inſigne, & fidei orthodoxæ, vſurpantes ſibi nomen orthodoxorum, ſuiſque ſynagogis meam Catholicæ Eccleſiæ tribuentes appellationem, eo me denudantes; cū puriſſimæ nihil obeſſe potuerint fidei meæ, quæ in Apoſtolica petra Chriſto ſponſata ſum, quem in vniuerſo hominum genere quærere ſatago.

Primi ſenſus alia Applic.

Paraphraſis.

In ſuis prædicatoribus Eccleſia perſecutiones juſtinet.

Hæretici decorant ſe nomine orthodoxorum.

Prædicatores ſancti non irruunt in perſecutores.

Circa hæc autem notandum primo, quod caute locuta ſit Eccleſia non dicens, *Inueni vigiles*, ſed potius, *Inuenerunt me vigiles*, ſanctorum Prædicatorū indicans morem ſane prudentiſſimū, quē & à ſanctis Martyribus obſeruatū norūt & à Martyrū Rege Chriſto Domino, vt nequaquam irruant in perſecutores: cum præcepto Euangelico moneantur potius eos fugere, vbi dicitur: *b Cum perſecuti vos fuerint in vna Ciuitate, fugite in aliam.*

b *Matt. 10. 23.*

Perſecutiones, & tribulationes non poſſunt impedire ſanctos, ne Chriſtum ſequantur.

Notandum ſecundo, licet ijdem ſancti Prædicatores à perſecutoribus fugiant: nullatenus tamen ob perſecutionem ab eo deſiſtunt, vt Chriſtum ſua clament prædicatione: Quamuis enim multi hic aſſerētur vigiles contra vnam tenellam Virginem inſurrexiſſe: mirum certe eſt, quod illam tenere nequiuerint: Siquidem perſequi poſſunt infideles, & hæretici, & vulnerare Eccleſiam, eiusve ſanctos, impedire tamen illos, ne Chriſtum ſequantur, plane nequeunt.

Epiſcopi & prælati infecti hæreſi quantum officiant Eccleſiæ Catholicæ.

Tertio notandum, vltimo loco in gradatione narrationis ſuæ Eccleſiā id protuliſſe, quod ſibi perſecutionum, vulnerumque omnium exiſtimat grauius, ablationem nimirum pallij virginalis factam à murorum cuſtodibus, ab ipſis nimirum Eccleſiarum Prælatis hæreſi infectis, quando illi orthodoxę fidei pallium ſibi vſurpantes, nudam ipſam, & impuram exhibere conantur, quæ virgo caſta deſpōſata eſt Chriſto. Quo certe nihil eidem Eccleſiæ maioris eſt detrimenti, vt patuit in Ariana perſecutione, quam vehementiorem Eccleſia ſuſtinuit à pſeudoepiſcopis Euſebio Nicomedienſi, Vrſacio, Valente, & alijs, quam ab impio Imperatore Conſtantio, & ab Orbe toto illa hæreſi infecto.

Verſ. VII. cap. V. *Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt Ciuitatem: percuſſerunt me, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum.*

Expositio III.

De ſecunda Sponſa, quæ eſt Anima Iuſti.

4 QVæ nuper à peccatis conuerſa, Deo aperuit, quia in ariditate exiſtens, declinaſſe illum à ſe arbitratur, diuino amore ſaucia tota, in id ſuum collocat ſtudium, vt in mundi huius Ciuitate per varia exercitia ſpiritualia ipſum quærat dilectum ſuum, ac præſertim multiplici orationum clamore eumdem inuocet. At dū ſedula in iſtiuſmodi verſatur ſtudio, homines ſęculi, qui mundi leges cuſtodiunt, & in impietate ſua ipſam mundi Ciuitatem circumeunt, iuxta illud Pſalmi: *c In circuitu impij ambulant*, actutum obuiam ei procedunt: Ipſa haudquaquam cum illis ſe immiſcens, quos alienos nouit à Deo, cum haud recto gradiantur itinere, ideoque nec quicquam de illo ab illis ſciſcitans; ne vel tantillum cordis ſui denigretur puritas. *d Qui enim tetigerit picem, inquinabitur ab ea: & qui communicauerit ſuperbo, induet ſuperbiam*, vt dicitur in libro Eccleſiaſtici: Si è contra eam inueniunt, perſequuntur, percutiunt, & vulnerant, non ſecus ac gallinas efficere videmus, cum inter ſe immiſſam viderint alterius generis auem: Vnde in libro Sapientiæ hæc habentur: *e Circumueniamus iuſtum, quoniā inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris: Tamquam nugaces æſtimati ſumus ab illo, & abſtinet ſe à vijs noſtris tamquam ab immunditijs. Contumelias, & tormenta irrogemus in eum*, &cet. Nec mirum: nā, vt bene inquit Apoſtolus, *f Omnes qui pie volunt viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur.* Mali autem homines & ſeductores proficiunt in peius, errantes, & in errorem mittentes.

In vita ſpirituali quanta ab impijs ſuſtinere cogatur pia anima & quomodo ergà illos ſe gerere debeat.

c *Pſ. 11. 9.*

d *Eccl. 13. 1.*

Simile.

e *Sap. 2. 12*

f *2. Tim. 3. 12*

Porro anima ipſa, quæ toto conatu Chriſtum quærit dilectum, iuxta conſilium eiuſdem Apoſtoli permanens in ijs, quæ didicit, & credita ſunt ſibi, illæſa puritate cordis; ſuumvehementiori impetu dilectionis proſequitur iter, Deum quærens in ſanctis exercitiis, in quibus excreſcere adhuc reperit ſibi aduerſantes:

Prælati mali infectantur vacantes vitæ ſpirituali, & quomodo

Plerumque enim Prælatos (quos ſuper Eccleſia, Monaſteriorumque muros Deus conſtituit, vt ſuper muris ipſis diuinæ legis, ſanctæque Religionis obſeruantiarum vigilent, ſeduloque cuſtoditos ſeruent) maxime habet infeſtos, adeo vt quicquid ab ipſa extrinſecus fit præclari, externuſque vniuerſus, quo in ſancta conuerſatione decoratur, habitus damnetur, dilacereturque ab illis: hoc eſt namque, de quo queritur, dum vltimo loco addit: *Tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum.*

Sed etſi ei auferant extrinſecum iſtud puritatis inſigne, haud tamen vllatenus internam, veramque lædere idcirco poſſunt puritatem ipſius: Vnde ipſa quo melius, faciliusve eamdem ſeruet, ad agros ſe confert, & ſolitudines, orationi nimirum vacans clauſa in cubiculo, conſortia fugiens.

Duo autem in his, quæ hoc loco à pia dicuntur anima, haud quaquam prætereunda ſunt. Primum quod cum non dixerit, *g Inueni vigiles*, ſed, *Inuenerunt me vigiles*, indicat, quomodo iuxta Euangelicum præceptum in ſanctis exercitijs ſuis, quantum fieri poſſit, occultū queſierit: quamquam quanto magis ipſa ſe ſtuduit occultare, tanto magis à Deo manifeſtata eſt.

g Matt. 6. 1. *Opera bona occulta manifeſtantur à Deo.*

Attamen cum in hac manifeſtatione ea fuerit Dei intentio, vt videntes opera illius bona, glorificarent *h* cœleſtem Patrem, provt alibi item in Euangelio ſignificatum habemus: in peruerſis nihilominus contrarium cauſauit effectum, nempe, vt quam imitari debuiſſent, perſecutionibus moleſtarint, maledictis laceſſierint, detractionibuſque vulnerarint. Alterum quod hic minime prætereundum exiſtimaui, eſt, ex hoc, quod Ciuitatem ſponſa tam bene munitam aſſerit, vt intrinſecus & extrinſecus aſſignatis cuſtodiretur vigilibus, id nobis indicatum, quam ſedulo ſtudio Ciuitatem animæ cuſtodire debeamus, qui vitæ ſpirituali indulgemus, neue eius cuſtodiæ putemus ſatisfactum, ſi externos duntaxat ſenſus ſeruemus: quādoquidem & internis animi motibus, cogitationibus ac deſiderijs ſedula adhibenda eſt cura, ne *a* filij ſæculi filijs lucis prudentiores ſint, id quod in Euangelio docuit Dominus.

h Matt. 5. 16.

Cuſtodienda quomodo ſit anima.

a Luc 16. 8.

Verſ. VII. c. V. *Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt Ciuitatem: percuſſerunt me, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum.*

Expositio IIII.

De tertia Sponſa, quæ eſt Beata Virgo Maria.

Maria quāta à Iudaico populo paſſa ſit, dum eius anhelaret ſalutem.

DVm Iudaici populi ſui ſalutem anhelans Virgo benedicta, Chriſtum in Ciuitate quærit Ieruſalem, vocibuſque precum pro eo fuſis illum vocare nō ceſſat: Inuentam ſe inquit à Scribis & Phariſæis, qui tunc temporis munus abripuerant cuſtodiendi & circumeundi Ciuitatem illam, totamque Synagogā, ne quidquam in ea ſuſcitaretur turbarum in nocte tam grandis ignorantiæ, qua tunc obtenebratus populus ille: quin & à Principibus Sacerdotum poſitis ad cuſtodiam legis mandatorumque Dei, quibus multo validius, quam quibuſlibet alijs mœnijs roboranda ea eſſet Ciuitas, & illuſionibus percuſſam, & execrādis blaſphemijs vulneratam eorum lingua, de qua in Pſalmo 119. dicitur. *b Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi* peius videlicet *ad linguam doloſam? Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus deſolatorijs.* Porro, quia inter blaſphemias illas, eorum maiorem habet rationem, quæ ab ijſdem peruerſiſſime in eo populo diuulgata fuere contra pudicitiam, & charitatem ſuam, bene ſuperioribus ablatum ſibi ab illis ait pallium inſigne eiuſdem virginitatis extrinſecum.

b Pſ. 119. 3

Verſ. VII. cap. V. *Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt Ciuitatem: percuſſerunt me, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum.*

Appendix Expoſitionum, Ex antiquis Patribus collecta.

PAraphraſis Chaldaica. Comprehenderunt me Chaldæi, qui cuſtodiebant vias, & obſidebant in circuitu contra Ciuitatem Ieruſalem: quoſdā meorū occiderunt gladio, & quoſdam meorum duxerunt in captiuitatem. Tulerunt torquem Regium Sedechiæ Regis Iuda de collo eius, & duxerunt eum in Ribula, & excæcauerunt oculos eius populi Babylonis, qui obſidebant Ciuitatem, & cuſtodiebant muros. 6

Vniuerſas veterum Patrum præſentis loci expoſitiones ad duas reducere poſſumus claſſes. Quidam cuſtodum vocabulum in bonum ſumentes, & reliqua pariter in bonum ſenſum accipiunt; quidam vero è contra omnia in malum referunt.

Eorum, qui in bonum hæc ſumunt, communior ſenſus eſt, vt per cuſtodes, vel Prædicatores, aut Prælati deſignentur, vel etiā Prophetæ, Apoſtoli, & Martyres, qui animam inueniant, dū eam erudiunt: Quia tamen nonnihil inter hos eſt diſcriminis in exponendis ſingulis verbis, breuiter illorum referam dicta.

Primo etenim Philo Carpathius à prædictis cuſtodibus inuentam dici inquit animam, quia ab illis edocta: percuſſam, quia Patres dum cœleſtia bona prædicāt, ſagittis illam vulnerant amoris, & deſiderii, quia percutiunt diſciplina ſalutari, quia mortificationem prædicant, quia pœnitentiam indicunt: Tuliſſe autem eoſdem cuſtodes eidem animæ velum ignorantiæ, & cæcitatis, cum Deum pie colere docuerunt, cum vitia relinqui fecerunt. Vnde colligit, tria ordinate ab his fieri. Primo cæditur anima verbo veritatis: ſecundo vulneratur verbo tremendi iudicii: tertio aufertur ab illa affectus omnis rerum terrenarū, quo veluti pallio tegitur, vt reuelata facie Deum videat. Cuſtodes murorum dictos putat Philo Prædicatores, &c. quia cuſtodiunt Scripturas ſacras, & mandata Dei.

Philo Carp. Prædicatores docentes recte percutiunt, vulnerantque animas, & auferunt velum ignorantiæ affectuſque terrenorum.

Prædicatores cur dicti cuſtodes murorum.

Cum hiſce conſentiunt, quæ dicuntur à Caſſiodoro, niſi quod melius explicat, quomodo percuſſerint, & vulnerauerint, nimirum, quia verbum Dei, quo eruditur, eſt gladius *c Penetrabilior omni gladio ancipiti: pertingens vſque ad diuiſionem animæ, & ſpiritus.* Sicut autem per cuſtodes Ciuitatis ſanctos intelligit Prælatos, & Prædicatores, qui peruigilant in Eccleſiæ cuſtodiam: ita per cuſtodes murorū illos intelligit, qui Doctores ipſos deſignatos per muros, erudiunt. Id quod & à Beda aſſeritur, & à Richardo de Sācto Victore, quinimo nec apud Gregorium Papam tū ſuper hunc locū tum in libro 7. Moralium ca. 1. quidquam à prædictis dicitur diuerſum, niſi quod vulnus factū ſagittis amoris Dei accipit, prout & Beda, Richardus atque Anſel. qui percuſſionem fieri ait, per commonitiones ad compunctionem: & per murorum cuſtodes ſpecialiter epiſcopos deſignatos putat.

Caſſiodor.

c Heb. 4. 12.

Beda. Richardus Gregorius Papa. Anſelmus.

Epiſcopi dicti cuſtodes murorum.

Bernardus ſermone 13. in Pſal. 90. Qui habitat: per cuſtodes intelligens Sanctos Apoſtolos atque Eccleſiæ Prælatos, tunc illos animam, quam inuenerunt quærentem Dominum, percutere, inquit, cum videntes, illam in ipſis ſpem ponere, eam vrgent, vt pertrāſeat vtique inuentura Dominum: Atque idcirco, ait, ipſos illi tuliſſe pallium, vt curreret expedita. Affert exemplum Pauli reprehendētis Corint. cū illi, offenſis vigilibus, ſecederent apud eos dicentes. *a Ego Cephæ, ego Pauli, ego Apollo, &c.*

7

Bernard. Prædicatores, & prælati boni impellunt ad Chriſtum

a 1. Cor. 1. 12.

Ruper-

Rup. Abb. Apostoli post Christi ascensionem quomodo se gesserint cũ Maria.

Rupertus quoque Abbas putans, custodum vocabulo Apostolos designatos, ita hæc B. Virgini aptat, ac si illa dicat: Sancti Apostoli inuenerunt me; quia me quærebant: quærebant autem me, quia in me sperabant esse thesauros Altissimi. Percusserunt me, quando post Ascensionem Domini, mecum conquerebantur de illius absentia: Inter ista tulerunt mihi pallium quo tegebam secreta, quæ in corde conferebam. tunc enim aperui illis cor meum, & quæ in secreto seruaueram, plana feci.

Angeli sunt custodes animarum & Ecclesiæ.

Ad eamdem primam classem referendi sunt, qui per custodes intelligunt sanctos Angelos, vt sunt Greg. Nyssen. Ambrosius, Tres Patres, & Psellus, licet & hi in modo explicandi discrepent.

De progressu animæ Greg. Nyss.

Primo enim Nyssenus homil. 12. ait, hæc verba haud esse lugentis, sed iactantis ob ea, quæ præclara sibi euenere: nam ipsamet, quæ antea *b* se exuisset, dicens se nunc habuisse pallium quo spoliaretur, ostendit, quantum pergendo profecerit: nam quæ prius omni pallio immunis videbatur, & se ipsa purior ad maiora perrexit, & comparans præsentem cum præterita puritate, visa sibi est quasi non exuisse antea pallium. Aufertur, inquit Nyssenus, à custodibus pallium, vt pulchritudo desiderata videatur: percutitur anima, vt viuificetur: percutere enim est à morte liberare, iuxta illud: *c Si virga percusseris eum, non morietur.* Bonum ergo est virga cædi tribulationum, quæ tantorum bonorum copiam continent. Non inuenitur autem à custodibus anima, nisi prius exeat à loco veteris conuersationis. Custodes inueniunt, non fures, qui non intẽdunt, nisi mactare. Porro custodes sunt Angeli quibus anima credita est custodienda ab omni malo, iuxta illud: *d Castra metabitur Angelus Domini in circuitu timentium eum.* Hi cum percutiunt ictu diuinæ virgæ, non tantum pellem tangunt, sed & forinsecus penetrant, & stigmata relinquunt. provt Paulus hisce percussus, exultabundus proclamat: *e Stigmata Domini Iesu in corpore meo fero.* Insuper ab his custodibus, quasi lapis *f* à Moyse eadem percutitur anima, vt ex ipsa erumpant aquæ cœlestis doctrinæ, sitientesque bibant populi.

b Cant. 5. 3.
c Pr. 23. 13.
d Ps. 33. 8. secundum Septuagin.
e Gal. 6. 17.
f Ex. 7. 20.

Angeli quomodo piam animam percutere & vulnerare dicantur.

Fruitio Dei haberi non potest in hac vita.

Addit & alterum sensum idem Nyssenus: vt anima egressa ad vocem Domini, quærens eum, quem reperire non potest, doceatur à custodibus & Angelis, adamari ab ipsa, quod consequi nequeat; & expeti, quod percipi non possit: quo fit vt illa quodammodo propter desperationem consequendi, quod desiderat, verberetur ac vulneretur, arbitrata, cupiditatem hanc fine suo excidere. Verum hoc mœroris pallium, & peplum ab illa adimit, dum discit, veram desiderati fruitionem esse, semper in quærendo proficere, neque vnquam à progressu cessare, semper ea cupiditate, cui satisfit, gignente sublimiorem aliam cupiditatem.

8

Ambros. Angeli quomodo piã animam vulnerent.

Simplicitatẽ Angeli causant in anima, vt videre queat Deũ Ambros.

Ambrosius in libr. 3. de Virginibus Angelos ipsos dictos putat custodes: quia circumeunt ciuitatem Ierusalem, quæ in cælo est; piam ab his animam percuti ait, gladio verbi Dei, benignoque charitatis vulnere vulnerari: Hos autem postmodum ei pallium tulisse; quia actuum corporalium inuolucrum sustulerunt ab ea, vt nuda mentis simplicitate quæreret Christum, quia nemo potest amictu vestitus philosophiæ sæcularis videre Christum: quæ enim Deum visura est, mundo corde incedere debet.

g Gen. 24. 65.
h Matt. 11. 12. 1. Cor. 11. 10.

Eademque idem Ambrosius habet in libr. de Isaac cap. 6. vbi tamen nonnullis perpulchre philosophatur circa pallium, eiusve ablationem in hunc modum. Bene quidem quasi sponsa veniebat cum pallio, quo obnuberet caput cum sponsus occurret. Sicut *g* Rebecca nuptialis vestis præmittens insignia, ne forte reijceretur *h* quasi vestem non habens nuptialem: Vel vt caput velaret *i* propter Angelos, sed illi percusserunt eam, vt amplius probaretur: exercentur enim animæ tentationibus. Tulerunt ei pallium, quærentes, si verum decorem nudæ virtutis afferret: Vel quia sine integmento quis in illã cœlestem Ciuitatem debet introire, nulla secum deferens integmenta fucorum? Sunt etiam, qui requirant, ne qua anima secum vehat exuuias carnalis illecebræ, & concupiscẽtiam corporalem. Nudatur pallio, cum eius conscientia manifestatur. Sed est & quæ bene nudatur, cui licet imitari dicentem: *k Venit Princeps huius mundi, & in me inueniet nihil*: quia certe in illo solo nihil inuenit, qui peccatum non fecit. Beata & illa est, in qua non grauia, aut multa inuenit: sed inuenit in ea amictum fidei, & sapientiæ disciplinam, quæ sibi auferri inuitæ non potest.

Angeli quomodo piam animam nudare dicantur.

k Ioan. 14. 30.

In sermone autem 7. in Psalm. 118. vers. 7. dubitans idem Ambrosius, cur in cap. 3. non dixerit anima ablatum sibi pallium, sicut hic; Hærens respondet id fortasse cõtigisse, quia ibi illa interrogasse se dixit: *l Num quid quem dilexit anima mea, vidisti?* & adijcit: Quæ Christum loquebatur, nec exuta est pallio: & quem quærebat, inuenit. Discе, quemadmodum quæratur Christus: Ab his, qui non perfunctorie quærunt, retinetur.

Quærendus Deus non perfunctorie.

l Cant. 3. 3

9

Tres Patres.

Angeli quomodo custodes ciuitatis, quidve boni efficiant in hac custodia.

Angelos, Tres Patres inquiunt, esse custodes, qui cunctam naturam veluti Ciuitatem quamdam per cognitionem rationem eius circumeunt: hosve inuenire animam errantem in rerum naturalium speculatione: percutere, reprehendentes conscientiam eius, quæ se Deum comprehendisse putabat: Auferre pallium, id est, rationem, in qua quasi in pallio spicæ diuersarum cogitationum colliguntur, ostendentes ei, diuinum numen omni cognitione esse præstantius. Adduntque Angelos ipsos dictos custodes: quia sint perpetui obseruatores diuinæ voluntatis.

Psellus.

Ab his parum discrepat Psel. dum ait, Angelos ferre velum ab oculis animæ, vt clarius sponsum videret, licet non comprehenderet.

Ecclesia percussa & vulnerata à Tyrannis. Theodorit.

In malum sumitur hæc sententia tribus modis. Primo, vt per custodes Ciuitatis, & murorum designentur Tyranni, & Magistratus sæculi: & ab his Ecclesia dicat se percussam, & vulneratam in sanctis Martyribus, sublatumque sibi pallium, animis eorumdẽ Martyrum nudatis, corporeque vt pallio ab eis ablato. Ita Theodorit. & Iustus Orgelitan. qui addit, Tyrannos tulisse Ecclesiæ pallium, illam vsque ad solum demoliendo, & sacram scripturam cremando.

Aponius. Dæmones percutiunt & vulnerãt animas.

Secundo ex Aponio custodes sunt dæmones, qui circumeunt mundum, quærentes, quem deuorẽt, vulnerent, exspolientque fide: percutiunt hi hæretica persuasione, expoliantque animam puritate baptismali.

Hieronym. Clausura quam necessaria Virginibus.

Tertio Hier. epist. 7. ad Lætam, & epist. 22. ad Eustochiũ, ex hoc loco deducit, quã necessarium sit virgini, vt clausa domi cõtineatur: quãve ei damnosum sit foras egredi vel etiam ad quærendum Christum.

Vers. VIII. cap. V. *Adiuro vos filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum meũ, vt nuntietis ei, quia amore langueo.*

Expositio I.

Iuxta sonum litteræ.

1

PRæsentem sententiam ita superioribus communiori fere sensu connectunt: vt ad clamores, quos sponsa edidit, vel suum vocans dilectum, vel illatas sibi deplorans iniurias, complures excitati accurrerint, quæsitum, quid clamaret, quid sibi vellet quidve intempesta nocte puella tam decora per Vrbem quæreret, inter quos cum illa aliquot conspexisse fœminas misericordia in ipsam commotas, ad eas conuersa hæc habuerit, *Adiuro vos*, &c. Atque hæc quidem recte, si præcedens narratio sumatur vt rei gestæ: at non ita recte, si sumatur vt narratio somni, provt sumpta à nobis est.

Primus ſenſus.

Dicendum ergo congruentius, ſponſam, quæ in hoc Cantico, ac præſertim in hoc actu quarto tota in eo eſt, vt mutuum ſui, atque dilecti, amorem vario euehat artificio, cum in ſcenamvna cum ſuis deueniſſet ſocijs, abſente dilecto, conſueto feminarum more prædictam ſomnij inſtituiſſe narrationem, qua peregregie eam conteſtata eſt dilectionem. Ex occaſione autem eorum, quæ enarrata à ſe fuerant, commotam ad optandam ardentius præſentiam eiuſdem dilecti ſui, quem vel dormiens tanto recolebat à ſe quæſitum ſtudio, vt nec nocturnas perhorruerit tenebras, nec circitores metuerit, nec percuſſiones, vulnera, alioſve extimuerit barbarorum inſultus: ideoque adſtantes obteſtata filias Ieruſalem, vt cum ipſum inuenerint, ardentiſſimam hanc in illum ſuam ei notam facerent dilectionem, id vnum ei nuntiantes, quod ipſa amore langueat, hoc enim eidem amanti ſat futurum, vt ipſo amoris pondere trahatur.

Secundus ſenſus. Dictio ſi accipi poteſt dupliciter.

Porro ex ambigua, qua vtitur, particula, *ſi*, quæ ſignificare poteſt, & *dum*, iuxta frequentem ſacrarum litterarum phraſim, & *ſi forte*, alium hunc iſtorum verborum deducere poſſumus ſenſum, vt tale quid ſibi velit.

Paraphraſis.

Dilectionem iſtam meam, quam & dictis percepiſtis, teſtatam re ipſa faciam ipſi dilecto meo: primum cum eum qui modo abeſt, inuenero. Quia vero contingere facile poteſt, vt prius vos illum inueniatis, *Adiuro vos, vt ſi forte eum inueneritis*, hac vna de re eum faciatis certiorem: *Quia amore langueo.*

Vide, quæ dicenda hic eſſent de iſto languore amoris, ſeu etiam de vulnere charitatis explicata ſuperius in expoſ. verſus quinti cap. ſecundi, vbi hæc ipſa habentur: *Quia amore langueo*: ſeu iuxta Septuagin. *Quia vulnerata charitate ego ſum.*

Tertius ſenſus.

Tertium denique ſenſum ſuggerunt nobis tam Hebraica Lectio, quam verſio Septuaginta: Hebræa enim ſic legunt: *Adiuraui vos, filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis dilectũ meũ, quid annuntiabitis ei? quia ægra charitate ego*, quod ad verbum ita pariter reddiderunt Sept. *Adiuraui vos, filiæ Ieruſalem, in virtutibus, & fortitudinibus agri, ſi inueneritis fraternum meum, quid annuntiabitis ei? Quia vulnerata charitate ego ſum.* Eſt autem iſtorum verborum ſenſus.

Paraphraſis.

Adiuraui vos ſæpius, vehementius autem *Adiuro vos* modo, *filiæ Ieruſalem*, per ea, quæ vobis ſunt gratiora, per virgulta, & ſegetes agri *ſi inueneritis dilectum*, dicite mihi amabo, *quid ei nuntiabitis?* Infortunia forſitã, percuſſiones, vulnera, ac denudationem meam, quæ vobis retuli: Haud operæpretium eſt, vt ea illi referatis: ſatis illud erit, vt ei mea nuntietis, quæ vehementiora ſunt vulnera charitatis, quia ego ſum *vulnerata* illa *charitate*: ſat illud erit, vt ei nũtietis, quia ipſa ipſa ſum *ægra* illa *charitate*: Percipiet is omnia, quæ in eius abſentia, vel etiam ipſum quærens perpeſſa ſim iugiter. Verba illa, οὐ ταῖς δυνάμεσι, νοῦ οὐ ταῖς ἰσχύσεσι τοῦ ἀγροῦ, Sept. addiderunt ex more conſueto, quo alias in hoc cantico adiuratę reperiuntur eædem filiæ Ieruſalem: qua de re videri poſſunt quæ dicta à nobis ſunt ſupra in expoſitione prima verſus ſeptimi cap. ſecundi.

Verſ. VIII. cap. V. *Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei, quia amore langueo.*

Expositio II.

De prima ſponſa, quæ eſt Eccleſia Sancta.

2 Primus ſenſus. *Tribulati dũ Chriſtum*

EX commemoratione perſecutionum, & ærumnarum, quas vel à Tyrannis, vel ab hæreticis ſuſtinuiſſe ſe retulit, maiori Eccleſia in Chriſtum dilectũ ſuum ſuccenſa dilectione, ideoque & vehementiori eius æſtuans deſiderio, illiuſve præſentiam exoptans, quo in fidelibus ſuis eius illuſtrior ſit gloria, fideles ipſos quoque adiurat, vt cum in tribulationibus conſtituti dilectum ſuum inuenerint Deũ, aperte conſtantẽ eſſe ſe cum eis in tribulatione, forti patientique animo tolerantes, illumque glorificantes in bene factis, nuntient illi non tam verbis, quam factis, quia ipſa iam & in eius langueat charitate. Nequevero ob aliud hac de re iſtos adiurat fideles, niſi vt hac ratione per ipſam eorum patientiam, ardentiſſima flagrantem charitate ita eumdem ad ſe pertrahat Deum, vt per ſpecialis gratiæ exhibitionem infidelium quoque molleſcant corda, habitetque in ijſdem eorum cordibus Chriſtus per Spiritum ſanctum, qui datus ſit eis in charitate radicatis, & fundatis. Itaque conciſe illud ipſum hic ſuum Deo exponi poſcit deſiderium, quod apertius alias ſignificauit in cap. ſecundo, cum dixit: *a Fulcite me floribus, ſtipate me malis; quia amore langueo*: vt ibi videre vnicuique licet in ſecunda expoſit. *glorificant, teſtes ſunt Charitatis Eccleſiæ.* a Cant. 2. 7

Verſ. VIII. cap. V. *Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis dilectum meũ, vt nuntietis ei, quia amore langueo.*

Expositio III.

De ſecunda ſponſa, quæ eſt Anima Iuſti.

SIcut *b* duobus illis Chriſti diſcipulis de diuinis rebus verba habentibus, diuinaque beneficia per Chriſti paſſionem mundo exhibita ex eiuſdem Chriſti ore commemorata percipientibus, cor exarſiſſe dicitur in Euangelio: ita & in hoc Cantico nunc ſignificatur, quantum piæ cuique animæ conferant ad charitatis augmentum boni quique ſermones, & cõmoratio in primis beneficiorum: cum ex eo, quod ſponſa Chriſti in ſuperioribus diuinorum beneficiorũ narrationem coram ſodalibus contexuit, quibus eo præſertim tempore adſtrictam ſe recolebat, cum à peccatis conuerſa eſt; nunc tanta incenſam ſe dicat charitate, vt hoc vnum Deo exponi velit, quod amore langueat. Præclare autem pro ea, qua inſignita eſt humilitate ſe ſanctiores eas exiſtimans, quas ſocias in vita habet ſpirituali, ad cœleſtem Ieruſalem ſpectantes, illorum ſe commendat precibus, ac per eas ſuas Deo proponi gaudet virtutes, in primiſque charitatem, dicens: *Adiuro vos filiæ Ieruſalem*, &c. ac ſi dicat. 3 Secundus ſenſus. b Luc. 24. 32. *Sermones boni quãtum conferant animæ charitatis.* *Orationibus aliorum ſe commendant ſancti quique.*

Paraphraſis.

Arida exiſtens, dum meus, vt me probaret, me declinauit dilectus, charitate me vrgente ſedulo illo, quod audiſtis, eum quæſiui ſtudio, multis tentata ærumnis, nec tamen inueni illum, nec is reſpondit mihi Deus meus: Ita nunc pariter cum me item aridam aſpicitis, abſque ſenſibili præſentiæ ipſius guſtu, ſcitote, me vehementiſſima in illum languere charitate: hãcque ei multo magis, cum ipſum inuenero reddentem mihi lætitiam ſalutaris ſui, teſtatam faciam nedum in flagrantiſſima oratione, ſed & in multiplicibus obſequijs. Verum, quia vobis, quæ ob eximiam, qua excellitis, ſanctitatem *filiæ* eſtis, & hæredes cœleſtis *Ieruſalem*: tametſi aliquando & in ariditate relictæ videamini, facillime inuenire continget, *Adiuro vos*, atque obteſtor, vt *ſit illum inueneritis*, per vos intelligat, *quia amore langueo*: hoc vnum ei nuntiate, ſicue illum & ad me trahite, ipſa eum trahente charitate, quam ei exponetis. Confirmari poteſt hic locus ex eo, quod in Euangelio Ioannis ſorores Lazari ægrotantis admortem, id tantum nuntij Chriſto mittentes, *c Ecce, quem amas, infirmatur*, ipſa amoris commemoratione ita illum traxerunt, vt is propriæ mortis contempto periculo, dixerit: *Lazarus amicus noſter dormit; eamus*, &c. *Charitatẽ potiſſimum ad nos trahitur Deus.* c Io. 11. 3

Iuxta tertium ſenſum: Indicat eadem anima moris ſui ſemper extitiſſe, vt ad ſodalium preces confugiat: id namque ſignificat dum in præterito 4 Tertius ſenſus.

Ad orationes aliorum confugiendum.

terito ait: *Adiurauí vos, filiæ Ieruſalem.* Dicens vero: *Si inueneritis dilectum meum, quid nuntiabitis ei?* indicat haud id ab illis expoſcere, vt vniuerſa illa Deo promant, quæ ab ipſa pro eius obſequio norunt vel factavel tolerata: Sat enim ſibi compertum, ea vniuerſa parũ per ſe apud Deum habitura momenti, niſi de ipſa conſtet, cui nitantur, charitate, prout aperte conteſtatus eſt Paulus ad Corint. *d* Idcirco bene addit: *Quia ægra, ſeu, vulnerata charitate ego ſum*, ſcilicet, nunciate: cum vulnere ſiquidem & ægritudine charitate vniuerſa illa nouit expreſſa, quæ propter dilectum ſuum à ſe vel fieri, vel patienter ferri potuiſſent, teſte eodem Apoſtolo, vbi ait: *e Charitas patiens eſt, benigna eſt, charitas non æmulatur, non agit perperam*, & cetera, quæ longius proſequitur. At bene hac vſa eſt locutionis forma; quia *Vulnerata, ſeu, ægra charitate ego ſum*, aut, *quia amore langueo*: cum ſat Deo compertum ſit, id proprium eſſe lãguoris ex Charitatis vulnere prodeuntis, vt duobus contrarijs effectibus debilitationis, & roborationis, quibus vnam eamque vulneratam animam reddens debiliſſimam in eis, quæ ad carnem, & ſæculum pertinent: ſimulque fortiſſimam in eis, quæ ſpectant ad Deum, in cauſa ſit, vt vniuerſa, quæ ad virtutem pertinent, fiant: eaque omnia, quæ pro Deo toleranda obueniunt patienter ferantur, vt ex ijſdem colligere licet Apoſtoli verbis, quibus & ipſemet ait: *f Cum infirmor, tunc fortior ſum*: & ipſi ait Deus: *Virtus in infirmitate perficitur.*

Absque charitate nil roboris apud Deum quicquã habet.

d 1. Cor. 13. 4.

Charitatis languor causat bonum omne in anima.

e 1. Cor. 13. 4.

Charitatis languor duo contraria efficit, debilitatem & robur.

f 2. Cor. 12. 10. & 9.

Complura, quæ de iſta charitatis ægritudine, deque eiuſdem vulnere dicenda forent, videri poſſunt in expoſ. tertia ſæpius citati verſus ſeptimi cap. ſecundi. Illud vnum hic addam, quod dicitur, prædictus charitatis languor duos illos cauſare effectus contrarios, apte ſatis probari poſſe exemplo alterius ægritudinis, quam Phreneſim appellarunt Medici. Qui enim hac languet phreneſi, debilitate maxima infirmus in omnibus eſt; adeo vt nec comedere, nec dormire, nec ſe vel per lectum queat mouere: At ſimul circa actiones illas, ad quas ab ipſa impellitur phreneſi, præforti validum ſe exhibet robore, adeo vt & ratiocinetur, & tanto impetu ex lecto ſaliat aliquando, vt vix teneri poſſit à pluribus. Huic namque languori comparaſſe videtur Apoſtolus eumdem languorem charitatis, vbi dixit ad Corinthios: *g Siue mente excedimus, Deo, ſiue ſobrij ſumus, vobis, charitas Chriſti vrget nos*, id eſt: ſiue mente excedentes quaſi phrenetici, validiſſimi ſumus circa ea, quæ ſpectant ad Deum; ſiue ſobrij, temperati, continentes ac debiles ſumus circa vos, & circa terrena omnia, charitas Chriſti eſt, quæ vrget nos, atque hæc adeo contraria in me vno ſimul operatur.

Charitate languens ſimilis phreneticо.

Simile.

g 2. Cor. 5. 13.

Verſ. VIII. cap. V. *Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei, quia amore langueo.*

Expositio IIII.

De tertia Sponſa, quæ eſt Beata Virgo Maria.

1 *Maria quã deſiderauerit diſſolui & eſſe cum Chriſto.*

SAnctos alloquens diſcipulos Domini, quos filias dixit Ieruſalem, poſt Chriſti aſcenſionem adiurat eos, vt ſi forte contingat vt diem ſuum obeuntes, ante ſe Ieſum Chriſtum in cœlo regnantem inuenerint, id vnum ei nuntient, quem ipſa præ eius videndi deſiderio amore langueat, cupiens diſſolui, & eſſe cum illo.

Mariæ adſcribenda conuerſio aliquorum Iudæorum.

Alio pacto per filias Ieruſalem ſumendo animas illas, quæ ad Chriſtum conuertendæ erant è Iudaico populo, cuius ſalutem tanto ſtudio ſe quæſiſſe, ſignificauit Glorioſa Virgo in præcedenti ſententia, dici non incongrue poſſet, illam nihil à linguæ vulneribus, & à blaſphemijs Scribarũ, Phariſæorum, ac Sacerdotum deterritam, haud quidquam à ſuo deſtitiſſe deſiderio atque ſtudio. Ideoque tunc eas, quas conuertendas prænoſcebat, talibus affari.

Paraphraſis.

Vos ipſas *adiuro* filias *Ieruſalem*, cũ Chriſti fidem amplexantes, eum *inueneritis dilectum meum, nuncietis ei quia amore langueo*: verbis nimirum, & factis coram eo fatentes, ex mea vos id habuiſſe charitate, qua ipſum in vobis inuenire tam ardenter optaui, quave pro totius reliqui populi ſalute adhuc languens, & ægra ſum.

Verſ. VIII. cap. V. *Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis dilectum meũ, vt nuntietis ei, quia amore langueo.*

Appendix Expoſitionum, Ex antiquis Patribus collecta.

PAraphraſis Chaldaica. Adiuro vos Prophetæ per decretum verbi Domini, quod ſi reuelatus vobis fuerit miſericors veſter, annuntietis coram eo, quod amore miſerationis eius ego langueo.

Orationibus aliorum ſe commendant iuſti quique. Phil. Car.

Communiori ſenſu hæc habet pia anima ad eos qui ſanctiores ſunt in præſenti ſæculo, illorum ſe commendans precibus. Vnde Philo Carpathius notat eãdem animam non ſolum rogare ſanctos, vt ipſam Domino commẽdent, verum etiam quaſi adiurando cogere. Hiſce conſentiunt Caſſiod. & Beda, qui notant, bene piam animam nuntiari velle Deo, quia amore langueat: cum gladio Spiritus fuerit vulnerata: & quanto magis vnitur Deo, eo magis erga terrena langueat: quæ carnis amictum reliquit.

Caſſiodor. Beda.

Richardus Orationes aliorum quando nobis proficuæ.

Rich. quoque de S. Vict. aliud notat; ex hoc loco colligi morem ſanctarum animarum, vt prius per ſemetipſas Deum quærant, & mundando cordi inſiſtant, deinde ad aliorum ſanctorum orationes confugiant.

Greg. Pap. Orationes aliorum quomodo exquirere debemus.

Addit Gregorius Papa, dum Sanctis viris cogitationes noſtras referamus, noſtrumque deſiderium expandimus, & per Deum oramus, vt Domino, pro nobis orando, offerant deſiderium, quo afficimur, quid aliud agimus, quam filias Ieruſalem adiuramus vt dilecto, cui nobis proximiores ſunt, nuntient, quia amore languemus?

Aponius. Orationibus aliorũ cur ſe commendent iuſti.

Aponius hauddiuerſo ſenſu, Pia, inquit, anima ob maximam humilitatem, quia indignam ſe reputat Deum orare, adiurat Sanctos, vt dignentur fletus, & orationes ſuas auribus ſponſi inſinuare, vt errantem reuocet, percuſſam conſoletur, vulneratam ſanet, expoliatam reueſtiat. *Si inueneritis*, ſub dubio loquitur; quia tanta erat humilitas, vt metueret ob maxima ſua peccata, ne ſponſus ſe abſconderet etiam illis, ne eos audiret propter peccatricem. Cum dicit, *Amore langueo*: oſtendit men ſuram, qua diligi debeat Chriſtus, nempe vſque ad languorem, & defectionem.

Amoris Dei menſura. Iuſt. Org.

Iuſtus Orgel. Eccleſiam, inquit, rogare ſanctos ſuos, vt cæleſti item Eccleſiæ nuntient, hic Sanctos non torpeſcere ob tribulationes, imo maiori ignis amore ſuccendi.

Tres Patres.

Catena trium Patrum exponit verſionem Sep. *Adiuro vos, filiæ Ieruſalem, per potentias, & fortitudines agri, ſi inueneritis nepotem meum. Quid? Nuntiate illi, me charitate vulneratam.*

Dei cognitio quid boni debeat in nobis cauſare.

Ac ſi pia anima dicat, Exemplo meo tamquam iureiurando corroborati, confirmauique vos, diſcipulæ meæ, quæ in mentis tranquillitate pacem cernitis, vt ſi per ſpeculatiuas & actiuas potentias, quæ in hac vita ſcientiam, atque virtutem, aſſequi valent, dilectum meum vt veritatem, & bonum apprehenderitis, promittatis ei, vos nullo prorſus modo ſordidã peccati tunicam amplius induturas, aut inquinationis veſtigia ſecuturas. Sic autem iurando vos obſtringo: quia charitate erga vos ſum ſaucia, & ſalutem veſtram exopto.

Maria quã cuperet diſſolui & eſſe cum Chriſto. Reſp. Abb. Maria excitat nos ad deſiderandũ diſſolui, & eſſe cum Chriſto.

Denique Rupertus eum afferens ſenſum, quem primo loco tetigimus in quarta expoſit. *Adiuro vos, filiæ Ieruſalem*, id eſt ſancti, dicere, inquit, B. Mariam, vt ſi ante me è corpore exieritis, & videritis dilectum filium meum, dicatis ei, quia magno deſiderio videdi eum langueo, ſuſpirando, dum moras ſuſtineo. Sed, an non hæc ſciebat Chriſtus, qui omnia nouit? Cur ergo, ait Rupertus, vult ea illi nuntiari? & reſpondet: Vt vulnerata vulneret alias, quæ videntes in Virgine tantum ardorem videndæ patriæ cœleſtis, ſentiant in ſe ipſis ſimile quid.

Verſ. IX. c. V. *Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum? Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto? quia ſic adiuraſti nos.*

Expositio I.

Iuxta ſonum litteræ.

1

ARdenti in corde ſponſæ dilectionis fornaci exitum parant, quæ ab illa adiuratæ fuerãt eius ſodales, ne ignis intrinſecus ardens vehementiſſimũque cauſans amoris languorem, vltimam deniq; cauſaret mortem: Dant quippe occaſionem, vt, dum abſens eſt dilectus eius, ex cuius abſentia languorem ſibi adaugeri ſignificauit in verſu ſuperiori, iucunde in illius laudibus promendis detineatur: Neque enim, quis eius eſſet dilectus, ignorabant, cum frequentius vna cum eadem ſponſa cum illo verſatæ eſſent, necnõ & adiuratæ ab illo fuiſſent, vt patet ex ſuperioribus: ideoque haud inquiunt: *Quis eſt dilectus tuus?* Sed, *Qualis eſt*, & cetera. Occaſio autem, quam puellæ iſtæ in in hac ſententia dant ſponſæ, vt dilecti ſui exponat laudes exímias, adeo eſt vehemens, vt vix excogitari potuiſſet vehementior: deſumunt namque illam ex arcta, qua ab ipſa obteſtatæ fuerant adiuratione: quãdoquidem ea adiuratio, vt id vnum nuntiarent dilecto, quia ipſa amore langueret, ſignificauit, talem eſſe ipſum eius dilectum, vt cum amoris lãguor in aliqua ſit ab illo cauſatus, intelligatur, ideoque haud operæpretium eſſe, vt ei annuntiarent, quia amore langueret ſpecialiter in eum. Deinde appellatio quoque, qua eamdem inſigniunt ſponſam, vocantes eam *pulcherrimam mulierum*, id pariter expoſcere videtur ab illa, vt iam exponat, quomodo parem habeat dilectũ, qui ita ſit virorum omnium pulcherrimus, ſicut pulcherrima ipſa eſt vniuerſarum mulierũ: extorquentq; has ipſas eius laudes per iteratam interrogationem, ac per ipſam interrogationis formam: nam cum dicere potuiſſent, *Qualis eſt dilectus iſte tuus?* multo efficacius dixerunt; *Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto?*

Qua ſignificant, ipſum talem eſſe debere, vt præſtantiſſimis notis viris quidem omnibus præferendus ſit, ſed ijs potiſſimum, qui ob præclaras corporis, & animi dotes dilecti mereantur vocabulum. *Dilectus* quippe *ex dilecto*; tantumdem eſt ac delictus præ dilecto quoque, hebraica phraſi, qua præpoſitio מן min, *ex*, inſeruit comparationibus, vt apud nos præpoſitio, Præ, quam & Dominus noſter ſeruauit in Euangelio agens de Phariſæo, & Publicano orantibus in templo, vbi ait: *a Deſcẽdit hic iuſtificatus ab illo*, id eſt, præ illo.

Ex & ab, phraſi hebraica præ Præ.

a Luc. 18. 14.

Apud Septuag. ex Hebræo efficacior iſta ipſa eſt interrogatio. ſic enim habent: *Quid fraternus tuus ex fraterno*, &cet. quæ lectio duplicem habere poteſt ſenſum: Alterum ſimilem lectioni noſtræ, qui afferri cõmuni ſolet conſenſu; Quid eximium, quidve inſigne habet dilectus tuus præ cæteris? ſecundum quem ſenſum ſponſæ ſodales loquuntur, vt bene affectæ erga eumdem dilectum, vtque optimam pulchritudinis, & decoris eius opinionem habentes: ac ſi dicant.

Paraphraſis.

Adiuratio iſta tua tam grandis, qua nos obteſtata es, vt innenientes dilectum tuum ei ſignificemus, quia tu, quæ *pulcherrima* es omnium *mulierum*, *amore* langues, ſat nobis perſuaſit dilectum iſtum tuum pulcherrimum eſſe, omnique dilectione digniſsimum: rogamus nihilominus te, exponas quibus notis omni alio dilecto præferri is & à nobis debeat, qualiſve penitus ſit ex omni parte, quo & nos vehementius erga illum afficiamur.

Secundus ſenſus.

Iuxta vero alterum ſenſum accipi eadem poſſunt, vt per contentionem ab ijſdem dicta, quo contentione ipſa, vt moris eſt feminarũ, excitetur magis ſponſa ad dilecti ſui laudes euehendas: ac ſi dicant.

Paraphraſis.

Quid *dilectus*, iſte *tuus præ dilecto* vniuſcuiuſque noſtrum, quid præſtantius ille habet, ita vt præferri poſsit dilectis noſtris, pro vt tu, quæ *pulcherrima* certe es *mulierum*, præferre eum videris, dum arcta hac nos obteſtata es adiuratione, vt illi duntaxat ſignificaremus, quia amore langues?

Verſ. IX. ca. V. *Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum? Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto? quia ſic adiuraſti nos.*

Expositio II.

De prima Sponſa, quæ eſt Eccleſia ſancta.

AD Chriſti laudes illas promendas hic ipſa prouocatur Eccleſia, quatenus is ipſius eſt nedum dilectus, ſed & caput: ideoque ab eadem in ſubſequẽtibus ita illius laudantur membra, vt ſua potius mẽbra laudentur, quæ talis capitis membra ſunt myſtica: Tametſi eadem, quæ ab ipſa afferuntur encomia nedum ad myſticum, ſed & ad verum illius corpus optime referantur, provt ea refert B. Virgo.

Præclare autem Sancti ij, quos illa in verſu ſuperiori filias appellat Ieruſalem, ex ea, qua ab ipſa adiurati ſunt obteſtatione indubitanter collegiſſe ſe indicant, & quod Chriſtus eius dilectus, ac caput vniuerſis aliarum Sectarum dilectis atque capitibus præferendus ſit, & quod ipſa eius ſponſa pulcherrima atq; illuſtrior ſit omnibus alijs populorum collectionibus, quæ ſub mulierum metaphora deſignatæ ſunt: Quandoquidem adiuratæ eæ, vt ipſius dilecto nuntiarent, quod ipſa amore langueret, & vulnerata eſſet charitate, ſignificatum ſibi perceperunt ob charitatem, quæ vinculum eſt, & ſumma perfectionis, & ipſam collectionibus reliquis, & illum Hæreſiarchis omnibus præferri debere.

Verſ. IX. cap. V. *Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum? Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto? quia ſic adiuraſti nos.*

Expositio III.

De ſecunda Sponſa, quæ eſt Anima Iuſti.

2

DA Sapienti occaſionem, & Sapientior erit, a ait Salomon in libro Prouerb. Pari ratione dicere & id eſt: Da amanti occaſionem, & vehementioribus accẽdetur charitatis flammis. Hinc enim factum credi derim, vt piæ illæ animæ, quæ ex eo, quod ad cœleſtem Ieruſalem ſpectent, merito filiæ quoque Ieruſalem appellantur, diuina ſuccenſæ charitate ſponſæ, cui ob eiuſdem charitatis vulnus id vnum audierant eſſe in optatis, vt Deo nuntiaretur, quod ipſa eius amore langueret, occaſionem dent, vt de eiuſdẽ dilecti prærogatiuis dulciſsimum agat tractatum, qui id complectatur totum, quod ab alijs vix longioribus expediri poteſt libris. Et merito filiæ Ieruſalem, & animæ, quæ dilectum à ſe Deum optime habent cognitum,

a Pro. 9. 9. Colloquia amantium Deum ad charitatem promouent.

cognitum, languentem item charitate, ad id prouocant; quandoquidem id moris esse soleat sanctorum vniuersorum, vt inuicem sese excitent ad diuinas euehendas excellentias, affectuosisque colloquiis ad Dei laudes proferendas prouocent, quod & ab Archangelo Raphaele factum legimus in libro *b* Tobiæ cum dixit: *Benedicite Deum cœli, & coram omnibus viuentibus confitemini ei*, &c. Et ab Angelorum Rege Christo Iesu in Euangelio, cum adhærens duobus discipulis euntibus in Emaus, dixit illis: *c Qui sunt hi sermones, quos confertis ad inuicem ambulantes?* & infra cum dixit: *Quæ?* tametsi optime ei essent perspecta, quænã illa essent, de quibus discipuli illi colloquebantur. Porro vt efficacius piam excitent animam ad dictum faciendum tractatum, quoue omnem ei auferant excusationem, duobus vtuntur mediis, duoque afferunt motiua efficacissima: Alterum desumptum ex ipsamet illius adiuratione: Alterum ex nomine, quo insigniri ea digna est. Sicut etenim illam compellant. *O pulcherrima mulierum*, seu, *in mulieribus*, vt est in Hebræo, aut, *inter mulieres*, vt est in versione Septuag. cumque vocabulum istud mulierum dupliciter accipi possit, vel pro ipso mulierum sexu, vel pro mulieribus illis, quæ à Virginibus distinguuntur: dum piam animam hanc inter mulieres, aliasque animas pulcherrimã asserunt, eam tollunt excusationem, qua subterfugere illa potuisset, indignam se prædicans: ac si dicant: Inter eas, quæ id efficere aptæ sunt, tu quoque annumeranda es, quæ inter sanctas sancta pariter es, & inter sanctissimas sanctissima. Sed melius mulierum vocabulum in altero sumentes significatu, pulcherrimam eam appellantes illarum animarum, quæ instar nuptarum mulierũ iuxta Apostoli dictum *d* diuisæ sunt, cogitantes quæ sunt mundi, quomodo placeant viro, optima ratione id ei cõpetere significãt, vtquæ vni Deo despõsata est virgo, de eiusdem Dei laudibus potissimum agat, cum iuxta eumdem Apostolum, *e Mulier innupta, & virgo cogitet, quæ Domini sunt* solius, ipsumque amet vnum. Ideo ergo primum hac vtentes rarione, optime inquiunt: *Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum?* Ac si dicant.

Sicut vnum diligens Deum, sponsaque illius existens, iugiter de vno cogitans, eius meditaris prærogatiuas, eximiasque qualitates, vt *pulcherrima mulierũ*: ita tibi peculiariter id competit, vt earum promas panegyricum. Edissere igitur nobis, *qualis præ dilectis* animarum mundo addictarum *tuus* iste sit *dilectus* eximius.

Addentes vero alteram rationem, repetunt iterum eadem verba: *Qualis est*, seu, *Quid dilectus tuus ex dilecto, quia sic adiurasti nos?* Adiuratæ iam fuerant ab ipsamet, quam alloquuntur, anima, vt nuntiarent dilecto suo Deo, quod illum deperiret, amoremque suum istum expressum ab illa recolebant sub languoris metaphora. *Adiuro vos, vt annuntietis ei, quia amore langueo*: languoris huius norant proprietatem, qua, sicut supra explicatum est, cum languentem reddat fortissimum & maxime promptum in iis, quæ sunt dilecti, ægrum tamen, & maxime debilem reddit eumdem in ceteris, quæ minime ad illum spectant, qui diligitur: Ideoque hanc induentes eius lãguoris proprietatem, cum dicunt: *Qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adiurasti nos?* tantumdem est, ac si dicant.

Quia nos adiurans significasti, te erga Deum dilectum tuum amore languere, iure id à te exposcimus, vt hæc duo nobis exponas, & eximias illius qualitates: & quibus potissimum excellentiis reliqua vniuersa quæ apud homines amorem conciliant, is superet, quidve eximij supra illa habeat, quæ passim diliguntur. Vnico enim languore illo & ad hæc omnia infirmaris, contemnens, deprimensque illa, & ad Dei dilecti tui laudes extollendas roboraris.

Iuxta secundum sensum possumus non incongrue per filias Ieruſalem eas accipere fideles animas, quæ mundo addictæ sunt, & rebus sæculi, quomodo & in capite primo, vbi ad eas sponsa Christi, cum ipsam vt nigram contemnerent, dixit; *f Nigra sum, sed formosa filiæ Ierusalem*, &cet. & in capitibus secundo, ac tertio Christus, sponsusque ad easdem *g Adiuro vos*, inquit, *filiæ Ierusalem, ne suscitetis*, &cet. sic appellatæ, quod ob baptismi generationem Ecclesiæ Ierusalem mysticæ filiæ sint, quas filias Ierusalem alio vocabulo, aliaque metaphora in hoc versu nono mulieres nuncupatas reperimus. Hæ igitur à pia anima adiuratæ in præcedenti versu, vt si forte inuenirent Deum ab ipsa peculiariter dilectum, nuntiarent ei, quod amore langueret, ab huiusmodi adiuratione commotæ, quod cetera omnia præter Deum contemptui habere significasset, quæ tam ab ipsis summopere diligerentur, ac Deo quoque præferrentur, quoad sensum sic eam per contentionem videntur alloqui.

O quæ te animabus omnibus sanctiorem, & inter homines sæculi reputas pulcherrimam, *quid dilectus iste tuus? quid dilectus iste tuus?* quid eximij præ hisce is habet quæ nos adeo deperimus, quibus adeo oblectamur: *quia sic adiurasti nos?* ac si nihil aliud, quam dilectus iste tuus diligendus sit.

Paraphrasis.

Vers. IX. ca. V. *Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima, &c.*

Expositio IIII.

De tertia Sponsa, quæ est Beata Virgo Maria.

Filiæ Ieruſalem, quæ ex Iudaico populo ad Christum conuersæ, conuersionemque suam B. Mariæ acceptam referunt, à qua adiuratas eas vidimus in præcedenti sententia, nunc ab ipsamet Virgine plenius de Christi filij eius prærogatiuis erudiri petunt, bisque idipsum repetunt: *Qualis est dilectus tuus ex dilecto?* ob duplicem, quam in illo agnoscunt naturam, diuinam & humanam. 34 Primus sensus.

Quod si iuxta alterum sensum per filias Ieruſalem, sanctos intelligamus Christi discipulos, quos Virgo Benedicta adiurauit, vt, si ante ipsam mori eis contigerit, Christo eius dilecto iam in cœlis regnanti nuntiarent, quod eius videndi desiderio langueret amore: Eædem nunc ipsam prouocant Virginem, vt de eodem Christo glorioso panegyricam habeat orationem: cum nemo illa præstantius agere possit, quæ illius mater est, & sponsa: ideoque mulierum omnium pulcherrima, & earum, quæ Virginitatis decoræ sunt flore, & earum, quæ claro illustres sunt partu. Secundus sensus. *Maria præ ceteris omnibus Christi laudes proferre poterat.*

Vers. IX. cap. V. *Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum? Qualis est dilectus tuus ex dilecto? quia sic adiurasti nos.*

Appendix Expositionum, Ex antiquis Patribus collecta.

Paraphrasis Chaldaica. Responderunt Prophetæ, & dixerunt domui Israel: Qualis est Deus, quem tu vis colere cœtus Israel, qui pulcher es super omnes populos? qualis est Deus quem tu vis timere, quia sic adiurasti nos? 4

Quod Christus bis dicitur *dilectus ex dilecto*, Philo Carpathius, & Anselmus existimant referendum ad duplicem illius naturam, diuinam atque humanam: Tamen communiori sensu, qui est Gregorij Papæ, item Philonis, Cassiodori, Bedæ, atque Richardi de S. Victore, ista interrogationis, nominisque dilecti repetitio refertur ad ostensionem maximæ in illum dilectionis, vel magis ad eamdem dilectionem excitandam adhibita esse asseritur. Ob id autem eumdem Christum dilectum ex dilecto appellatum, præcitati *Christus cur dictus dilectus ex dilecto. Phil. Carp. Anselmus. Greg. Pap. Cassiodor. Beda. Richardus.*

inquiunt Patres; quia Chriſtus ſit Deus de Deo, & filius à Patre: quod ita explicant Caſſiodorus, Beda atque Richardus, vt poſsit dilectus ex dilecto interpretari filius ex Patre: quia ſicut eſt vna Deitas, ita eſt vna dilectio Patris, & filij. Addit Gregorius Papa, quia qui filium diligit, diligit & Patrem, ex quo eſt. & Philo Carpathius, quia neq; filius ſine Patre, neque Pater ſine filio recte vnquam coli poteſt. Aliam rationem addunt Caſsiodorus, & Beda, nempe ſic Chriſtum appellatum: quia interrogatio ſit de ea illius parte, qua diligi debeat potius quam timeri.

Aponius.

A qua ratione parum differt, quod ait Aponius filias Ieruſalem interrogare animam pœnitentem cuius pulchritudinis ſit ſponſus ille nunc dilectus, ſed offenſus, vt dum delectat pulchritudinis forma, excitetur animus ad eum quærendum.

5

Loqui de Deo maxime delectat ſanctos.

Notat hoc loco Philo Carpathius, nihil aliud ſanctos quoſque diu noctuque percontari, ac loqui ſolitos, quã de abſente ſponſo, quia nihil libentius audimus, quam id, quod præcipue amamus.

Phil. Carp.

Cognitioni Dei quam indulgendum 1. Cor. 13. 12.

Aliudque hinc infert, omni ſtudio nos intendere debere, vt agnoſcamus qualis, quantuſue ſit animarum noſtrarum ſponſus, ne poſtmodum & ab illo ignoremur in iudicio, dum illum hic ignorauimus, iuxta illud Apoſtoli. *Qui ignorat, ignorabitur.*

Richardus.

Greg. Pap.

Humilitas iuſtorum cauſa eſt vt libenter alios interrogent de diuinis.

Richard. Vero de S. Victore ex hoc ipſo loco colligit vna cum Greg. Papa, inter ſanctos hanc eſſe ſolitam humilitatem, & morem, vt melius de alijs, quam de ſe ſentiant; ideoque libentius alios interrogent, ignaros ſeſe exiſtimantes reſpectu aliorum, præſertim in rebus diuinis, de quibus illos putant loqui ex interiori experientia.

Rupertus Abbas.

Mariæ auxilium implorandum cum quid tractatur fidei.

Quartum documentũ ſuggerit Rup. Abbas interrogationem hanc aſſerens factam ad B. virginem vere pulcherrimam inter mulieres, & magiſtram veritatis, vt nimirum cum quid de Deo agendum nobis illius imploremus opem: Pulſandum eſt, ait Rupert. ad oſtium veritatis, & conſulendum oraculum Spiritus ſancti, ſcilicet ſacrarium pectoris tui, vt omnem neceſſario tenendam monſtres regulam fidei.

Tres Patres.

Periculum magnum eſt, nẽ decipiamur tum in contemplando tum in agendo.

Græci vix hunc locum attingunt, Gregorius Nyſſenus, Theodoritus, & Pſellus. Soli tres Patres apud Theodoritum aliquid habent, quod hic annotetur: ita enim hanc explicant interrogationem: Quibus indiciis dignoſcitur Deus in contemplando, ne loco ipſius, eum, qui ſe lucem ſimulat, cum ſit tenebræ, pro veritate mendacium amplexi ſuſcipiamus, ô ſpecioſiſſima inter eas, quæ illi ſunt deſponſatæ, vtpote perfecta, & magiſtra omnium? Ex quibus item ſignis in agendo diſtinguitur, ne perturbationibus per virtutum exceſſum deceptæ, & rebus ſecundis pellectæ pro bono malum cõplectamur. Hoc ex te quærimus, quia nos iure iurando diuinciens amoris flammam erga illum ſuſcitaſti, & feciſti, vt eum ſedulo conquirentes inueniremus.

Verſ. X. cap. V. *Dilectus meus candidus, & rubicundus electus ex millibus.*

Expositio I.

Iuxta ſonum litteræ.

1

QVæ ad ſponſi laudes promendas per ſe propenſa maxime erat, prouocata nunc à filiabus Ieruſalem, velociſſimo ad id iam ſe proripit impetu. Et quia de duobus potiſſimum generaliter ab illis fuerat interrogata, & de eius qualitatibus, & de illius ſuper dilectos alios vniuerſos excellentia, qua nimirum ratione ita is pulcherrimus ſit dilectorum omnium, ſicut ipſa pulcherrima eſt cunctarum mulierum: generali nunc encomio hiſce ſatisfacit, ſatisfactura poſtmodum & ſpecialibus membrorum eius laudationibus, ab ipſomet edocta dilecto in panegyricis, quas ille de eius inſtituit laudibus.

Interrogationi de ſponſi qualitatibus ſatisfacit, cũ ait: *Dilectus meus candidus, & rubicundus*: Alteri vero de eiuſdem pulchritudinis excellentia ſuper reliquos, qui ſua allicere queunt ſpecie, cum ait: *Electus ex millibus.* Quamuis vnum revera ſit, quod ipſa probare intẽdit in perbreui hoc ſuo encomio, dilectũ ipſum ſuũ dilectis omnibus ita decora excellere forma, vt pulchritudine ſit præditus omnibus numeris abſoluta. Enimuero perfecta pulchritudo, iuxta Platonis ſententiam, ſita eſt in duobus hiſce, in partium conCinnitate, & ſuauitate coloris. Nec quiſquam ſuauior eſt color quam candidus rubore admixto, nec quidquam præ alijs inſignem magiſve ſpectabilem aliquem efficit, quam celſus totius corporis habitus, membris ſingulis debita ſibi inuicem proportione reſpondentibus. Idcirco bene poſtquam dixit; *Dilectus meus candidus, & rubicundus*: addit illico: *Electus ex millibus*, eamdem vſurpans phraſim, quam vſurparant, quæ ipſam interrogarant, ſumenſque præpoſitionẽ, *Ex*, pro alia præpoſitione, *Præ*: *Electus præ millibus*, numerus finitus pro infinito, iuxta frequentem Sacrarũ litterarum vſum. Porro ad quid proprie electi voce illum inſignierit, ex loco primi libri Regum colligitur facile, vbi dicitur: *a Et erat ei filius vocabulo Saul, electus, & bonus* (id eſt pulcher) *& non erat vir de filijs Iſrael melior* (id eſt pulchrior) *illo: ab humero, & ſurſum eminebat ſuper omnem populum.*

Pulchritudo ſita in duobus.

a 1. Reg. 9. 2

Et in verſu 15. cap. huius quinti in hoc ipſo ſignificatu aperte hæc vox vſurpata reperitur ab eadem ſpõſa & in eadẽ ſponſi panegyrico, vbi dicit: *b Species eius vt Libani, electus vt cedri.* Quamquã frequentiori ſignificatu electum id tandem vnumquodque dicatur in ſcriptura ſacra, quod inſigne ſit, & præſtantiſſimũ in genere illo; ſic in cantico Moyſis: *c Electi Principes eius ſubmerſi ſunt in mari rubro.* Et ne à noſtro diſcedamus Cantico Canticorum, ſic ſponſæ à dilecto ipſo ſuo dicitur *d Electa vt ſol.* Ambos vero hos ſignificatus & vox Hebræa ſignificat, ideoque bene illa nedum in Vulgata, ſed in antiquioribus verſionibus Septuaginta, Symmachi, & Aquilæ reddita eſt, *Electus.* דגול dagul enim à verbo דגל dagal vexillum erigere, ſeu inſignire, & inſignem ſignificare poteſt, & vexillatum, ſeu vexillũ geſtantem. Dum autẽ dilectum ſuũ ſponſa vexillatum ſic dicit præ decẽ millibus, haud dubium, quin ad vexilli erectionem, ſeu ad vexillum erectum alludens, proceritatis commendare illum voluerit, eumdemque inſtar vexilli erecti, ſeu inſtar eius, qui erectum ferat vexillum, ſpectabilem prædicarit. Vnde haud probare poſſum interpretationem Vatabli, Hebraicum textum דגול מרבבה dagul merbabah ita vertentis: *ſub ſignis habens exercitum decem millium*: quod illum deſumpſiſſe crediderim ex R. Salomone eadem ſic exponente: *Multis ſtipatus exercitibus.*

b Cant. 5. 15

c Ex 15. 4

d Cant. 6. 9

Vatablus

R. Salomon.

Eſt igitur generale encomium iſtud ſponſi quoad vtramque partem præſtantiſſimum, in eo quippe ſicut totus eius corporis habitus dicitur omnibus numeris abſolutus; ita & corporeæ eiuſdem qualitates aſſeruntur vſquequaque perfectæ, quod exprimitur magis per Hebraicam illam vocem, quam noſter ſecutus Septuagin. vertit, *Candidus*: צח zah enim, & candidum ſignificat & purum, nitidum, ſplendentem, ac clarum: vnde Symmachus eamdem vocem hic vertit, λαμπρός, ſplendidus: ſignificaturque ſponſum ita eſſe candidum, vt candor in eo haudquaquam mortuus ſit, prout in pleriſque, ſed viuus ac nitidus. Quomodo & in Threnis ex ſimili candore laudatos reperimus Nazaræos diſcipuli ſimilitudine: *e Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte*: quo loco eamdem vocem צח zah tam Vulgata, quam Septuag. per nitorem expreſſerunt: cum tamen lactis ſimilitudo adhibita nitorem in ipſo præ ſe ferat candore: eſtque frequentiſſimus ſacrarum litterarum vſus, vt candorem per nitorem exprimant, & è contra. Atque adeo ſæpius vbi in Græco eſt λαμπρός, in Vulgata eſt, *candidus*, ſeu, *albus*, vt Lucæ 23. 11. Iacobi 2. 2. Actor.

e Thre. 4. 7

Candor ac nitor pro eodem ſumpta in ſacra ſcriptura.

2.2. Actorum 10.30. & alibi. Sicut autem in hoc ſponſi encomio ex Hebraica voce colligitur, illum nedum ex candido commendari colore, ſed ex candido, viuo, atque nitido: ita pariter ex viuo, nitidoque colore rubro eumdem hic celebrari, vox perſuadet Græca, qua vſi ſunt Septuag. pro, *rubicundus*, πυῤῥός, namque ſignificat igneum.

Verſ. X. cap. V. *Dilectus meus candidus, & rubicundus electus ex millibus.*

Expositio II.

De prima Sponſa, quæ eſt Eccleſia Sancta.

QVod in Eccleſiaſtico corpore Chriſtum ipſius Eccleſiæ dilectum quam maxime reddidit illuſtrem, id potiſsimum extitit, quod ad eximiũ illius decorem duo ſimul conuenere, quæ alias ſibi inuicem maxime opponuntur, atque adeo & ſe inuicem deſtruunt, ſingularis nimirum puritas, & peccatum, iuxta illud Pauli: *f Eum qui non nouerat peccatum pro nobis peccatum fecit*, ſcilicet Pater. Haud ergo mirandum, ſi & ipſamet Eccleſia ex hoc in primis eum celebret præclara hac metaphora candidi ſimul, ac rubicundi, cãdore immunitatẽ illius deſignans ab omni peccato; rubore vero, quo candor is infici videtur, ipſum deſignans peccatum. At quod admirandũ eſt in hoc Chriſti encomio, id eſt, quod vna eademque metaphora vultus candidi & rubicundi nedum rem, ſed & modũ prædictæ exponit rei: ſic enim ex natura ſua purum illum eſſe indicat, atque immunẽ ab omni ſorde peccati, ſicut cutis candidæ faciei ex natura ſua, & per ſe candida quidem eſt, ita vt tametſi rubor in ea appareat: ipſa nihilominus innatum ſeruet candorem: veſtigio vero ita eumdem, qui candidus ex ſe eſt, dici peccatum, ſeu peccatorem iuxta illud Iſaiæ: *g Et cum iniquis reputatus eſt*: quo loco ponderandum verbum, *reputatus eſt*, ſicut eadem faciei cutis & rubicunda eſt, & ex rubore ipſo haud modicum contrahit decorem. Notum eſt autem apud Naturales vultus ruborem illum haud aliunde prouenire, quam ex ſanguine, cuius tamen ſanguinis ruborem candida genarum repræſentat cutis, haud ab illo vel tantillum infecta, & ex vno Iſaia Propheta habemus, per ſanguinem ſignari peccatum, vbi dicitur: *Manus veſtræ plenæ ſunt ſanguine*; atque etiam, quomodo ob iſtiuſmodi ſanguinem Chriſtus ita rubicundus ob ipſum fuerit peccatum, vt tametſi hominum peccata in ſe tulerit: peccator tamen, peccatique ſanguine infectus minime fuerit, ſed eius duntaxat extrinſecus præ ſe tulerit ruborem, quo eximia ipſius puritas illuſtraretur quam maxime, vbi dicitur: *a Pro eo, quod laborauit anima eius, videbit, & ſaturabitur: in ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit*. Et infra: *b Cum ſceleratis reputatus eſt, & ipſe peccata multorum tulit*. Optime autem Septuag. expreſſere iſtum Chriſti ruborem nomine ignei; quandoquidem per illud ipſum, quod in ſe exhibuit peccati ſpecimen, ſanguinem ab humano genere abſterſit, abſumpſitque peccati rubedinem vti ignis conſumens, de peccato damnans peccatum (ſicut ait Apoſtolus) ruboreque eodem ſuo nos candidos faciens, æque ac igneus præcordiorũ ſanguis parientis fœminæ ſanguinem in lac conuerſum ſuo dealbat calore, vt ſimus & nos dealbati in ſanguine eius. Congruitque egregie, quod idem ipſe, qui hac ratione dictus eſt *candidus & rubicundus*, ac *igneus*, dicatur & *electus ex millibus*: vtpote per quem mille, & infiniti ſaluarentur homines. Et in textu Hebræo: *vexillatus in myriadibus*: cum inter myriades eorum, qui per ipſius ſanguinem candidi effecti ſunt, tamquam vexillũ is extiterit, fueritque iis omnibus celſior, ferens crucis vexillum, in quo vniuerſam ab eis abſtulit maculam.

2 *Peccatum vna cum puritate quomodo fuerit in Chriſto.* f 2. Cor. 5. 21.

g Iſai. 53. 12.

Iſa. 1. 15.

a Iſai. 53. 11.

b & 12.

Peccati labẽ quomodo ab ſe terſerit Chriſtus ſanguine ſuo ſuper crucem. Rom. 8. 3.

Simile.

Verſ. X. cap. V. *Dilectus meus candidus, & rubicundus electus ex millibus.*

Expositio III.

De ſecunda ſponſa, quæ eſt Anima Iuſti.

LAudat Deum dilectum ſuum pia anima ex duobus, quibus frequentius celebrari is ſolet, attributis miſericordiæ, atque iuſtitiæ: & tamquam alterum ſolem, qui & benigno illuſtret lumine, & æſtuantibus inflammet radiis: ob lumen miſerationum, quibus vniuerſum illuſtrat orbem, candidum illum prædicat candore præfulgido: ob iuſtitiæ vero æſtus quibus impios quoſque conflagrat, rubicundum eumdẽ dicit, & igneum. Sic tamen eum iuſtum aſſerit, & rubicundum, vt candore exornetur miſericordiæ, ſicue miſericordem, & candidum, vt pſe eius miſericordiæ candor rubore decoretur iuſtitiæ.

Miſericors ſimul & iuſtus quomodo ſit Deus.

Porro ex hoc ipſo quod candidus ſimul eſt, & rubicundus, miſericors, & iuſtus congruentiſsime electum ex millibus eumdem pronuntiat: nam quotquot iuſti ſunt, & miſericordes, ad alterutram partem, vel ad iuſtitiam, vel ad miſericordiam propenſiores reperiuntur: At piæ animæ dilectus Deus, licet magis ſibi propriam aſſumpſerit miſericordiam erga homines; haud tamen vlla ex parte iuſtitiam lædi permittit, quod vel ex incarnationis myſterio fit omnibus perſuaſum.

Miſericordia Deo magis competit, quam iuſtitia, & quomodo.

Quamquam ſi electi vocabulum pro inſigni poſitũ ſumamus, vt annotatum eſt in prima expoſitione, diciſat probabiliter poſſet, Deum ab anima hic extolli potiſsimum ex miſericordia, ſecundum quam præfertur vniuerſis, quotquot ipſa inſigniti ſunt miſericordia, vt fiat alluſio ad id, quod dictum eſt in capite ſecundo: *c Ordinauit in me charitatem*: vbi prout videre eſt in prima illorum expoſitione, in Hebræo eſt vox דגלו vedaghelu; *Inſignite ſuper me charitatem*, ſeu, vt modo reperitur in textu דגלו vadiglo, & *vexillum eius ſuper me charitas*: ab eodem verbo, quod & hic habetur דגול dagul: Multoque magis ſenſus probabitur, ſi Hebraicã hanc vocem, quam hoc loco vſurpauit ſponſa, *vexillatum*, interpretemur, aut *vexilliferum*, tunc quippe apertius apparebit, Deum ex eo celebrari, quod præ vniuerſis creaturis inſignior ſit in bonitate, & miſericordia, quippe qui præ illis vexillum geſtet, haud ſane aliud, quam dilectionis, quod alias ſuper ſe erectum aſſeruit ſponſa: id quod & per præcedentia pariter ea verba, *Dilectus meus candidus, & rubicundus*, confirmari poteſt, ſi ſubtiliter ea perpendantur. Enimuero ſi metaphoræ ſtandum eſt, tametſi & candidus dicatur, & rubicundus: candidus tamen dici cenſendus eſt ex natura ſua, & per ſe; rubicundus vero per accidens, & modicum. Sicut cum quempiã ex hoc ipſo laudamus, quod candidus ſit, & rubicundus, haud toto corpore rubicundum eum ſignificamus, qui toto certe corpore candidus ex ſe eſt; ſed in genis duntaxat. Quis vero eſt, qui neſciat, Deum ex natura ſua totum eſſe bonum, pium, atque miſericordem? Quod ſi admodũ decorus idcirco iuſtus aſſeritur; quia iuſtitiam aliquando exerceat, ſceleſtos caſtigans, rubore iſto modicum ſuffunditur extrinſeca in facie, eſtque is ei quodammodo per accidens: vnde præclare illum Iſaias Propheta alienum nuncupat, dicens: *d Sicut in monte diuiſionũ ſtabit Dominus, ſicut in valle, quæ eſt in Gabaon, ſtraſcetur, vt faciat opus ſuum, alienũ opus eius: vt operetur opus ſuum, peregrinum eſt opus eius ab eo.*

Simile.

Iuſtitia quomodo competat Deo, cui proprium eſt miſereri & quomodo illum exornet.

d Iſa. 28. 21.

Porro, cum faciei rubor (vt dictum eſt) ex aduentitio proueniat ſanguine, ac per ſanguinem deſignentur

tur peccata (vt pariter probatum est supra) manifeste & id quoque significatur in hoc encomio, quod istiusmodi iustitiæ rubor ex hominum peccatis in Deo excitetur, quandoquidem iuxta id, quod habetur in Cantico Mosis: *e Deus fidelis est, & absque vlla iniquitate; peccauerunt ei, & non filij eius in sordibus.* Sicque idem in Deo per hominum peccata excitatur rubor, vt per ipsum & Deus decoretur, & eiusdē nullatenus lædatur misericordiæ candor, prout fusius contestatum eidem Domino videre est Danielē in feruentissima illa oratione sua, in qua inter alia hæc habet: *f Peccauimus, iniquitatem fecimus, impie egimus,* & cetera. *Tibi Domine iustitia* (en pulcher rubor in Deo) *nobis autem confusio faciei, sicut est hodie viro Iuda, & cet.* & infra: *Domine nobis confusio faciei, Regibus nostris, Principibus nostris, & patribus nostris, qui peccauerunt: Tibi autē Domino Deo nostro misericordia, & propitiatio* (en quod haud læsus in illo est misericordiæ candor per iustitiæ, & castigationis ruborem) nam & subdit: *Quia recessimus à te, & non audiuimus vocem Domini Dei nostri, vt ambularemus in lege eius, &c. & stillauit super nos maledictio, & detestatio, quæscripta est in libro Moysi serui Dei, quia peccauimus, &c. Et vigilauit Dominus super malitiam, & adduxit eam super nos: iustus Dominus Deus noster in omnibus operibus suis quæ fecit.* Denique & id aduertere licet in hoc ipso iustitiæ rubore, quo Deus candidus, rubicundus pariter dicitur, quod de humanæ faciei rubore asseritur, significare verecundiam, pudorem, & erubescentiam. Nam si de Deo humano more loquendum sit, haud absonum dicetur, si ipsa iustitiæ opera erubescentiam quamdam in eo causare dicamus, ac si is, cum exercere illa cogitur, ijsdem quodammodo erubescat castigaturus: Id quod ex eiusmet verbis deducere possumus, quibus apud Isaiam Prophetā ait: *a Heu consolabor super hostibus meis, & vindicabo me de inimicis meis:* vox etenim illa, *heu*, nedum dolorem, sed & pudorem quemdam significat.

e Deut. 32. 4.

f Dan. 9. 5.

Iustitiam exercens erubescat quodammodo Deus.

a Isai. 1. 24.

Vers. X. cap. V. *Dilectus meus candidus, & rubicundus electus ex millibus.*

Expositio IIII.

De tertia Sponsa, quæ est Beata Virgo Maria.

4

GEminam in Christo celebrat Glorioſa Virgo naturam, diuinam, atque humanam, quarum vnione insigniorem illum norat omnium creaturarum: ideoque quem *b* Apostolus primogenitum dixit omnis creaturæ, electum asserit ipsa ex millibus, appositisque vocibus tam diuinam, quam humanam in illo commendat naturam, & earumdem eximiam exprimit vnionem: Diuinam namque haud quocunque designat candore; sed illo, qui splendidissimus sit, cum Hebraica vox זָךְ zah splendorem significet meridianæ lucis, vt patet ex illo Isaiæ: *c Sicut meridiana lux clara,* Hebraice zah, qua nulla inter visibiles splendidior lux reperitur in creatis: & de eodem Christo legimus in libro *d* Sapientiæ: *Candor est lucis æternæ: & splendorque gloriæ* appellatur ab Apostolo ob ipsum diuinitatis candorem. Sed & humanitatis ruborem haud minus apta designauit Hebraica item voce אָדָם adom, qua ex voce nomen desumpsit primus homo, cum Adam nuncupatus est ob id, quod ex Adamah, id est, terra rubra formatus sit, vt ex libro Gen. habetur. Neque vero quia Christi rubor iste è terra desumptus est, deformitatem intulisse censendus est splendidissimo eiusdem diuinitatis candori, cui vnitus is est; quin potius ex hac eius vnione diuinitas ipsa, splendorque eius illustratus est haud modicum; sicut & splēdor Solis cum mane, & vespere rubescit ob sibi subiectos terrestres vapores, pulchrior, & iucundior apparere conspicitur, iuxta illud Psalmi: *f Exitus* (secundum versionem Symmachi) *προελεύσεις, progressiones matutini, & vespere delectabis*, id est, ob pulchrum, iucundumque splendorem delectare facies solem, præsertim cum matutino, & vespertino tempore progreditur.

In Christo duplex natura, diuina & humana.

b Coloss. 1. 15.

c Isai. 18. 4

d Sap. 7. 26

e Heb. 1. 3.

Humanitas in Christo decorauit quodammodo diuinitatem.

f Psal. 64. 9.

Vers. X. cap. V. *Dilectus meus candidus, & rubicundus electus ex millibus.*

Appendix Expositionum, Ex Antiquis Patribus collecta.

5

PAraphrasis Chaldaica. Tunc cœpit cœtus Israel narrare laudes dominatoris sæculi, & sic ait: Illi Deo volo seruire, qui amictus est per diem stola alba, sicut nix: & splendor gloriæ vultus Domini sicut ignis propter multitudinem sapientiæ, & opinionis, quia rumores nouos ipse innouat quotidie, & futurum est, vt manifestet eos populo suo in die magno: & vexillum eius erit supra mille millia Angelorum, qui ministrant coram Deo.

Sententiam istam in duas partes diuidere possumus, quarum prima sit, *Dilectus meus candidus, & rubicundus*: Secunda, *Electus ex millibus*: & vtrique parti plures à Patribus dantur intellectus.

Primæ quidem tres reperio communiores Patrum sensus. Vnum, vt Christus *candidus* quidem dicatur ob innocentiæ, & impeccabilitatis candorem: *Rubicundus* vero ob sanguinē, quem pro totius mundi peccatis effudit. Ita tres Patres apud Theodoritum, Hieronymus libro 14. in Isaiam capit. 53. vbi cum impeccabilitate iungit plenitudinem, ac puritatem virtutū: Cassiodorus, Gregorius Papa tum super hunc locum, tum expositio. in quartum pœnitentialem, Beda, Philo Carpathius, Rupertus Abbas, & Anselmus, qui cum Hieronymo, candidum Christum dici, ait, quia dealbatus multa virtute.

Secundum, vt idem Christus *candidus* dicatur in Virginitate, *rubicundus* in passione. Ita Hieronymus libro 1. contr. Iouinianum, Cassiodorus, Iustus Orgelitanus, Petrus Damiani libro 2. epistolarum epist. 18. & Hugo de Sancto Victore institut. monast. ser. 48. qui id, quod de passione dicitur, probant ex vulgatissimo loco apud Isaiam: *g Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosrah?* Et: *Quare ergo rubrum est vestimentum tuum?*

Tertium, vt *candidus* idem Christus dicatur, quatenus Deus, *rubicundus* vero quatenus homo: Ita Ambrosius in fragmine de fide resurrectionis dicens; *Rubicundus* Christus Dominus ex Incarnatione; *candidus* autem ex diuinitate: probatque quod ex Incarnatione dictus sit rubicundus ex illo *a* Apocalypsis, vbi dicitur, quia equus, super quem sedebat Dominus, erat rubeus, corpus nimirum, quod ex Virgine assumpsit, cui cœlos ascendenti dicitur: *b Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus, formosus in stola sua? Quare rubrum est vestimentum tuum?* &c. Porro idcirco ob diuinitatem candidum eumdem dici, ait: quia splendor est Patris, sic candorem prosplendore & candore lucis accipit in lib. 1. de Virginibus, & in serm. 5. super Psal. 118. vers. 1. Quomodo & qui eundem sensum sequūtur, Theodoritus, Tres Patres, Iustus Orgelitanus, Aponius ob id potissimum rubicundū vt hominem Christum putarunt: quia carnis indumentum ictus lanceæ sanguine rubrum reddidit, & Anastasius Sinaita lib. 4. Exaemeron tom. 1. Biblioth. veterum Patrum, qui eumdē Christum Soli comparat: vt quemadmodū Sol cōstat ex pura luce, quam ipse existimat prima die conditā, & igne,

Candidus Christus innocentia, rubicundus ob sanguinem, quem fudit pro peccatis.

Tres Patr. Hieron. Cassiodor. Greg. PP. Beda. Phil. Carp. Rup. Abb. Anselm.

Candidus Christus in virginitate, rubicundus in passione. Hieron. Cassiodor. Iust. Org. Pet. Dam. Hugo. Vict.

g Isa. 63. 1.

Candidus Christus vt Deus, rubicundus vt homo. Ambrosius.

a Apoc. 6. 4

b Isa. 63. 1.

Ambros.

Theodor. Tres Patr. Iust. Org. Aponius. Anastasius Sinaita.

igne, qui postea factus, & in æthere collocatus est, vt mundo Sol luceat: Ita & Christus diuina generatione lux purissima sit de luce æterna; cui postmodum per generationem humanam ignis adiectus sit, atque caro, ob quam propterea Græco vocabulo in versione Septuag. pro *rubicundus*, dictus est πυῤῥὸς, igneus.

6 Sed præter tres istos, qui communiores sunt, alij quoque apud Patres reperiuntur sensus, digni certe, qui hic notentur.

Greg. Nyss. Christus candidus carne, rubicundus sanguine. c Cant. 2. 2. Psellus.

Siquidem Gregorius Nyssenus homil. 13. Christum ob vnam carnem, ait, & candidum dictum, & rubicundum eo modo, quo & supra c in cap. 2. Malum appellatus idem fuit, quod candidum est atque rubrum; vt *candidus* quidem dicatur propter candidissimam carnem ipsam: *rubicundus* vero propter sanguinem.

Psellus apud Theodoritum: *Candidus, & rubicundus*: quia ex eius latere fluxit sanguis, & aqua. Quem sensum tangit & Bernard. sermone 1. in die sancto Paschæ, vbi & ob viuum sanguinem, lacteum, candidū, ac rubicundum dictum eumdem asserit.

Bernard. Christus candidus & rub. ob sanguinem & aquam è latere.

Rubicundum Christum in passione, & candidum in resurrectione ait Hieronymus lib. 17. in Isaiam cap. 63.

Hieron. Rubicundus in passione, cand. in resurrectione

Idem vero Hieronymus in epitaphio Paulæ epist. 27. ad Eustochium, candidum, & rubicundum Christum dici asserit: quia & in pace, & in prælio eadem præmia vincentibus tribuat.

Candidus in pace, rubic. in prælio.

Tres Patres apud Theodoritum, *Candidus*, inquiūt, est Christus illis, qui ab omnibus peccatorum sordibus sunt purgati: *rubicundus* vero illis, qui per tentationes, vt igneus auri fulgor, probati fuerint.

Tres Patres Candidus innocentibus, rub. purgatis per tentationes.

Bernardus sermone 28. in Cant. Christus dicitur *candidus & rubicundus*, quem circumdant *flores rosarum & lilia conuallium*, hoc est Martyrum, Virginumque chori: & qui medius residet, non vtique dissidet, Virgo, & Martyr.

Bernard. Candidus ob Virgines, rub. ob martyres.

Denique ob Spiritum sanctum Christū ipsum rubicundum dictum, asserit Philo Carpathius.

Christus rubicundus ob spiritum sanctum. Phil Car.

Secunda pars, *Electus ex millibus*: Communiori sensu hoc epitheto insignitus censetur Christus, quia solus ex vniuersis hominibus sine peccato inuentus est, & electus, qui peccatores, totumque genus humanum redimeret. Ita Cassiodorus, Gregorius Papa, Philo Carpathius, Beda, Aponius, Rupertus Abbas, & Richardus de Sancto Victore. Ponderat autem Philo, quod in versione Septuag. dicitur. *In decem millibus*, sic dictum inquiens Christum electum in decem millibus: quia post decē legis præcepta, & Prophetas aduenit mille, id est, perfectus: siue quod à summo cælo egressus de millibus Angelorum, post nouem choros ex Deipara Virgine processit.

Christus solus sine peccato. Cassiod. Gre. Papa Phil. Carp. Beda. Aponius. Rup. Abb. Richard. Victor.

Præter communiorem istum sensum, *electum ex millibus*, seu, *in decem millibus* Christum dici ob id, ait Gregorius Nyssenus: quia is solus noua quadam partus facie natus est sine vuluptate, & sine labore.

Christus dictus electus ex millibus ob multas rationes. Greg. Nyss.

Sic Tres Patres, quia solus natus è Virgine.

Tres Patres.

Quia *speciosus forma præ filijs hominum*, iuxta Theodoritum.

Theodor.

Quia solus meruit audire à Patre, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, secundum Bedam.

Beda.

Quia in vniuersis rebus, nihil eo melius, ait Anselmus.

Anselm.

Quia millia millium dilecto, & decies centena millia circa dilectum, & nemo ad dilectum, inquit Bernardus serm. 21. in Cant.

Bern.

Et demum sic dictum Christum censuit Hieronymus lib. 14. in Isaiam cap. 53. ob resurrectionem; quia primogenitus ex mortuis.

Hierony.

Vers. XI. cap. V. *Caput eius aurum optimum: comæ capitis eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus.*

Expositio I.

Iuxta sonum litteræ.

A D particularium membrorum sponsi encomiū post generalem eiusdem commendationem deueniens sponsa, merito exorditur à capite, quod inter membra reliqua primum obtinet locum, præstantiorique excellit dignitate. Diuiditur autem encomium istud in tres partes, quarum singulæ suas habere videtur difficultates. Prima enim, *Caput eius aurum optimū*, & tertia, qua dicitur, *Nigræ quasi coruus*, videntur sibi inuicem pugnare. In more siquidem est, vt aureum illud nuncupemus caput, quod flauis, aureisque niteat comis, quibus & caput ipsum quam maxime decoratur. Sic Apuleius in libro 5. de transformatione, flauam describens Cupidinis comam: Vidit, inquit, capitis aurei genialem cæsariem ambrosia temulentam. Tollitur tamen oppositio ista communi expositorum consensu, quo asseritur, aurei encomium haud referendum hoc loco ad colorem: at referri debere ad nitorem, & pulchritudinem, iuxta communem illam loquendi phrasim, qua id omne, quod formosum sit, pulchreque, & affabre factum aureum dicere solemus, id quod frequentissimum est apud Poëtas præcipue. Sic igitur primo isto, communiorique sensu sponsi caput nigerrima decorum cæsarie, nitoris, pulchritudinisq; eximię celebratur à sponsa: Ac si dicatur.

Apuleius.

Aureum dici solet quicquid formosum sit

Primus sensus.

Caput ipsius formosum est, perlucidum, ac purum instar auri optimi.

Paraphrasis.

Sed tametsi communem sensum istum, vt probabilem maxime amplexandum censeam: nihilominus alio magis meus propendet animus, vt nimirum non tam ex innata pulchritudine innatoque nitore, quam ex ornamentorum decore hic celebretur sponsi caput. Quod & in alijs quoque encomiis membrorum illorum, quæ ex ornamentis laudem sibi conciliare consueuere, factum videbimus in versibus quartodecimo ac quintodecimo: estve id & poemati sacro, & honestæ puellæ, virgineoque pudori congruens magis. Porro cum duplex esse queat commendabile ornamentum, naturale alterum, alterum adscititium, ex vtroque hic celebratur sponsi caput, ex adscititio in prima parte: ex naturali vero in duabus reliquis. Inter adscititia virilis capitis ornamenta nullum sane illustrius atque præstantius aureo est diademate, quo maxime intuentium attrahuntur obtutus, & animi, iuxta illud eiusdem sponsæ: *a Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua, &c.* Ex hoc ergo potissimum ornamento eiusdem Regis Salomonis, qui dilecti hic gerit personam, commendari crediderim caput, dum dicitur: *Caput eius aurum optimum*: vt tantumdem sit, ac si dicatur.

Secundus sensus.

aCant. 3. 11

Caput eius adeo insigni decorum est aureo diademate, quo vndique ambitur, vt plane *aurum optimum* illud appelles merito.

Paraphrasis.

Ex Hebraica autem lectione colligitur apertius, & cōfirmatur sensus iste, cum pro, *Aurū optimum*, habeat כתם פז chethem paz. Quid etenim sit chethē paz, quamuis apud Hebræorum Doctores haud certo definitum adhuc sit, existimantibus aliquibus, esse massam auream: aliis monile, seu torquem aureum, aut quidpiam ex iis, quæ pretiosa in Regum reponuntur thesauris: Vnde factum crediderim, vt & Aquila illud verterit: λίθεα δ χρυσίε, lapidea, κεφαλή, *caput lapideum auri*: alludens ad lapides auro inclusos: quod clarius expressit Symmachus referente Theodo-

Aquila.

Symmachus.

Theodorito, vertens : *Caput eius lapis pretioſus* : colligitur tamen manifeſte ex eo, quod habetur in Pſal. 44. & ſecundum Hebræos 45. verſ. 10. vbi exponitur gloria ſponſæ Regis item Salomonis, ac pro eo, quod in
b *Pſ.* 44. 10 textu noſtro legimus : *b Adſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato*, in Hebræo eſt : *Adſtitit coniux à dextris tuis*, בכתם ופיר bechethem ophir, id eſt, *diademate aureo*, vt egregie vertit B. Hieronymus, & ante illum Theodotion; ἐν διὰ δήματι χρυσῷ ἐκ σαφείρ *in diademate aureo ex ſaphir*, id eſt, optimo: quod ex peculiarib. locis, vnde aduehebatur, varijs nominibus vocatum reperitur in ſcripturis ſacris, aliquando ophir, ſeu ſuphir, aliquando Poz, ſeu νιφάς, vt legunt Septuag. Denique & ex verſione Theodotionis, quæ habet : *Caput eius*, ἐκπέπηκεν ἐν χρυσίῳ, pariterque & Quintæ editionis, quæ (vt refert Theodoritus) habet, *Inſigne auro*, ad eumdem adſcititium capitis ornatum, iuxta probabiliorem hunc ſenſum, referenda, quæ hic & in Vulgata dicuntur, apparent. Nec aliud & Symmachi, & Aquilæ ſignificant verſiones, dum legunt : *Caput eius lapideum auri*, ſeu, *lapis pretioſus*, vt relatum eſt ſupra; cum & in pſalmo 20. diadema, atque coronam legac *Pſ.* 20. 4. mus de lapide pretioſo : *c Poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo* : ob id, quod in diademate ipſo aureo lapides inclusi eſſent pretioſi.

Theodotion. Aurum ex locis vnde aduehebatur, varijs epithetis in ſignitum in ſcriptura.

Iuxta hunc igitur ſenſum commendato ſponſi capite ex adiecto extrinſecus ornamento, addit inſuper ſponſa alterum eiuſdem encomium ex eo ornamento deſumptum, quod natura illi indidit, ex coma atque capillis, quo qui careat, deformis adeo eſt, vt riſum ſui concitet, atque contemptum, vt patet ex quarto lib.
d 4. *Reg.* 2. 23. Regum, vbi legimus *d* pueros illudentes Eliſæo, atque dicentes: *Aſcende calue, aſcende calue.* Laudat autem ſponſa iſtud capillorum ornamentum ex eorum diſpoſitione, & colore duabus ſimilitudinibus, dicens: *Comæ eius ſicut elatæ palmarum, nigræ quaſi coruus*: quarum ſimilitudinum non tam clara eſt ſecunda, quam obſcura eſt prima: Neque enim apud Expoſitores omnes conſtat, quid ſint elatæ palmarum, quaue in re illis dicantur ſimiles perpulchræ ſponſi comæ.

Elatæ quid ſint.

Pro iſtorum ergo intelligentia, ſupponendum primo eſt, vocem, *Elatæ*, haud eſſe Latinam, ſed Græcã à Septuag. Interpretibus hic appoſitam, & à noſtro item interprete etiam in Latina verſione vſurpatam, & conſeruatam, adiecto tamen nomine, palmarum, ad tollendam eius vocis ambigiuitatem, cum & arbor Abietis ἐλάτη apud Græcos nuncupetur : vnde Ambroſius tum præfatione in ſecund. lib. de Spiritu ſancto, tum ſermone 15. in Pſalm. 118. ſic legit: *Crines eius abietes*, prout & Paulinus epiſt. 4. Sed etiam cum hoc additamento, palmarum, adhuc dubia eſt & ſimilitudo, & ipſa prædictæ vocis ſignificatio.

Elatæ palmarum quid ſint. Ambroſ. Paulinus.

Communior recentiorum expoſitorum ſenſus eſt, vt comparentur ſponſi comæ nouis palmarum germinibus, & inuolucris illis, quibus earundem palmarum flores continentur, & fructus: Hæc quippe inuolucra propriori ſignificatu elatarum voce ſignari, teſtes ſunt Dioſcorides libro 1. cap. 126. Theophraſtus libro 2. de hiſtoria plantarum cap. 8. & alij. Et quidem Legionenſis comparationis huius vim in colore duntaxat cenſuit ſitam, dicens: Quibus corticibus, & inuolucris credo hic capillos ſponſi colore ſimiles dici. Subnigri ſunt enim illi cortices, & idcirco ſubiungitur. Nigri quaſi coruus.

Dioſcorides. Theophraſ. Leogimenſis.

Verumtamen non tam ad colorem, quam ad eorumdem capillorum diſpoſitionem eam referendam ipſa indicat talium elatarum deſcriptio, quam verbis hiſce affert Proſper Alpinus in libro ſuo de plantis Ægypti: Martio menſe inuolucra ſuis alis adligata aperiuntur, è quibus globus filorum infinitorum proſilit, floreſque his filis, vel capillamentis appenſi cernuntur, à quibus dactyli parui virides, vuarum racemos imitantes, producuntur. Vnde apparet, eatenus hiſce palmarum elatis ſimiles dici ſponſi comas, quatenus denſæ eæ ſunt capillorum multitudine : & quatenus ob id, quod criſpi eſſent, flores quodammodo referre viderentur cincinnis retortulis, quos in imo exhiberent, dum è capite ad humeros dependerent, æque ac & elatas è palmarum culminibus ad truncos dependere, conſpicimus, vt intueri cuique licet in ſubſequẽti figura, vbi elatæ, ipſaque inuolucra prædicta ſignantur per litteram A.

Primus ſenſus. Proſper Alpinus.



ELATÆ PALMARVM.

Triplici ergo ratione, iuxta hunc ſenſum, ſponſi celebrantur comæ, ex longitudine, ex denſitate & copia, ac demum ex criſpitudine: Ac ſi dicatur.

Comæ eius, quas ſcilicet vt Nazarenus nutriebat, denſis, criſpiſue, ac longis capillis è capite dependent ad humeros, *ſicut elatæ palmarum* capillamentis, floſculiſue ſuis ad truncum dependent ex ipſis palmarum faſtigijs. *Paraphraſis.*

Hunc ego ſenſum optimum duco lectionum & Vulgatæ, & Septuag. ſupponens per vocem *elatæ* ſignificari dictum palmarum germen.

Sed certe ſi ex ijs, qui de plantis vel vocum ſignificationibus ſcripſerunt, habere poſſem, vt per eamdem vocem ſignificarentur rami ipſi palmarum, libentius alterum ſequerer ſenſum, quo haud ſupponendum eſſet id, quod gratis dictum eſt, ſponſum extitiſſe Nazarenum, Nazarenique cæſarie decorum: afferam nihilominus illum, cum plerique ſint grauiſſimorum expoſitorum, vt Caſſiodorus, Aponius, Philo Carpathius, Beda, atque Rupertus Abbas, præter recentiores, quos piget enumerare, qui per elatas palmarum, quas ego intellexiſſem libenter, comas accipiunt, ramoſque earumdem palmarum. *Secundus ſenſus. Caſſiodor. Beda. Aponius.*

Enimuero quod potiſſimum in ſponſi capillis hic laudari crediderim, denſitas eſt, ac criſpitudo; quæ duo

duo haud melius explicari potuissent, quam hac comæ palmarum, ramorumque similitudine: Si enim supponamus, sponsum cincinnatum fuisse, vt fassus
a Cant. 5.2. est ipsemet superius, cum dixit. *a Caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium:* vt ve tam Hebræa, quę hic habetur vox קְוֻוצֹתָיו cheuuzothau, quam Græca βόστρυχοι, qua vsi sunt Septuagint. apertius indicant, dum illius caput aureo redimitum esset diademate, cuius rei laudatus est in præcedentibus verbis, ipsi, qui supra diadema eminebant, eius cincinni densi, atque longi ad viuum profusam præ se ferebant palmæ comam, cuius rami, & cincinnati ita vergunt deorsum, vt in medio instar cincinnorũ elatum quid exhibeant, vti tumulum quempiam: ideoque censere possumus Septuag. congruenter Hebraicam vocem תלתליים thalthalim, quæ proprie tumulos significat, vertisse, ἐλάτας, parique modo nostrum Interpretem, *Sicut elatæ palmarum*: Sicque iuxta hunc sensum, quod hic dicitur, tale erit.

Paraphrasis. *Caput eius* insigne est aureo diademate redimitum, adeo vt iure *aureum* dici queat *optimum* ob extrinsecum istud ornamentum: Sed admodum insigne est pariter ex altero, quod natura ei indidit, ornamento cincinnorum: *comæ* siquidem *eius*, quę sæpius eminentiores sunt diademate, ac circulo illo aureo, & copia, & crispitudine palmarum comis similes plane sunt, cincinnique ipsius cincinnatis crispisque similes sunt palmarum ramis.

Tertius sensus. Hebraicus textus haudquaquam hanc habet elatarum, aut ramorum palmæ similitudinem, *sed* cum vox תלתליים thalthalim tumulos, aceruosque significet, capillorum crispitudinem laudari censent aliqui; ideoque tam Sanctes Pagninus, quam Biblia Regia ita eam vertunt: *Capilli*, seu, *cincinni tui crispi*. Densitatem vero eorumdem celebrari autumant alij: propterea Isidorus Clarius, & Vatablus vertunt, *Cincinni eius densi*: & Agathius, *Cincinni eius aceruati*. Ipse vtraque ex conditione tam ex densitate, quam ex crispitudine simul eosdem celebrare crediderim vnico illo vocabulo, idque pro egregia similitudine multorum tumulorum, atque adeo simplicius Hebraicam ipsam lectionem sic verterem, *Cincinni eius tumuli*, seu *colliculi*. Siquidem obseruare est in ijs, qui cincinnato insignes sunt capite, quot habent cincinnos retortos, tot habere & capillorum tumulos, atque colliculos. Sic sponsi caput aureo diademate coronatum, & hoc quoque præclaro multorum cincinnorum ornamento maxime decorum asseritur, cum ad id, quod in prima parte dictum fuerat, *Caput eius aurum optimum*, seu, *diadema aureum*, adjicitur, *Cincinni eius tumuli*: Æque est enim, ac si dicatur.

Sanctes Pagninus. Biblia Reg. Isidorus Clarius. Vatablus. Agathius.

Paraphrasis. Quia intra prædictum diadema in eodem eius capite apparent illius capilli, densi perpulchre sunt, atque crispantes, adeoque belle multos efficiunt cincinnos: vt cincinni ipsi magna sui copia innumeros in capite illos spectandos exhibeant tumulos, nitidosque colliculos. Sunt namque *nigri quasi coruus*, instar nigricantium, videlicet, atque fulgentium plumarum corui.

Capilli, densi, crispi, & nigri bonam corporis habitudinem significant. Galenus. Porro apte admodum sponsa capillos dilecti sui, quem electum dixit ex millibus, ex densitate, & crispitudine laudat: quandoquidem hæc duo bonam corporis constitutionem significant, vt docet Galenus in Arte parua, sicut & nigror: talis namque color in hominum capillis probari maxime solet; quia pulchritudinem simul cum fortitudine, & virilitate significet: Vnde Martialis lib. 5. Elegiarum in Lentinum, eleg. 90. eamdem vsurpans corui metaphoram, ait:

Martialis.

Mentiris iuuenem tinctis, Lentine, capillis,
Tam subito coruus, qui modo cygnus eras.

Coruo igitur bene comparantur ij non currui, aut curribus, vt prauè aliqui ponderare solent pro concionibus haud obseruantes apertissimum errorem, qui in Latina versione Sept. Romæ excussa in Vaticano irrepsit, vbi mendose habetur, *Nigri vt curuus*, pro, *vt coruus*: κόραξ quippe coruum designat.

Vers. XI. cap. V. *Caput eius aurum optimum: comæ capitis eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus.*

Expositio II.

De prima Sponsa, quæ est Ecclesia Sancta.

4 Caput corporis Christi mystici est humanitas.

MYstici corporis Christi caput ipsam esse illius humanitatem, nemo ambiget, qui hominum caput norit hominem Christum Iesum ex hominibus assumptum, ac pro hominibus constitutum. Quam vere autem *caput* istud ob regiam dignitatem, qua is Princeps est Regum terræ, diademate aureo redimitum, adeoque & *aurum optimum* dicatur, probatum à nobis est alias ex ijs Angeli verbis: a *Ecce concipies & paries filium & vocabis nomen eius Iesum: hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternum & regni eius non erit finis.* Quod ergo solum æternum est regnum eius, recte & solum asseritur aurum optimum, quod nullam sui patiatur diminutionem. Huius capitis, & hominis huius Christi Iesu vt Nazareni, & segregati à peccatoribus densæ, profusæque comæ humerum illum operientes, super quem Crucis imperium vidit Propheta, *b* ij profecto fidelium sunt, qui libere id profiteri possunt ad Deum: c *Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis*: quiue mortificationem Iesu in corpore suo circumferentes eidem confixi sunt cruci. Hi profecto dicuntur *sicut elatæ*, noua germina, & inuolucra palmarum; quia vt fructus triumphalis palmæ è Christo crucifixo prouenientes, per multiplices huius vitæ ærumnas terram versus descendunt: sed cum, æque ac capilli crispi, retorta habeant culmina, in carne, & non secundum carnem ambulantes, cœlestem habent conuersationem, floscolosque, quos capillamenta elatarum habere conspiciuntur, præ se ferunt & ipsi per firmissimam illam, quam habent spem, quæ non confundit, ita vt propterea dicant: d *Nostra conuersatio in cœlis est: vnde etiam Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, &c.* Propter istud humilitatis corpus, propter quod imaginem terreni hominis portant, sentientes peccati legem in membris suis, nigri quidem & ipsi sunt, sicut & Adam propter peccati nigredinem coruus quodammodo redditus: sed ita sunt nigri, vt nigror ipse in illis maiorem eiusdem Christi præ se ferat vigorem & fortitudinem, cuius ope haud patiantur regnare in mortali corpore suo peccatum, quod in ipsis habitat.

Mortificationi indulgentes, sunt comæ Christi, qualesque ijdem sint.

a Luc. 1. 31.
b Isa. 6. 6.
c Ps. 43. 22.
d Phi 3. 20.

Religiosi comæ Christi quales.

Quod si per Christi, & capitis huius comas intelligamus Religiosos, provt intelleximus supra in expos. secunda verborum illorum: e *Capilli tui sicut grex caprarum, &c.* Quis non videat, quomodo per multiplices eorum ordines tamquam per multos cincinnos ita is exornatur Christus Iesus; vt densis ramis exornatur palmæ culmen; cum & illi in capite ipso suo mundum vicerint, terrenarum rerum pondere minime pressi: at instar tumulorum quorumpiam cœlum versus semper erecti. An non quot Sancti sunt Religiosorum ordines multis constantes Religiosis, tot sunt distincti ex pluribus capillis cincinni Christo inhærentes, atque in eius regno eminentes, vt capilli in medio diadematis? quos, cum singuli contemplationi indulgeant, diuinorum quasi multiplices dicas colliculos.

e Cant. 4. 2.

Vers.XI.cap.V. *Caput eius aurum optimum: comæ capitis eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus.*

Expositio III.

De Secunda sponsa, quæ est Anima Iusti.

5 CHaritatem capitis locum tenere in Deo, qui piæ animæ dilectus est, eiusdemque Dei beneficia in homines istiusmodi capitis comam esse, atque cincinnos, iam supra ostensum est in tertia exposi. verborum illorum: *f Quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Hoc igitur caput exinde celebrat pia anima, quod sit *aurum*, illudque *optimum*, & quod aureo redimitū sit diademate. Quælibet enim charitas aurum est; quia sic virtutum omnium caput est, sicut metallorum omnium caput est aurum: Vnde Ioannes in Apocalypsi: *g Suadeo tibi*, inquit ex persona Domini, *emere à me aurum ignitum, probatum, vt dines fias*, ipsam intelligens charitatem. At non omnis charitas aurum est optimum, id quippe vni competit charitati Dei, quam perfectam iure appellat idem Ioannes, *h* ita nimirum perfectam, sicut ipse perfectus est Deus, quem ipsammet charitatem esse non ignoramus. Porro quæ perfecta est Dei charitas, adeoque & aurum optimum, vt est caput Dei, aureo quoque diademate redimitum asseritur, quodque maioris est ponderis, ex hocipso celebratur diademate, quod sane Regni est hieroglyphicum, Regisque insigne. Qui enim Rex magnus est, & super omnes Deos, Regnō potissimum, eo gloriosum se exhibet, quod dilectionis est, & charitatis: Ac propterea sancti seniores illi, qui regnum istud iam adire meruerunt, signo item coronarum aurearum, quas ante thronum eius mittebant, ex hoc eum glorificare protestantur in Apocalypsi, vbi dicitur: *i Et cum darent animalia gloriam, & honorem, & benedictionem sedenti super thronum, viuenti in sæcula sæculorum: procidebant viginti quatuor Seniores ante sedentem in throno, & adorabant viuentem in sæcula sæculorum: & mittebant coronas suas ante thronum dicentes: Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem.* Et asserentes causam, subdunt: *Quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt*: per quæ ipsam designant eius charitatem, propter quam duo mundo præstitit, præstatque beneficia, creationis, & conseruationis vniuersorum. Propter eamdem charitatem (quam in eo potissimum mundo exhibitā ait dilectus Christi discipulus: *a Quoniam filium suum vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum*) Paulus regnum filij dilectionis idem appellat, cum inquit ad Colossenses: *b Gratiam agentes Deo, & Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ*, id est, filij, per quem ipsum obtinere meruimus regnum, situm in eius dilectione, & in quo ipsam habemus eius dilectionem: vnde & bene subjicit: *In quo habemus redemptionem, & remissionem peccatorum*: quæ sunt præcipua diuinæ charitatis effecta. Quod ergo ait hic pia anima, tale est.

Charitas Dei dilecti mei, quæ inter vniuersas eius perfectiones summum obtinet locum, atque adeo & caput ipsius merito dicitur, cum vsquequaque perfecta sit, nedum aurum est, vt est charitas creaturæ, sed est & *aurum optimum*. Eademque haud aliunde sibi conciliat decus, & ornamentum, quam ex semet; quatenus vt caput Dei est, semetipsa redimitum apparet, vt diademate aureo, Dei videlicet regnum in se, ac per se ipsam esse contestans. Præclare autem istiusmodi Dei caput ipsa circumdatum dicitur charitate: quia præcipua illa Dei opera, quæ è diuina prodeunt charitate, eatenus Dei præ se ferunt regnum, quod dilectionis esse dixi, quatenus propter gloriam ipsiusmet charitatis Dei condita esse conuincuntur, iuxta illud Prouerbiorum: *c Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* c Pro.16.4.

Ex qua Prouerbiorum sententia colligere & id facile possumus, quod eadem ad hoc ipsum clarius explicandum subjicit: *Comæ eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus.* Beneficia siquidem Dei, quæ è Dei charitate vt capilli ex eius capite prodeunt, recte palmarum elatis, comisve assimilantur: quia æque ac palmarum rami, tametsi deorsum vergantur aliquantulum, elatos nihilominus colliculos quosdam præ se ferunt, vt dictum est in prima expositio. altaque petunt: Ita & ipsa Dei beneficia, licet propter nos, nobisque exhibita, atque adeo deorsum propensa videantur; alta nihilominus petunt ad ipsummet celsissimum Deum conuersa instar cincinnatę capitis comæ, vtpote haud propter nos, sed propter Dei comitatem nobis, mundoque exhibita. *Nigræ* vero dicuntur istiusmodi *comæ*, ac beneficia Dei, & nigræ *quasi coruus*, non simpliciter vt coruus: quatenus ijs, qui haud illuminatos habent fidei oculos, pleraque, & quæ præcipua eorum sunt: indigna ipso videntur Deo. Vnde factum est, vt non defuerint Manichæi, qui mundi creationem Deo indignam reputarint; nec non & Philosophi, qui eamdem ob causam sublunarium prouidentiam illi negarint: ideoque & redemptionis beneficium beneficiorum omnium præstantissimum, quod per Crucis mysterium mundo exhibitum est, stultitiam reputarunt gentes, vt ait Apostolus, *d* scandalumque asseruere Iudæi. Nihilominus quæ ijs, qui tenebris obscuratum cor habent, nigra esse videntur; & quasi coruus mortuorum, atque infidelium oculos eruens, ad lumen diuinarum miserationum nitidissima, maximeque illustria esse conuincuntur. Et quod maiorem incutit admirationem, ob idipsum, quod ita nigra esse asseruntur, & Deo indigna, summa diuinæ charitati conciliatur gloria: hocque illud esse crediderim, quod quæ charitate flagrat pia anima, ex hoc potissimum nigrore illa commendans, sic ea extulit, dicens: *Nigra quasi coruus.* Alioquin alba ea, & candidissima proclamare debuisset, provt & Daniel *e* significauit, & Ioannes dilectus Christi discipulus; hic niui illa assimilans, ille vero lanæ mundæ *f*.

6 *Beneficia Dei vt capilli à Dei charitate prodeuntia qualia sint.*

Beneficia Dei quomodo nigra, & simul Deo gloriosa.

d 1.Cor.2.23.

e Dan.7.9.

f Apo.1.14.

Vers.XI.cap.V. *Caput eius aurum optimum: comæ capitis eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus.*

Expositio IV.

De tertia Sponsa, quæ est B. Virgo Maria.

7 QVæ Christum dilectum suum in superiori sententia celebrauit ex eo, quod diuinitate *candidus* esset *& rubicundus* humanitate, adeoque *& electus* esset *ex millibus*, ex ipsa eumdem nunc euehit diuinitate, qua potissimum is *electus diceretur ex millibus*, capitis vsurpans metaphoram. Vulgatissimum autem est, quod ait Apostolus: *g Caput Christi Deus.* Porro istud eius caput inde extollit Virgo Benedicta, quod sit *aurum optimum*: vel quia vt aureo diademate redimitum æternum in Christo regnum ob ipsam agnoscat diuinitatem, quomodo & Apostolus *h* ex Psal. 44. id probans contestatus est ijs verbis ad filium: *i Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi*: vel vt ingens indicet discrimen diuinitatis dilecti sui, atque humanitatis, quam idololatræ falsis tribuerent Dijs: quod sicut aurum falsum colore duntaxat aurum apparet extrinsecus: ita & falsi illi Dij, licet secundum denominationem extrinsecam ab ijs, qui verum Deum ignorant, Dei dicantur, atque colantur: re tamen vera

7 *Diuinitas in Christo cur dicta aurum optimum.*

g 1.Cor.11.3.

h Ps.44.7. i Hebr.1.8.